UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv, Theologiæ Professoris, Cvrsvs Philosophicvs

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Physica.

urn:nbn:de:hbz:466:1-95503

Visual Library

CONTROVERSIÆ PHYSICÆ:

Auctore R.P. FRANCISCO DE OVIEDO,
è Societate IESV.

PROOEMIVM.

DE vtilitate, dignitate, nomine, & diuisione Philosophiæ consulendi sunt Conimbricenses PP. qui rem hanc eruditione sibi solitâ mirè dilucidant: ego enim, quæ ad quæstionum difficultatem, non quæ ad loculentæ, infructiferæ tamen eruditionis amœnitatem tantùm spectant, mihi pertractanda suscepi. Adi Logicam sect. 1. vbi multa ex iis, quæ hîc desiderari possunt fusiùs explicata reperies.

Obiectum adæquatum Philosophiæ specialiter sumptæ, de qua nos disputationem instituimus multis nominibus significari conuenit. Alij enim illud appellant *ens mobile*: alij *corpus mobile*, seu *naturale*: alij *ens naturale*. Dixi multis nominibus, obiectum Philosophiæ significari, quia omnes definitiones illius tantùm loquendi modo differunt. Placet præ omnibus, quam tradit P. Puente Hurtado in proœmio Physicæ ex nostro Molina in Physicis manuscriptis, videlicet: *Corpus substantiale completum cum suis proprietatibus, passionibus, causis, & actionibus.* Nihil enim potest contra illam alicuius momenti adduci: reliquæ verò nonnullas patiuntur difficultates: Angeli enim possunt dici entia mobilia, & illorum disputatio ad Philosophum non spectat, nisi quatenus sunt principia, à quibus entia corporea sæpè mouentur. Materia prima deinde est ens mobile; non tamen obiectum adæquatum Philosophiæ, Obiectum attributionis est *corpus substantiale completum*: obiecta verò attributi sunt *passiones, proprietates, causæ, causalitates, atque passiones illius*: de his enim ratione corporis agit Philosophia: de corpore verò ratione sui.

Philosophia, de qua nos disputamus, diuiditur in octo libros Physicorum, in quibus agitur de his quæ pertinent ad cognitionem corporis substantialis, & illius accidentium: libri verò de generatione, & corruptione, de generatione animalium, de anima, de cœlo, & mundo, de plantis, de mineralibus, aliíque ab Aristotele editi peculiares materias sibi vendicant. Philosophiam, illiúsque partem libris Physicorum contentam esse Scientiam, nullus est qui neget: passim enim multa demonstrantur in ea: Existentia materiæ & formæ, compositio totius ex vtrâque, huius passiones, & accidentia; multa probabiliter tantùm edisserit, non ideo tamen absolutè Scientia dicenda non est, cùm plerique illius actus scientifici sint. Vnitatem Philosophiæ, quâ dicitur vna Scientia à reliquis distincta, non esse physicam, sed moralem quandam ordinis vnionem infertur ex dictis in Logica Controuers. 1. P. 3. & latiùs constabit ex dicendis in libris de Anima, Controuers. 14. Punct. 2. Huius conclusionis ratio est, quia Philosophia habet plures actus valdè diuersos, quorum habituum

habituum distinctionem siue ab speciebus distinguantur, siue non, probat eorum crebra, & manifesta separatio.

Hanc esse Scientiam speculatiuam communis tenet sententia, neque inficiari potest pleraſque illius conclusiones tales esse: quid enim ad praxim conducet cognitio materiæ primæ, emanationis potentiarum ab illa, quídve infiniti, cõtinuíque prolixa disputatio? Nihilominus censeo aliquas illius conclusiones rationem practicam imbibere: docet enim Philosophia requiri applicationem inter agens, & passum, vt hoc effectum patiatur, & illud eundem producat, quæ cognitio plurimum conducere potest ad actiua passiuis applicanda: sic alias conclusiones reperies, de motu locali, v.g. quomodo fiat motus rectus, quomodo attrahatur vnum corpus ab alio ad replendum vacuum, aliáſque quàm plurimas.

CONTROVERSIA PRIMA.

De principiis entis naturalis in communi.

IN hac Controuersia de principiis entis naturalis in communi agam, acturus in succedentibus de quolibet principio in particulari.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit principium rei naturalis?

1 PLVRES sunt acceptiones principiorum, quas percurrunt Theologi, atque Philosophi, & tradunt Damascenus in lib. aduersùs Manichæos, Aristot. lib.5. de generat. animalium, c.27. lib. Poët. c.6. lib.5. Metaph. c.1. text.1. & lib.1. Physic. c.5. text. 42

Principium propriè sumptum in sua latitudine latiùs patet quàm causa, quia ad rationem principij tantùm requiritur vt sit id, ex quo tanquam ex primo res est, fit aut cognoscitur iuxta definitionem principij traditam ab Aristotele lib.5. Metaph. cap.2. causa verò dicit influxum defectibilem vt probabo Controu.7 Punct.1. Vnde Pater æternus est principium Filij, qui ex illo per æternam generationem procedit, non causa. Neque obstat Græcos Patres veluti Chrysost. & Theodor. in Commentariis Epistolæ ad Hebræos, & Damascen. libr. 1. fidei Orthodoxæ cap. 11. & in lib. aduersùs Manich. & D. Athan. in actis Nicenæ Synodi, Patrem causam Filij appellasse, quia apud Græcos correlatiuum causæ non est effectus, sed procedens, vt doctè notant Conimbr. lib.1. Physic. cap 5. q 1. quapropter cum verbis dicunt, Patrem esse causam Filij, in re tantùm significant Filium à Patre procedere. Vtuntur etiam hoc nomine causæ in diuinis nonnulli ex Patribus Latinis; Ita D. Augustt. 7. de Trinitate cap.1. & lib.83. quæst. q.15. asserit Deum suæ sapientiæ causam esse, & D. Hieronym. ad c.3. Epistolæ ad Ephes. dicit Patrem sui originem esse, suæque causam substantiæ. Quæ verba in sensu negatiuo explicanda sunt; quia tantùm Doctores sancti intendunt significare Deum nullam habere causam suæ sapientiæ aut essentiæ, sed esse à se Secundùm acceptionem principij per definitionem importatam, effectus posset principium causæ dici, quia hæc ex illo cognoscitur, verumtamen absurdum per se apparet effectum principium dici causæ, illo naturâ prioris, in quod ne incidamus, à nobis explicandus est Aristoteles de cognitione à priori, per quam effectus ex causa, & non causa ex effectu cognoscitur.

2 Secundò sumi solet principium pro primo alicuius rei in aliquo ordine, id est pro origine, & prima radice alicuius rei. Sic Tullius definit principium 1. Tuscul. *Principij nulla est origo, nam ex principio oriuntur omnia, ipsum autem ex nullo nasci potest.* Et Arist. 5. de Generat. animalium c.7, *De ratione principij est, vt ipsum causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa.* Secundùm hanc acceptionem communis omnium Parens Adamus dicitur principium omnium hominum, illiúsque peccatum peccatorum principium omnium; non tamen meus parens dicitur principium mei in hac acceptione, quia absolutè non est primũ principium cùm ab alio homine procedat. Neque obstat Adamum etiam ab alio principio scilicet à Deo procedere, quia non ideo procedit ab alio principio eiusdem ordinis cum illo, scilicet ab alio homine, à quo originem trahat per sementiuam propagationem. Secundùm hanc acceptionem principium, & causa se habent, tanquam excedens, & excessum, quia meus parens est causa mei, & non est principium. Pater æternus est principium Filij, non tamen causa. De Filio dicit Hurtad. non dici principium Spiritus sancti, secundùm hanc acceptionem eo quod Filius à Patre procedat. Aliter ego sentio, quia licet Filius procedat à Patre, procedit ab illo tanquam à principio generante, & non tanquam à principio spirante, ac proinde in ordine spiratiui principij simul cum Patre sunt primum principium spiratiuum Spiritus sancti.

3 Tertiò principium aliquando sumitur pro initio seu inceptione rei. Hoc initium aliquando sumitur in ordine ad tempus, quo sensu dicere solemus nunc incipit lectio, aut concio: aliquando in ordine ad locum, & positionem, quo sensu primum hominem vocamus, qui primo loco sedet, & punctum terminatiuum lineæ primum illius punctum dicimus, ac lineæ principium. Hæc principij acceptio in dininis locum non obtinet, omnia enim intrinseca Dei sunt ab æterno, & immensa nullo temporis, aut loci spatio definita. His præmissis.

4 Aristoteles c.5. tex 42. definit principia entis naturalis *quæ neque ex se, neque ex aliis sed omnia fiunt ex ipsis*, quæ definitio ita est intelligenda, vt vnum principium non fiat ex alio, eodem genere, quo est principium v.g vt materia non fiat ex forma tanquam ex causa materiali, neque forma ex materia tanquam ex causa formali, quo genere dicitur principium; insuper quod non fiant ex aliis, videlicet, quod materia non fiat ex alia materia, nec forma ex alia forma, sed omnia fiant ex ipsis, videlicet omnia compositia constent ex principiis, quod intellige iuxta distributionem accommodam, videlicet tota collectio compositorum ex tota collectione principiorum, & hoc numero compositum ex his principiis numero, verbi gratia hic equus, ex hac materia, & ex hac forma; non verò ex quolibet principio potest fieri quodlibet compositum, quia ex forma equi non potest fieri neque componi homo.

5 Ex hac explicatione definitionis facilè soluuntur omnia, quæ contra illam adduci solent. Obiicies primò formam fieri ex materia, quod iam solui. Obiicies secundò, materiam fieri ex partibus integralibus, quod eodem modo soluitur, quia materia est principium tanquam pars essentialis, non verò tanquam pars integralis, & licèt fiat ex partibus integralibus, non tamen fit ex aliis eo genere

genere quo est principium, videlicet ex aliis partibus essentialibus, quæ ad illam supponantur tanquam materia illius. Si verò instes materiam, & formam fieri ex partibus essentialibus videlicet ex genere, & differentia, quæ sunt partes essentiales. Respondeo fieri ex partibus essentialibus metaphysicis, ipsas verò esse partes essentiales physicas, & principia physica compositi, ac proinde non fiunt ex aliis eo genere quo sunt principia.

7 Circa prædictam definitionem, est difficultas, an comprehendat principia tantùm intrinseca, vel etiá extrinseca: Hurtad.sect.2. docet cõprehendere principia intrinseca, & extrinseca. Conimb.1. Physic.c.5.q.1.cũ multis aliis docent sub hac definitione tantùm comprehendi principia intrinca videlicet materiam, formam, & priuationem: his assentior, quia Aristoteles de principiis extrinsecis agit 2. Physic. non verò in hoc libro in quo tantùm de materia, forma, & priuatione disputat. Deinde quia propriè res non dicitur fieri ex causa efficienti, neque ex finali, sed ab efficienti, & propter finem.

8 Obicit Hurtad. aliquas loquutiones Scripturæ in quibus particula *ex* denotat efficientiam: *Qui ex Deo est verba Dei audit*, Ioann. cap. 8. num. 46. & num. 44. *vos ex patre Diabolo estis*. Respondeo in primis non semper voces sumi in stricta significatione in Scriptura, imò neque in probatissimis cuiusuis linguæ auctoribus, illiusque Principibus: verbum enim *vel* strictè loquendo disiunctionẽ significat, ita vt in rigorosa significatione non verificetur, si vtrumque membrum quod disiungit existat: nihilominus non ita strictè sumitur, passim enim illo vtimur etsi sit possit vtraque pars quam disiungit esse vera, & in Scriptura dicitur, *vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo ibi sum in medio eorum*, non autem intelligimus Deum non esse, vbi duo, & tres sint congregati. Ratio huius, quia cum verba possint habere significationem accommodatam modo loquendi, licet non magis propriam, non tenemur vti illis iuxta significationem propriissimam, sed licet vti eis iuxta aliam minus propriam, quando ratione materiæ non potest esse ambiguitas, sicut in præsenti; non enim potest intelligi homines esse ex Deo, neque ex Diabolo tanquam ex materia.

9 Addo particulam *ex* in prædictis propositionibus non solùm denotare efficiẽtiam quia tam homines boni, quam mali fuerunt effecti à Deo, sed denotare quamdam communicationem eiusdem naturæ. Petrus enim dicitur ex parentibus, quia per communicationem eiusdem sanguinis ab illis trahit originem, quia cùm filius sit aliquid patris, & veluti pars quædam decisa ab illo, dicitur ab illo dimanasse, sicut amnis à fonte: quia verò homines producti fuerunt à suis parentibus per naturalem seminationem, & communicationem sanguinis, ideo dicuntur ex illis originem trahere: Iusti verò dicuntur ex Deo, quia illam communicationem naturæ quam habent à patribus naturalibus per communicationem sanguinis, habent à Deo altiori quodam modo per gratiam habitualem, quæ est participatio quædam diuinæ essentiæ, per quam filij constituuntur, non naturales, quia non habent eamdem naturam cum Deo, sed adoptiui, quia communicatio naturæ est per participationem, & per affectum, & non per identitatem. Ex his cùm dicitur: *qui ex Deo est verba Dei audit*, debet intelligi non qui productus est à Deo, sed qui est filius Dei prædestinatus ad filiationem adoptiuam: cùm verò dicitur, *vos ex Diabolo estis*, illud *ex* sumitur magis impropriè, solùm enim significat habere opera adeò similia operibus diaboli, vt videantur eamdem naturam cum illo habere. Fundamentum autem loquutionis per particulam *ex* esse prædictum, & non tantùm denotari causalitatem extrinsecam. Probo: quia nunquam talis loquendi modus reperitur in causa finali, neque efficienti, quæ sunt principia extrinseca: non enim dicimus, medicina est ex salute, licèt dicamus medicinam esse propter salutem. Si verò obiicias dici vnum ignem esse ex alio, in quo non reperitur hæc communicatio naturæ. Respondeo hunc modum loquendi impropriissimum esse, & tantùm translatum ex viuentibus ad non viuentia, in quibus rarò inuenitur, & semper impropriè. Conuenit ergo hæc definitio materiæ, formæ, & priuationi, quæ sunt principia intrinseca, non tamen omnibus vniuocè, quia non enti, & enti non potest dari ratio vniuoca, sed tantùm materiæ, & formæ propriè, priuationi verò impropriè, quia ex priuatione, quæ est non ens non potest aliquid proprié fieri.

Vltimò aduerto, cùm dicimus hanc definitionem conuenire principiis intrinsecis tantùm, non esse intelligenda principia intrinsecè componentia, quia forma est principium generationis vt dicam postea, & non componit intrinsecè generationem, debent dici principia intrinseca, quæ intrinsecè componunt id cuius sunt principia vel illa quibus intrinsecè afficitur illud cuius sunt principia. 10

Punctum III.

Quot sint principia entis corperei.

Aristoteles tria principia assignauit entis naturalis, seu corporei, materiam videlicet, formam, & priuationem. Compositum autem intelligitur in fieri, & in facto esse: per compositum autem *in fieri* intelligitur compositum in primo instanti, quo fit, neque per compositum in facto esse idem compositum in secundo instanti in quo iam factum est, vt posset imperitus aliquis iuxta sonum vocum intelligere, quia compositum non minùs perfectè est factum in primo instanti suæ durationis, quàm in secundo, est enim idem omnino substantialiter inuariatum in primo, & secundo instanti, & sicut primo instanti terminat actionem productiuam, in secundo terminat actionem conseruatiuam; conseruatio verò, & productio per se non distinguuntur, nisi quando variantur agentia, si enim idem agens conseruet, & producat, actio est eadem numero, & tantùm differunt conseruatio, & productio per denominationem extrinsecam primi instantis durationis, & instantium subsequentium; compositum verò *in facto esse* dicitur ipsa entitas compositi substantialis, & compositum *in fieri* actio productiua illius compositi, seu illius generatio. His positis: 1

Dico primò, compositum in facto esse tantùm includere duo principia materiam videlicet, & formam, quia tantùm fit ex ipsis, & non ex priuatione, quod probo: si esset ab æterno materia vnita formæ verè esset compositum, & non præcessisset priuatio. Deinde quia compositum est destructiuum formaliter priuationis: ergo priuatio non est principium illius: Probo consequentiam, quia nulla entitas potest principium sui non esse, sicut enim omnis entitas creata est ab alio, ita non esse illius est ab eodem, quia sicut constituitur existens per actionem dependentem ab alio, ita constituitur non existens per negationem actionis dependentis ab alio. 2

Dices hanc rationem probare nihil posse esse principium sui non esse in genere causæ efficientis. Respondeo absolutè probare in omni genere, quia ratio, quæ probat nihil esse principium sui esse in vllo genere, probat eádem proportione non posse in eodem esse principium sui non esse, quia ratio principij non esse est negatio rationis principij sui esse in eodem genere, priuatio verò, & actus semper sunt ab eodem in omni genere. Obiicies modum vnionis esse de ratione cõpositi, sicut materia prima & forma: ergo similiter erit principium entis naturalis. Respondeo modum vnionis esse principium *vt quo*, quod quatenus se tenet ex parte formæ, quæ est principium *vt quod* cum illa constituit principium quoddam adæquatum completum, & quatenus se tenet ex parte materiæ est etiã principium vt *quo*, & cum illa tanquam principio vt *quod*, constituit principium aliud adæquatum. Ratio est, quia modus vnionis non componit, sed est ratio componendi, neque est causa intrinseca compositi, sed causalitas illius, & sicut ex principio effectiuo, & causalitate non constituuntur duo principia, ita neque ex forma, & ratione informandi debent constitui duo principia. 3

Obiic. subsistentiam esse de ratione intrinseca suppositi: ergo est principiũ illius. Respondet Hurtad. suprà subsistentiam pertinere ad compositionem metaphysicam, sed me omnino latet cur compositio ex natura, & subsistentia, quæ ex rebus physicis fit ad compositionem metaphysicam spectet. Respondeo hic agi de principiis compositi naturalis, seu naturæ non tamen de principiis suppositi, quod Aristoteles non cognouit. Imò addo subsistentiam materiæ cum ipsa constituere vnum principium, & subsistentiam formæ cum forma constituere aliud, quia totum subsistens constat ex materia subsistente tanquam ex vno principio, & ex forma subsistente tanquam ex alio. 4

5 Dico secundò, Generationem essentialiter tantùm constare duobus principiis, videlicet subiecto, seu materiâ, & formâ, seu termino, quod sic probo: Priuatiò tantùm est principium mutationis ad quam tantùm formaliter pertinet, sed generatio, non est mutatio: ergo ad generationem vt generationem priuatio non spectat. Maiorem admittunt omnes: minorem probabo Controuers. 2. de Generat. Punct. 1. consequentia est legitimè deducta.

6 Obiic. ad probandum generationem habere alia principia præter materiam, & formam, quia generatio est actio: ergo dependet ab efficiente: ergo habet principium efficiens. Respondeo negari non posse efficiens esse principium generationis, est tamen principium extrinsecum, de quo non est sermo, sed tantùm de principiis intrinsecis materiâ, & formâ, quarum illa dicitur principium intrinsecum non quia componat generationem, sed quia illam intrinsecè in se recipit, forma verò dicitur principium intrinsecum, quia ita terminat actionem vt ex vi talis terminationis habeat esse: agens verò intrinsecè eodem modo se habeat siue agat, siue non, quia quatenus agens solùm dicit exire actionem ab ipso, non autem aliquid in se recipere neque suam entitatem recipere esse.

7 Obiic. ad probandum priuationem esse principium generationis, quia licèt non præcedat priùs tempore priuatio formam, præcedit priùs naturâ, quia producitur à materia, quæ supponitur sine forma priùs natura: ergo supponitur cum priuatione formæ. Confirmatur: non supponitur priùs natura cum forma: ergo supponitur cum priuatione formæ. Probatur Consequentia, quia forma & priuatio formæ opponuntur contradictoriè, inter oppositionem verò contradictoriam non datur medium. Respondeo priuationem formæ non esse priùs naturâ, forma neque generatione illius, quia illud est prius naturâ tantùm quod est ratio causandi, cùm verò priuatio formæ non sit ratio causandi non potest esse priùs naturâ: deinde non potest esse in instanti naturæ in materia, quod non est in instanti temporis, quia implicat, quod causet quod non est in aliquo instanti temporis, ac proinde cùm priuatio formæ non sit in instanti temporis in materiâ, cùm materia & forma in eodem instanti producuntur, implicat esse in instanti naturæ. Ad argumentum in forma respondeo materiam præsupponi sine forma, non verò cum priuatione formæ, sed abstrahendo ab existentia formæ, & priuatione illius. Ad confirmationem dico, quod licèt inter formam, & priuationem formæ non detur medium, datur tamen inter formam priorem naturâ & priuationem cum eadem prioritate, quia non infertur: forma non est prior naturâ ergo priuatio est prior naturâ.

8 Dico tertiò, generationem in ratione mutationis constare tribus principiis, priuatione, materiâ, & termino à *quo*. Probò: mutatio vt mutatio dicit quod subiectum aliter se habeat ac antea se habebat, ac proinde dicit subiectum commune: dicit modum, quo nunc se habet per receptionem formæ, ac proinde dicit formam tanquam terminum ad quem talis modi, & dicit modum, quo antea se habebat aliter, id est sine forma, quæ est priuatio eiusdem, & terminus à *quo* mutationis.

9 Nota tamen quod diuerso modo hæc principia concurrunt ad mutationem: materia enim concurrit tanquam subiectum eam intrinsecè recipiens adæquatè ab illa distinctum; forma verò tanquam terminus, ad quem essentialiter dicit ordinem mutatio, qui ex vi talis mutationis habet esse distinctum formaliter à mutatione, quia mutatio non est essentialiter, neque inadæquatè forma aduenions, sed receptio illius rectè, vt docent Conimbr. lib. 3. Physic. quæst. 1. art. 1. materia enim dicitur mutata per receptionem illius, quod antea non habebat, ac proinde formaliter dicit receptionem, & dicit non habuisse antea talem receptionem, quod est priuatio formæ in subiecto seu receptionis; quæ priuatio formaliter constituit subiectum mutatum, & est principium intrinsecum mutationis ad instar materiæ compositi, quia actio per se non formaliter constituit subiectum mutatum, si antea non præcessit priuatio, ac proinde hæc priuatio est ratio formalis inadæquata mutationis.

10 Ex hoc infero: id quod vulgo dicitur priuationem formæ esse principium generationis intelligendum esse de priuatione non formæ secundum se, sed formæ vt inhærentis & receptæ in subiecto, hoc est priuatio eiusdem receptionis. Quod probo: si forma præcessisset existens independenter à subiecto producta, & conseruata per actionem creatiuâ, & denuò inhæreret subiecto, subiectum diceretur mutatum: ergo mutatio non dicit formaliter priuationem formæ, sed priuationem formæ vt inhærentis, seu inhæsionis. Constat mutationem formaliter, & intrinsecè includere actionem productiuam formæ, quæ est receptio illius in hoc instanti, & priuationem eiusdem in instanti præcedenti, quæ priuatio inhæsionis in instanti præcedenti, & inhæsio in hoc instanti essentialiter constituunt subiectum iquod afficiunt mutatum.

11 Infero secundò materiam propriè non mutari per animam rationalem tanquam per terminum, quia per illam non recipit aliquid quod antea non recipiebat, quia anima rationalis non recipitur in materia; dicitur autem mutata per receptionem modi vnionis, qui per receptionem seu passionem inhæret materiæ, & impropriè, & extrinsecè per animam rationalem, quatenus est terminus vnionis ad illam, quæ mutatio impropria inuenitur in omnibus compositis distincta à propria mutatione, quia propria mutatio consistit formaliter in receptione formæ, impropria verò, quæ datur respectu animæ rationalis, & est communis omnibus formis, consistit in vnione: dicitur autem impropria, quia cùm terminus in ratione termini sit extrinsecus alteri termino, non potest vnum per aliud mutari propriè, sicut propriè non mutatur pars integralis per vnionem ad alteram. Quod verò in vnione partium essentialium vna subiectetur in altera non est per vnionem, sed per receptionem. Vnde si modus vnionis inter materiam, & formam hominis crearetur, quod de potentia Dei absoluta posse fieri diximus, non minùs maneret immutata materia prima per vnionem ad formam hominis, quàm forma hominis per eandem vnionem ad materiam, quia neutra esset subiectum alterius, neque vnionis, ac proinde manerêt mutatæ extrinsecè, & impropriè, sicut vna pars integralis quantitatis per vnionem ad aliam compartem integralem.

12 Obiic. eodem modo posse dici terminum à quo mutationis receptionem formæ præexistentis, ac dicitur priuatio subsequentis, quia sicut materia transit à priuatione huius receptionis ad hanc receptionem, similiter transit ab hac receptione ad aliam. Respondeo mutationem tantùm dicere, quod subiectum aliter se habeat nunc ac antea, ad hoc verò non requiri, quod transeat à receptione præcedentis formæ ad receptionem subsequentis sed tantùm quod transeat ad receptionem à priuatione illius. Verum tamen est in ratione transitus vnius receptionis ad aliam seu conuersionis vnius compositi in aliud, qui transitus motus propriè dictus vocari solet, includi inhæsionem præcedentem tanquam terminum à *quo*, & subsequentem tauquam terminum, ad quem, & ex vtraque constitui hunc transitum, conuersionem, seu motum propriè dictum: vtere nomine, quod placuerit.

13 Obiic. Priuatio inhæsionis in instanti præcedenti & inhæsio in hoc instanti non possunt tribuere suum effectum formalem nec reddere subiectum mutatum, non in instanti antecedenti, quia tunc tantum est priuatio, quæ est forma inadæquata, nec in hoc instanti quia in hoc tantùm est inhæsio, quæ est etiam forma inadæquata, & deficit priuatio, quæ est alia compars: ergo in nullo tempore subiectum est mutatum.

14 Communis solet esse responsio connotatorum in his, & similibus argumentis videlicet inhæsionem existentem in hoc instanti cum connotatione ad priuationem præcedentem dici mutationem, inhæsio autem, & connotatio sunt in hoc instanti, ac proinde in hoc instanti dicitur mutatum subiectum. Sed non acquiesco, non enim percipio quid sit illa connotatio, quia non identificatur cum hac inhæsione, quia hæc inhæsio potest esse, & de facto erit in instanti sequenti, in quo subiectum non mutabitur: ergo includit aliquid ab illa distinctum, si hoc sit priuatio præcedens habet eamdem vim argumentum; si aliquid distinctum, videamus quid sit, non formalitas rationis, quia realiter subiectum est mutatum: quæ ergo formalitas poterit esse distincta ab inhæsione existenti in hoc instanti, & negatione eiusdem existenti in instanti præcedenti? Si fingatur resultare aliam tertiam, entitatem eodem modo arguo: vel resultat ex priuatione præexistente, vel ex inhæsione subsequenti; non ex aliqua earum tantùm, quia vtraque requiritur vt fiat mutatio: ergo resultat ex vtraque: Inquiro ergo, in quo instanti resultet? si enim

enim resultat in instanti,in quo est priuatio,resultat quãdo non est inhæsio , quæ est fundamentum illius : si resultat quando est inhæsio,resultat quando non est priuatio : ergo sicut tenentur concedere id , quod non existit esse fundamentum talis tertiæ entitatis dum non existit, etiam poterunt dicere denominare subiectum, præcipuè cùm tertia illa entitas non appareat quid sit , neque ad quod prædicamentum reducatur.

15 Respondeo mutationem esse formam quandam non physicè vnam , sed moraliter , & denominationem mutati esse moralem , & non physicam, ac proinde non requirit formam physicè existentem in instanti , in quo denominat, sed sufficit, si partim existat , partim extiterit, sicut denominatio præteriti sumitur à forma , quæ non est,sed fuit ; & denominatio futuri à forma, quæ non est, sed erit,& ego dicor prior Antichristo per meam existentiam durantem nunc,& per existentiam Antichristi postea duraturam , quæ modò nihil est ; & posterior Adamo per meam existentiam durantem nunc , & existentiam Adami,cuius duratio iam præteriit,& modò nihil est.

16 Obiic. nos dixisse priuationem non posse esse principium totius, quia opponitur priuatio cum toto contradictoriè ratione habitus,quem totum includit, cui priuatio mutuò opponitur tanquam esse,& non esse:Sed similiter priuatio inhæsionis & inhæsio,quæ est idem ac generatio realiter opponuntur contradictoriè : ergo priuatio inhæsionis nullo modo potest esse principium generationis.

17 Respondeo in primis priuationem,& habitum non opponi contradictoriè , si ad diuersa tempora referantur,sicut referuntur in mutatione , in toto autem deberent ad idem tempus referri , quia totum substantiale est quoddam ens physicum permanens , quod est totum simul , & non potest esse partim in hoc instanti , partim in sequenti,sed in omni instanti quo durat est secundùm se totum, aliàs nunquam esset totum , quia cùm habeat vnionem physicam partium , & hæc non possit esse in instanti , in quo non est vtraque pars,implicat illud esse totum sine coexistentia omnium partium.Mutatio verò est totum quoddam morale,cuius partes non habent vnionem physicam, sed moralem, quæ consistit in immediata successione , ac proinde potest esse,quin partes illius sint simul,quia mutatio est ad instar successionum in ratione essendi,licet in ratione denominandi denominet subiectum mutatum,sicut spatium horæ labitur successiuè : in instanti verò dicitur horam completam fuisse elapsam , & ante terminatiuum illius non dicitur horam fuisse elapsam.

18 Addo me non asserere priuationem inhæsionis esse principium generationis , sed alterius entitatis , mutationis videlicet, quæ componitur ex generatione tanquam parte , & priuatione præexistenti eiusdem tanquam alterâ comparte ; in toto autem hoc non potest excogitari, quia ex entitate totius , & negatione præexistenti non componitur alia tertia entitas,neque inuentum est nomẽ ad significandam illam successionem negationis præcedẽtis , & totius subsequentis per modum vnius. Inquires quandiu duret mutatio?Respondeo tantùm durare in prima productione formæ quam includit, quia tunc tantùm dicitur subiectum se habere aliter ac antea se habebat;in secundo verò instanti, quo forma conseruatur,subiectum eodem modo se habet cum illa , ac se habuit in instanti præcedenti , quo talis forma fuit producta,& illam recepit. Nihilominus subiectum dicitur mutatum non solùm in illo instanti ; sed in subsequentibus sumptâ denominatione à forma præcedenti,sicut Petrus dicitur filius Ioannis non solùm in instanti , quo eum genuit, sed postea per denominationem sumptam à generatione præcedenti , & mulier dicitur nupta ex contractu matrimonij iam præterito. De mutatione subiecti per receptionem formæ accidentalis nihil peculiare occurrit dicendum , eodem enim modo philosophandum est ac de mutatione per formam substantialem , & dicendum priuationem non esse principium totius accidentalis in facto esse,neque generationis accidentalis,vt generatio est , sed tantùm illius quatenus est mutatio per priuationem ipsius , ex cuius consortio resultat mutatio tanquam ex duabus partibus.

19 De productione materiæ primæ & Angeli dicendum est esse illius principium terminatiuum intrinsecum modò explicatum ipsam materiam primam , & ipsum Angelum. An verò materia prima , & Angelus sint principia illius in genere causæ materialis dicam Controu. 13.Physic.Punct.3.vbi disputabo an creatio habeat causam materialem. Priuatio principium non est creationis Angeli , aut materiæ primæ , neque ad illam aliquo modo conducit , neque tanquam componens mutationem, quia non est subiectum , quod mutetur , & ad productionem Angeli,seu materiæ primæ secundùm se impertinenter se habet negatio præcedens,quia illæ productiones in communi sententia potuêre esse ab æterno,deinde quia non apparet quo genere negatio præcedens possit pertinere ad productionem subsequentis,nisi tanquam terminus à quo,vbi autem non mutatio,non est terminus à quo.

CONTROVERSIA II.

De materia prima.

MNIVM principiorum in particulari materia prima primum est , ideo sibi præ aliis primum in nostra disputatione locum obtinet.

PVNCTVM PRIMVM.

Materiam primam dari statuitur.

MVltiplicem respectum includit materia ; ad formam , quæ ex illa educitur , & in illa recipitur, illique vnitur ; ad totum , quod ex illa componitur ; ad agens quod circa illam operatur. Iuxta hos respectus diuersas induit denominationes, in quas diuidi solet , est enim apud antiquos celebris materiæ diuisio in materiam *ex qua* , & *in qua*, & *circa quam*,quæ diuisio partitio non est totius actualis,vel potentialis, in partes actu, vel potentiâ illud componentes , sed eiusdemmet indiuisibilis entitatis in diuersa munera,quibus fungitur.Materia *ex qua* in ordine ad totum dicitur, quod ex illa componitur , & cuius est pars materialis. Materia *in qua* per ordinem ad formam denominatur , quæ in illa recipitur, si materialis sit non creata, & in qua plurimas exercet operationes. Materia *circa quam* dicit respectum ad agens, quod operatur circa illam. Ex his respectibus duo priores ad conceptum metaphysicum spectant materiæ , quæ munus subiecti receptionis , & informationis exercet respectu formarum, & in ordine ad totum, quatenus est primum subiectum,quod compositiuum totius necessariò debet esse,& consequenter receptiuum formæ,vel saltem illi vnibile , nequit enim sine vnione ad formam totum componere ; & multi asserunt de conceptu metaphysico constitutiuo illius esse potentiam receptiuam saltem in ordine ad vnionem. Vltimus conceptus explicatus per materiam *circa quam*, quem habet in ordine ad agens,formaliter ad materiam non spectat , cuius adæquata ratio primi subiecti , tota est in ordine ad compositum & ad formam, sine vllo ordine ad agens,quod actus non est potentiarum quas habet materia, vt formam recipiat,illamque sibi vniat, & totum peragat compositum, quibus tota essentia materiæ primæ circumscribitur. 1

Materia aliter in transeuntem , & permanentem diuidi solet , aliàs in materiam extrinsecam, & intrinsecam:Materia permanens, seu intrinseca dicitur,quæ verè est materia ex qua totum componitur , quæ illi intrinsecè permanet. Materia extrinseca , seu transiens est totum corruptum ad generationem aduenientis,lignum v.g. ex quo solemus dicere,fieri ignem , qui intrinsecè formam ligni non includit,imò illam excludit, & expellit à materia ligni;& ideo illi dicitur extrinseca, quia ex tali forma,tanquam ex termino extrinseco generationi ignis transit materia ligni , à forma ligni ad formam ignis. Hæc materia transiens,seu extrinseca propriè materia non est, quia non totum componit , neque illius est subiectum , sed potius forma in subiecto recepta,quæ simul cum materia totum corruptum componebat. 2

Alia est partitio materiæ in Physicam,& Metaphysicam. Materia physica , est materia de qua agimus, quæ propriè materia dicitur,quia verè & realiter componit totum substantiale : Materia Metaphysica est, quæ metaphysicè tantùm , & per rationem totum componit per modum 3

partis materialis', scilicet genus, quod metaphysicè tantùm materia dicitur.

4 Instituitur præsens controuersia de materia prima, quæ supra conceptus assignatos in ratione primæ dicit non dari aliam, in qua ipsa subiectetur, ideo compositum substantiale multi appellant materiam secundam; materiam, quia recipit accidentia, & per vnionem ad illa constituit aliud compositum accidentale, cuius materia dicitur: secundam, quia supponit aliam, ex qua totum componitur. Alij materiam secundam appellant subiectum dispositum accidentibus ad formam substantialem recipiendam, non quia hæc in illa recipiatur, sed quia illa præcedant huius receptionem. Receptio enim accidentium antecedit ordine naturæ quasi subiectum sternens ad receptionem formæ substantialis, ideo materia his accidentibus vestita materia proxima dici solet. Ex his dimanauit materiæ definitio, quam postea expendam.

5 Dari materiam primam demonstrant Philosophi ex mutua corruptione, & generatione formarum, quæ aliquod commune subiectum euidenter demonstrant, quod primum est, vel in aliud primum nos ducere necessum est, si enim primum non est subiectum, aliud habebit, quod primum erit: si alio careat, si tamen illud habeat, primum non erit, tamen ad aliquod ex illo perueniendum, quod subiectum aliud non supponat, ne in infinitum procedatur, quod fieri non posse de omnibus causis demonstrat Aristoteles, vt ad primam perueniat, quod si in materiali causa liceret nobis in infinitum procedere, eadem licentia in efficienti liceret vti, quod communis hominum apprehensio reprehendit.

6 Confirmatur & declaratur idem discursus: euidens est produci aliquid, quando subiectum incipit ignefieri amissa formâ ligni: ergo datur aliquod commune subiectum. Probo consequentiam: si nullum daretur subiectum commune, totus ignis secundùm se totum inciperet esse, & totum lignum secundùm se totum desineret, & productio ignis esset creatio, & corruptio ligni annihilatio ignis, & agens naturale naturaliter crearet, & annihilaret. Deinde si nullum daretur commune subiectum, alteratio facta in ligno, vt illam forma ignis subsequatur, omnino esset impertinens, cùm productio caloris non fieret in subiecto, in quo producenda erat forma ignis. Secundò vel adueniente formâ ignis, permanet calor in subiecto, quod ad illam erat dispositum, vel non manet: si manet, ergo datur vnum commune subiectum calori, & formæ ignis, quæcumque sit ignis forma, siue accidentalis, siue substantialis: si non manet, impertinens fuit calorem priùs produci, qui numquam igni coexistit, & ita in illum influere non potest, nihil enim influit in aliud, quod simul cum illo non existit. Si dicas calorem non existentem præcessisse conducere ad productionem ignis, quia subiectum dispositum relinquit, quod Thomistæ vocant materiam figillatam permanere, sanè subiectum aliquod fateris quod dispositum permaneat, & sit figillatam ad formam ignis, quod nos probare contendimus, admisso enim aliquo subiecto facilè conuincitur illud debere esse primum, vel aliud primum supponere, ne in infinitum processus admittatur.

7 Confirmat aliter eamdem conclusionem eadem corruptio formarum facta ad introductionem alterius: quando producitur forma ignis non destruitur totum, quod esset in ligno; ergo datur aliquod commune ligno, & igni, in quo forma ignis recipiatur. Antecedens suprà probatum, alio modo probo, vt eiusdem consequentis nouam consequentiam eliciam. Forma ignis destruere non potest subiectum in quo recipitur necessariò supponitur ad sui productionem, & conseruationem: ergo illud in quo recipitur forma ignis remanet: sed illud erat in ligno corrupto: ergo aliquid, quod erat in ligno permanet in igne, quod est subiectum in quo ignis forma recipitur: Præcessisse in ligno, illud in quo recipitur forma ignis, sic probo: forma ignis produci nequit non præsuppositio ligno: ergo illo indiget, vt in aliquo illius recipiatur, præcisè enim destructio ligni nihil posset conducere ad productionem ignis, nullam enim connexionem, neque dependentiam immediatam habere potest entitas positiua ignis à negatione ligni. Discursum corroborat viuentis nutritio. Homo quando per corruptionem alimenti fit maior, vel sibi vnit aliquid alimenti, quod ex illo non corrumpatur, vel totum quod erat in alimento destruit. Si primum dicas: ergo datur aliquod commune subiectum formæ alimenti corruptæ; & formæ hominis, quia per nutritionem ad illud extenditur. Secundum, scilicet, totum augmentum, & quidquid substantiæ erat in illo corrumpi, dici nequit, quia præcisè per corruptionem alimenti viuens non potest fieri maius, quia non esse alimenti, quod ponitur per illius corruptionem, formaliter non spectat ad constitutionem viuentis, neque per illud hoc potest accrescere, aliàs accresceret per negationem productionis alimenti, ex vi cuius eadem negatio ponitur, quæ per corruptionem poneretur; negatio enim productionis, & corruptio intrinsecè non distinguuntur.

Quidam neotericus Complutensis affirmat: materiam primam nec de potentia Dei absoluta posse esse sine forma, me pro opposita sententia refert, asseritque me defendere de facto aliquando existere sine forma ex defectu dispositionum. Hìc esse manifestam impostoram me legenti dubium non erit, cùm expresse dixerim formam esse velle materiam primam semel informatam aliqua forma substantiali non posse naturaliter permanere absque vlla forma. Videamus modò, quid contra ea, quæ assero, & contra id, quod falsò mihi imponit, ille inuenerit. 8 Prado 1. part. Cont. 2. art. 5.

Arguit primò: magis dependet materia à forma, quàm ab accidentibus, sed non potest existere sine accidentibus: ergo nec sine forma. Instaui hoc argumentum: Anima rationalis non potest existere sine præsentia, & tamen potest existere sine materia: ego non bene infertur ex eo, quòd materia non possit existere, sine accidentibus, quod non possit sine forma.

Rursus respondi disparem esse rationem, quia materia per simplicem emanationem producit suam præsentiam, & ita semper est in actu primo ad illam producendam, & in actum secundum erumpit, formam verò non recipit, nisi dependenter ab alijs principiis actiuis, quæ si absint, vel si non influunt materia formam recipere non poterit. 9

Solutionem hanc intendit impugnare ex eo quòd materia prima non sit principium actiuum præsentiæ alius vt accidentis, insuper quia si esset principium actiuum accidentium esset principium actiuum saltem inadæquatum formæ substantialis. Materiam primam non esse productiuam suæ præsentiæ probare non poterit hic Author, & est valde commune in scholis, quamlibet entitatem productiuam esse suæ præsentiæ, dicere autem materiam primam esse principium actiuum, vel inadæquatum formæ substantialis paradoxum est inauditum inter Authores classicos: sed finge esse principium inadæquatum formæ, dum absint alia comprincipia actiua inadæquata perinde erit in ordine ad illam producendam, ac si nullam virtutem adæquatam haberet. Demum, etsi materia prima non sit principium actiuum suæ præsentiæ, saltem illi debitæ independenter à quolibet alio, quod sufficiet, vt naturaliter materia sine præsentia non sit, vt eam semper habeat saltem à Deo productam. Cur autem supernaturaliter sine præsentia esse non possint, alij viderint, ego enim defendo posse supernaturaliter quamlibet entitatem omni vbicatione carere. Hoc autem asserere necessarium mihi non est, quia rationes, quæ pro inseparabilitate cuiuslibet entitatis ab aliqua præsentia adducuntur, nullo modo propugnant inseparabilitatem materiæ à forma, ac proinde illis inspectis facile ex eisdem disparitatis caput dignoscetur. 10

Instat insuper: materiam primam non posse esse naturaliter sine primis qualitatibus, quæ non producuntur per simplicem emanationem: sed dependenter ab alijs extrinsecis principiis. Respondeo casu, quo materia produceretur sine primis qualitatibus eam informantibus, aut modò supernaturaliter illis omnibus priuaretur, materialiter, sine illis fore conseruadam, semel tamen cum illis productam non posse naturaliter illis carere, quia non deperditur vna qualitas, nisi per aduentum alterius illam expellentis. Idem affero de formis substantialibus, etsi de illis non possit ita efficaciter probari, quia difficile impugnabitur, qui asseret formam substantialem corrumpi ex defectu dispositionum absque aduentu alterius. 11

Instat, omnis locus naturaliter est repletus corpore: ergo atttento materiæ ordine omnis materia est informata aliqua forma. Concedo consequens, quod mihi verum, quia tamen ex antecedenti non infertur, nego consequentiam. Ratio disparitatis est, quia in prima creatione mundi 12

totum

totum spatium, quod est intra lunæ concauum tantùm fuit repletum corpore quantitatiuo, cùm verò quantitas, & materia prima non corrumpantur naturaliter semper remanent occupantia idem spatium. Quod si aliquando hoc corpus condensetur tunc aliud rarefit, & sic semper manet totum spatium occupatum. Deinde necesse est in rerum natura vacuum non dari, vt vnum corpus medio alio recipiat influxus corporum cœlestium, quia non posset recipere corpus, quod vndique esset in vacuo, nec linea recta corpus illud, quæ supra se spatium vacuum haberet etiam si per latera corporibus aliis cingeretur.

13 Producta tamen materia cum forma, quis defendere poterit posse hanc amittere ex defectu dispositionum, absque eo quòd ab alia expellatur, & ita aliquantulum sine forma permanere, donec sufficientes dispositiones ad eam recipiendam adueniant. Insuper naturaliter, siue supernaturaliter materiam sine forma esse, aut creari contigerit, seu contingat, conclusio est adhuc in eo casu naturaliter esse conseruandam. Respondet hic Author, nunquam materiam spoliari quadam forma antequam habeat dispositiones sufficientes, hoc etsi verum iudico, deberet ille probare. Asserui insuper faciliùs esse formam sine dispositionibus introduci, quàm omni forma carere. Totum hoc gratis dicitur, & contra rationem, quia certum est formam non, nisi ad exigentiam dispositionum produci; materiam verò sine forma non posse esse inquæstionem vocetur, & nulla potest ratione efficaciter suaderi, & casu, quo accideret omni forma materiam spoliari naturaliter sine illa conseruandam esse, suadet ratio efficax desumpta ex eo, quòd materia sit entitas creata dependens vnice à Deo tanquam à principio efficiendi, & à nullo alio in aliquo genere causæ.

14 Rationes quibus Recentior iste intendit probare materiam nec de potentia Dei absoluta posse existere sine forma leuis momenti sunt. Prima est, quia materia est pura potentia, & nullum habet actum, nisi ratione formæ. Secunda, quia non indeterminata specie, nisi per formam, & nihil potest existere, nisi in specie determinata. Tertia est, quia materia dependet à forma in genere causæ formalis. Ad primam dixi materiam esse puram potentiam physicam, & habere per se ipsam suum entitatiuum actum, & existentiam secum identificatam, dato tamen quòd non haberet existentiam identificatam, de facto existeret per existentiam formæ, formâ ablatâ posset materiæ dari existentia superaddita distincta à forma. Ad secundam dico materiam per se ipsam specie distingui à forma, & ab alia quacumque entitate, & ita per se ipsam habere suam speciem inadæquatam, seu inadæquatæ entitatis. Vltima ratio continet doctrinam manifestè falsam: materia enim est simplex entitas, & non composita ex materia, & forma, & ita non potest ab hac dependere in genere causæ formalis, hæc enim dependentia est propria totius constituti per formam.

15 Obiicit sibi hic Author materiam, & formam produci per diuersas actiones, ex quo duo inferentur, vnum est quamlibet ex vi actionis terminatæ ad ipsam habere suam existentiam, ad quam terminatur quælibet actio productiua. Alterum est vnam actionem posse separari ab alia. Vt huic rationi respondeat multa inuoluit implicationibus scatentia, dicit materiam, & formam non fieri, sed totum compositum, & ita materiam non creari, sed concreari, quia non accipit esse, sed subesse, & ita fieri actione, quâ fit totum, vnde materia non habet esse creatum, neque eductum, sed communicatum per formam, & sicut non est producta, sed comproducta, ita non est existens, sed coexistens. Quanta spongia ad hæc exhaurienda hîc opus est. Si materia, & forma non fiunt, sed totum compositum, eandem dependentiam habebunt materia, & forma, & totum compositum; dependentia enim est actio; ergo si indiuisibiliter terminant eandem actionem, eandem dependentiam habent: ergo non magis creatur, aut educitur materia quam forma & totum, nec forma, quàm totum, & materia, nec totum, quàm vtraque. Confirmo & explico hanc rationem. Actio, quâ procitur totum, vel est creatio, vel eductio. Si est creatio: ergo materia, forma, & totum, quæ per illam et indiuisibilem actionem producuntur, creantur. Si est eductio: ergo materia, forma, & totum educuntur, id enim creatur, quod per creationem producitur, & educitur quod producitur per eductionem.

Dices eammet actionem esse actionem respectu formæ, 16
& creationem respectu materiæ. Respondeo: implicare eandemmet actionem esse creationem respectu vnius termini, & eductionem respectu alterius, nam eo ipso, quòd sit eductio respectu vnius termini, debet ipsa dependere à subiecto, eo ipso, quòd ipsa dependeat à subiecto, ab eodem dependet, quod ex vi illius productum est; eatenus enim terminus dependet à subiecto, quatenus illius terminus à subiecto dependet, aut non dependet, quidquid autem à subiecto dependet in genere causæ materialis eductum est.

Insuper quando per generationem, corrupta forma præ- 17
existenti, noua alia producitur ab agente naturali, vel hoc agens simul conseruat materiam, & producit formam, vel solùm formam producit. Si primum dicatur infertur materiam conseruari per creationem ab agente naturali, quod implicat. Si secundum: ergo iam actio, & forma producuntur per actiones inter se adæquatè distinctas. Respondent Carmelitani Discalceati in physica: materiam petere fieri eâdem actione, quâ fit, & conseruatur totum, per accidens tamen posse fieri actione peculiari. Contra: ergo iam per accidens habebit specialem existentiam ex vi specialis actionis, quâ producitur distinctum ab existentia formæ: ergo non est illi essentiale existere per existentiam formæ.

Secundò respondet Arauxo lib. 8. Metaph. quæst. 1. art. 81
2. in fine, & art. 3. ad 3. num. 10. & 11. existentiam non esse rationem formalem terminandi actionem, sicuti non est ratio formalis constituendi rem, sed tantum conditio. Ita posse dari creationem à Deo procedentem, ex vi cuius materia producatur, licèt ex vi illius non habeat existentiam, sed vi alius actionis, quæ debeat creationem comitari terminatæ ad formam, & ad illius existentiam, ex vi cuius per eandem existentiam materia, & forma constituuntur existentes. Doctrinam huius solutionis existimo legitimè inferri ex eo, quòd existentia sit quid superadditum essentiæ, aut rei existenti, verumtamen consequentis falsitas antecedentis falsitatem ostendit, non enim concipi potest, quid præstet actio creatiua materiæ adquam terminatur, si illi formaliter existentiam non tribuit, nec quid sit materiam produci, si non est idemticè, & formalissimè dari illi existentiam, per productionem enim res producta extra causas ponitur, & extrahitur ab statu possibilitatis, quod est formalissimè esse existentem.

Audiui nescio quos Thomistas asserentes per hanc crea- 19
tionem constitui terminum in statu quodam reali ad existentiam. Viam ad existentiam libenter vocabo actionem productiuam, verumtamen ex parte termini medium quemdam statum inter possibilitatem, & existentiam apprehendi, nec per fictionem sine repugnantia intellectus non capiet. Insuper commune est inter Thomistas productionem cuiusuis rei ad illius existentiam terminari, in qua placuit Deo, Recentiorem, cum quo ago nobiscum sentire.

Facilior videtur Recentiori solutio alia, quam adducit 20
Ioannes à sancto Thoma, in physica quæst. 4. art. 2. videlicet materiam conseruari eâdem actione, quâ ipsa, & totum corruptum productum fuit, actio tamen illa conseruatiua materiæ cessauit, quoad aliquem effectum sui videlicet, quoad conseruationem formæ productæ, & perseuerauit quoad conseruationem materiæ, sicuti si Deus eâdem actione conseruaret Angelum, & eius subsistentiam, & postea natura angelica vniretur personæ diuinæ perseueraret illi actio exercens munus conseruationis respectu naturæ angelicæ, & non respectu subsistentiæ.

Doctrina hæc leui operâ impugnatur, actio enim quæ 21
semel est productio, & conseruatio alicuius termini, non potest eadem perseuerans non esse conseruatio eiusdem, neque non exercere munus conseruationis respectu eiusdem, nam cum talis sit, & tale munus exerceat per se ipsum implicat physicè eandem perseuerare, idemque munus non exercere. Exemplum doctrinam non suadet; implicat enim propter rationem traditam: si enim Angelus & illius subsistentia per eandem actionem à Deo conseruaretur, & subsistentia creata Angeli deperderetur ratione hypostaticæ vnionis, aut ex quouis alio capite deficeret antiqua actio, & inciperet noua alia terminata ad naturam angelicam tantùm, vel ad naturam, & nouam vnionem ad Verbum.

22 Deinde,& si hoc totum admitteretur,quod Philosophia non permisit, adhuc argumentum integrum permanebit,quia actio actúsque,quæ tantùm exerceret munus conseruationis respectu materiæ, & noua actio, quæ ad formam denuò genitam terminatur distinctæ essent, & distinctos terminos haberent: ergo actio antiqua terminatur ad existentiam materiæ, & alia noua ad existentiam formæ: ergo materia habet existentiam distinctam ab existentia formæ, quod est contra Thomistas,&,contra hunc, quem impugno est, vt ipse fatetur, dum Carmelitanos impugnat. Admissâ iam hac duplici actione, non potest reddi ratio cur hæc iam suo termino non possit ab illa, & ab illius termino separari, nisi manifeste petatur principium,dicendo materiam primâ non posse separari à forma.

Redit Recentior iste ad doctrinam,quam apud Carmelitanos impugnauerat de consortio duarum actionum inseparabilium, quâ ipso teste principium patitur, & non occurritur argumento, quo probetur materiam primam habere existentiam distinctam ab existentia formæ.

23

24 Asserit insuper Deum eâdem voluntate, quâ decernit esse materiam decernere, quòd sit associata formâ, quod ita vult esse,vt primum sine secundo Deus discernere non possit. Dixi ego posse Deum liberè habere hoc decretum non conseruandi materiam sine forma. & me reprehendit hic Author, quia ad ea, quæ sunt cognoscenda in terra ad cælestia recurro,contra illud Sapientiæ 9. *Si ea, quæ in prospectu nostro sunt inuenimus cum labore,quæ in cælis sunt, quis inuestigabit?* Asseritque ea, quæ Physicè, aut Metaphysicè tractantur non dependere ex aliquo decreto libero Dei, neque in omnibus recurrendum esse ad asylum scientiæ conditionatorum.

25 Quorsum hæc scientiæ conditionatorum mentio? sed quæ animum pungunt non facilè à memoria decidunt. Affectus impugnandi alienam sententiam in propriæ impugnationem erumpit. Ad cælestia, & diuina recurrere admittendo,posse aliquando contingere decretum,quod aliter ipse esse non posse affirmat defectuosum esse dicit. Decreto isto libero, quod possibile admitto nullo modo indigeo ad meam sententiam explicandam, & defendendâ sine illo decreto,quod iste Author de facto esse dicit,illius opinio subsistere non posset, attendat ille & iudicent alij, quis magis intra Philosophiæ terminos se contineat, & quis magis ad cælestia recurrat vt terrena explicet.

26 Rursus ex corruptione vnius formæ ad introductionem alterius, expulsionem ab aliquo communi subiecto efficaciter infero. Si non daretur aliquod commune subiectum formæ ligni, & formæ ignis, ad productionem huius, non illa corrumperetur; Sed corrumpitur: ergo datur subiectum aliquod vtrique commune. Maiorem probo: cætera patent. Forma ligni non opponitur cum forma ignis existentis in rerum natura, aliàs per productionem formæ ignis corrumperentur omnes formæ ligni, cùm omnibus enim eandem oppositionem habet quælibet ignis forma: ergo ex eo quod producatur forma ignis non corrumpetur forma ligni, si aliquod subiectum commune vtraque forma non respiciat in ordine ad quod fit vtriusque oppositio, & repugnantia. Respondet Antonius Gomesius in sua Antoniana Marg. corrumpi vnam formam, vt alteri locum præstet,quia aduenit nouum corpus, & spatium est idem, ac antea, & cùm corpus aduenies penetrari non possit, cum aliis præexistentibus, necessum est corrumpi corpus illud spatium occupans, quod modò occupat corpus denuo productum. Contrà:Si formæ tantùm repugnarent in ordine ad locum, forma producta tantùm intenderet remouere à loco præexistentem, quam per accidens corrumperet, quia non illi spatium supererat, quod occuparet,sine quo subsistere non poterat: ergo sicuti corpus cùm per impulsum ejicitur à loco, quem occupat, imprimit impulsum corpori immediato,vt illi locum præstet:similiter quando forma cadaueris aduenit, forma equi, quæ à loco pellitur,intenderet occupare spatium corporis immediati,& hoc aliud immediatum spatium, & sic omnia corpora inter se cessabunt, vt quodlibet suum locum retineat, debilióque vincetur, cuius locum occupabit corpus immediatum, & sic omnia recedent, vt nouum corpus locum habeat, incorruptúmque permanebit corpus quod occupabat spatium acquisitum à corpore aduenient, acquireret enim spatium aliud, quod ratione corporis debilioris expulsi supereſt.

27 Vltimò conclusionem hanc suadet vsus Ecclesiæ, quæ reliquias Sanctorum veneratur, quia sub illarum materia fuerunt beatorum animæ: aliàs si nihil sanctorum in illis permaneret nullâ ratione essent veneratione dignæ, quod hæreticum est, & contra rationis lumen; quod barbaras adhuc nationes edocuit magno honore afficere corpora suorum virorum illustrium. Promiscuè probaui ex productione formarum accidentalium & substantialium dari aliquod primum subiectum, quodque ex alteratione accidentali,& productione formæ substantialis deducitur, vtraque enim æquè conuincit dari aliquod subiectum,quo dato, infertur illud subiectum, vel aliud, quod ad ipsum supponatur esse primum. Rursus hoc primum subiectum esse substantiam facilè ostenditur. Primum subiectum non supponit aliud, neque alicui innititur,neque ordinatur ad aliud quòd præsupponatur ad ipsum: ergo non est accidens, quod essentialiter supponit substantiam, ad quam ordinetur: ergo est substantia. Ex quo euidenter infero dari primum subiectum substantiale formarum siue accidentalium, siue substantialium. Infertur etiam ex præiactis,hoc subiectum, tale esse respectu formæ ligni, & formæ ignis, & omnium formarum, quæ mutua corruptione, & productione impugnantur. An verò hoc subiectum in se contineat formas substantiales, definiri certò nequit, quousque probemus formas constituentes composita, quæ mutua corruptione, & productione agi videmus, substantiales esse, quod si simul statuatur extra controuersiam erit, hoc primum subiectum habitudinem dicere ad formas, non solùm accidentales,sed etiam substantiales,quas in se contineat; id præstabo Controuersia 3.

28 Ex ratione primi subiecti materiæ incorruptibilitas nobis innotescit, quia nulla potest dari causa creata exigens corruptionem illius, cùm enim subiectum non habeat, non potest esse incompossibile cum alia entitate in ordine ad subiectum, neque aliam incompossibilitatem habere: Quia omnis incompossibilitas in ordine ad subiectum desumitur, quod autem cum nulla entitate incompossibilitatem habet, cum omnibus est compossibile, & à nulla potest corrumpi, quia nulla entitas potest corrumpi ab illa cum qua est compossibilis. Neque dici potest materiam primam corruptibilem esse, quia absque vllo contrario deficit, ex eo quod non petat perpetuò durare,sed per certum tempus, quo transacto, illius est adimpleta exigentia,& ex defectu exigentiæ ad vlteriorem durationem deficit, quia hoc definendi genus tantùm accidentibus valde imperfectis tribuitur, & adhuc in his dari non certum est apud omnes.

29 Infertur etiam materiam primam esse simplicem entitatem,hoc est,non compositam ex subiecto,& formâ,quia cùm ipsa primum sit subiectum non debet formaliter constitui per formam, quæ subiectum supponit, quod sit entitas, quæ formam ligni recipit, esset composita ex duabus partibus essentialibus,quarum vna supponeretur ad aliam, non secundùm se totam, materia prima diceretur, sed secundùm illam partem, quæ ad alteram supponeretur, quæ esset primum subiectum. Lege Soar. disp.13. Metapyhicæ sect.3. & me vide Controuersia 3. Puncto 1. vbi probabo formam cuiuscumque compositi simplicem esse supponentem simplex subiectum.

30 Probauimus iam dari materiam primam; illius definitio petenda est ex Arist.1. Phys. c.9. vbi illam his tradidit verbis: Materia prima, *est primum cuiusque subiectum, è quo quidpiam eo fit pacto,vt non per accidens insit.* Subiectum se habet loco generis: particula *primum* materiam discriminat à composito, quod subiectum dicitur aliquorum accidentium,& à forma,quæ plura recipit, non tamen vt primum subiectum, quia materiam respicit vt subiectum saltem informationis: per reliquum definitionis, differt materia ab Angelo,qui est primum subiectum suarum passionum, ex quo fiunt: compositum autem, quod resultat,est secundùm accidens, hoc est, accidentale, quia Angelus supponitur iam substantia constituta,ante aduentum talis accidentis.Ex quo inferes non plenè demonstrari existentiam materiæ primæ etiamsi probauerimus esse primum subiectum, quousque probemus tale esse respectu formarum substantialium, quod euincam Controuers.3.Punct.1.

31 Circa hanc definitionem explicandum est, quomodo materia subiectum formæ dicatur; quam causalitatem exerceat circa materiam; quomodo forma simul cum materia componat totum, eo pacto,vt non dicatur per accidens inesse, & totum accidentale constituere, aliáque huiusmodi,

huiusmodi, quæ hanc Controuers. & immediatè ventu-
ram adimplebunt.

PVNCTVM II.

An materia prima recipiat formas mediâ potentiâ superadditâ.

1 ALiud est materiam esse subiectum informationis, aliud receptionis, hoc est, aliud est materiam recipere formam mediâ passione tanquam causam materialem illius, aliud sibi formam vnire, materia prima ad vtrumque actum potentiam habet, tum vt formam sustentet, tum vt illam sibi vniat. De vtraque inquirimus: An distinguatur à materia, vel cum illa habeat identitatem. Neque dubium est de his potentiis respectu formarum accidentalium, non enim dubium esse potest, materiam primam aliquam formam accidentalem recipere, sibique immediatè vnire, quia si quâlibet formam mediâ aliâ reciperet in infinitum procedi necessum esset, ne ad aliquam perueniremus, quæ immediatè materiam attingeret. Certum est etiam materiam recipere formas aliquas accidentales mediis aliis superadditis. Si dicamus primas qualitates mediâ quantitate recipere, sibique vniri, trahitur tota disputatio ad formas substantiales, de quibus inquirimus an immediatè recipiantur in materia, & illi vniantur; an verò mediâ aliquâ potentiâ superadditâ substantiali, vel accidentali. Neque per ly *mediatè, & immediate* causalitatem, aut negationem illius intelligimus, supersunt enim quæstiones aliæ ad examinandum; an forma & materia vniantur interiectâ vnione distinctâ: Et an forma mediâ receptione superadditâ recipiatur. Procedit tantùm quæstio de potentia media inter materiam, & formam, quæ immediatè attingat causalitates, mediis quibus forma vniturr & recipitur.

2 PRIMA CONCLVSIO. Repugnat potentia substantialis materiam afficiens. Ex hoc infero formam non posse recipi in materia neque illi vniri mediâ potentiâ superadditâ substantiali. Illatio est per se nota, antecedens seu conclusionem propositam probo. Omnis potentia superaddita essentialiter supponit subiectum, qui superadditur, tanquam radicem illius, & propter illud intenditur à natura: ergo non est substantia, sed accidens: patet consequentia ex principiis, quæ trado in Metaph. Controuers. 6. Punct. 1. vbi probo, conceptum quidditatiuum accidentis esse intendi propter aliud, quod supponatur ad illud, & conceptum quidditatiuum substantiæ esse non intendi propter aliud, quod supponitur ad ipsam, sed propter se, & propter illud; quod intrinsecè constituit, quod saltem inadæquatè est idem cùm ipsa. Ex quo principio integrum, & legitimum discursum conficio: omne illud, quod est propter aliud à se distinctum, quod ad ipsum præsupponatur, essentialiter est accidens. Omnis potentia superaddita subiecto est propter subiectum distinctum ab illa, quod ad ipsam præsupponitur: ergo omnis potentia superaddita subiecto essentialiter est accidens. Maiorem statuam loco citato. Minorem probo. Potentia superaddita subiecto datur subiecto, vt mediâ illâ exerceat actus potentiæ, quos immediatè exercere non potest; ergo est propter subiectum, vt illud potens constituat; ergo est propter aliquid, quod supponatur ad ipsam, quia omne subiectum essentialiter præsupponitur ad illud, quod illi superadditur.

3 SECVNDA CONCLVSIO. Implicat materiam sibi vnire formam mediâ potentiâ accidentali; Probo: omne totum compositum immediatè resultat ex extremis, quæ immediatè, attinguntur per vnionem: ergo si forma substantialis immediatè vniretur potentiæ accidentali, totum, quod constitueret forma, immediatè resultaret ex forma, & ex potentia accidentali: ergo totum illud essentialiter includeret tanquam inadæquatum, & materiale ad sui constitutionem potentiam illam accidentalem: ergo totum non esset substantiale, sed accidentale: probo hanc vltimam consequentiam: totum substantiale nihil includit tanquam constitutiuum sui, quod substantia non sit, sed totum illud includeret potètiam illam, quæ non esset substantia, sed accidens: ergo non esset totum substantiale. Dices, illud totum compositum non esse constituendum per formam, & potentiam, cui immediatè vnitur, sed per formam, & subiectum, quod esset radix talis potentiæ. Solutionem impugnat primum antecedens, ex quo totus discursus dimanauit, quod iterum repeto, & probo. Omne totum compositum immediatè resultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per vnionem. En propositionem positam in capite discursus, tuæ solutioni directè oppositam. Vide claram illius probationem. Omne totum immediatè resultat ex partibus, quibus immediatè componitur: omne totum componitur immediatè tanquam ex partibus ex extremis, quæ immediatè attinguntur per vnionem: ergo omne totum immediatè resultat ex extremis, quæ immediatè attinguntur per vnionem. Minorem probo. Cætera patent. Vnio essentialis compositi essentialiter respicit partes vniendas, tanquam extrema illius: ergo illa quæ respicit vnio tunquam extrema illius sunt partes totius: ergo ex illis, tanquam ex partibus totum componitur.

TERTIA CONCLVSIO. Formæ substantiales, quæ de facto sunt, non recipiuntur in materia mediâ aliquâ potentiâ superadditâ: quod sic probo. Materia prima ex se potens est recipere formas substantiales, nullâ interiectâ potentiâ: ergo illas recipit absque potentia aliqua superaddita. Antecedens probo. Materia est potens recipere immediatè formas accidentales; ergo substantiales: Probo consequentiam: materia primariò ordinatur ad recipiendas formas substantiales, & secundariò ad accidentales: ergo immediatiorem, vel saltem æquè immediatum influxum debemus illi concedere respectu formarum substantialium, præcipuè cùm nulla probabilis ratio oppositum suadeat. Confirmatur: Potentia illa accidentalis superaddita, quæ daretur, potens esset, vt ex illa educerentur immediatè substantiales formæ: ergo potiori ratione potentiam hanc habebit materia prima, quæ est substantia, maior enim apparet proportio inter subiectum eductionis substantiale, & formam substantialem educendam, quàm inter subiectum accidentale, & substantialem formam. Denique ex eo solùm releganda esset talis potentia actu existens, quod necessaria non est, neque fundamentum aliquod reperitur, quod probabiliter illius existentiam inducat. 4

QVARTA CONCLVSIO. Repugnat formam substantialem educi ex materia mediâ potentiâ accidentali. Hanc conclusionem existimo non ita efficaciter posse probari, sicut præcedentem, quia si quis diceret posse dari formam, quæ immediatè vniretur tantùm materiæ substantiali, cum qua compositum substantiale constitueret, & quæ educeretur ex matera mediâ potentiâ accidentali, tanquam ex subiecto proximo adæquato eductionis, vel tanquam ex subiecto inadæquato, quia educeretur immediatè ex ipsa materia, & ex potentia superaddita; existimo difficilè argumento efficaci conuincendum esse, quia forma non ex eo, quod educatur ex potentia accidentali, cum illa compositum constituit, si illi non vniatur; & facilè posset defendi, formam educi ex potentia accidentali, adæquatè, vel inadæquatè, & vniri tantùm materiæ primæ. Nihilominus in hanc conclusionem trahor, quia est valde consona toti Philosophiæ, absque fundamento enim tribuetur accidentibus adhuc innata virtus, vt ex illis possit educi substantialis forma, & proportio fingetur inter accidens, & substantiam, vt hæc ab illo tanquam à causa materiali dependeat. Vrgeo: finis intrinsecus causæ materialis est, formam ex illa eductam sibi vnire vt constituat compositum: sed potentia accidentalis non potest sibi vnire formam substantialem, neque cum illa compositum constituere, vt nuper probaui: ergo non posset esse causa materialis illius, quia deficiente fine intrinseco eductionis, & causæ materialis respectu alicuius entitatis implicat eductio orta ex illa, & virtus causæ materialis in tali entitate reperta. Finem eductionis esse vnionem formæ ad subiectum, ex quo educitur, probatur tum ex natura causæ materialis, quæ essentialiter ordinatur ad componendum compositum mediâ vnione, tum ex inductione omnium causarum materialium quas mouimus, quæ sibi vniunt formas ex illis eductas: & licet videamus formas vniri subiecto, ex quo non educuntur, sicuti rationalem animum, nunquam tamen vidimus formam educi ex subiecto, cui non vniatur. 5

Obiicies primò: Substantia producit in genere causæ efficientis aliam substantiam mediis accidentibus, vel saltem illam producere potest: ergo poterit in genere 6

causæ materialis subſtantiale ſubiectum mediâ potentiâ accidentali ſubſtantialem formam recipere. Antecedens probabile eſt valde inter Doctores, ac proinde adhuc qui illud negant, non verè dependenter ab illius falſitate concluſionem hanc defendent, quæ firmiores radices apud omnes habere debet, quàm veritas, vel falſitas antecedentis, quarum vtraque eſt valde probabilis, & plures patronos habet in ſcholis. Reſpondeo, omiſſo antecedenti, negando conſequentiam: diſparitatem non vulgarem ex præmiſſa doctrina facilè oſtendo. Forma ſubſtantialis educta debet conſtituere vnum compoſitum ſubſtantiale, & eſſentiale cum ſubiecto, ex quo educitur; & cum forma ſubſtantialis non poſſit conſtituere vnum compoſitum ſubſtantiale, & eſſentiale cum potentia accidentali, ſit non poſſe educi ex illa; effectus verò efficienter productus non debet conſtituere vnum ſubſtantiale, & eſſentiale cum principio effectiuo, à quo producitur, ac proinde, ex hoc capite non repugnat produci ab aliquo accidenti, ſicut repugnat educi.

7 Obiicies ſecundò: Materia prima recipit diſpoſitiones ad formam ſubſtantialem mediâ quantitate: ergo mediâ eâdem debet recipere formam ſubſtantialem. Probo conſequentiam: diſpoſitiones, & forma, ad quam diſpoſitiones ordinantur, debent recipi in eodem ſubiecto: ſed diſpoſitiones ad formam recipiuntur in quantitate: ergo & ipſa forma. Reſpondeo, dato primo antecedenti negando conſequentiam, & illius confirmationem, ſufficit enim formam proximè recipi immediatè in ſubiecto, in quo diſpoſitiones mediâ quantitate recipiuntur. Reſpondeo ſecundò, aliter, diſtinguendo primum antecedens: diſpoſitiones adæquatæ recipiuntur in materia mediâ quantitate, nego: diſpoſitiones inadæquatæ, hoc eſt, illarum aliquæ, & non omnes recipiuntur in materia mediâ quantitate, concedo. Quia vna ex diſpoſitionibus eſt quantitas, quæ in materia immediatè recipitur, & non mediâ quantitate. Deinde nego conſequentiam. Ad confirmationem Reſpondeo, formam debere recipi in ſubiecto in quo diſpoſitiones omnes recipiuntur, quod tantùm eſt materia prima, quæ ex diſpoſitionibus quantitatem immediatè recipit, & reliquas media quantitate. Quantitas verò, etſi omnes diſpoſitiones à ſe diſtinctas immediatè recipiat, non tamen recipit ſe ipſam, ac proinde neque mediatè, neque immediatè recipit omnes diſpoſitiones.

8 Obiicies tertiò: Diſpoſitiones introductæ in quantitate Euchariſticâ ad formâ ignis, exigũt formâ ignis, ideo enim Deus corruptis accidẽtibus panis, & productis his diſpoſitionibus efficit formam ignis, quia diſpoſitiones illam exigebant; ſed non exigebant formam, in materia recipiendam, quia non erat: ergo exigebant formam recipiendam in quantitate. Reſpondeo, diſpoſitiones ignis introductas in quantitate exigere formam ignis in materia, quam ex ſe naturaliter exiſtentem ſupponunt, etſi per accidens non exiſtat, defectus enim materiæ per accidens eſt in ordine ad diſpoſitiones, cùm ipſæ ex natura ſua materiam ſupponant, ac proinde ex natura ſua petunt produci formam in materia, quam ex ſe ſupponunt, & petunt ratione quantitatis illam exigentis non à priori, ſed à poſteriori tanquam effectus, quia ab illa petit dependere.

9 Hæc ſolutio impugnationem habet, quæ ſi efficax eſt, viam aliam oſtendit, vt prædicto argumento ſatisfaciamus. Diſpoſitiones adæquatæ ad formam ſunt accidentia in quantitate recepta, & ipſa quantitas. Rurſus hæ diſpoſitiones ſubiectum debent afficere, vt illud diſponant, & exigant productionem formæ: ergo donec quantitas afficiat materiam, non illam diſponit, neque exigit formam produci in illa: ergo etiamſi quatenus eſt ex ſe quantitas materiam ſupponat, hoc eſt, illam exigat, dum tamen in actu ſecundo materiam non afficit, non materiam diſponit, neque exigit productionem formæ. Propter hanc rationem aliter res componi poteſt hac ratione. Chriſtus ex ſua voluntate inſtituit, vt tantùm duraret miraculum Euchariſticum, quandiu accidentia panis permanerent incorrupta. Ex quo fit his deficientibus deficere corpus Chriſti, non formaliter ex aduentu alius ſubſtantiæ, ſed ex defectu accidentium, quibus annexa erat Euchariſtica Chriſti præſentia. In hoc priori naturæ in quo deficit corpus Chriſti, adhuc accidentia, quibus corrupta fuerunt accidentia panis, non immediatè exigunt productionem formæ ignis, quia nondum habent ſubiectum, quod diſponant, & cui exigant formam producendam, ſed tantùm exigunt ratione quantitatis productionem materiæ, quam Deus in alio naturæ ſigno, & in eodem temporis inſtanti, in quo defecit corpus Chriſti producit per creationem, quâ productâ, ſuccedit aliud ſignum, quo quantitas materiæ primæ iam productæ à Deo vnitur, & in illa recipitur, in quo ſigno ſunt diſpoſitiones formæ ignis in ſubiecto, illúdque diſponunt, & exigunt productionem formæ ignis, quam Deus in alio ſigno naturæ, in eodem inſtanti temporis producit ad exigentiam diſpoſitionum, quæ iam priùs natura, quàm forma ignis producatur, ſubiectum afficiunt.

Obiicies quartò: Non repugnat accidens recipere formam ſubſtantialem, ex eo quod ſit imperfectius ſubſtantiâ, 10
quia materia prima ſubſtantialis eſt etiam imperfectior formâ ſubſtantiali, quam recipit: ergo ex nullo capite repugnat. Reſpondeo repugnantiam ad recipiendam formam ſubſtantialem non oriri præcisè ex eo, quod accidens ſit imperfectius ſubſtantiâ, ſicuti in Angelo, ex quo repugnat educi formam ſubſtantialem, non propter minorem perfectionem Angeli, qui longè perfectior eſt formâ ſubſtantiali; ſed tota repugnantia tamſin Angelo, quàm in accidenti, oritur ex improportione, quam habent, vt ex illis forma ſubſtantialis educatur. Si roges, ex quo capite nobis hæc improportio innoteſcat, te mittam iterum lecturum omnia, quæ in probationem huius concluſionis, in hoc Puncto ſcripta relinquo.

Punctvm III.

De eſſentia metaphyſica materiæ primæ.

Qvæſtio hæc inter recentiores noſtræ Societatis nata 1
eſt, & adulta, vix enim illam attigêre antiqui Doctores, & nullus ſub his expreſſis terminis, quibus modò agitatur; quod ſi plura apud illos de eſſentia materiæ inueniantur, omnia de eſſentia materiæ phyſicè ſumptâ, hoc eſt, de prædicatis illis, quæ materiæ per ſuam entitatem conueniebant, & cum illa phyſicè erant identificata dicta ſunt. Modò inquiritur ex prædicatis, quæ materia prima habet per ſuammet entitatem, omni ſuperaddito ſecluſo, quæ metaphyſicè loquendo, primam eſſentiam materiæ conſtituant, ita vt præciſis reliquis, tota ratio materiæ perſeueret, ſicuti in homine permanentibus his prædicatis *animal rationale*, ſecluſis aliis cum illis identificatis, permaneret tota ratio hominis conſtitutiua, & aliquo illorum dempto, etſi reliqua permaneant, non poteſt homo formaliter mente concipi. Procedit quæſtio non ſolùm de materia prima, quæ de facto exiſtit, ſed de materia prima, vt ſic, hoc eſt, de conceptu communi omni materiæ primæ exiſtenti, & poſſibili.

Sententiâ iſtâ ſuo de more impugnare intendit Cõplutenſis quidam, & primùm me impetit authoritate venera- 2
bilis Thomæ de Kempis, ſed his, quæ ad rem non ſunt, reſpondendum non eſt; vult imprimis ſuppoſitum quæ- *Prad. 2. part. Contro. 2. art.* 9.
ſtionis deſtruere, aſſeritque in rebus ſimplicibus eandem eſſe eſſentiam phyſicam, ac Metaphyſicam. Non potuit non legiſſe Recentior iſte plures Theologos diſputantes de conceptu quidditatiuo cõſtituente diuinam eſſentiam, quorum nonnulli dicunt eſſe ens à ſe, alij ſumme intellectiuum, alij in ipſa intellectione infinita Dei eſſentiam conſtituunt, alij prædicatum volitiui, alij etiam ipſam volitionem volunt intrare conſtitutiuum eſſentiæ omneſque fatentur; hac præciſione metaphyſica præciſa, omnia attributa Dei, & omnia prædicata Deo intrinſeca æqualiter illi conuenire, & phyſicè loquendo omnia ad realem eſſentiam Dei à parte rei conuenire, quia omnia ſunt inter ſe identificata, & vnum ſimpliciſſimum ens conſtituunt. Sed quid in hoc immoror, vt iſte me impugnet, id aſſerere, quod ab ipſo impugnandum eſt non recuſat. Eandem quæſtionem, quam ego hic tracto de materia prima, diſputat ipſe lib. 2. Logicæ q. 14. de quantitate, vbi poſtquam plura prædicata in quantitate agnoſcit idemtificata, inquit, quod illorum ſit eſſentiæ quantitatis conſtitutiuum, à quo reliqua dimanare intelligentur, quantitas autem entitas ſimplex eſt, ſicuti materia prima.

Deinde Recentior iſte quæſtionem impugnandam ſuſ- 3
cepit, quam non attigit. Quæſtionem ego inſtituo de conſtitutiuo materiæ primæ abſtrahentis ab hac materia, quæ

de

de facto datur, & ab alia quantumcumque possibili specie distincta qualem esse materiam primam cælorum non pauci probabiliter sentiunt, hic autem Author tantùm agit de materia, quæ de facto datur. Quod si sentiret possibilem non esse materiam aliam specie distinctam ab isto, hoc debuisset probare, vel saltem asserere. Deinde qua ratione probari poterit; possibilem non esse materiam aliam pauciorum formarum receptiuam, aliámve, ex qua non possent formæ deduci, sed respectu omnium, quibus posset informari, & eodem modo se haberet, quo de facto se habet materia prima, quæ de facto datur, à qua materias illas specie distinguendas esse dubitare non licet.

4 Deinde, vt disputationem perturbet hic Author negat distinctionem inter informationem, & receptionem, & materiam primam vult esse potentiam passiuam respectu animæ rationalis, quæ manifestè sunt falsa, nam receptio est passio idemtificata cum eductione, quam non exercet materia respectu animæ rationalis, quæ informatur. Deinde potentia passiua dicitur respectu passionis idemtificatæ cum generatione, seu eductione, quæ in materia prima respectu rationalis animæ agnosci non potest, nisi illam creari denegetur, quod nefas esset. Vult etiam materiam primam priorem esse forma prioritate naturæ in genere subiecti, qua illam materializat. Huc vsque causalitatem in genere subiecti distinctam à causalitate in genere causæ materialis cum passione idemtificata Philosophi non cognouerunt, & cum nec prioritas alia naturæ admittenda est, hæc autem materiæ primæ respectu rationalis animæ, salua illius creatione, conuenire non potest. Dicere autem materiam materializare formam sunt verba ad rem non pertinentia, quia tantùm important materiam cum anima rationali componere quoddam totum materiale, & vnionem animæ ad materiam in causa esse, vt anima non, nisi dependenter à materia dum est vnita valeat operari. Recurrit tandem iste ad prioritatem temporis, quam habet materia respectu formæ, hæc tamen prioritas est omnino accidentalis, & extrinseca respectu materiæ, etsi enim materia priùs tempore fuerit producta, nihil prohibebit vtramque in eodem instanti temporis creari, sicut materia, & forma cœlorum in eodem temporis instanti fuerunt productæ.

§. I.

An potentia receptiua formarum, & vnionum mediâ passione sit de essentia metaphysica materiæ primæ.

5 PRæ oculis semper habenda est distinctio, quam semel, & iterum explicaui, subiecti inhæsionis, & informationis. Subiectum inhæsionis est quod recipit formam, & illam patitur, & formaliter passiuum dicitur. Subiectum informationis est, quod informatur formâ, mediâ vnione, quæ informatio dicitur, siue forma recipiatur in subiecto mediâ inhæsione, siue creetur, hoc enim est per accidens & informationis subiectum.

6 P. Soar. 1. Metaph. disp. 13. sect. 8. passim docere videtur materiam primam respicere formas, vt educibiles ab illa. Sed an de essentia physica, vel Metaphysica loquatur, incertum est. Clariùs Hurtad. disp. 2. sect. 2. §. 19. de essentia metaphysica disputans, potentiam hanc formarum receptiuam ad essentiam materiæ pertinere affirmat. Plerique recentiores tenent essentiam materiæ non dicere potentiam receptiuam respectu formarum, secus respectu vnionum, quas essentialiter respicit, vt ab illa educibiles.

7 PRIMA CONCLVSIO: Essentia materiæ primæ abstrahens à materia, quæ de facto datur, & à reliquis possibilibus, non dicit potentiam receptiuam formarum, neque vnionem, mediâ passione: ita sapientissimi recentiores, quibus authoritatis multum defero. Probo hanc conclusionem. Primò, de potentia receptiua respectu formarum; potest dari materia, quæ non sit receptiua formarum, cum quibus potest diuersa tota componere: ergo potentia receptiua respectu formarum non est de essentia materiæ primæ. Antecedens probo: materia prima, quæ de facto datur, non est receptiua animæ rationalis, & verè habet rationem partis materialis, & materiæ primæ respectu hominis, quem simul cum anima rationali componit: ergo si daretur pars quædam essentialis (non dico quamdam materiam, ne videar supponere existentiam subiecti, quod aduersarij repugnare defendunt) quæ ita se haberet respectu omnium compositionum, sicuti materia prima se habet respectu hominis, verè esset pars materialis illorum & propriissimè materia prima diceretur, non enim magis requiritur, vt pars essentialis constituatur materia prima respectu cuiuscumque aliùs compositi, quàm respectu hominis.

Eamdem conclusionem tam respectu formarum, quàm 8
vnionum sic probo. Tam formæ, quàm vniones saltem de potentia absoluta possunt creari, & in materia mediâ passione non recipi; de formis id nullus negat, de vnionibus negandum non esse probabo in Metaphysicis, quod Hurtad. fatetur. Creatâ formâ, & vnione cuiuscumque compositi, essentialiter, non solùm metaphysicè, sed etiam physicè, idem omnino permaneret, quia compositum tantùm dicit materiam, formam, & vnionem, & hoc numero compositum, hanc numero materiam, hanc formam, & hanc vnionem: ergo producta eâdem formâ, & eâdē vnione respiciente eamdem materiam, permaneret idem numero compositum, & eamdem numero compositionem haberet, quod negabit nullus. Ex hoc principio, sic infero: materia vnita formæ creatæ per vnionem creatam, absque vlla receptione actuali, æquè componit compositum, ac si talem receptionem haberet; ergo receptio actualis non pertinet ad compositionem actualem; ergo hoc, quod est actu materiam per modum partis materialis componere totum, non dicit receptionem aliquam formę, aut vnionis: est per se nota illatio: ergo posse componere per modum partis materialis non dicit potentiam ad receptionem: Probo consequentiam: posse componere per modum partis materialis tantùm dicit id, quod supponitur per modum actus primi formaliter ad compositionem actualem per modum partis materialis: sed compositio actualis per modum partis materialis, non supponit potentiam recipiendi: ergo neque posse componere per modum partis materialis. Compositionem actualem per modum partis materialis non supponere potentiam sic probo. Compositio actualis consistit tantùm, vt iam probaui, in terminatione actuali vnionis: ergo tantùm supponit ex parte principij potentiam terminandi, & non potentiam recipiendi. Probo consequentiam; terminatio actualis vnionis, & receptio eiusdem seu formæ sunt actus essentialiter distincti, & diuerso modo respicientes principia: ergo terminatio actualis vnionis, quæ est formaliter compositio per modum partis materialis, non supponit potentiam eductiuam: ergo posse componere per modum partis materialis formaliter non dicit posse recipere: ergo conceptus materiæ primæ non dicit potentiam receptiuam. Probo consequentiam. Totus conceptus materiæ primæ metaphysicè sumptæ consistit in hoc quod est posse componere per modum partis materialis. Sed posse componere per modum partis materialis, non dicit posse recipere formâ neque vnionem: ergo totus conceptus materiæ primæ sumptæ metaphysicè non dicit posse formam neque vnionem recipere. Maiorem nullus potest negare, quia in hoc quod est posse componere per modum partis materialis includitur ratio partis essentialis communis cum forma, & differentialis per quam differt à forma, quæ componit per modum partis formalis. Minorem, cui totus hic discursus innitur latè suprà probaui: consequentia est legitima.

Rationem totam multis iam explicatam, paucis cin- 9
ctam accipe. Conceptus adæquatus materiæ primæ est posse componere per modum partis materialis: sed posse componere per modum partis materialis non dicit potentiam receptiuam: ergo conceptus materiæ primæ non dicit potentiam receptiuam. Minorem probo: componere actu per modum partis materialis, non dicit recipere materiam neque formam: ergo posse componere non dicit posse recipere materiam neque formam: Probatur consequentia: actus secundus tantùm supponit suam potentiam formalem, & non potentiam aliùs actus: ergo cōponere, seu terminare vnionem per modum partis materialis, tantùm supponit posse componere, & non posse recipere, quod est potentia seu actus primus receptionis distinctæ realiter ab actu terminandi per modum partis materialis, & ad aliam potentiam pertinentis. 10

SECVNDA CONCLVSIO. Materia prima, quæ de facto datur non dicit ex conceptu formali talis materiæ in hac specie atoma constituta virturem receptiuam formæ neque vnionis. Conclusio ex rationibus pro præcedenti adductis facilè probatur. Hæc materia quæ de facto datur eamdem

eamdem rationem habet materiæ respectu equi, cuius formam recipit, & hominis cuius formam non recipit; & eamdem haberet, etiam si non reciperet modum vnionis, eodem enim modo componunt per modum partis materialis vnione creatâ ac componit modò, vnione eductâ, & eandem compositionem haberet totum: ergo ad hanc speciem atomam compositionis non pertinet eductio formæ, neque modi vnionis: ergo ad hanc pot entiam componendi speciem infimam à reliquis distinctam non pertinet potentia receptiua formæ, neque modi vnionis. Repete discursum proprima conclusione confectum.

13 Tertia conclvsio. Ad conceptum metaphysicum materiæ primæ vt sic, neque huius materiæ, quæ de facto datur, non pertinet potentia recipiendi formas accidentales, neque illas sibi vniendi. Probo: materia prima tam potentiâ vnitiuâ quam receptiuâ primariò refertur ad formas substantiales, & ad tota substantialia per illas constituta, & secundariò ad formas accidentales: sed in illo primario conceptu elucet tota ratio adæquata constitutiua materiæ, per quam differt à forma, quia omni secluso accidenti, materia diuerso modo constituit totum substantiale, quàm forma: ergo respectus ille posterior ad formas accidentales non pertinet ad conceptum metaphysicum materiæ primæ vt sic, neque materiæ, quæ de facto datur, neque alicuius possibilis, quia quæcumque illa sit, debet primariò respectum dicere ad aliquam formam substantialem, & aliquod totum per illam constituendum, in quo respectu totâ ratio metaphysica talis materiæ constituetur.

14 Probaui potentiam receptiuam formarum, neque vnionum non esse de essentia materiæ, superest tamen grauis explicanda difficultas: quomodo materia à forma differat, & per quæ prædicata formaliter constituatur in ratione materiæ, quia conceptus terminandi vnionem communis est materiæ, & formæ, & ita videtur non posse materiam per illum constitui: quod aliorum præmissis, & impugnatis sententiis §. 2. circa materiæ essentiam, §. 3. explicabo.

§. II.

Aliorum sententiæ circa essentiam materiæ.

15 Sentiunt multi materiam metaphysicè constitui, & distingui à forma per virtutem receptiuam formarum, vel modi vnionis, quos satis impugnatos habeo §. præcedenti, vbi probaui virtutem receptiuam formarum, aut vnionum non esse de essentia materiæ metaphysicè loquendo. Addo quod etiamsi ad illam pertineret virtus receptiua modi vnionis non posset esse vltima differentia constitutiua materiæ, quia potest materiæ, & formæ conuenire, multi enim satis probabiliter docent modum vnionis recipi in forma, & posse dari compositum, cuius forma modum vnionis recipiat, certum mihi est.

16 Respondet Hurtadus disp. 2. sect. 2. materiam talem constitui, & dici subiectum, quia forma illi communicat suum effectum formalem, & denominationem dat, sicut Sapientia constituit intellectum sapientem, & albedo parietem album. Non acquiesco, neque aliquid video, quod rem explicet. Hurtadum impugno. Sicut forma communicat suum effectum formalem materiæ, & dicitur informata; sic materia potest dici communicare effectum materialem formæ, & materiatam dici. Ergo non est maior communicatio effectuum materiæ ad formam, quàm formæ ad materiam: ergo ex hoc capite hæ entitates inter se non differunt. Dices, communicationem esse mutuam, diuersæ tamen rationis, quia forma communicat materiæ esse informatam, quem effectum non communicat formæ materia, esto materiatam illam constituat. Contrà: formam communicare materiæ effectum formalem, & illam constituere informatam supponit iam formam constitutam in esse formæ & ideo materia hunc effectum non communicat, quia non est forma: ergo antequam hunc effectum formalem communicet forma, concipitur iam quasi illum in se habens, & forma constituta: per quid ergo forma talis constituitur, potensque effectum formalem communicare.

17 Vrgeo, ex duobus extremis, quorum vnum voces materiam, alterum formam, vtrumque eodem modo terminat vnionem, vtrumque est compositum essentiale, quare ergo hoc, quod formam vocas, effectum formalem communicat alteri, & non alterum huic? quid est speciale in his extremis, propter quod vnum effectum formalem communicet alteri, quem alterum illi non communicat? Crescit difficultas iuxta doctrinam Hurtadi, quem impugno. Asserit posse dici albedinem parietatam per vnionem ad parietem, sicuti paries dicitur dealbatus per vnionem ad albedinem: Quare ergo parietem esse dealbatum, erit formalis effectus, & albedinem esse parietatam effectus formalis non erit. Neque quod addidit Hurtadus de denominatione quidquid lucis habet, quia denominatio supponit fundamentum, de quo ego inquiro, quid sit? prius enim est albedinem esse formam, quàm subiectum denominare, ideo enim albedo denominat subiectum, quia est forma, & ideo subiectum non denominat albedinem, quia est purum subiectum, & non forma. Addo in sententia Hurtadi, æquè posse formam denominari per subiectum, quàm subiectum per formam, quia vt ex illo referebam, sicut dicitur paries albus per vnionem ad albedinem, potuit albedo parietata per vnionem ad parietem appellari.

Arriaga disp. 2. sect. 3. subs. 2. dicit rem esse difficiliorem quam aliqui excogitarunt & vix ipsum videre, quid respõdere possit. Deinde affert, quod quando duo ita inter se vniuntur, vt vnum se habeat quasi antecedenter, & præuisè ad aliud, aliud verò illi superueniat; illud, quod antecedit dicitur recipere; illud verò quod superuenit, recipi, & complere dicitur, sicut fundamenta, à quibus domus incipit, ædificio subiacent. Addit hinc facilè explicari, quomodo materia prima sit subiectum omnium formarum, & non è contrà, quia præsupponitur ipsa materia priùs naturâ ad omnes formas, etiam ad rationalem, non verò è contrà. Propriis verbis Arriagæ sententiam retuli, propriis iam refello. 18

Tota difficultas huius quæstionis orta est propter animam rationalem, quæ à materia prima non dependet tanquam à subiecto inhæsionis; si enim dependeret, sicuti dependet forma equi, non distingueremus subiectum inhæsionis à subiecto informationis. Inquiro ergo quare materia hominis se habeat antecedenter, & præuideatur ad animam rationalem, & quare rationalis animus materiæ superuenire dicatur? sicut enim materia est independens à materia, cùm ergo inter se ad inuicem non dependeant, neque vnum supponatur ad aliud, quo fundamento dicit Arriaga materiam præsupponi ad animam rationalem? Deinde illud, quod addit materiam scilicet præsupponi prioritate naturæ ad rationalem animum, falsissimum est, quia prioritas naturæ est prioritas causalitatis, & dependentiæ; sed anima rationalis non dependet à materia: ergo materia non est prior naturâ animâ rationali. Prædicatum maioris continet definitionem subiecti; consequentia est legitima: minor certissima, quia anima rationalis creatur, & non dependet à priori ab aliqua causa creata, neque à posteriori, cùm in statu separationis naturaliter conseruatur sine materia. Imò ob hanc rationem forma deberet dici subiectum, quia licèt non dependeat à priori à materia, in multorum tamen sententia dependet à posteriori, quia potest naturaliter sine aliqua forma conseruari; ac proinde materia dependet ab anima rationali, saltem sub distinctione, sicut ab aliis, quia sine aliqua illarum naturaliter conseruari non potest. 19

Respondent alij apud Arriagam suprà subsect. 2. n. 20. materiam primâ dici subiectum formarum substantialiũ, quia per formam determinatur ad componendum potiùs hominem, quàm leonem, & ad operationes hominis, vel equi ad quas materia ex se est indifferẽs, & ex se quasi informis; forma verò non determinatur per materiam. Ratio est, quia forma naturalis per suam entitatem est determinata ad constituendum indiuiduum speciei hominis, & non potest per materiam determinari ad constituendum equum; sicuti materia potest determinari per formam, vt hominem, seu equum constituat, quod est esse subiectum informationis. 20

Hanc opinionem rectè impugnat Arriaga, quia ex eo quod possit esse materia determinata ad hanc speciem formam, sicuti multi de materia cœlesti satis probabiliter censent: ergo ratio materiæ non consistit in hac indifferentia ad plura composita constituenda. Dices hanc numero materiam talem non esse, ac proinde posse ex indifferẽtia, quam habet, distingui à formis. Contrà: ego inquiro conceptum materiæ abstrahentem ab hac materia, & ab omni alia possibili: ergo per hanc inoifferentiam conuenientem materiæ: quæ de facto datur, non potest quæstioni fieri 21

satis

satis. Si dicas non posse dari de potentia Dei absoluta materiam non indifferentem ad formas diuersas producendas, id sanè sine fundamento contra communem sententiam negabis.

22 Secundò eandem sententiam aliter impugno. Potest Deus creare formam substantialem indifferentem, vt vniatur materiis specie distinctis, & consequenter constituat composita specie distincta, sicuti de facto gratia habitualis, quæ est forma accidentalis indifferens est ad constituenda composita accidentalia specie distincta, quia indifferens est, vt vniatur animæ rationali, & Angelo, & est compositum specie distinctum; quod resultat ex anima rationali, & gratiâ, ab illo, quod resultat ex Angelo, eademque gratiâ, composita enim ex diuersitate essentiali, cuiuscumque partis essentialis, sicuti est subiectum, diuersam sortiuntur essentiam: ergo ratio constitutiua materiæ non consistit in hac indifferentia, quæ etiam formæ conuenire potest.

23 Dices, gratiam habitualem semper constituere gratum subiectum siue Angelum, siue rationalem animum, ac proinde per se esse determinatam ad eumdem effectum formalem subiecto præstandum. Contrà: diuersum gratum constituitur ex gratiâ habituali, & animâ rationali, ac ex eadem gratia & Michaële: ergo diuersum effectum formalem tribuit forma secundùm subiectorum diuersitatem. Antecedens probo: gratum essentialiter dicit duo, subiectum, & formam, vtrumque essentiale concreto, cuius essentia ab vtriusque essentia, & vnione non distinguitur: ergo quodcumque illorum sit specie distinctum, compositum illam diuersitatem in se habebit, quia habet omnia prædicata, quæ in illius partibus tam materiali, quam formali includuntur: ergo ex diuersitate subiecti, quod gratum denominatur, rectè infertur diuersitas huius concreti, seu compositi grati: ergo diuersitas effectus formalis prouenientis à forma, qui nihil aliud est, quàm totum compositum per illam constitutum.

24 Sapientissimi Magistri è nostris docuêre, non esse de essentia materiæ primæ virtutem receptiuam formarum, neque terminatiuam vnionis ad illam, sed tantùm constitui per principium passiuum operatiuum compositi, & formam per principium actiuum earumdem. Displicet hæc sententia in primis, quia negat potentiam quam habet materia, vt formæ vniatur, esse de illius essentia, quod falsum esse facilè probo. Materia prima vt materia prima formaliter sumpta est pars materialis compositi: sed pars, vt pars essentialiter dicit ordinem ad totum componendum, & ad illius compositionem, seu vnionem terminandam altera comparte: ergo materia prima, vt materia prima essentialiter dicit respectum ad vnionem, virtutémque terminatiuam illius. Dicunt virtutem hanc communem esse materiæ & formæ. Sed quid inde? animal commune est homini, & equo: ergo non est essentiale equo; malè inferes. Secundò assignabo terminabilitatem vnionis propriam materiæ, quæ formæ non sit communis.

25 Displicet etiam constitutiuum materiæ assignatum, quod sic impugno: Anima rationis est principium passiuũ intellectionum, & volitionum: ergo non est proprium materiæ esse principium passiuum operationum. Respondent intellectiones, & volitiones non esse operationes compositi, sed animæ, ac proinde etiam si illarum non sit principium passiuum materia prima, dici potest principiũ passiuum operationum compositi. Contra: Animus rationalis, vt rationalis est, materiæ vnitur, vt ostendam Controuersia prima de anima, & dum illi est vnitus exercet operationes intelligendi, & amandi dependenter à materia; ergo sunt operationes totius compositi, siquidem proueniunt ab anima vt vnita materiæ, & vt constituente compositum, & dependenter à materia exercentur. Vrgeo: potentia intellectiua, quamtumuis independens sit à materia, & propria sit animæ, dicitur potentia totius cõpositi; ergo potiori ratione illius operationes dicuntur operationes compositi. Probo antecedens: essentia hominis est esse animal rationale: ergo rationale, quod formaliter dicit potentiam ratiocinandi, est principium hominis. Quid enim propriùs hominis, quàm illius essentiæ ergo potentia intellectiua est propria hominis: ergo illius actus, qui maiorem dependentiam habent à materia. Neque refert rationale quod est essentia hominis dicere potentiam formalem, aut radicalem ratiocinandi: si enim potentia radicalis ratiocinandi, quæ est ipsa anima, propria hominis dicitur potiori iure potentia formalis, quæ si à radicali distinguitur, est animæ superaddita, hominis potentia dici poterit. Mitto in opinione huius Magistri, quam ego defendo, non dari potentiam radicalem, sed animam esse potentiam formalem suarum operationum, nullâ aliâ potentiâ superadditâ. Rationem à priori doctrinæ quam tradidi subiicio. Totum nihil aliud est quàm vtraque pars cum vnione, ac proinde nihil habet, quod non habeat ratione partium, cum quibus identificatur, & propter hanc identitatem, si anima potest intelligere, iure optimo dicitur hominem posse intelligere, si anima de facto intelligit, eâdem ratione dicitur hominem intelligere, quia intelligit id, quod est identificatum cum homine.

Esto tamen, dicantur operationes compositi, reliquæ sensationes materiales, & non operationes pertinentes ad potentiam, quæ in statu separationis potest operari: ex quo capite probatur sensationes brutorum recipi in materia; & non in forma; nullum efficax apud huius sententiæ patronos lego, & oppositam defendam Controuers. 3. de Anima Punct. 1. vbi dicam sensationes materiales in compositis quorum forma est materialis, hanc tanquam subiectum inhæsionis respicere.

Recentiores alij ingenio acuti docuêre, materiam primamdici subiectum, quia est radix impenetrationis, & quia forma illi vnitur tanquam impenetrationis radici illam materializanti, formam verò non esse radicem impenetrationis, sed illam habere à materia. Multa occurrunt contra hunc dicendi modum. Primò, gratis dictum est materiam primam, & non formam radicem esse impenetrationis, quia impenetratio, seu quantitas sequitur prædicatum corporei, ita vt si daretur corpus simplex, quod non haberet materiam, neque formam, illud esset impenetrabile. 26

Secundò, in multorum opinione, quantitas oritur à toto composito, & in illo accipitur, & etiamsi in materia recipiatur, adhuc sub lite manet, an producatur à materia, vel à forma. Demum etiamsi in materia recipiatur, & producatur ab illa, forma ita exigit quantitatem, vt ad illius exigentiam, si forma virtutem actiuam non haberet, Deus produceret quantitatem, quia forma corporea exigit tanquam dispositionem quantitatem, & quia anima est actus corporis Physici, & organici, & deorganizationem exigit, quæ essentialiter includit quantitatem. Vltimò probabo Controuers. 5. nonrepugnare compositum essentiale constans materiâ, & formâ spirituali, quod neque ratione materiæ, neque ratione formæ esset impenetrabile. 27

§. III.

Propria sententia.

28 Reiectis aliorum sententiis, alius superest nobis dicendi modus. Assero materiam formaliter dicere partem essentialem compositi perfectibilem per aliam compartem mediâ vnione, formámque ex conceptu quidditatiuo habere esse partem essentialem compositi, vel naturæ perficientem aliam compartem mediâ vnione. Ex conceptũ materiæ, & formæ substantialis, explico per ordinem ad compositum, ad quod vtraque primariò, & per se ordinatur, & per virtutem terminatiuam vnionis diuersam formaliter in materia, & in forma, quia virtus terminatiua vnionis in materia respicit vnionem tanquam extremum perfectibile, & de facto perficitur per formam mediâ terminatione actuali; seu media vnione. Virtus autem terminatiua vnionis in forma respicit vnionem tanquam extremum perfectiuum, & de facto perfecturum materiâ mediâ terminatione actuali, seu media vnione ipsius formæ ad materiam. Hucvsque tota antiquitas meam sententiam nobilitat. Est enim vna antiquorum vox, materiam esse quid perfectibile per formam, & in hunc sensum materiam quid informe appellabant, ita omnes Philosophi tam Peripatetici, quàm Platonici. Peripateticorum Dux Aristoteles id tradit 1. Physic. cap. 1. text. 69. vbi materiam primam quidpiam informe appellat 1. de Generat. cap. 2. text. 17. vbi statuit materiæ primæ essentiam in potentia sitam esse. Idem testatur Plato in Timæo, vbi materiam primam gremium siue conceptaculum omnis speciei, & qualitatis expers appellat. Longum esset referre alios plurimos ex antiquis apud quos idem loquendi modus semper inualuit, & inter Thomistas nihil frequentius, quàm

materiæ

materiæ potentialitas, & perfectibilitas actuanda, & perficienda per formam. Voces apud multos inuenimus, quibus materiæ essentia significetur, quid tamen rei sub illis contineatur, profectò explicatu facile non est: id ego explicare conabor.

29 In primis suppono materiam intrinsecè, hoc est, secundùm suam entitatem, & secundùm sua prædicata essentialia non perfici per formam, neque formam per materiam, quia quælibet habet suam entitatem distinctam ab alia cum omni perfectione pertinente ad sui constitutionem. Suppono secundò formam non ordinari primariò ex se ad dandam materiæ perfectionem, vt ipsa materia perfecta sit, & propter ipsam materiam, aliàs forma substantialis non esset substantia, sed accidens, quidquid enim est propter aliud, quod ad illud supponitur rationem habet constitutiuam accidentis, repugnantem cum constitutiuo substantiæ, quod est esse per se, hoc est, intentum esse propter se, & non propter aliud, quod ad ipsum opponatur. Tertiò suppono materiam & formam ordinari per se ad compositum quod nemo negabit, neque probatione indiget. Quartò suppono ex passionibus, & proprietatibus quasdam cõuenire composito ratione formæ, aliàs ratione materiæ, ratione formæ dicitur homo rationalis, & ratione materiæ dicitur corporeus. Vltimò suppono omnes proprietates, quæ tribuuntur toti composito, & illud denominant aliquo modo tribui cuicumque parti inclusæ in illo, licèt immediatè ratione sui non conueniat, quod sic probo. Cùm dicimus *homo est rationalis* potentia ratiocinandi de aliquo inadæquatè distincto ab anima prædicatur, diuersæ enim sunt prædicationes istæ *animæ*, seu *formæ hominis est rationalis*, & *homo est rationalis*, aliquid enim additur ex parte subiecti cùm dicimus *homo est rationalis*, quod non est in hac prædicatione *anima est rationalis*, id verò quod additur est materia: ergo potentia ratiocinandi, quæ tantùm conuenit homini ratione formæ, aliquo modo prædicatur de materia. Idē dico in hac prædicatione in qua dicitur homo est compositum materiale, in quo materialitas, prædicatur de toto composito, & consequenter de omnibus partibus, quas includit, quæ ab illo non distinguuntur. & tantùm ratione materiæ, & non ratione animæ, quæ immaterialis est materialitas homini conuenit. Hæc omnia existimo certissima apud omnes esse debere.

30 Ex his infero, inter extrema, quorum neutrum ordinatur ad perfectionem intrinsecam alterius, qualia sunt materia, & forma, illud extremum, quod ratione alterius à se distincti habet nobiliora prædicata, & perfectiores proprietates quasi passiuè communicat, dici perfectibile ab altero, & per hanc rationem constitui in ratione materiæ. Illud verò, quod ratione sui habet in composito nobiliora prædicata, & ea quasi actiuè communicat alteri extremo, dicitur illud perficere, & per hanc rationem constituitur in ratione formæ, quæ est perfectio, & pulchritudo compositi, & consequenter alius compartis, de quo modo suprà explicato aliqua ratione dicitur quidquid de toto composito prædicatur. Cùm verò omnia composita substantialia vix prædicatum aliquod habeant ratione subiecti communis, quod non participent ratione aliùs compartis, ratione cuius plura participat prædicata, quæ ratione subiecti communis non haberent, fit quod subiectum commune dicatur perfici ratione prædicatorum, quæ in toto participat ab altera comparte, ratione cuius participationis constituitur subiectum informationis, & per aliam compartem informatum, & compars alia cuius sunt propria prædicata, plura & nobiliora, quæ in subiecto reperiuntur, illius forma, species, pulchritudo, & perfectio, quâ totum, & alia compars in toto perficitur iure dicitur.

31 Rem declarabit exemplum: homo dicitur præsens, durans existens, relatus: hæc omnia prædicata æquè propria sunt materiæ, & formæ, sicut enim formæ proprior præsentia correspondet, sic materiæ & sic de omnibus de duratione, &c. dicitur potens videre, potens audire, intelligere, amare, se progressiuè mouere: Hæc omnia prædicata habet totum ratione formæ, quæ est principium illorum, illaque toti communicat in toto alteri comparti modo suprà explicato. Dicitur materiale compositum, quod prædicatum habet homo ratione materiæ, quæ materialis est. Dicitur quantus per quantitatem superadditam, quæ forsan æquè conuenit homini ratione materiæ, & ratione formæ, propter rationes, quas n. 22. expendebam: Propter hanc rationem rationalis anima forma dicitur, & subiectum commune materia appellatur. Idem sentio in quocumque alio composito possibili, etiamsi illius partes determinatæ sint ad mutuam vnionem, ita vt neutra possit alteri specie distinctæ vniri, sicuti de materia, & forma cœli plures sentiunt in quibus compositis extremum illud forma dicetur, quod nobiliora, pluráque prædicata toti communicat, & alterum quod pauciora, & ignobiliora, materia dicitur. In compositis accidentalibus aliter perfectio accidentalis formæ explicanda est, quod controuersiâ proximè ventura præstabo.

Totam hanc doctrinam confirmo ratione à priori desumptâ ex natura partium essentialium compositi, quarum totum suum esse est ad totum componendum, quod præstant per communicationem propriæ entitatis, quam quasi toti tradunt per vnionem per quam fiunt entitates totius: ergo materia, quæ per omnia prædicata intrinseca, quæ in se habet, terminat vnionem ad formam, se totam, & omnia prædicata illius toti exhibet; formáque per mutuam terminationem vnionis, totam suam entitatem toti committit, in quo vtraque pars mutuò prædicata alterius participat, & per illa perficitur: ergo illa quæ absolutè plura, & nobiliora prædicata ab alia passiuè communicat absolutè per illam vnionem, tanquam per causalitatem & per aliam compartem tanquam per formam perfecta euadet; alteráque, quæ quasi actiuè eadem prædicata communicauit suæ comparti in toto, perfectio totius, & suæ compartis dicetur ratione cuius species, pulchritudo, formáque compositi, & alterius compartis dicenda est. 32

Obiicies: sequi ex dictis quod si forma substantialis v.g. equi vniretur alteri extremo, nobiliori cum quo totum essentiale constitueret, quod illud nobiliora prædicata toti adduceret, ex quo infertur rationem partis formalis in forma equi intrinsecam non esse. Respondeo conditionalem esse veram, Sequelam verò falsam, quia implicat purificatio conditionis, forma enim equi tantùm potest essentialiter vniri materiæ quæ de facto datur, & si alicui eiusdem speciei vniri posset, non ita ab hac differret, vt perfectionem equinæ formæ excederet. Sed demus possibilem esse vnionem essentialem formæ equi ad aliud extremum perfectius formâ equinâ, tunc compositum illud esset specie distinctum ab equo, qui modò est, cuius pars materialis esset extremum illud, quod modò est forma equi, quia respectu illius compartis perfectioris perfectibile esset. Neque ex hoc infertur rationem formæ extrinsecam esse, quia in illo casu hæc forma, quæ modò est forma equi, intrinsecè haberet rationem formæ in ordine ad hoc compositum, scilicet equum, & intrinsecè haberet rationem materiæ in ordine ad aliud, quod resultaret ex ipsa entitate, quæ modò est forma equi, & ex alia comparte essentiali, quæ plura, & nobiliora prædicata, secum afferret. Dubitabis, quid fieret si vnirentur duo extrema æquè perfecta, quorum vtrumque per se sumptum, tot, & æquè perfecta prædicata toti communicaret? Quod soluam Controu. 5. Punct. 4. 33

PVNCTVM IV.

De Appetitu materiæ ad formas substantiales.

IN re purè metaphorica, quæ non naturæ regulis, sed tantùm laxâ quadam similitudine præscribi potest, facile cuique est iuxta proprium arbitrium rem componere, ideò difficilius aliquid dicere, quod omnibus arrideat. Præmittam nonnulla de appetitu, & deueniam postea ad specialem materiæ appetitum. 1

§. I.

Nonnulla de appetitu præmittuntur.

APpetitus, omni metaphorâ seclusâ, est actus volitiuæ potentiæ, quo fertur, & propendet in bonum sibi mediâ cognitione propositum: vnde appetitus tantùm in viuentibus sensitiuis inuenitur, materialis in purè sensitiuis: spiritualis rationalibus: materialis, & spiritualis in homine, qui est viuens sensitiuum rationale. Ex his viuentibus per translationem actu appetitus de potentiis naturalibus 2

dictus

dictus est, sicut enim viuens fertur in obiectum per actum superadditum, & elicitum (ratione cuius appetitus dicitur elicitus) sic inanimatæ potētiæ feruntur in obiecta sibi conueniētia per propriam, & innatam propensionem, quā ratione appetitus innatus dicitur: sic terra deorsū, & ignis sursum fertur. Appetitus hic non distinguitur ab ipsa potētia, quæ per se ipsam est propensa & inclinata ad actum, ita PP. Conimbr. 1. Physic. c. 9. quæst 5. & communiter Doctores, qui de hac re disputant. Ratio est, quia actus appetitus consistit in propositione, & pondere ad obiectum appetitum, sed potentia ad aliquem effectum habet secum identificatam propensionem, & pondus ad obiectum: ergo habet identificatum non solūm principium appetitum, sed etiam ipsum actum appetendi.

3 Dupliciter potest considerari potentia in ordine ad suos effectus: primò secundùm suam entitatem, & virtutem præcisam à reliquis circumstantiis, quæ requiruntur ad effectum producendum: secundò iam in actu primo constituta ad effectum producendū per consortium circunstantiarum, & comprincipiorū, quæ ad effectum requiruntur. Hoc secundo modo constituta est proximè potens ad suos effectus producendos; primo modo tantùm est potens remotè, quia entitas secundùm se sine aliis circunstantiis requisitis, nihil absolute producere potest, v.g. ignis sine applicatione ad passum non potest calorem producere. Ex hoc inferunt docti recentiores virtutes appetitiuas tātùm apperere effectum, quando in actu primo sunt proximè potentes illum efficere, non verò quando sunt sine aliis circunstantiis sine quibus non valent in effectum prorumpere, quia appetere est exigere, nulla autem entitas habet exigentiam ad aliquem effectum in illo statu, in quo non potest illum exhibere in aliquo genere causæ. Ex quo inferunt materiam nudam omni dispositione, nullam appetere formam, quia nullam potest recipere, & dispositionibus ad formam hominis informatam, non appetere formam equi, quia illam non potest recipere dum dispositionibus ad formam hominis occupatur.

4 Inficias ire non potero diuersam exigentiam dari ad effectum, quando iam causa ita est in actu primo constituta ad illum, & quando tantùm supponitur secundùm suam entitatem, ratione cuius dicam lib. 2. Controu. 6. Punct. 3. tantùm dari violentiam contra virtutem in actu primo constitutam, non verò contra entitatem causæ existentem, sine aliquo ex prærequisitis ad operandum: non tamen ideo dicendum existimo, virtutem productiuam effectus appetitum ad illum non habere, quousque sit in actu primo ad illum, sufficit enim ad appetitum metaphoricum constituendum causam secundùm suam entitatem respicientem effectum contentum in sua virtute, quem produceret si haberet omnia requisita ad illum, quia ex sua natura & quatenus est ex se, est determinata ad tales effectus producendos, quia illis indiget ad sui perfectionem, quos si non producit, ideo est, quia illi deficiunt reliqua ad talem effectum prærequisita. Probo hanc conclusionem omnium ferè philosophorum plausu, qui vno ore affirmant, materiam appetitum habere ad omnes formas, quibus caret, in quibus non pauci corruptas etiam includunt. Ideo antiqui materiam primam adulteram vocabant, quia dum suo gremio formam hanc fouet, aliam appetit, & consequenter destructionem huius machinatur. Ratione eandem conclusionem probo. Appetitus materiæ (& sic omnium causarum) innatus, & intrinsecus dicitur: ergo consistit in entitate intrinseca causæ: ergo ab illa separari nequit: ergo non dicit virtutem cum omnibus in actu primo constitutis; aliàs appetitus formaliter consisteret in entitate intrinseca causæ, & in aliis quæ illam circunstant, & ita saltem inadæquatè ab ipsa causa distingueretur.

5 Confirmo eandem conclusionem; exigentia, quæ est respectu formæ producendæ, quando est materia prima cum omnibus suis dispositionibus, formaliter consistit saltem inadæquatè in ipsis dispositionibus, quæ formaliter exigunt productionem formæ: ergo si actus appetitus consistit in hac exigentia: Actus appetitus non est adæquatè innatus, & intrinsecus materiæ primæ; sed præcipuè consistit in ipsis dispositionibus, quæ exigunt formæ productionem. Vrgeo argumento desumpto ad hominem contra ipsos recentiores. Appetitus vt ipsi tradunt ex P. Vasq. 1. 2. disp. 22. cap. 2. num. 8 & 9. & Arrubale 1. p. disp. 2. c. 2. consistit in relatione transcendentali potentiæ ad effectum: sed relatio transcendentalis consistit in entitate causæ secundùm se sumptâ: ergo appetitus consistit in entitate causæ secundùm se sumptâ, seclusis aliis, quæ pertinent ad constitutionem adæquatam actus primi.

6 Cæterùm cùm exigentia ad effectum sit appetitus ad illum, & necessum sit, aliquam exigentiam admitti in actu primo adæquato, quæ non sit in entitate intrinseca causæ secundùm se præcisè sumptâ non potest non admitti aliquis appetitus ad effectum innatus actui primo adæquato, qui non conueniat entitati causæ præcisè sumptæ. Ob id ego duplicem appetitum distinguerem; alium efficacem consistentem in actu primo adæquato respectu effectus, qui necessariò infertur ex illo (loquor de appetitu actus primi virtutis non liberæ, sed necessariò operantis;) alium appetitum efficacem vocarem, qui consistit in entitate intrinseca causæ secundùm se sumptæ: hunc efficacem appello, quia absque vlla violentia propria, & stricta potest non coniungi cùm re appetita: & illum efficacem, quia non nisi per impedimentum violentiam inferens potest non coniungi cum obiecto appetito. Distinguuntur hi appetitus tanquam includens, & incluſum, appetitus enim efficax qui consistit in actu primo adæquato ad effectum, includit efficacem, quem constituit in virtute intrinseca causæ ex qua, & ex aliis comprincipiis, & circunstantiis actus primus adæquatus componitur. Est insuper alia differentia in his appetitibus inspicienda. Appetitus efficax est practicus, ex vi cuius exercetur effectus, qui virtutem productiuam determinat vt talem edat effectum; appetitus verò inefficax practicus non est, quia ex vi illius neque causa determinatur, neque determinari potest ad effectum producendum. Sicut enim in actibus appetitus eliciti, illum actum practicum vocamus, qui virtutem executricem determinat ad operationem imperatam, v.g. deambulationem extremam, & illum speculatiuum dicimus, qui nihil influit in effectum, sicuti desiderium, quod ego habeo pluuiæ venturæ, sic in appetitu rebus innato philosophandum.

7 Venio iam ad explicanda obiecta vtriusque appetitus. Appetitus inefficax vnus se tenet ex parte principij productiui qui respicit effectus omnes, quos in se cōtinet, quos simul appetit simultate se tenente ex parte potentiæ, producendos tamen non omnes simul, sed illos qui secundùm virtutē causæ simul possunt ab illa pendere, neque reliquos succeſſiuè absolutè producere appetit, sed tantùm casu quo cesset à productione, & conseruatione horū, sicuti de materia prima respectu formarum dicam postea, dicitur tamen omnes appetere, quia ex omnibus appetit producere hos, vel illos, plures, vel pauciores secundùm maiorem vel minorē virtutem quam habet causa ad plures vel pauciores effectus simul producendos. Exempli gratia, potest hæc causa producere succeſſiuè finitos, aut infinitos effectus, & simul tantùm quatuor, causa illa simul appetit producere omnes simultate se tenente ex parte appetitus, & tantùm quatuor simul simultate se tenente ex parte obiecti, & reliquos tantùm casu quo cesset à productione & conseruatione horum, quibus est satiatus appetitus causæ, qui exercet totum id, quod potest. Ratio est facilis: causa appetit producere effectus, quos potest: potest omnes producere: ergo appetit omnium productionem: potentia ad omnes est simul: ergo appetitus ad omnes ex parte actus erit simul: tantùm potest quatuor simul producere, simultate se tenente ex parte effectuum, & reliquos casu, quo cesset à conseruatione horum: ergo id solum appetit.

8 Appetitus se tenens ex parte materiæ est duplex in ordine ad duplicem terminum distinctum, vnus ad formas recipiendas in genere causæ materialis, quæ importat in materia virtutem receptiuam illarum. Alter est ad formas sibi vniendas, qui ex parte materiæ dicit virtutem terminatiuam vnionis, & virtutem causandi intrinsecè totum eo modo, quo pars componens causa intrinseca dicitur. Hunc appetitum ad totum potius quàm ad formam dicerem, quia respicit totum tanquam effectum, & vnionem tanquam causalitatem, non formæ, sed totius. Hic appetitus siue ad formas siue ad tota dicatur, respicit omnes formas, siue omnia tota, quæ potest materia sibi vnire & cōponere, quia materia ex se potens est omnes formas sibi vnire, & omnia tota componere, qui appetitus ex parte potentiæ est ad omnia extrema, non vt omnia acquirat, sed vt ex omnibus aliquod illorum obtineat, & ita dicitur ad singula sub conditione, siue ad omnia disiunctiuè modo

explicando. Neque materia prima appetit duas formas substantiales sibi simul vnire, & duo tota substantialia componere, quia etiamsi præcisè ex parte materiæ nulla sit repugnantia, vt dicam Cont. 8. Punct. 2. repugnat tamen naturaliter ratione incompossibilitatis formarum, & dispositionum.

9 Appetitus efficax seu actus primus iterum duplex est, vnus se tenens ex parte principij effectiui, alter ex parte materiæ. De vtriusque terminis sic rem digero: Appetitus seu actus primus efficax semper respicit speciem determinatam termini, de quo nullus dubitat, respicit etiam terminum indiuiduũ, iuxta opinionem, quæ effectuum indiuiduationem circunstantiis temporis, loci, talis agentis, & passi attribuit, quia secundùm hanc sententiam virtus actiua constitutiua in actu primo in hoc tempore, & loco, cum approximatione ad hoc agens tantùm est potens producere effectum illum, quem illæ circunstantiæ determinant, & tantùm est ad illum in actu primo, & illum solum, & non alium intendere potest.

10 In opinione, quæ determinationem indiuiduorum causæ primæ concedit, censent graues Magistri; causam esse in actu primo ad omnia indiuidua illius speciei, sub disiunctione producenda, scilicet æquè petere productionem omnium hanc, vel illam exercendam. Alia mihi mens est adhuc in hac sententia, existimo enim causam tantùm esse in actu primo proximo ad illud indiuiduum, quod producit, & non ad aliud eiusdem speciei, & ita tantùm appetere efficaciter illud indiuiduum, quod producit, & aliud sub distinctione. Duo principia ad hanc conclusionem statuendam, mihi sumam, vtrumque proprio loco probandum; Primum, virtutem actiuam creatam non esse in actu primo, quousque Deus applicet suam omnipotentiam ad concurrendam cum illa, quod probabo 2. Phys. Cont. 10. Punct. 1. Secundum: Deum determinare effectuum indiuiduationem applicando suam omnipotentiam ad hunc effectum producendum, & non alium, quod probabo Controu. 10. Punct. 2. Ex quibus principiis sic arguo: Principium effectiuum tantùm est in actu primo ad illum effectum producendum, ad quem habet omnipotentiam applicatam: sed quando Deus determinat indiuiduationem effectus tantùm applicat suam omnipotentiam ad illum effectum, & non ad alium eiusdem speciei, quod recentiores cum quibus agimus defendunt asserentes per applicationem omnipotentiæ ad hoc indiuiduum producendum, & non aliud determinari à Deo illius indiuiduam entitatem: ergo quando Deus determinat hoc numero indiuiduum producendum virtus creata tantùm est in actu primo ad illud: ergo non habet appetitum efficacem ad aliud.

11 De actu primo passiuo tenente se ex parte materiæ aliter sentio. Affirmo materiam primam dispositam ad recipiendam & vniendam aliquam formam efficaciter appetere formas omnes illius speciei. Ratio est, quia dispositiones ex se non exigunt hanc numero formam, potiùs quàm illam, neque ex parte passi requiritur specialis aliqua applicatio omnipotentiæ, per quam passum in actu primo constituatur, quia omnipotentia tantùm actiuè, & non passiuè concurrit: ergo tantùm requiritur ad constituendum actum primum actiuum, non verò passiuum aut determinatiuum vnionis ad formam: ergo ratione omnipotentiæ actus primus passiuus non determinatur ad aliquam formam indiuidualem, sed alias ex se ad omnes subdisiunctiones, quia materia dispositа quatenus est ex se non potiùs petit hanc formam, quàm illam: ergo absolutè talis appetitus tenens se ex parte actus primi passiui, seu terminatiui vnionis ad formas, est ad omnes, vnam, vel alteram sub disiunctione vniendam.

12 Dices actum primum passiuum determinari ratione actus primi actiui; quia id exigit materia proximè, & efficaciter, quod agens potest producere: Sed agens tantùm potest producere formam indiuiduam ad quam est in actu primo: ergo materia tantùm exigit illam formam indiuiduam. Respondeo materiam primam dispositam ad formã ignis independenter ab applicatione cuiusuis agentis naturalis constituti in actu primo ad recipiendam formam ignis, illámque efficaciter exigere, siue ab agenti naturali, siue à Deo producendam; quia quotiescumque materia est vltimò dispositа ad formam, illam efficaciter exigit, & obtinet; etiamsi nullum sit agens naturale quod illam possit producere, vt patet in productione formarum viuentium, quæ ad exigentiam materiæ dispositæ à Deo producuntur: ex quo fit materiam dispositam ad formam, non magis exigere formam productam ab agente naturali, etiamsi hoc sit applicatum, quàm à Deo, cui incumbit mediatè, vel immediatè formam producere in materia dispositа, & ita materia dispositа ad formam ignis, etiamsi habeat ignem applicatum, non determinatè exigit recipere formam illam indiuiduam, quam potest ignis producere, sed illam vel aliam ex innumeris eiusdem speciei, quas producere potest, quas omnes sub disiunctione appetit, quod si semper recipiat illam, quam agens naturale potest producere, hoc non oritur ex indigentia materiæ præcisè, sed quia materiæ exigentia illã formã est contenta, & agens naturale applicatum illam producere exigit. Ad argumentum in forma respondeo, Id exigit materia quod agens potest producere, distinguo maiorem; id solum quod agens naturale potest producere, nego maiorem: quod potest producere agens naturale, vel Deus ad exigentiam materiæ dispositæ, concedo maiorem: sed agens tantùm potest producere formam indiuiduam: distinguo eodem modo: agens naturale & Deus à quibus; æquè materia exigit formam, nego: agens naturale tantùm, transeat: deinde nego consequentiam.

Postquàm hæc scripseram, totam doctrinam traditam 13
inueni apud Nost. Albert. t. 2. disp. 3. de Prædic. subst. q. 2. n. 26. Vbi duplicem assignat appetitum innatum, vnum qui est per indifferentiam, quo dicitur materiam primam appetere omnes formas, qui à materia nullo modo distinguitur, & contra quem non datur violentia. Alium appetitum appellat per qualitatem superadditam ad talem, vel talem formam, sicuti materia affecta siccitate, & caliditate vt octo, dicitur inclinari ad formam ignis. Ex duplicem appetitum quem ego assignaui. Appetitus per indifferentiam, quem habet materia ad omnes formas, & ab illa non distinguitur, est appetitus, quem ego inefficacem appellaui. Appetitus per qualitatem superadditam est appetitus quem dixi efficacem esse & addere supra materiam primam dispositiones ad formam appetitam.

§. II.

De differentia inter appetitum desiderij & complacentiæ.

IN appetitu elicito duplex distinguitur actus; vnus desi- 14
derij & alius complacentiæ. Vulgò dicitur appetitus desiderij qui fertur in obiectum absens; & complacentiæ, qui tendit in obiectum præsens. Rem hanc sapientissimi recẽtiores illustrant, afferúntque appetitum desiderij non supponere obiectum non existens in illo instanti temporis, sed posse voluntatem ferri in obiectum actu existens appetitu desiderij, cùm enim quis actionem aliquam externam liberè exercet, actio illa in illo instanti, in quo liberè exercetur, oritur ex intentione efficaci illam exercendi, quæ intentio in se imbibitam habet rationem desiderij, ac proinde oritur ex desiderio illi coexistenti: ergo desiderium, & res desiderata, sicut intentio, & res intenta coexistere possunt: ergo desiderium potest esse de obiecto actu existenti: ergo non rectè explicatur ratio desiderij per absentiam obiecti. Desiderium affirmant hi recentiores esse actum, qui fertur in rem abstrahentem, id est, non provt exercitam, vel factam, sed tantùm in illam provt repræsentatur secundùm se conueniens. Complacentiam dicunt respicere iam factam, vel possessam. Affirmant insuper ad desiderium requiri cognitionem repræsentantem rem, vt factibilem, & mouentem ad effectionem rei. Ex quo inferunt desiderium, cùm non supponat rem iam factam, esse principium morale illius effectionis; Complacentia autem cùm supponat rem extra causas nullo modo potest esse principium illius.

Ex hoc inferunt causas numquam habere appetitum 15
complacentiæ, sed tantùm desiderij respectu effectum, nam si causa haberet appetitum complacentiæ, maximè respectu effectus, quem iam producit, sed respectu illius, quem producit, non est appetitus complacentiæ, quia ille appetitus tendit in productionem illius, quam non supponit, sed respicit vt effectum, quia causa numquam efficit id, quod supponit, neque intendit producere, quod iam est productum; complacentia autem essentialiter supponit obiectum vt productum, & vt possessum. Circa effectum vt productum in instanti temporis præcedenti nihil efficit, neque appetit causa: ergo circa illum vt productum tempore præcedenti causa nequit habere appetitum complacentiæ, circa illum vt futurum nullus id asseruit; ergo causa

nequit

nequit habere appetitum complacentiæ circa effectum neque vt præsens,neque præteritum, neque futurum.

16 Non possum non mirum horum recentiorum ingenium commendare, in re enim quam omnes maiorum vestigiis inhærentes prætermisêre,nouam lucem nobis dedêre; nihilominus (illorum pace dixerim) clariorem credo desiderari:dabo forsan, quâ difficultas penitus ab omnibus inspiciatur. In memoriam reuoco distinctionem appetitus in practicum & speculatiuum. Practicus appetitus dicitur respectu illius obiecti, cuius exequutio dependet ab appetentis actu, speculatiuus respectu obiecti,ad cuius executionem impertinens est appetentis actus.Certum est potentiam appetitiuam sæpè desiderare illa, quorum executio omnino est independens ab actibus illius, cuius desiderij obiectum recentiores non explicant, quia hic actus desiderij non regitur cognitione mouente ad opus, & effectionem, vt ipsi absolutè de omni desiderio pronunciant. Neque circa hæc obiecta, cuius executio à voluntate non dependet desiderium dari potest in instanti in quo existunt, ineptè enim quis diceretur desiderare pluuiam existentem in illo instanti,in quo iam existit,nisi illud desiderium, ex ignorantia,& errore produceret;idem dico de omnibus aliis obiectis iam productis, & possessis independenter à desiderio,circa quæ nemo dicitur desiderium concipere. Circa illa obiecta cuius exequutio dependet ex meo desiderio rectè datur desiderium in illo instanti, in quo existunt,vt ipsa existant,quia desiderio secluso non essent ex vi huius causalitatis.

17 Ex quo infero rectè explicasse recentiores obiectum desiderij practici, & complacentiæ respectu eiusdem obiecti, desiderium autem & complacentiam respectu actus speculatiui,hoc est tendentis circa obiectum, quod independenter ab actu appetentis exercetur,explicari non posse,nisi per ordinem ad obiectum absens, & præsens,seu vt absens, vel præsens cognitum, obiectum enim quod non cognoscitur vt absens, non potest desiderari, actu desiderij speculatiui,neque circa illud potest dari actus complacentiæ,nisi formaliter apprehendatur,vt præsens absolutè. vel conditionatè. Infero secundò desiderium speculatiuum,quod in causis dari explicui §.præcedenti semper debere esse de obiecto absenti, & appetitum circa idem obiectum iam præsens,& possessum esse complacentiæ,non enim ex alio capite potest distingui appetitus complacentiæ, & desiderij circa obiectum,cuius exequutio non dependet à desiderio, nisi ex præsentia,vel absentia obiecti circa quod versatur vterque actus. De appetitu efficaci qui consistit in actu primo adæquato assentior sapientissimis recentioribus asserentibus semper esse appetitum desiderij, & nunquam complacentiæ, quia semper fertur in obiectum, vt faciendum ex vi illius, quod est proprium desiderij & nunquam fertur in illud vt iam factum, quod necessarium est ad constituendum actum complacentiæ.

§. III.

Appetitus materiæ exponuntur.

18 NOn aliis principiis, præter iam tradita, indiget, huius rei adæquata solutio, sed tantùm aliquibus conclusionibus illatis specialiter de appetitu materiæ, ex his, quæ de appetitu omnium causarum suprà exposui.

Prima conclvsio: Materia prima nuda omni formâ habet appetitum ad omnes sibi vniendas,seu ad omnia tota componenda,sub disiunctione, ad hoc vel illud totum ex omnibus, quæ potest componere. Probatur hæc conclusio ex natura eiusdem materiæ,quæ est pars incompleta ex se ordinata ad totum componendum, non potius ad hoc, quàm ad illud, ex quo infertur appetere totum componere,& propendere in illius compositionem, sicuti omne ens propendet in acquisitionem illius ad quod ex natura sua ordinatur, & cùm non magis ordinetur ad componendum hoc totum,quàm illud,non magis appetit hoc, quàm illud componere, sed æquè omnia sub disiunctione, scilicet,hoc vel illud ex omnibus. Neque hunc appetitum subterfugiunt formæ corruptæ, quia materia prima ex se æquè potens est ad formas corruptas, & ad alias & æquè contenta esset, si illarum aliquam per reproductionem reciperet,ac si nouam aliam acquireret.

Obiicit Arriag. Materia non potest habere appetitum ad impossibile: sed impossibile est materiam recipere formam iam corruptam:ergo non potest habere appetitum ad illam. Respondeo distinguendo antecedens, materia non potest habere appetitum ad quod ex se est impossibile, transeat:ad id, quod hîc,& nunc est impossibile per accidens,nego. Et minorem eodem modo distinguo: impossibile est materiam recipere formam corruptam,ex suppositione quod præcesserit corruptio formæ,quæ per accidens euenit,concedo;per se impossibile est recipere illam formam,cui accidentaliter corruptio contingit,nego:deinde nego consequentiam.

Secvnda conclvsio: Materia habet appetitum ad formas recipiendas sub disiunctione explicatâ conclusione præcedenti,insuper sub disiunctione rationalis animæ sibi vniendæ, hoc est, habet appetitum ad recipiendam aliquam formam casu,quo rationalis anima non illi vniatur, quia appetitus rectè cum præcedente explicabitur, si dicamus materiam primam appetere vnionem ad animam rationalem,vel vnionem, & receptionem alicuius formæ, ex reliquis,quæ ex illa possunt educi. Ratio est clara. Materia appetit vnionem formæ materialis,non absolutè, sed si illi vnienda non est forma rationalis: ergo eodem modo appetit receptionem materialis forma. Probo consequentiam:eo ipso quod materia appetat vnionem formæ, appetit id, quod necessarium est ad vnionem, pro illo euentu,in quo vnionem appetit:Sed eductio formæ materialis est necessaria ad vnionem eiusdem: ergo illam appetit materia pro eodem euentu, pro quo appetit vnionem ad eamdem formam: Sed tantùm appetit vnionem ad formam materialem sub disiunctione rationalis, quod est idem ac appetere formam materialem, si illi non vniatur rationalis; ergo tantùm appetit cum eadem disiunctione formam materialem recipiendam, ex eo quod illam sibi vniendam appetat: sed non est alia ratio, propter quam materia appetat eductionem nisi propter vnionem, quia materia primariò & per se ordinatur ad totum componendum,in quo ordine consistit ratio essentialis illius constitutiua, & secundariò ad formam recipiendam. Ideo enim materia recipit formam, vt illam sibi vniat, non tamen illam sibi vnit,vt eam recipiat. Sicut enim conceptus primarius materiæ est virtus terminatiua vnionis per modum extremi perfectibilis,& secundarius virtus receptiua formarum mediâ vnione, sic primarius appetitus est ad formas vniendas, & secundarius ad recipiendas ex vniendis illas,quæ ex ipsa possunt educi. 19

Tertia conclvsio. Materia prima non appetit omnes formas sibi vniendas, vel recipendas successiuè. Hæc conclusio est contra communem sententiam,quam verissimam esse,facilè probo.Materia prima dum habet formam substantialem sibi vnitam,cum omnibus requisitis ad vnionem, habet satiatum appetitum, etiamsi perpetuò duret sub eadem forma:ergo non appetit omnes formas successiuè recipiendas, quia si hoc appeteret, non esset materia contenta existês semper cum vnione ad eamdem formam, sed peteret relictâ vnione ad hanc formam, quam habet, ad aliam transire,vt consequeretur id,quod appetit, videlicet formas omnes successiuè pertransire. Neque ex eo quod materia appetat omnes sub disiunctione, hoc est, hanc,vel illam ex omnibus, infertur appetere omnes successiuè, aliud enim est materiam primam semper habere aliquam formam,aliud habere omnes successiuè: primum apperit materia, non secundum. 20

Qvarta conclvsio.Materia prima,dum habet formam aliquam, illam appetit appetitu ex se inefficaci adæquatè identificato cum sua entitate,quem nu. 6. explicui, actu complacentiæ,& non desiderij.Probatur hæc conclusio ex dictis n.16.&17. vbi probaui,actus desiderij,& complacentiæ in appetitu inefficaci distingui essentialiter ex præsentia,& absentia obiecti,& non posse actum desiderij ferri in obiectum præsens. Secundò, cum isti affectus sint non propriè, sed per metaphoram, & translationem dicti, debent componi ad similitudinem, & æmulationem propriorum actuum: ergo sicuti potentia volitiua, quæ hos actus propriè exercet,quiescere,& complacere dicitur per actum elicitum in bono iam possesso, sic dicendum est de appetitu innato eamdem quietem,& complacentiam inuenire in bono iam acquisito. 21

Obiicies contra hanc conclusionem;Materia prima per eundem actum appetit formam siue præsentem,siue absentem:Sed absentem appetit actu desiderij:ergo eodem actu fertur in præsentem.Maiorem probo: actus appetitus non distinguitur ab ipsa materia:sed materia est eadem: ergo actus appetitus est idem, Minorem admittunt omnes; con 22

consequentia est legitima. Respondeo in actu appetitus desiderij,& complacentiæ duo reperiri, rationem appetitus & rationem talis appetitus, quæ duo in appetitu elicito, qui verè est actus potentiæ appetentis non distinguuntur, quia ratio communis,& vniuersalis à minùs vniuersali,generica videlicet ab specifica,in nullo ente physico distinguuntur. In actu verò appetitus innati, quem per metaphoram fingimus,etsi cum fundamento in re, distinguimus rationem talis appetitus, ratio appetitus non distinguitur ab ipsa materia,ratio verò per quam hic appetitus constituitur in ratione talis, videlicet desiderij vel complacentiæ ex præsentia, vel absentia obiecti distincta ab ipsa materia, & ita materia semper appetit per eumdem actum, quatenus actus habet rationem communem appetitus, non verò quatenus habet rationem talis appetitus, desiderij videlicet vel complacentiæ.

25 Quinta conclvsio. In instanti in quo materia supponitur cùm appetitu complacentiæ ad aliquam formam, nihil appetit appetitu desiderij pro illo instanti: Probo. Si aliquid appeteret maximè formam aliam substantialem casu,quo hæc deficeret,sed implicat ex suppositione appetitus complacentiæ, qui inuoluit ipsam existentiam formæ, formam deficere: ergo implicat purificatio conditionis, sub qua alia forma esset appetenda:ergo implicat illam appeti sub conditione, cuius purificationis negatio supponitur. Neque refert in appetitu elicito semel dari actus inefficaces complacentiæ vel desiderij de obiectis sub conditione repugnantibus, quia cum potentia appetitiua indifferentiam habeat ex diuersarum cognitionum aduentu, potest hos diuersos actus exercere: in appetitu autem innato nullum est fundamentum ad hos actus fingendos, neque in illo debemus dare appetitum, qui non feratur in consequutionem vnici finis, ad quem entitas ex natura sua ordinatur,appetitus verò elicitus varios sibi fines ex potentia cognoscente propositos intuetur.

26 Dices materiam primam, posse in eodem instanti, in quo habet formam antecedenter ad existentiam illius, illam vel aliam appetere appetitu desiderij. Respondeo id fieri non posse, quia appetitus desiderij & complacentiæ, vt dicebam modò,constituitur per absentiam, & præsentiam obiecti,vnde in signo in quo præscinditur à præsentia,vel absentia obiecti, tantùm potest intelligi appetitus præcisè, non ratio desiderij vel complacentiæ, in signo autem alio non potest intelligi positiuè absentia obiecti pro illo instanti, quia id,quod non est in instanti temporis,non potest intelligi in aliquo signo pro illo instanti.

27 Sexta conclvsio. Materia prima in instanti in quo habet formam, appetit pro instantibus sequentibus retinere quam habet, vel aliam acquirere.Quia eo ipso quod appetat perpetuò habere formam,necessario appetit retinere quam habet, vel aliam acquirere. Hunc appetitum esse desiderij ex absentia obiecti efficaciter probatur.

28 Septima conclvsio.Materia iam in actu primo constituta cum omnibus prærequisitis ad formam appetit appetitu desiderij & non complacentiæ formam illam, seu illas formas ad quas est in actu primo:Conclusionem hanc rectè probant recentiores intendentes probare materiam primam nullam formam appetere appetitu complacentiæ: illorum rationem dedi num.14. & 15. vbi dixi rectè procedere de appetitu efficaci constituto in actu primo adæquato ad omnem effectum, vbi similiter probaui materiam primam habentem dispositiones formæ ignis, esse in actu primo ad omnes, & æquè omnes desiderare hanc vel illam sub disiunctione obtinendam.

29 Octava conclvsio. Materia prima secundariò habet appetitum ad formas accidentales, quibus indiget ad sui conseruationem,& ad componendum totum, quia eo ipso quod appetat suam conseruationem, & compositionem totius,appetit secundariò totum id, quod necessarium est, vt conseruetur, & vt totum componat. Reliquas formas accidentales, quæ necessariæ non sunt ad conseruationem materiæ,neque totius,existimo materiam non appetere, sed tantum habere non repugnantiam ad illas, ita æquè bene se habet cum illis: sic se habet aër respectu lucis,specierum impressarum,quas mittunt obiecta alia similium qualitatum.

Punctvm V.

An materia existat per existentiam formæ.

A Deo tenuis, & macra est natura materiæ primæ, vt illius existentia Thomistas omnes subterfugerit, quorum omnium vna vox est materiam existere per existentiam formæ. Ita Caiet. Sonc.Ferr. Iauellus,apud Suarez disp.13.Metaphys.sect.3. n.6.Sot.lib 1.Physic.q.6. dubio 2. quibus accedunt Durand. in 2. dist. 12. quæst. 2. Valles. Controu.7. ad Tyrones. 1

Oppositam sententiam scilicet materiam primam existere per propriam ipsius existentiam defendunt innumeri Doctores:Scotus in 1.dist. 12. q.2.ibid.Gabr.Greg. cum reliquis Nominalibus,ex nostris Pater Vazq.1.p.t.1.disp.54.n. 9.Suar.supra,num.8.Tolet.1.lib,phys. quæst.13. Pereira lib. 5. c. 13.lib.1.Met.c.7.q.3.sect.8.Rub.lib.1.phys.tract.2.quæst. 2.Hurt.disp.8.Arriag.disp.2. sect.5. quibus libentissimè subscribo. Potissimum fundamentum huius sententiæ sumendum est ex identitate inter essentiam,& existentiam, quâ positâ, recta fit argumentatio. Essentia materiæ primæ distinguitur ab essentia formæ: ergo existentia materiæ ab existentia formæ. Existentiam non distingui ab essentia, probabo in Metaph.Controuers.2.Punct.3.& ex ibi dicendis huic quæstioni satisfiet, & efficaciter Thomistarum opinio impugnata manebit. Cæterùm nostri Doctores in litterarum Palæstra semper animo erecti non contenti intra propria castra contrarios debellare inimicos, sua repetentes,adhuc intra illa insequuntur,admissâque distinctione inter essentiam,& existentiam cum ipsis Thomistis pugnam ineunt pro existentia propria materiæ defendenda. Disputandum est ergo,an casu quo materiæ existentia ab essentia distingueretur, concedenda esset materiæ primæ propria existentia distincta ab existentia formæ. Procedere potest hæc disputatio ad homines contra Thomistas iuxta illorum principia,& absolutè nullo alio admisso principio præter illa, quæ ex ipsis rerum naturis inferuntur, vel ex ipsa terminorum apprehensione citra controuersiam apparent, & vt vtroque modo procedat disputatio, nonnulla præmittam. 2

Præmitto id, quod in omnibus disputationibus, quæ ex suppositione proceduntomnibus semper præ oculis esse vellem, scilicet eo ipso,quod demus existentiam materiæ distingui ab essentia, necessariò debemus supponere omne id,quod per locum intrinsecum infertur ex hac distinctione,& quod illi necessariò coniunctum est, aliàs quæstio locum habere non poterit; quia cùm ex vna parte concedamus materiam primam distingui ab essentia, si ex alia negemus id, quod per locum intrinsecum coniunctum est cum hac distinctione, procedet quæstio ex principiis contrariè, & contradictoriè oppositis: exempli gratiâ: supponamus rationale posse separari ab animali, debemus dare,rationale non esse idem cum animali,quia si datâ illâ separatione,velimus retinere identitatem inter animal,& rationale,rectè poterit inferri:ergo illa, quæ sunt idem, separari possunt: quod est absurdum consequens, & legitima consequentia, & consequenti admisso facilè poterit illius contradictorium probari, & ita facilè trahetur disputatio ad duplex contradictorium,& neutrum ex suppositione, quia loquimur casu, quo supponamus tantùm rationale posse separari ab animali, quin supponatur distinctio horum extremorum, neque posse separari idem à se ipso, neque aliud principium necessariò cum hac separatione connexum. Concedendum ergo est, vt disputatio locum inueniat, si semel admittitur rationale posse separari ab animali, rationale non identificari cum animali, vel posse idem à se ipso separari. Ex quo nihil poterit inferri quod obsit respondenti, quia licet aliàs probetur contradictorium illius, quod supponitur non oberit arguenti, qui rectè potest duplex contradictorium admittere, vnum verum ex natura rei; alterum ex suppositione sumptum, quod ipse nouit falsum esse, illud tamen disputationis gratiâ admisit; sed damnandus est arguens, qui impugnat id, quod ipsi gratis disputationis causâ concessum est. Hæc doctrina optimè obseruanda est in pluribus disputationibus,quæ ex suppositione procedunt, in quibus opposita videntur inferri,ad quas anguſtias non traheretur disputatio si debito modo procederet.

Ex hoc infero datâ distinctione inter essentiam, & existen 4

existentiam,dandum esse existentiam saltem esse modum afficientem essentiam,tanquam subiectum ad existentiam suppositum. Deinde debet admitti posse produci per diuersas actiones, etiamsi non repugnaret produci per eamdem, sicuti de forma, & modò vnionis philosophamur, quia reliquæ entitates, quæ dantur in rerum natura distinctæ possunt per diuersas actiones produci. Ratio à priori est;vbi est diuersitas terminorum potest esse actionum diuersitas: sed data essentia distincta ab existentia, datur diuersitas terminorum : ergo potest dari actionum diuersitas. Dices percipi non posse ad quid terminetur actio, quæ non terminatur ad existentiam. Respondeo verum hoc esse nullâ facta suppositione, quia percipi non potest,quid sit essentia, vt distincta realiter ab existentia: qui tamen supponit essentiam esse aliquid distinctum ab existentia supponit aliquid sibi perceptibile de cuius conceptu non sit existentia, quod essentiam vocat, ad illud ergo terminabitur actio, quæ ad existentiam non terminatur Neque obiicere poterit hoc nihil esse,quia iam supponis esse aliquid reale, quod ab existentia distinguatur, & hoc idem, quod tu reale supponis, assignatur tanquam terminus actionis non terminatæ ad existentiam.

5 Noto insuper ex duplici suppositione posse procedere quæstionem; aut enim supponi potest omnibus entitatibus existentiam superadditam inesse, aut formam ratione suæ perfectionis existentiam habere secum identificatam;materiam verò tatione suæ imperfectionis,& potentialitatis (vt cum Thomistis loquar) indigere existentiâ superadditâ,quâ hypothesi facta, inquiri potest an possit existere per existentiam formæ, seu per ipsam formam. Quid sentiam iuxta omnium principia,& iuxta quamcumque hypothesim breuiter aperiam.

6 Hurtadus suprà num.64.affirmat multas, grauésque rationes supereſse pro defendenda existentia propria materiæ, præter omnium præcipuam desumptam ex identitate inter essentiam & existentiam. Arguit primò : eadem actione indiuisibili, quâ producitur essentia, debet produci existentia : sed essentia materiæ, & essentia formæ producuntur per diuersas actiones : ergo existentia materiæ,& existentia formæ producuntur per diuersas actiones: ergo sunt diuersæ, idem enim,etsi possit per plures actiones produci, non potest per eamdem actionem produci, & non produci, per actionem autem quâ producitur materiæ essentia,non producitur forma ; ergo neque existentia formæ, quæ producitur per actionem, qua producitur essentia eiusdem formæ:ergo neque per actionem,quâ producitur existentia materiæ, quæ est eadem cum actione, quâ producitur essentia eiusdem materiæ. Illationes ex prima factæ sunt euidentes ; prima ex præmissis legitimè deducta. Ex præmissis maiorem admittunt Thomistæ asserentes productionem terminari formaliter ad existentiam & nullam dari actionem terminatam præcisè ad essentiam & non ad existentiam. Minor facillimè probatur, quia productio formæ materialis est eductio, productio materiæ est creatio;sed non potest eadem actio indiuisibilis esse eductio & creatio : ergo non potest eadem actio esse productio materiæ, & formæ. Dicet nonnullus eam actionem posse esse creationem, & eductionem, respectu diuersorum terminorum.Contrà : Eatenus terminus creatur quatenus illius actio physicè non dependet à subiecto per suammet physicam entitatem, & eatenus educitur quatenus illius actio per se ipsam physicè dependet à subiecto : sed non potest eadem actio physicè dependere, & non dependere à subiecto : ergo non potest esse creatio & eductio. Addidi terminum *physicè*, ne distinguas in actione respectus formaliter diuersos, quæ distinctio non potest cadere supra illum, quia qui dicit, actio physicè non dependet, dicit secundùm nullum dependere respectum, & qui dicit actionem physicè dependere,dicit dependere secundùm suam entitatem realem,& abstrahit à quocumque rationis respectu.

7 Rursus non posse educi formam ex materia, per eamdem actionem,qua producitur materia, siue materia creetur,siue educatur,sic probo.Actio eductiua formæ ex materia supponit materiam iam productam tanquam causam materialem illius : sed productio materiæ non potest supponere materiam tanquam causam materialem: ergo non potest esse eductio formæ ex materia. Hoc argumentum existimo efficax esse ad hominem factum contrà Thomistas concedentes omnem actionem terminari ad rei existentiam. Ego tamen indepenter à Thomistarum doctrina illius vim declinare conabor.

Nego maiorem primi syllogismi, scilicet essentiam, 8
& existentiam necessariò produci per eamdem actionem, suppositâ distinctione inter vtramque. Illam probat Hurtad. ex D. Thoma quæst.1. de potentia art.2.vbi ait : *Omnis actio actiuæ potentiæ terminatur ad esse*, & Angelicum Doctorem agere de existentia, asserit Hurtadus oculis cerni. Porrò, qui aperuerit oculos ad videndam existentiam ab essentia distinctam, illos claudet ad videndum Angelicum Doctorem agere de existentia, & dicet, illud esse ad quod dicit Angelicus Doctor terminari actionem significare essentiam, vel existentiam, quia tam essentia quàm existentia, quas distingui supponimus possunt terminare actiones. Secundò respondeo S. Thomam asserere omnem actionem terminari ad existentiam, quia sentit essentiam non distingui ab existentia,& loquitur absolutè,& non ex suppositione, quod distinguantur essentia, & existentia,quâ facta,potest admitti distinctio actionum, quam negat D. Thomas, quia non admittit distinctionem terminorum, quam nos disputationis causâ statuimus. Refert etiam Hurtad.Ioannem Theologum celeberrimum in Concil.Florent.dixisse, *fieri non posse vt vnares ab alia sit, nisi ab alia recipiat esse*, quo vicit Græcos dubitantes de processione Spiritus sancti : Easdem solutiones quas testimonio D. Thomæ dedi, Ioannis Theologi testimonio adhibe, & dicito per illud *esse* intelligere essentiam, & non existentiam,vel ipsum loqui in vera sententia non distinguente existentiam ab essentia,non verò in illa quam modò supponimus.

Arguit Hurtadus pro eadem maiori probanda. Si actio 9
aliqua terminatur ad essentiam, & non ad existentiam, quid præstat talis actio ? certè nihil aliud,quàm eam producere, & facere existentem. Respondeo ex dictis suprà difficilè assignari quid præstet illa actio,quia difficilè concipitur essentia ab existentia distincta,ex suppositione tamen factâ,dicendum est actionem terminatam ad existentiam præstare illud esse actuale, quod habet essentia distinctum ab existentia.

Instat Hurtadus : Essentia per actionem terminatam 10
ad illam est intrinsecè mutata de non ente simpliciter ad ens simpliciter : ergo ipsa præcisa à quouis alio habet intrinsecam existentiam. Hæc ratio probat, essentiam non distingui ab existentia, & destruit suppositum quæstionis, quapropter ab illa abstinuisse debebat Hurtadus, memor paulò antea dixisse graues suppetere rationes ad hanc quæstionem probandam præter omnium præcipuam, quâ probatur essentiam ab existentia non distingui.

Secundum argumentum ita conficit Hurtadus : Essen- 11
tia materiæ primæ est causa materialis formæ : ergo supponitur existens ad formam : ergo non potest existere existentia formæ. Ad hoc argumentum soluendum non recurro ad mutuam causarum prioritatem ; ad quam si confugerem, hæc difficultas cum multis aliis esset communis. Aliter respondeo essentiam materiæ supponi ad formam tanquam causam materialem illius, præscindendo in illo priori, in quo supponitur ab existentia, eo modo quo supponeretur ad propriam existentiam, si illam haberet distinctam à forma, eadémque ratione, quâ supponitur materia ad suam præsentiam præscindendo pro illo priori in quo supponitur à præsentia. Materiam posse supponi ad formam modo dicto rectè intelligetur, si ponatur existere per ipsam formam habentem existentiam secum identificatam, quia non debet supponi existens ad illud per quod formaliter existens constituitur. Idem potest dici,etiamsi dicatur formam habere existentiam superadditam, quia existentia formæ suum effectum communicat materiæ mediâ formâ, ac proinde per formam,vt existentem constituitur materia existens, & ita non debet supponi existens ad ipsam formam, vt existens, hoc est, ad formam, quæ secum affert existentiam, quâ materia constituetur existens, ex eo præcisè quod formam in se habeat,sicuti dicitur de eadem materia respectu præsentię iuxta opinionem asserentem materiam præsentari per præsentiam quantitatis.

Insurgit Hurt. Essentia non potest esse causa existentiæ, 12
quia esset causa sui ipsius.Itè quia sicut essentia creatur,*vt quod*, existentia creatur, *vt quæ*, quia ratio formalis propter quam terminus generatur, vel creatur est illius existentia. Hæc omnia nullâ vim habent ex suppositione iam

factâ,quia si damus essentiam distingui ab existētia,essentia , quæ sit causa suæ existentiæ, erit causa alicuius à se distincti. Et non licebit inferre esse causam sui ipsius.Eodem modo negandum est ex creatione essentiæ inferri creationem existentiæ,quia potest dari actio creatiua terminata ad essentiam , distincta ab actione eductiua terminata ad existentiam. Loquor ex suppositione iam factâ, cuius subiectum implicare censeo. Nego similiter existētiam esse totam rationem termini creationis , quia hanc potest terminare essentia ab existentia distincta , quam formaliter vt distinctam ab existentia fatentur multi habere esse actuale , vt videre licet apud Alberinum suprà relatum. Alia congerit , seu eadem repetit Hurtadus,videlicet sequi materiam primam produci,& conseruari ab agente naturali.Deinde materiam primam fieri per creationem,& ita non posse pendere à forma,insuper materiā primam creari. Ex quibus infertur illius existentiam non posse dependere à causa materiali.Hæc omnia ex dictis in hypothesi factâ facilem solutionē habent.Respondeo iuxta suppositā principia existentiam materiæ primæ produci,& conseruari ab agente naturali , & existentiam hanc educi,& essentiam creari,existentiam dependere ab ipsa forma , vel esse ipsam formam , & essentiam tantùm dependere à forma à posteriori , quia sine illa existere non potest,& non ab hac determinata,sed ab hac vel illa,quia sicut esse sine hac forma determinata, modò aliā habeat, ita potest esse sine hac existentia identificata cùm forma, modò alia illi aduenīat cum alia forma identificata.

12 Arriaga sect.5. citata, reiectis aliquibus rationibus ex his,quas adduximus probat materiam primam habere existentiam propriam adhuc ex suppositione,quod distinguatur existentia ab essentia,quia conformius est naturis rerum , vt materia habeat propriam existentiam , quàm vt existat formæ existentiâ:friget hæc ratio , & negatâ hac maiori conformitate,gelascit,vltráque procedere non valet. Secundò ait ridiculum esse toties materiam mutare existentiam, quoties nouas formas acquirit. Respondebunt aduersarij non esse ridiculum. Tertiò, arguit sequi ex oppositā sententia materiam primam non produci ab agentibus naturalibus ; quam rationem inefficacem esse ipse vidit, tantúmque ad hominem contra Thomistas, ex his,quæ ipsi docent eam adducit. Non disputo , an Thomistæ rectè respondeant, quid respondendum sit, non semel explicui. Quartò, arguit sequi materiam dependere à priori,à forma,& formam à materia.Iam suprà negaui primam partem consequentis,modò respectu illius sequelam nego. Quintò,argumentatur. Materia prima producit suas passiones ad quas debet supponi existens:ergo debet habere existentiam distinctam ab existentia formæ. Multi antecedens negabunt præcipuè ex Thomistis dicētes materiam primam non producere suas passiones.Instò tamen : materia prima etiamsi non sit principium effectiuum passionum,est tamen principium passiuum,& causa materialis illarum : ergo debet supponi existens , vt illas recipiat vt principium passiuum.Responderet aliquis materiam primam priùs natura constitui existentem per existentiam formæ , & posteaquàm iam est per formam existens constituta , suas passiones recipere , vel producere. Contrà : materia prima supponitur informata dispositionibus prius naturâ,quàm recipiat formam : ergo supponitur existens priùs naturâ quàm habeat formam. Probo consequentiam : in illo priori in quo supponitur materia prima cum suis dispositionibus,debet supponi existens: sed priùs naturâ,quàm sit forma supponitur cum suis dispositionibus:ergo priùs naturâ quàm adueniat forma supponitur existens. Hoc argumentum existimo difficilius esse omnibus adductis , verumtamen non deerunt Thomistis mille latibula , vt illud effugiant : in primis protegi possunt mutua prioritatum causalitate in diuerso genere : multi enim affirmant dispositiones recipi in toto, & consequenter supponere totum, & materiam informatam substantiali formā. Secundò respondere possunt in illo priori in quo materia prima supponatur vt causa materialis , vel vt principium effectiuum suarum passionum, seu dispositionum totius,non debere supponi existentem formaliter , sed sufficere in alio signo posteriori naturæ habere existentiam in eodem instanti temporis , quia si semel supponatur existentia distincta ab essentia,existētia non est ratio formalis causandi , sed tantùm conditio, quam possumus dicere non requiri formaliter ex parte actus primi,sed tantùm vt conditionem comitantem,sicuti de approximatione philosophatur Arriaga , qui dicit non se tenere ex parte actus primi in igne ad producendum calorem in ligno , sed tantùm concomitanter requiri. Neque dubitabunt Thomistæ id asserere de existentia, qui defendunt causam posse physicè operari in instanti,in quo non existit,dum immediatè antè præcesserit.Hæc sunt argumenta,quæ apud authores inuenio pro hac materia,quæ omnia satis probabiliter in hypothesi factâ solui poterunt,quapropter semper ego propriam materiæ primæ existentiam ex identitate inter essentiam,& existentiam propugnabo. Quid tamen verisimilius esse censeam prædictâ suppositione admissa breuiter dicam.

13 Si supponatur materiam primam propter suam potentialitatem existentiam non habere secum identificatam,& illam emendicare à forma, quæ per se ipsam existit nullo modo superaddito,existentia propria materię primę distincta à forma tantùm propugnari poterit hoc vltimo argumento,impugnando illius solutiones , videlicet,mutuam prioritatem causarum adhuc in diuerso genere causæ, quam reiiciam lib. 2. Controuers. 7. & probando existentiam requisitam in causa ad effectum in aliquo genere causæ producendum requiri ex parte actus primi , quod difficillimè probari potest.

14 Si supponatur omnibus entitatibus existentias superadditas inesse , affinis erit quæstio cum illa , quæ agitur 4. Physicorum, an videlicet omnibus entitatibus distinctis distincta præsentia correspondeat. Non dubito in hac hypothesi posse materiam , & formam de potentia Dei absoluta existere per eumdem modum existendi essentialiter respicientem vtrumque extremum , ita vt deficiente materiā,vel forma deficeret totus ille modus, qui etsi cōmunis sit vtrique , proprius cuiuslibet dici possit , quia æquè dependeret à materia , & forma & eamdem connexionem cum illarum qualibet haberet. Sentio insuper deficiente forma posse materiam nulli formæ vnitam proprium habere modum existendi,sicut in opinione, quæ asserit formam materiæ vnitam esse præsentem per præsentiam materiæ vel quantitatis, dicimus formam materiæ non vnitam propriam habere præsentiam.

15 Quid contingeret naturaliter,quando materia & forma essent vnitæ,certè mihi difficile est definire. Probabo loco suprà citato singulis entitatibus distinctis , distinctas præsentias respondere.Idem à paritate de præsentiis inferri potest. Sed argumentum à paritate parum roboris habet,præcipuè cùm rationes , quæ præsentias distinctas probant in rebus vnitis, non suadeant immediatè distinctas existentias & ita ex disparitate rationis,quæ probat in illa materia,& non in ista, disparitas conclusionis desumi poterit. Affirmo rationes quibus probant Thomistæ materiam primam existentiam propriam non habere,nihil probare,etiamsi admittatur inesse rebus omnibus existentiam distinctam à præsentia. Insuper censeo hac hypothesi datâ non posse efficaciter probari materiam non existere existentia formæ. Quid verò tunc contingeret ex his,quæ modò sunt,difficile coniiciendum existimo,nihilque efficaciter probari posse;neque efficaciter conuictum iri existimo . qui assereret prædicta hypothesi non solùm materiā primam propriam existentiam habituram , sed etiam formas materiales existere per existentiam materiæ & carere propria existentia dum sunt vnitæ materiæ,quam haberēt si de potentia Dei absoluta existerent separatæ à subiecto sicuti de præsentiis in eisdem formis multi philosophantur.

16 Obiicies D. Thomam 1. parte , q. 7. art. 2. ad primum, vbi hæc habet : *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam cùm non sit ens actu , sed potentiâ tantùm , vnde magis est aliquod concretum quàm creatum.* Et quæst. 4. de potentia : *Quidquid in rerum natura inuenitur , actu existit, quod quidem non habet materia , nisi per formam , quæ est actus eius , vnde non habet esse forma in rerum natura inueniri.* Respondet Rub.suprà num.22. in materia reperiri duplicem existentiam ; quamdam incompletam , indifferentem , vt per aliam similiter incompletam determinetur ad hanc vel illam speciem existentiæ completæ componendam;aliam iam determinatam, quam materia componit,& est propria totius. Primam habet materia per suam entitatem , de qua non loquitur D. Thomas , sed de existentia completa,& determinata,quæ materiæ conuenit ratione formæ.Aliter testimonium desumptum ex q.4. de

de potentia, explicari potest in hunc sensum: *Quidquid est in rerum natura actu existit*, in hac vniuersali comprehendit Angelicus Doctor existentiam materiæ, quam suprà in illa vniuersali comprehenderat, non esse in rerum natura, nisi in ordine ad formã, seu vt forma actuaretur in ordine ad compositum, quibus verbis significat ordinem, quem habet materia ad formam tanquam ad aliquid, ad quod ordinatur, non tanquam ad constitutiuũ suæ existentiæ. Quod probat verbis immediatè subiectis: *Vnde non habet in rerum natura inueniri sine forma*, quasi diceret, quia maria ordinatur ad formam, vt cum illa totum componat, numquam est in rerum natura nisi vnita formæ. Prioris testimonij verba faciliùs explicantur, cùm enim dicit Doctor Angelicus materiam non esse ens actu, sed potentiâ, non loquitur de actu potentiæ logicæ, seu obiectiuæ, cuius potentiæ est actus existentia, sed de actu potentiæ passiuæ, seu informabilis, quam rationem actus non habet potentia, quia nullum actum informantem, neque in subiecto receptum includit secundùm suam entitatem.

17 Obiicies secundò: Ex duobus entibus actu existentibus non potest tertium ens per se resultare. Respondeo ex duobus entibus actu existentibus completis non posse fieri vnum tertiũ ens per se, bene tamen ex duobus incõpletis.

18 Obiicies tertiò: Materia prima nullam habet operationem; ergo neque existentiam. Probant consequentiam, ex eo quod existere sit propter operari. Si aliquid probaret argumentum non solùm conuinceret materiam primam non habere existentiam propriam, sed neque alienam, quia non minùs debet esse propter aliquid existere per existentiam alienam, quàm per propriam: ergo si ex eo quod materia prima nullam habeat operationem, non habet propter quod existat existentiâ propriâ, neque habebit propter quod existat existentiâ alienâ. Missum facio antecedens, & nego consequentiam. Ad confirmationem dico, esse principij actiui esse propter operari, esse autem passiui, propter pati, & materiam primam esse principium passionum propter quas, & propter totum componendum non esset illius existentia otiosa in rerum natura, etiamsi non esset principium operationis.

19 Obiicies quintò: Existentia formæ se communicat immediatè materiæ: ergo constituit materiam existentem: ergo matera non indiget aliâ existentiâ. Retorqueo, argumento in alia materia: spiritualitas animæ rationalis indistincta ab ipsa anima se communicat immediatè materiæ, cui immediatè vnitur: ergo illâ constituit spiritualem. Secundò materialitas formæ ligni identificata cum ipsa immediatè se communicat materiæ: ergo materiam constituet materialem: ergo non indiget materialitate secum identificatâ: ergo materia non est materialis per se ipsam. Respondeo effectum formalem existendi non posse conuenire rei per aliquid superadditum, quia existentia debet identificari cum re existenti, vt probabo in Metaphysic. Vnde etiamsi materia vniatur formæ existenti, non potest per illam existens constitui, quia per aliquid superadditum nihil potest habere aliquid secum identificatum. Procedere posset obiectio, factâ hypothesi existentiæ realis distinctæ ab essentia; quâ factâ; Respondeo existentiam superadditam formæ non communicari materiæ immediatè tanquam modum illius, sed tantùm mediâ formâ, & tanquam modum formæ, & rem respectu materiæ, sine qua subsistere valet, qui communicandi modus sufficiens non est, vt materia constituatur existens per existentiam formæ, quia existentia superaddita tantùm constituit existens subiectum, quod immediatè afficit tanquam modus illius. Sicuti præsentia tantùm constituit præsens subiectum, cui immediatè, & per se tanquam modus illius immediatè est affixa.

20 Ex his explicatu facile est illud axioma quo vulgò dicitur, materiam esse puram potentiam, & nihil actus includere. Quod doctè explicat Suarez suprà n. 8. Actus dicitur dupliciter: vnus respectu potentiæ physicæ, sic actio dicitur actus principij actiui, quod physicè ad illam supponitur; passio, principij passiui, quod physicè præsupponitur ad passionem tanquam verum, & physicum principium illius. Vnio physica dicitur actus virtutis terminatiuæ vnionis, quæ est realis & physica prærequisita ad vnionem, & in actu secundo constituitur formaliter vniens per vnionem. Alius actus dicitur respectu potentiæ, quam logicam, metaphysicam, & obiectiuam vocamus, quæ non est vera potentia, quæ ad actum supponatur, neque sit illius principium actiuum, passiuum, aut terminatiuum, sed mera non repugnantia, quam habet omne id, quod existere potest, & ex existentia Logicè infertur, arguimus enim; entitas existit: ergo potest existere; quæ potentia non est in ordine ad aliud, sed in ordine ad eandem entitatem, illiúsque existentiam, non distinctam ab essentia. Hæc potentia Logica dicitur, quia ex illa Logicè, & illatiuè infertur actus, non physicè: Obiectiua dicitur, quia est obiectum principij effectiui potens ab illo produci ex defectu cuius obiectiuæ potentiæ chimæra non potest produci à Deo: vocatur Metaphysica, quia si aliquo modo præscindenda est ab obiecto, debet esse metaphysicè eo modo quo præscinduntur gradus identificati realiter non physicè.

Materia prima dici nequit pura potentia respectu potentiæ logicæ, quia iam habet actum huius potẽtiæ, videlicet existentiam propriam, vt probatum est. Dici debet pura potentia passiua, quia est primum subiectum, & primum, quod potest pati, & prima causa materialis, quæ nullam aliam supponit, neque in se formaliter passionem aliquam identificatam includit. Dicenda est similiter propter eamdem rationem pura potentia terminatiua vnionis per modum subiecti informationis, quia est primum subiectum potens informari, nullum aliud supponens, quod ipsa informet, vel possit informare, & nullam virtutem informatiuam respiciens cuius ipsa sit actus; neque informationem aliquam intrinsecè identificatam habens. Pura actiua potentia dici non poterit, etiamsi actiuè quantitatem, & alias passiones producat, quia ita est illarum principium actiuum, vt in eodem genere principium aliud supponat, & aliam actiuam potentiam, cuius ipsa sit effectus, & actus. 21

Punctum VI.

An materia possit esse supernaturaliter sine forma.

Redeo ad luctam cum Thomistis mihi iam facilem, qui propriam materiæ existentiam recenti prælio propugnaui. Defendunt materiam primam non posse de potentia Dei absoluta esse sine forma, horum longam seriem inuenies apud Conimbr. & Rub. postea citandos. Potissimum illorum fundamentum est materiam non posse existere sine existentia, ac proinde neque sine forma per cuius existentiam ipsa existit. Tueor oppositam sententiam cum P. Suarez disput. 15. Metaphysic. sect. 9. n. 3. Conimbr. lib. 1. Physic. cap. 9. q. 6. art. 3. Rub. tit. 2. de materia quæst. 5. Hurt. disp. 5. sect. 9. Arriag. disp. 2. sect. 6. & aliis quàmplurimis ex antiquis quos referunt Suarez, Conimb. & Rub. 1

Ratio sententiæ, quam defendendam proposui, desumenda est ex natura materiæ primæ, quæ est entitas creata, in nullo modo dependens ab existentia formæ dependentiâ à priori, qua dependet effectus à causa, quod sic probo. Materia non dependet à forma in genere causæ efficientis, quia materia producitur per creationem, & nullum agens naturale principium esse potest effectus creati: non dependet in genere causæ materialis, neque formalis, quia materia cùm sit primum subiectum, nullam formam intrinsecè includens, neque materiam habet, neque formam: ergo non potest dependere à forma, tanquam à parte intrinsecè componente eo modo, quo totum dependet à suis partibus, neque materia potest dependere à forma tanquam à subiecto eductionis, quia creatur, & ex nullo educitur, est enim vt dictum est primum subiectum: restat dependentia in genere causæ finalis, quæ non importat existentiam causæ, ac proinde atiamsi admittamus materiam respicere formam tanquam finem, non ideo infertur, existere non posse formâ non existente, sæpe enim non existente fine, existunt illa, quæ in finem ordinantur. Rursus nequit excogitari alia dependentia, neque connexio aliqua inter materiam, & formam cum aliquo fundamento probabili, propter quam materia, diuinâ intercedente potentiâ, existere non possit sine forma: gratis ergo negabitur, id posse contingere de potentia Dei absoluta: ergo denegandum non est. Firmiùs eamdem conclusionem probabo Puncto seq. vbi probabo materiæ primæ adhuc naturaliter non repugnare existere sine forma. 2

Ne nouam ineam luctam, quin nouam aliquam victoriam ex aduersariis reportandam tentem, affirmo fore vt materia prima posset de potentia Dei absoluta existere sine 3

forma, etiamsi de facto modò existeret per existentiã formæ. Rationem insinuaui sæpè,præcipuè Puncto præcedenti.Materia prima si existeret per existentiã formæ,existeret per existentiã superadditam,& successiuè per diuersas existentias,quas secum afferunt formæ diuersæ:ergo deficientibus omnibus formis,& deficientibus formarũ existentiis, posset Deus materiæ aliquã tribuere existentiã distinctam ab illis,quas formæ secum afferunt materiæ,per quam posset existere deficiẽtibus exiſtentiis,quas illi possent formæ vnitæ tribuere. Confirmo eandẽ doctrinam. Tenet cõmunis sententia omnia accidentia materialia esse præsentia, per præsentiam quantitatis , & nihilominus adhuc in hac sententia dicimus accidentia posse separari à quantitate, & esse præsentia per modum alium,quem Deus illis distribueret distinctum à præsentia,quam haberent à quantitate, & de facto multi censent ita contingere in accidentibus Eucharisticis , existimantes esse in spatio per præsentiam materiæ primæ,quia ab hac quantitatem non distinguunt, vel quia illi specialiter , & non quantitati præsentiam circumscriptiuam tribuũt pro omnibus entitatibus,quæ sunt in composito,dum illi sunt vnitæ, & nouũ præsentiæ modum recipere illarum proprium,cùm absque subiecto constituuntur in Eucharistia : ergo eodem modo poterit contingere in existentia materiæ , si semel admittatur ab ipsa distingui , etiãsi dicamus de facto existere per existentiam formæ.Ex his infractum manet primum telũ, quod in nos iaciunt Thomistæ,videamus an alia robustiora habeant.

4 Obiicit D. Thomas: Omne esse accidentale includit formam accidentalem : ergo omne esse sustantiale includit formam substantialem:ergo implicat esse aliquod substantiale sine forma substantiali. Retorqueo argumentum in Thomistas:omnis essentia accidẽtalis dicit formam accidentalem:ergo omnis essentia substantialis includit formam substantialẽ,sed essentia materiæ primæ,essentia Angeli,& essentia Dei sunt essentiæ substantiarum : ergo sunt essentiæ formarum substantialium:ergo materia prima, Angelus,& Deus sunt veræ formæ. Videant quid respondeãt Thomistæ,si tenendus est arguendi modus, quo nos impetunt. Ego illum non admitto, & facilè respondeo concedendo antecedens,& negando consequentiam. Cerne disparitatem:omne accidens essentialiter ordinatur ad subiectum respectu cuius est forma,& ita hæc est legitima consequentia : est accidens ; ergo est forma. Substantia verò non essentialiter ordinatur ad subiectum cuius necessariò sit forma , & hæc est inepta consequentia : est substantia: ergo est forma substantialis,quia inter substantias sunt aliquæ,quæ ordinantur ad subiectum , cuius sunt formæ, & aliæ plurimæ,quæ nullum subiectum respiciunt, neque rationem habent formæ , sicuti Deus, Angelus, corpus simplex si datur & materia prima.

5 Obiicies secundò:Implicat aliquid esse in rerum natura, quin sit sub determinata specie:sed si materia existeret sine forma, non existeret sub determinata specie:ergo implicat ita existere. Minorem probat. Materia constituitur sub hac determinata specie per formam,& ex se est indifferens, vt contrahatur ad hanc vel illam speciem : ergo si esset sine forma, esset cum hac indifferentia , & non constituta sub determinata specie. Concedo maiorem , nego minorem, & distinguo illius confirmationem. Materia est indifferens ex se vt constituatur sub hac , vel illa specie materiæ , & partis materialis , & determinatur per formam, ad determinatam speciem materiæ, nego:est indifferens ad componendum hoc vel illud totum, & per formam determinatur, vt componat hoc totum,potiùs quàm illud,vt constituat hanc speciem adæquatam totius, concedo. Deinde nego consequentiam , quia non repugnat esse in rerum natura entitatem aliquam sub determinata specie entis incompleti , & indifferentem ad componendum hoc,vel illud totum , quod cum alia comparte valet componere.

6 Obiicies tertiò : Non potest esse natura hominis non contracta ad aliquod indiuiduum : ergo neque materia prima non contracta ad aliquam formam. Probatur antecedens : difficilius est existere puram potentiam sine actu, quàm vnum actum sine alio ; ergo difficilius est existere materiam primam, quæ est pura potentia sine actu , quàm ratio hominis,quæ est actu sine differẽtiã indiuiduali,quæ est alius actus. Respondeo concedendo antecedens,& negando consequentiam. Ad confirmationem dico nihil posse esse difficilius, quàm existere vnum actũ sine alio secum identificato, idem enim esse sine ipso est implicatio , quã nulla maior. Itaque nego antecedens, & distinguo illud, quod subsumitur in consequenti ; videlicet,materiam primam esse puram potentiam logicam.& obiectiuam,nego; passiuam concedo,& nego consequentiam.

Inquires an casu, quo materia prima conseruaretur sine forma,conseruanda esset eodem influxu,quo nunc conseruatur,vel alio,quo suppleretur defectus formæ. Influxum futurum esse diuersum tenere videntur Conimbr. art.3. citato,eundem permansurum defendit Suarez suprà num.7. 7
In hanc sententiã feror,quæ iuxta dicenda Puncto sequenti , vbi probabo materiam primam ex se naturaliter posse existere sine forma, necessariò tenenda est. Do tamen materiam non posse naturaliter existere sine forma,neque separatam à forma suam exigere conseruationem,& Suarium sequor. Ratio conclusionis hæc est : Actio creatiua terminata ad materiam,idem principiũ habet, idem subiectum (si actio creatiua subiectum habet) & nullam aliam circunstantiam per se distinctam respicit , quando materia habet formam,& quando illã caret : ergo nullum est caput, ex quo assignetur distinctio inter actionem terminatam ad materiam carentem forma, vel illam habentem : respicere in vtroque casu easdem circunstantias à quibus per se dependet, probatur , quia actio creatiua materiæ per se non dependet à materia,neque à negatione materiæ , à quibus ex vi actionis independens constituitur:ergo nihil est speciale in vno casu,quod non sit in alio,à quo actio creatiua per se physicè dependeat.

Dices, creationem esse debitam,quando terminatur ad materiam informatam,& indebitam quando respicit materiam existentem sine forma. Contrà:esse debitam aliquam entitatem cum his circunstantiis & indebitam sine illis, non dicet diuersitatem entitatis, quæ debita, vel indebita dicitur,vel circumstantiarum,ex quibus resultat , vel non resultat debitum , eumdem enim influxum , quem Deus modò exhibet ad exigentiam causæ naturalis , & debitus dicitur , potest præstare nullã causã exigente talem influxum,& indebitus dicetur , sicuti eamdem pecuniarum externam largitionẽ,quam modò exhibeo ex iustitia,possem ex liberalitate exhibere , si mihi nulla esset iustitiæ obligatio. Doctores nonnulli , qui asserunt actiones externas specificationem diuersam desumere ex diuersis motiuis actuum,à quibus imperantur, consequenter dicere possunt per diuersam actionem conseruari materiam primam cum forma, & sine illa,iuxta cõmunem sententiam asserentem materiam primam existentem sine forma non exigere propriam conseruationem , quam exigit quando est cum forma , quia quando Deus materiam conseruat sine forma caret motiuo , quod habebat ad illam conseruandam cum forma, quod erat exigentia, quam propriæ conseruationis habebat materia. 8

Punctum VII.

An materia dependeat à posteriori, à forma; & an possit naturaliter existere sine illa.

QVæ sub præfixo titulo continentur productiorem chartam exposcunt , quàm apud authores communiter 1
fortiuntur, ideo longiùs aliis rem tractabo.

§. I.

Scopus difficultatis præfigitur.

MAteriam primam non posse naturaliter existere sine forma supponunt , & non disputant , plerique Doctores Ita sentiunt præter alios plurimos Suarez,Conimb. Rub. & Hurtadus, qui perspicuum esse affirmant , omnes locis citatis, Puncto præcedenti. Qui hanc sectantur sententiam dependentiam quamdam à forma materiæ tribuunt,ratione cuius naturaliter esse non possit sine forma. Doctissimis recentioribus hæc dependentia à posteriori difficilis visa est ,existimant enim terminis ipsis *dependentiæ & à posteriori*, quod sonat ab effectu,implicationem inuolui , quia nihil à suo effectu dependere potest. Arriaga suprà asserit se fundamentum talis dependentiæ non inuenire , nihilominus illam defendit , asseritque nos posse probabiliter eam tueri fretos communi authoritate. 2

Dependen

2 Dependentia à priori omnibus est satis nota, quæ est ab aliquo se tenente ex parte causæ, & actus primi ad effectum. Dependentiam à posteriori appellant communiter Doctores connexionem, quam habet causa cum effectu, vel quæuis entitas cum illa, quam non supponit ex parte actus primi, & sine qua esse non potest. Ita Suarez disp. 15. Metaph. sect. 8. n. 16. & tom. 1. in 3. partem disp. 8. sect. 1. Fonsec. 5. Metaphys. c. 2. q. 3. sect. 1. Dependentiam hanc non à causa acuti recentiores partiuntur, in dependentiam à posteriori, & in dependentiam ab aliquo comitante. Dependentia à posteriori est connexio, quam habet causa cum effectu, sine quo subsistere nequit. Dependentia à comitanti est, quam habet entitas cum alia, quæ rationem non habet causæ, neque effectus respectu illius, & sine qua subsistere non potest, talis est dependentia vnionis ab extremis, quæ annectit, quæ omnium strictissima est. Dari dependentiam non à priori, hoc est non à causa, siue illa à comitante, siue à posteriori appellanda sit, nulli dubium esse potest, vnio enim dependet ab extremis, quæ illius non sunt causæ, & quilibet modus per creationem productus, v.g. præsentia, quam dicam posse creari essentialiter connectitur cum subiecto, quod præsens constituit, sine quo naturaliter esse non potest. De dependentia causæ ab effectu, quam recentiores prædicti etiam communi sententiâ dependentiam à posteriori vocant non leuem mihi rationem indidit dubitandi doctissimus Magister, quam postea aperiam.

3 Prænoneo non omnem causam habere connexionem necessariam cum omni effectu, quem naturaliter producit, ita vt si effectus impediatur naturaliter illa subsistere non possit. Patet in igne producente necessariò calorem, in materia applicata, qua productione impedita naturaliter subsistit, nullus enim dixit ignem non comburentem Babylonicos pueros supernaturaliter fuisse conseruatum ex defectu productionis, quam intendebat. Secundò agens naturale, cuius actio ab alio naturali agente impeditur, naturaliter conseruatur, vt patet in agente frigido, quod propter resistentiam contrarij non agit in passum: ergo etiamsi illius concursus supernaturaliter à Deo impediretur, eodem modo exigeret sui conseruationem, quia in vtroque casu idem illi impeditur influxus, & cum maiori violentia quando impeditur ab agenti naturali, vt probabo 2. Physic. Controuers. 6. Neque hæc connexio datur necessariò in causis respectu simplicium emanationum, quia aqua per simplicem emanationem frigiditatem vt octo producit, sine qua absque miraculo frequenter conseruatur.

4 In materia de qua pocedit nostra disputatio potest hæc dependentia à posteriori esse immediatè ab ipsa forma, vel tantùm à dispositionibus immediatè, & mediatè à forma. Quomodocumque illa sit eamdem difficultatem habet, quia vtraque est ab aliquo posteriori naturâ, cùm quo dependeatiam annectere haud facile est. Illico expendam, quod contra hanc dependentiam acutè excogitarunt recentes.

5 Adhuc reiectâ dependentiâ à posteriori materiæ à forma sentiunt multi, suppositâ iam materiâ productâ in primo instanti suæ creationis cum forma, non posse sine illa naturaliter existere, quia non potest expelli forma, quam semel acquisiuit materia, aliâ formâ non introductâ, neque illius dispositiones ad aliam formam, quæ illam secum necessariò trahunt postquam de dependentia dixerim, discutiam.

§. II.

Dependentia à posteriori causæ ab effectu discutitur.

6 OMnis causa est prior naturâ effectu: ergo antequam sit effectus supponitur entitas causæ: ergo supponitur quidquid necessarium est, vt existat: ergo quocumque alio existente, vel non existente erit causa: ergo causa non dependere potest ab existentia effectus, ergo deficiente effectu subsistet causa. Dices supponi quidquid necessarium est ex parte actus primi ad effectum, non verò quidquid est necessarium illo posterius, & ita non quocumque alio deficiente erit causa, requiruntur non solùm illa, quæ causam antecedunt, sed quæ sunt illa posteriora, à quibus etsi non à priori, à posteriori dependet. Contrà: implicat id, quod est posterius aliquo requiri ad illud quod ipsum præcedit, quod sic probo: illud, quod est posterius nullum influxum physicum, neque moralem potest præstare in illud quod est prius, quia illud supponit iam existens cum omni dependentia physica à suis causis & causas determinatas in actu secundo ad productionem: ergo neque potest physicè influere, neque moraliter determinando causas, vt influant; ergo nullo modo: ergo causa non indiget effectu, vt existat, etiamsi necessariò sit cum illo connexa, quia ab ipso necessariò dimanat, quod non est ab illo dependentiam habere, sed effectum necessariò dependere à causa, à qua necessariò dimanat. Ob quod entitas causæ ex vi suæ productionis poterit absque effectu consistere, si Deus illum impediat, vbi negatio effectus miraculosa erit, & non causæ conseruatio, sicuti in igne Babylonico contigit. Ad rem multum pulchra verba, quæ ex D. Th. in 4. distinct. 44. q. 1. art. 1. satis opportunè referuntur. *Illud, quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem, quia remoto posteriori remanet adhuc prius.* Quibus verbis docet Angelicus Doctor corrupta forma, seu destructo composito remanere illud, quod erat ante formam & compositum, scilicet materiam; rationem, quam supra expendebam, reddit Angelicus Doctor, *quia remoto posteriori*, hoc est effectu, *remanet adhuc prius*, hoc est causa, quæ antequam effectus esset, existens supponebatur, & supponebatur illius principium determinatum ad illius productionem, vel conseruationem, numquam enim ex præuisione effectus potest Deus, aut aliud principium determinari ad producendam causam, quia antequam videatur effectus, causam præuideri productam necesse est.

Nullus qui ingenuè rationem hanc meditetur, non illam magni momenti ad hanc dependentiam à posteriori expugnandam esse agnoscet. Nihilominus in gratiam communis sententiæ explicabo quomodo hæc dependentia à posteriori defendi possit, ita vt hæc illatio à posteriori vim haheat: non existit effectus: ergo causa non naturaliter conseruatur, vel producitur in illo instanti temporis, in quo est effectus negatio. Posset quis excogitare entitatem aliquam, quæ postquam sit producta non petat conseruari nisi casu, quo Deus sit determinatus priusquàm illam conseruet ad concurrendum cum illa ad effectum producendum, & similiter si naturaliter producenda sit, exigat vt antequam Deus illam producat, supponatur determinatus ad concurrendum cùm illa ad effectum, qui necessariò oritur ex illa causa producendum, in quo casu productio & conseruatio causæ supponit determinationem Dei ad concurrendum cùm illa, non absolutam, quia antequam Deus determinatus sit ad producendam causam, non potest esse determinatus ad concurrendum cum illa, quia concursus cum aliqua causa supponit existentiam causæ, sed conditionatam, si produxero, vel conseruauero concurram cum illa, quo decreto præmisso non potest causa adhuc de potentia Dei absoluta, non connecti cum effectu, à quo si dependeat absoluta productio causæ, dependebit ab aliquo, quod simul cum existentia causæ, necessariò connexum est cum effectu, & consequenter dependebit mediatè ab effectu, non à priori, sed tanquam ab aliquo ita connexo consequenter; & tanquam cum affectu, cum illo, quod productio causæ supponit tanquam quid antecedens, ita vt de potentia Dei absoluta illo posito, non possit non esse, & ita erit legitima consequentia: non est effectus: ergo causa non fuit producta, præsuppositio decreto conditionato concurrendi cum illa, casu, quo Deus illam produceret: ergo non fuit producta naturaliter, quia entitas huius causæ exigit produci hoc decreto præmisso, ita vt si aliter producatur, illius productio sit contra, vel præter id, quod exigit entitas ex sua natura.

Alio modo posset dici dari causam non naturâ suâ exigentem hoc decretum tanquam quid præmissum ad sui productionem vel conseruationem, sed scientiam conditionatam, quâ Deus agnoscat, hanc causam habituram effectum, si Deus illam producat, ita vt voluntatis actus, quo Deus causam producit iuxta id, quod ex natura sua exigit necessariò supponat talem scientiam, quâ deficiente subsistere non posset, sed si Deus causam produceret independenter à præuisione effectus futuri sub conditione, vel quam vidit talem effectum non habituram, si Deus causam producat, talis productio non esset naturalis, neque conformis exigentiæ effectus producti, cuius absoluta existentia supponit effectum sub conditione futurum, tanquam obiectum scientiæ requisitæ ad actum voluntatis, ex vi cuius Deus iuxta ipsius naturam causam est producturus,

cturus. in quo casu hæc est legitima consequentia,non est effectus;ergo causa non fuit producta præuiso effectu futuro sub conditione existentiæ ipsius causæ : ergo non fuit producta iuxta suam exigentiam , quia ipsa exigebat produci,præuiso effectu sub conditione suæ existentiæ. Similiter erit recta illatio : causa fuit producta naturaliter:ergo fuit producta præuiso effectu futuro sub conditione existentiæ causæ : ergo implicat existere causam sine effectu , quia purificata conditione implicat non absolutè existere effectum , quem Deus præuiderat sub illa conditione futurum. Quo casu productio absoluta causæ dependebit à scientia terminata ad effectum futurum sub conditione suæ existentiæ & ab ipso effectu sub illa conditione tanquam ab obiecto talis scientiæ , in qua dependentia nulla est implicatio,quia rectè potest effectus conditionatus supponi non physicè, sed obiectiuè tantùm ad ipsum sub conditione futurum , quod contingit in prudenti cordati hominis determinatione,in qua ex eo quod præuidit effectum futurum esse , si talem causam applicaret, causam applicat , ex qua dependet absoluta futuritio effectus, quæ sub conditione præcessit præuisam applicationem causæ à qua dependet.

9 Rursus alio modo poterit esse causa, quæ petat produci per actum, quo Deus decernat illius existentiam,& simul per eumdem actum existentiam omnium , quæ requiruntur ad effectum, ita vt per eundem actum dicat Deus: volo producere causam, & volo illi præstare omnia, quæ requiruntur, tum ex parte mei, tum ex parte cuiuscumque comprincipij, seu circustantiæ ad effectum producendum. Non repugnare aliquam virtutem exigere produci ex vi actus prædicti probo:Potest Deus per eumdem actum decernere obiecta inter se diuersa , etiamsi vnum supponatur ad aliud : ergo potest per eumdem actum voluntatis ferri in productionem causæ , & in existentiam omnium, quæ simul cum illa prærequiruntur ad effectum , quorum aliqua, etsi posteriora sint ipsâ causâ , quia possunt esse illius passiones , & saltem decretum Dei concurrendi cum illa,quod prærequiritur ad effectum, supponit existentiam causæ, & est posterius illâ , quod reflexè respiceret actus, quo Deus decerneret causam & omnia, quibus ipsa indigebat ad producendum effectum : possunt tamen decerni à Deo cum ordine prioris & posterioris tenente se ex parte obiecti,licet ex parte actus,simul,hoc est, per eumdem actum producantur ; non enim repugnat per eumdem actum decerni hoc, vt prius , & illud,vt posterius , ita vt obiecta inter se habeant ordinem prioris , & posterioris, & non actus. Sicuti contingit in electione identificata cùm intentione:ergo potest dari causa quæ exigat produci ex vi talis actus,in quo nulla erit repugnantia; tunc sic: causa ista si naturaliter erat producenda , & iuxta suam exigentiam esset producenda per actum , ex vi cuius existerent omnia requisita ex parte causæ secundæ , & causæ primæ ad effectum producendum : ergo haberet connexionem cum reliquis prærequisitis ad suam operationem tanquam cum his, quæ necessariò existebant , ex vi eiusdem actus, quo ipsa naturaliter producebatur,quæ connexio esset cum extremis comitantibus,non antecedentibus, quia non essent priùs causâ, sed simul ex vi eiusdem actus: ergo haberet connexionem mediatam cum ipso effectu ; quidquid enim est connexum cum aliquo , ex quo necessariò oritur effectus , necessariò cum ipso effectu connexionem habet. In hoc casu esset legitima illatio : non est effectus,ergo causa non fuit decreta cum omnibus prærequisitis ex parte actus primi adæquati ad operandum:ergo non fuit producta iuxta illius exigentiam,ex vi cuius debebat decerni simul cum omnibus prærequisitis ex parte actus primi adæquati ad operandum:ergo non fuit producta naturaliter. Similiter rectè fieret argumentatio : causa fuit decreta naturaliter,& iuxta suam exigentiam:ergo cum omnibus prærequisitis ex parte actus primi adæquati ad effectum:ergo ita necessariò est effectus,vt hac productione suppositâ ex vi huius decreti illum non possit impedire Deus,quia postquam Deus causam primam constituit in actu primo adæquato , & suam omnipotentiam applicauit ad concurrendum cum causa ad effectum, implicat non velle cum illa concurrere,quia implicat non existere decretum concurrendi ex suppositione,quod iam existit,vel ex suppositione, quod existat aliud reflexum , quo Deus tale decretum habere decernat. In hoc casu causa vt naturaliter producta necessariam connexionem haberet tanquam cum aliquo comitante cum illa,ex quo effectus oriretur tanquam ex causa , & ita connexio respectu extremi immediati esset connexio cum aliquo comitante, & respectu extremi mediati cum aliquo posteriori, quod adhuc de potentia Dei absoluta , ex vi illius prioris non posset esse.

Alia posset excogitari causa,quæ peteret produci si naturaliter esset producenda ex vi actus , qui indiuisibiliter respiceret existentiam causæ , & effectus dependentis ab illa, ita vt ex parte actus non prius Deus decerneret causam,quàm effectum , etiamsi decerneret causam priorem, & effectum posteriorem,quia vt suprà dicebam,potest Deus per eumdem indiuisibilem actum sine ordine prioris , & posterioris ex parte decreti decernere obiecta , quorum vnum sit prius, & aliud posterius , & decernere prioritatem ipsorum , & dependentiam vnius ab alio:ergo potest esse causa, quæ ita petat produci : ergo potest dari causa, quæ non possit existere sine effectu adhuc de potentia Dei absoluta; si semel supponatur producta iuxta illius exigentiam,ergo dependebit à posteriori ab effectu , & hæc erit legitima illatio, non est effectus: ergo causa non est naturaliter producta , & similiter ista , causa est naturaliter producta : ergo adhuc diuina intercedente potentia, supposita illius naturali productione, non potest non esse effectus : Vtramque illationem à priori ; & à posteriori expendo. Non est effectus existente causâ : ergo causa non fuit decreta per actum, quo simul ex parte actus decerneretur effectus:ergo non fuit producta iuxta illius exigentiam,ex vi cuius simul cum effectu decernenda erat: ergo non fuit producta naturaliter. Hæc illatio est legitima à posteriori suppositâ exigentiâ causæ:illam à priori confício,idemque euinco : causa fuit decreta naturaliter:ergo iuxta exigentiam suæ naturæ : ergo simul cum effectu simultate se tenente ex parte decreti , ergo implicat non esse effectum , cuius existentia simul cum existentia decreta fuit. 10

Ex hoc inferes hanc non esse rectam illationem, causa est prior effectu : ergo est prius decretum, quo decernitur causa,decreto , quo decernitur effectus,quia possunt decerni ex vi eiusdem decreti. Ex hoc principio rectè infringitur hæc illatio, quam contra dependentiam à posteriori recentiores expendebant , effectus est posterior causa:ergo illo deficiente causa subsistet,quia etiamsi effectus sit posterior causâ, actus tamen per quem decernitur effectus,& actus per quem decernitur causa , est idem , & ita deficiente decreto effectus , deficit actus voluntatis Dei ex vi cuius existit causa. Hæc connexio inter effectum,& causam est in decreto , à quo effectus & causa dependent à priori, & ita connexio causæ immediatè est cum decreto quod supponit tanquam principium illius , & mediatè cum effectu, qui oritur simul cum illa ab eodem decreto, tanquam à principio communi effectus , & causæ , & ita connexio ista inter effectum , & causam poterit dici connexio extremorum , quæ comitanter procedunt respectu decreti Dei , etiamsi inter se , se habeant vt prius , & posterius. 11

Hæc meditatus sum vt aliquo modo subsistere posset hæc dependentia à posteriori,quę sine examine plus æquo apud Doctores inualuit. 12

§. III.

Totius difficultatis resolutio.

SEntio materiam primam nullam habere ex natura sua connexionem à posteriori cum forma , neque dispositionibus,sed naturaliter conseruandam esse,& iuxta ipsius exigentiam , etiamsi careret omni forma substantiali , & dispositionibus requisitis ad omnem formam , hoc est, ad acquirendam hanc vel illam ex omnibus possibilibus. Ita Gabriel, & Marsil.apud Soar.disp.15. Metaphys. sect.8. n.6. vbi illam tueri affirmat , Patres , qui censent in prima mundi conditione materiam sine forma fuisse creatam, quos adduxi Puncto præcedenti, illamque tuentur plures acuti recentiores. Probo : In primis, quia nullum est fundamentum , quod suadeat aliquam ex causis, quæ existit modò, habere aliquam exigentiam, ex his, quarum possibilitatem explicui à n.7. ratione cuius existere non possit naturaliter non existente effectu , imò constat illam non habere virtutes actiuas : ergo non ponenda est talis 13

exigentia

exigentia in materia prima, cum nulla sit specialis ratio ad illam constituendam in materia respectu formæ, potius quàm in aliis causis respectu suorum effectuum. Confirmatur: si aliqua causa à posteriori dependet ab aliquo effectu, illum potest per simplicem emanationem producere, sic vulgo dici solet, essentiam dependere à posteriori à suis passionibus: sed materia prima non potest producere formam substantialem neque dispositiones per simplicem emanationem: ergo non dependet à posteriori à forma, neque à dispositionibus. Maiorem probo inductione reliquarum causarum; anima etiamsi à posteriori dependeat à productione suarum passionum, non dependet à productione suorum actuum: ignis si à posteriori dependet à productione caloris, quem in se producit, non dependet à productione caloris exercenda in subiecto extraneo, non aliâ ratione nisi quia anima producit suas passiones per simplicem emanationem, actus verò non ita, & ignis producit similiter in se ipso per simplicem emanationem calorem, in subiecto autem extraneo non per simplicem emanationem, sed dependenter à subiecto extraneo, & ab applicatione ad illud, quæ valde contingenter subiecto accidunt. Ratio à priori hæc est: omne ens virtutem habet ad producendum independenter ab alio comprincipio creato id, à quo dependet à posteriori, & illud sine quo naturaliter conseruari nequit: ergo omne ens potest per simplicem emanationem producere id, quo indiget à posteriori ad sui conseruationem, si re vera aliquo indiget. Antecedens probo. Si aliquod ens à posteriori exigeret tanquam sui effectum, illud, cuius non est principium adæquatum, exigeret aliud comprincipium ad talem effectū producēdum: sed non potest tale comprincipium exigere, nihil enim exigit ad sui conseruationem id, quod non est illius causa neque effectus, neque terminus aut subiectum, cuius sit modus, relatio, aut actus: ergo non potest exigere effectum, quem non potest independenter à quocumque alio producere. Maior est certa, quidquid enim connexum est cum aliquo, medio illo, connexionem habet cum eo, quod requiritur ad illius existentiam: minor ex ipsis terminis apparet, quorsum enim dicetur materiam primam exigere causas productiuas primarum qualitatum à quibus in conseruari dependeat, ex eo quod dependeat à primis qualitatibus, quæ existere non possunt absque aliqua causa, à qua producantur? Ex quo fundamento dici poterit, materiam primam exigere virtutem productiuam formarum substantialium, à qua in conseruari à posteriori dependeat, quia dependet in conseruari ab ipsis formis.

14 Confirmo eamdem conclusionem à paritate animæ rationalis: rationalis anima essentialiter est forma, & ex natura sua ordinatur ad componendum compositum, vt definitum est, & ostendam Controuers. 1. de anima Punct. 3. & nihilominus naturaliter conseruatur sine materia: ergo si materia prima semel sine forma produceretur, aut priuaretur formâ, quam habet, etiamsi talis priuatio, quoad modum esset supernaturalis, conseruatio materiæ esset naturalis, & iuxta exigentiam materiæ. Confirmatur: non minùs ordinatur forma ad componendum totum cum materia, quàm materia ad componendum totum cum forma: ergo non minùs ordinatur forma ad materiam, quàm materia ad formam, cùm vtraque ordinetur ad alteram ratione compositi, ad quod primariò, & per se ordinantur: ergo sicuti forma absque materia naturaliter durat, ita materia sine forma. Vtraque enim est mutuò relata, vtraque incompleta, vtraque creata. Respondent nonnulli animam posse operari non vnitam materiæ, materiam verò non posse operari non vnitam alicui formæ. Contrà: Materia nuda omni formâ substantiali potest suam præsentiam producere, & quantitatem si illius est productiua, & alias passiones, si quas proprias habet, reliquas verò quas non exercet extra totum ex se neque in toto producere posset, saltem vt principium adæquatum, neque illas producit adhuc vt principium inadæquatum, quia materia prima etiã formæ vnita, principium actiuum non est adhuc inadæquatum passionum propriarum totius, neque vitalium actuum vt probabo, Controuers. 3. de anima: ergo ex eo quod esset sine forma non esset impotens producere aliquid, quod posset vnita formæ producere, quod animæ contingere certum est, quia anima virtutem habet actiuã ad producendas sensationes, quas producere nequit absque materia, sine qua subsistere potest: ergo etiamsi materia non exerceret omnes actiones non vnita formæ, quas exhiberet illi vnita, quod respectu passionum illi contingit, quia plura pateretur in toto, quod extra illud non patitur, posset non vnita formæ naturaliter conseruari. Vltimò suadet, materiam primam non dependere in conseruari à suo effectu, singularis exigentia requisita in entitate respectu suæ productionis, & conseruationis, vt à posteriori dependeat in conseruari à suo effectu, quam explicui §. præcedenti, cuius existentiæ nec minimum vestigium in natura reperies, & absque leui coniectura talem dari dicetur, cum adhuc illius possibilitas non facilè possit explicari.

Obiicies: Materia prima non potest esse sine quantitate, 15
& sine præsentia: ergo neque sine forma substantiali: idem argumentum fieri potest de animo rationali: anima rationalis non potest esse sine præsentia; ergo neque sine materia. Dicam propriis locis negato concursu cuicumque entitati ad producendam præsentiam, & quamlibet passionem, adhuc illius conseruationem fore naturalem, etiamsi talis negatio sit quoad modum supernaturalis, sed omisso antecedenti, negari potest consequentia, quia materia prima producit præsentiã, & quantitatem per simplicẽ emanationem, & formam substantialem recepit non per simplicem emanationem, sed dependenter ab aliis principiis quod sufficiens esset, vt non dependeret à posteriori à forma, etiamsi dependeret ab aliis effectibus, quos per simplicem emanationem producit.

Obiic. 2. Forma materialis non potest conseruari per 16
eductionem dependenter à subiecto quin illi fit vnita: ergo forma indiget informatione, vt possit existere: ergo materia similiter indiget vnione ad formam ad sui naturalem conseruationem, quia non minus ordinatur materia ad vnionem cum forma, quam forma ad vnionem cum materia. Antecedens probatur: si forma educta non indigeret vnione, vt conseruaretur, quando per informationem formæ ignis, expellitur informatio formæ ligni, permaneret forma ligni educta, & non informans; Sed non pemanet sine vnione: ergo neque materia ex vi creationis sine eadem vnione. Si dicas eductionem formæ ligni, destrui per eductionem formæ ignis, quæ supponitur ad vnionem, quia non minus opponuntur eductiones, quàm vniones formarum incompossibilium in ordine ad idem subiectum, insto: Creetur forma ignis, & vniatur materiæ ligni, tunc non permanebit forma ligni: adhuc educta ex subiecto: ergo ex eo quod non permanere possit ex vi eductionis absque vnione. Antecedens nullâ suppositione factâ patet in forma embryonis, cuius eductio definit esse ex eo quod anima rationalis informet materiam, ex qua educebatur: sed informatio animæ tantum opponitur cum informatione formæ embryonis, & cum ipsa forma, vt informante: ergo ex eo præcisè definit esse, vt educta, quia non potest esse ex vi eductionis sine vnione ad subiectum.

Respondeo formam præcisè vt informantem per se & 17
immediatè opponi cùm alia forma, vt informante idem subiectum, & vt educta ex illo, licet primariò, & principaliter cum ipsa, vt informante, & secundariò cum ipsa, vt educta, quia eo ipso quod opponitur informatio huius formæ cum informatione alterius, opponitur cum eductione respectu ejusdem subiecti, ex qua necessariò per se loquendo infertur informatio cum qua primariò est oppositio.

Ex his infero materiam naturaliter esse conseruandam 18
si semel naturaliter, vel supernatur aliter poneretur absque vlla forma, & illius creationem non fore supernaturalem etiamsi crearetur absque vlla forma, licet iuxta illius naturam, postquam creata est, petat in eodem instanti temporis informari aliqua forma substantiali, ad quam ordinatur, non tamen ex hoc capite esset supernaturalis illius creatio, si illam non consequeretur informatio alicuius formæ: sed ad plurimum supernaturalitas posset quoad modum existere in negatione formæ, quæ semel iam productâ materiâ produci debebat.

Restat modò breuiter definiendum an semel materia 19
producta cum forma substantiali, possit naturaliter permanere absque omni forma. Negant plurimi, quia existimant non posse deperdi dispositiones ad hanc formam nisi introductis dispositionibus formæ contrariæ. Ex quo infertur non posse materiam carere hac forma in instanti, in illam, non potest illa priuari, quando caret illis, habet

dispositiones

dispositiones ad aliam formam,quæ necessariò illas consequitur,ergo numquam potest priuari hac forma, quin adueniat alia. Hoc principium multis est familiare , & mihi valde dubium. Quomodo enim probari potest numquam corrumpi dispositiones ad hanc formam, nisi per introductionem dispositionum ad aliam , licet enim certum sit calorem disponentem ad hanc formam,& sic de aliis qualitatibus,non corrumpi nisi per formam contrariam, vnde locus habebit frigiditatem sufficientem ad corrumpendũ calorem requisitum ad hanc formam, sufficientem disponere ad aliam,cum tot qualitates requirantur,vt sint omnes dispositiones requisitæ ad formam contrariam , & ex defectu vnius desinunt esse quæ requiruntur ad hanc formam ? Imò ex hoc capite argumentum desumo ad probandum posse materiam existere sine forma , ex eo quod deficiant dispositiones requisitæ ad conseruandam præexistentem , & nondum aduenerint necessariæ ad aliam introducendam. Ex eo quod materia informata modò formâ ligni modò recipiat duos , trésve caloris gradus, totidémque frigiditatis amittat, non recipit dispositiones sufficientes ad aliam formam acquirendam:ergo si forma ligni dependeret tanquam à dispositione necessariò ab aliquo gradu frigiditatis amisso maneret nuda omni formâ. Dices conditionalem esse veram,& numquam posse conditionem purificari , quia numquam potest amitti dispositio necessaria , nisi per contrariam sufficientem , vt ad aliam formam disponat. Contrà : Ex quo fundamento colligi potest oppositam qualitatem cuicumque necessariæ ad conseruandam hanc formam semper sufficientem esse,vt materiam adæquatè disponat ad aliã cùm non quæcumque alteratio , vt dictum est , sit sufficiens dispositio ad formam aliam acquirendam ? Nullum vel leue potest inueniri , imò moraliter videtur impossibile rem ita se habere.

Vrgeo fortiùs in productione viuentium : viuentia , vt
20 communis fert opinio , requirunt tantam determinatam quantitatem ad primam sui generationem,quam vocamus minimum materiæ requisitum,quia non possunt in minori generari.Minimum hoc requisitum per partes disponitur, ita vt prius recipiat intensionem vltimò requisitam pars proprinquior agenti, & postea remotior alia, in illa temporis mensura in qua est cum toto temperamento qualitatum requisitarum ad formã hominis pars propinquior, & adhuc remotior illud non acquisiuit, prior pars non recipit formam hominis , neque habet dispositiones ad conseruandam formam seminis,vel embryonis,quia illas amisit, per dispositiones ad formam hominis : ergo priùs tempore amittit formam seminis , aut embryonis præcedentis ex dispositionum defectu, quam acquirat formam hominis : ergo si ratione dispositionum negotium hoc est transigendum, materia prima manet absque forma in illa mensura temporis,in qua pars materiæ minor minima requisitã ad formam viuentis recipiendam habet iam totam qualitatum intensionem ad formam viuentis & nondum alia pars materiæ est disposita , in qua non potest acquirere formam viuentis , neque conseruare præexistentem formam,quia iam caret dispositionibus requisitis ad illam conseruandam. Respondent nonnulli posse formam per aliquod tempus conseruari in via corruptionis sine propriis dispositionibus , cum dispositionibus ad aliam formam, non verò per longum tempus. Contrà : forma substantialis æquè est dependens vel independens à dispositionibus in omnibus temporis instantibus: ergo si in hoc instanti potest conseruari sine dispositionibus , eodem modo poterit in vlteriori conseruari , & necessariò conseruabitur , quousque noua causa corruptionis illius aduenire.

Porrò si quis fundamento prædicto innixus assereret
21 materiã posse,& de facto esse aliquando sine forma,ex defectu dispositionum , quæ ad præcedentem retinendam requirebantur,& quia nondum aduenêre omnes requisitæ in toto materiæ minimo ad aliam recipiendam, & ita materiam nudam omni formâ existere quousque compleretur extensiuè , & intensiuè totum temperamentum ad formam venturam , contra communem sententiam sentiret, sed difficilè posset à propria remoueri. Nihilominus firmum esse volo materiam primam semel informatam aliqua forma substantiali non posse nataraliter permanere absque illa forma. Fundamentum huius conclusionis esto, formam in conseruari nullo modo pendere à dispositionibus,& naturaliter conseruandam esse cum vnione ad materiam etiamsi dispositionem omnem ex vi cuius fuit introducta,amittat,& absque vlla permaneat,quod euincam Controu. 1. de generatione Punct. 4. Vbi de modo , quo dispositiones ad formam concurrant fusè dicam. Ex hoc infero formam substantialem non posse expelli à subiecto exercitam : Vnde prius est naturâ , etsi in eodem instanti temporis , materiam nouam formam acquirere,quàm antiquam amittere,& ita naturaliter contingere nequit absque omni forma permanere.

Punctvm VIII.

De vnitate specifica materiæ primæ sublunaris.

QVæstio hæc plurium Thomistarum limina nõ attingit, apud quos illius subiectum non subsistit , asserunt 1
enim materiam primam speciem non habere. Cæterùm iam rationem substantiæ incompletæ & partis essentialis compositi formæ communem materiæ accommodaui,eidémque propriam differentiam tatui , per quam differt à forma,ex quo constat metaphysicè compositam esse ex genere & differentia, quæ essentialiter illius speciem componit Quod si familiare sit antiquis Philosophis asserere materiam primam non habere speciem , vt plurimum vtuntur nomine species,quatenus idem quod pulchritudo significat , quia absque forma substantiali , caret pluribus accidentibus , quibus vestita & ornata eleganti refulget pulchritudine : in eodem sensu materia nudè sumpta informis dici solet,hoc est, impolita & incompta. Si verò aliquando de specie Logica loquantur,tunc intelligendi sunt de specie adæquata totius ad quam componendam ordinatur.

Materiam primam sumere suam speciem per ordinem ad formas cum quibus potest vniri;explicui Puncto 3. vbi 2
dixi illius essentiam sitam esse in virtute terminatiua vnionis cum formis per modum partis materialis compositi. Potentias per ordinem ad diuersos actus quos possunt exercere à posteriori specie distinguimus. Vnde illa potentia vnitiua per modum partis materialis ab alia distinguetur specie , quæ diuersas specie vniones respiciat. Vnionem per ordinem ad quodcumque extremum specie distinctum,specie distinguimus, ex quibus constat materiam primam specie distinguendam esse per vniones specie distinctas , quas potest terminare,& has per formas in ordine ad materiam primam à posteriori cognoscendam. Ex quo infertur,illam materiam primam specie differre ab alia , quæ diuersis specie formis potest vniri , & diuersa specie tota componere. Siue omnes formæ , quæ respicit hæc materia adæquatè distinguantur ab aliis,quas respicit alia,siue tantùm aliquæ,aliæque vtrique materiæ sint cõmunes. Rem declaret exemplum. Si detur triplex materia quarum vna possit recipere formam leonis , & equi, alia formam canis, & bouis, alia formam leonis,& canis omnes hæ materiæ specie distinguentur , duæ priores, quia habet actus adæquatè distinctos secundum se totos, neutra enim potest vniri alicui formæ ex his, quas altera sibi vnit. Tertia ab vtraque similiter distinguetur , quia habet diuersum specificatiuum adæquatum distinctum ab specificatiuo aliarum materierum, etiamsi non secundùm se totum , tamen secundùm aliquam formam substantialem , ex quo essentialiter constat adæquatum specificatiuum, & ita absolutè est specie distinctum, & ex illo diuersa specie potentia infertur à posteriori ; sicuti diuersa esset specie potentia, quæ posset videre album,& nigrum ab illa, quæ tantùm posset album intueri , etiamsi obiectum , quod mediis actibus attingitur, à quo vltimo sua desumitur à posteriori specificatio , non sit secundùm se totum adæquatè specie distinctum,quia ad hoc vt aliquid absolutè specie ab alio distinguatur, non requiritur adhuc in compositis physicis,vt secundùm se totum distinguatur: homo enim absolutè specie differt ab equo , etiamsi non distinguatur secundùm materiam , sed tantùm secundùm formam.

Posse dari materiam primam sublunarem specie distinctã ab hac,quæ de facto est mihi nõ est dubiũ,quia potest 3
dari materia cui tantùm possint vniri duæ , trésve formæ, ex innumeris , quæ tunc valent vniri, & potest dari alia,

quæ

quæ non possit vniri alicui, ex his quæ de facto existunt, & quæ vnicæ tantùm formæ possit vniri, quia non est de ratione materiæ indifferentia ad plures formas, vt probaui Punct. 3. quæ omnes materiæ specie differrent propter diuersos actus, quos respiciunt, & propter prædicatum, per quod vna ab alia notabiliter differret, quod passet esse multis commune.

4 Similiter affirmo posse dari duplicem materiam respicientem easdem numero formas, quarum vna illas respiceret tantùm potentiâ terminatiuâ vnionis, tanquam extrema, quibus posset vniri ad tota componenda, alia verò tanquam extrema quibus posset vniri, & quæ possent ex illa educi, quia vt dicam lib. 3. Controuers. 13. Punct. 3. non repugnat forma indifferens ex natura sua, vt creetur, vel educatur: ergo non repugnat forma, quæ possit per creationem producta vniri huic materiæ, vel educta ex altera vniri: ergo non repugnat dari duplicem materiam respicientem easdem formas, vnam mediâ vnione, & receptione, alteram tantùm mediâ vnione. Affirmo insuper has materias inter se specie distinguendas per diuersos actus immediatos, scilicet per diuersas vniones specie distinctas, quibus easdem formas respiceret, sicuti distinguuntur specie in communi sententia visiones hominis, & equi, circa eundem colorem per diuersa specie principia, sic similiter vniones illæ distinguerentur per diuersas specie materias, à quibus specificationem diuersam haberent, quia vnio specificatur non solùm à forma, sed etiam à materia. Sed in materiis, quarum vna potest recipere, & vnire sibi formas, hæc notabiliter differt ab alia, quæ tantùm potest easdem formas sibi vnire, & per prædicatum, quod potest esse commune multis materiis: ergo specie differt ab illa, & diuersos actus, hoc est, diuersas vniones, valet quasi à priori specificare. Dixi sæpè specificationem vnionis à materia tanquam ab extremo, esse quasi à priori; quia non est à vera causa, quæ tantùm specificationem à priori dat.

5 Obiic. nos committere vitiosum circulum, quia sumimus specificationem diuersam materiæ ex diuersis actibus, specificationem diuersam actuum ex diuersa materia, vnde idem per idem explicamus. Respondeo nos probare specificationem diuersam actuum ex diuersitate materiæ, quasi à priori, & dicere materiam à posteriori specificari ex diuersis actibus, quod non probamus ex eo quod actus sint diuersi, sed ex alio capite, scilicet ex eo quod materia habeat virtutem recipiendi formam, quam non habet alia, ex quo absolutè inferimus diuersitatem materiarum inter se, & specificam distinctionem specierum, ex quo postea quasi à priori specificationem diuersam actuum respicimus, & dicimus materiam à posteriori specificari, ab his actibus, quos à priori probauimus distinctionem specificam ex materiis habituros. Ob hanc rationem dixi n. 2. vniones distinguendas esse per ordinem ad formas, in ordine ad cognoscendam distinctionem specificam materiæ; quando verò iam ex alio capite nobis innotescit distinctio specifica materiæ, possumus per ordinem ad materiam specie distinctam vnionem distinguere, & asserere ab his vnionibus specie distinctis quasi à priori ex diuersitate materiæ aliunde notâ à posteriori materiam diuersam specificari, quod in nostro casu contingit.

6 Omnem materiam primam sublunarem, quæ de facto datur esse eiusdem speciei probabiliter affirmo cum communi sententia, quia quæcumque materia æquè potest sibi vnire, & recipere omnes formas, quas potest alia: ergo nullum est caput, ex quo possit colligi prædicatum aliquod specificum non omnibus commune in materiis, quæ de facto existunt, cùm omnes similes appareant in virtute vnitiua, & receptiua formarum tam substantialium quàm accidentalium. Antecedens satis probabiliter suadet experientia, quâ videmus eandem materiam modo sub hac forma modò sub illa esse, & numquam videmus materiam aliquam, quæ formam aliam in particulari recuset, neque quæ renuat admittere dispositiones ad illam, quas non reciperet si illius receptiua non esset, quia dispositionum receptio ad formam substantialem ordinatur. Quod si in materia semel informata auri vel adamantis, aliarúmve rerum formis, quas incorruptibiles vulgo dicimus, difficilè, esto nunquam, formam aliam recipiat, eadem materia anteaquam esset cum tali forma, plures alias admisit, ex quo infertur, non ex defectu capacitatis illas modò respicere. Si instes forsan esse aliquam materiam, quam nos non experti simus, incapacem recipiendi formas, quas recipit alia materia illico existens. Dicam me non posse oppositum demonstrare, sed satis probabiliter suaderi, talem materiam non existere, ex eo quod nullum illius vestigium inueniamus, neque ratio aliqua, aut coniectura nobis suppetat ad asserendum talem materiam existere, & experientia oppositum monstret in omnibus materiis, quas hucvsque vidimus.

Obiic. Materia prima est imperfectissimum ex suo conceptu: ergo non potest dari alia materia specie distincta ab hac, quia si esset perfectior istâ, non esset imperfectissimum ens, & ita non esset materia: si esset imperfectior, hæc materia, quæ modò est, non esset imperfectissimum ens, & consequenter non haberet rationem materiæ, quam simul haberet, quia iam supponimus esse materiam; æquè imperfecta cùm ista esse non potest, quia repugnant duæ species perfectione, aut imperfectione æquales. Respondeo quidquid sit de æqualitate possibili inter duo specie distincta, materiam primam non esse imperfectissimum omnium entium, quia accidentia sunt illâ imperfectiora. Est tamen imperfectissimum ens substantiale saltem non modale præcisè ex conceptu materiæ, quia materia essentialiter est imperfectior formâ, iuxta dicta de illius essentia, & imperfectior toto, quod supra illam includit formam. Ex hoc tamen non inferri, dari non posse materiam imperfectiorem aliâ, dum omnium perfectissima non attingat perfectionem imperfectioris formæ quam potest recipere. Non enim est de ratione huius materiæ primæ esse ita imperfectam vt non possit alia materia imperfectior dari, sed tantùm est de ratione totius materiæ esse ens imperfectissimum comparatum cum formis, quibus potest vniri, & cum totis, quæ potest componere. 7

Dubitabis an materia prima sit receptiua aliquarum formarum præter eas, quas de facto Deus hucvsque produxit, & aliquando producet immediatè, vel mediis aliis causis secundis, vel possit recipere existentes, vel extituras, & nullam aliam specie distinctam, ex his, quas Deus potuit creare, & nunquam sunt creandæ. Ad hanc quæstionem rectè respondet Arriaga disp. 2. sect. 9 subs. 2. Deum potuisse creare materiam, quæ esset receptiua harum, quæ de facto dantur, & simul aliarum purè possibilium, & quæ tantùm harum esset receptiua, & nos non posse certò scire, quam illarum creauerit; probabilius tamen posse dici tantùm creasse materiam receptiuam formarum aliquando existentium & non purè possibilium. Quia cùm Deus sciret, quas formas erat productурus, magis congruum videtur illis tantùm materiam creasse, & non aliis nunquam futuris, esset enim absque vlla necessitate in rerum natura virtus receptiua speciei formæ, cuius nulla indiuidua forma esset extitura. Non ago de distinctione vel vnitate specifica inter materiam primam, & sublunarem de qua Controuers. de cœlo. 8

CONTROVERSIA III.

De forma substantiali.

CONTROVERSIA secundâ nonnulla de forma præ libaui, reliqua in præsenti peragam.

PVNCTVM PRIMVM.

Existentia formæ substantialis statuitur.

1 NAtura formæ substantialis plerosque ex Antiquioribus latuit Philosophos, alij ex posterioribus illas in elementis non agnoscebant, omnes denique totit erant in natura materiæ explicanda, & naturam formæ quam vix expiscabantur, tanquam quid ignotum omittebant; quos sæpe reprehendit Arist. toto lib. 1. physicorum, & lib. 2. cap. 1. vbi formam perfectiorem naturam dicit esse quàm materiam. Idem tenet lib. 1. de parte animal. 1. cap. & lib. 7. Metaph. c. 4. & lib. 12. cap. 2. vbi vocat formam *hoc aliquid*. & lib. 7. *quod quia est rei*. hoc est, quod tribuit vltimâ quidditatem, vltimum constitutiuum, vltimúque prædicatum

essentiale compositó; aliisque innumeris in locis dari formam substantialem in omni composito docet tanquam verum,& tanquam quid certum statuit.

2 Prima ratio huius Conclusionis petenda est ex nostro rationali animo , quem esse formam informantem , & existentem est fide sanctum , vt ostendam Controuers.1. de anima Punct.3- & ratio ipsa conuincit à posteriori desumpta ex illius immobilitate,ex merito & demerito voluntatis , ex libertate illius, ex actibus intellectus & voluntatis , reliquarumque potentiarum , quæ omnia accidenti competere repugnant,vt ipso naturæ lumine notum est: ex nostro animo rationali gradum facimus ad reliqua viuentia præcipuè sensitiua,in quibus plures operationes inuenimus similes aliquibus , quas exercent ratione animæ,illas videlicet , quæ correspondent gradui viuentis, in quo conueniunt , sensationes videlicet in viuentibus sensitiuis, & modus se nutriendi in vegetatiuis : ergo datur aliquod principium radicale ex quo oriantur hę oppositiones similes rationali secundùm illam rationem,in qua conuenit cum illo:ergo sicut in homine principium sentiendi est substantia,ita in equo erit similiter substantia.

3 Vniuersalius ex eadem operationum similitudine, probo dari principium aliquod radicale, quod sit substantia: In omnibus compositis eiusdem speciei,siue viuentibus, siue non viuentibus dantur accidentia similia, in quorum productionem , & conseruationem propendet compositum : Sed hæc propensio non est propria materiæ , quæ ex se est indifferens, vt habeat hæc vel illa accidentia:ergo oritur ex alio principio constitutiuo compositi, cuius propria sunt hæc accidentia ; hoc non esse accidens,sed substantiam,sic probo.Quando aqua amittit frigiditatem, & quodlibet aliud compositum quamcumque ex primis qualitatibus illi innatam eo ipso quod absit contrarium, statim se restituit in pristinam qualitatem : ergo hæc qualitas oritur ab alio principio distincto à qualitatibus , quæ non possunt se inuicem producere;frigiditas enim amissa non potest ab alia qualitate specie distincta produci , neque potest intensio frigiditatis amissæ produci ab aliis gradibus frigiditatis in eodem subiecto permanentibus, quia si lignum vel aliud compositum amittat gradum aliquem frigiditatis non debitum:etiamsi alij plurimi permaneant in eodem ligno, non recuperat gradum frigiditatis amissæ : ergo hæc restauratio non fit à frigiditate superstite, sed à forma alia substantiali;quia si fieret à frigiditate, in illo composito citius fieret, in quo maior frigiditas formalis permaneret,quod non ita fieri oculis cernitur.

4 Rursus hæc accidentia, quæ semper comitantur compositum huius speciei vel sunt connexa ipsa inter se sine aliquo ordine prioris, & posterioris , vel in aliqua prima radice : non ipsa inter se , quia in equo datur visio similis visioni hominis ; & in homine connectitur cum actibus & potentiis , cùm quibus in equo non connectitur , deinde quia hæc connexio vt probatum est exemplo aquæ restituentis se in pristinam frigiditatem ; est ratione alicuius principij actiui in pluribus accidentibus , quæ sibi non possunt esse inuicem causæ : ergo est in aliqua radice ex qua oriatur:ergo illa erit primus actus materiæ,& quæ primò & per se ordinatur ad constituendum compositum, quod ad illam non supponitur , & reliqua eorum in ordine ad illam , quam ex natura sua tanquam ipsorum radicem supponunt. Probo consequentiam , ex constitutiuo substantiæ quod est non ordinari ad aliud, quod supponatur ad ipsum & esse id, ad quod reliqua ordinantur, quod dicimus esse ens per se , hoc est propter se intentum à natura : sed illa radix communis accidentium , quæ semper comitatur hoc specie compositum, est per se modò explicato:ergo est substantia.

5 Vltimò ostendo compositum per generationem formam substantialem acquirere ex diuersitate mutationum , quas experimur eamdem materiam subire. Ferrum candens etsi intensissimum calorem in se concipiat , vt primum separatur agens , à quo calor ille fuit productus , paulatim intensionem caloris amittit , & breuiter temperamento debito se restituit.Ignis quando in cineres redigitur nunquam potest temperamentum amissum, iterum acquirere, neque ad antiquas qualitates redire : ergo diuersam subit mutationem materia ignis,& materia ferri, quando videmus ignem candentem,& ignem in cineres redactum;quæ diuersitas ea est, vt materia ignis candentis solùm in accidentibus alterationem passa est,& permanens cum eadem forma substantiali , quantumuis accidentia perdantur, principium retinet,quod similia accidentia in illa producet,abscedente contrario, à quo fuerunt corrupta ; materia verò ignis redacti in cineres formam substantialem amisit,& nullum in illa remanet principium , ex quo similia accidentia antiquis deperditis rursus oriantur. Hæc & alia plurima latè, doctè & solidè expendit Noster. Soar. disp 15. sect. 1. Hæcsufficiant pro re iam iuxta omnes Doctores extra omne dubium stabilitâ.

PVNCTVM II.

Quotuplex sit forma in vnoquoque composito.

§. I.

Status quæstionis & Doctorum placita.

NOn disquiro modò an eadem materia plures substantiales formas possit recipere supernaturaliter , de quo dicam Controuers. 8.Puncto 2. sed an materia habeat duas formas inter se connexas , & subordinacas in ordine ad naturalem constitutionem vnius compositi, ita vt alterâ demptâ,etiamsi alia superfit in materia compositum simpliciter & adæquatè non sit constitutum. 1

P.Soar.1.Metaph.disp.15.sect.10.plures de hac re opinio nes refert.Sensère Paulus Venetus,& Henric.de Gandauo citati apud Suarez num. 4. tot dari formas realiter distinctas in quocumque composito, quot dantur gradus metaphysici,& prædicata essentialia formaliter distincta in quocumque composito.Scotus, & Henrriquez apud eumdem Soar. num. 8. formam quamdam corporeitatis in viuentibus constituunt.Scotus illam in omni viuenti agnouit,Hericus tantùm in homine hanc corporeitatis formam inuenit.Alij apud eumdem Soar.num. 17. distinguunt formas secundùm diuersos sabstantiæ gradus.Sunt autem quatuor gradus substantiarum materialium , alia est substantia inanimata,alia vegetabilis,alia sensitiua,alia rationalis. Substantia inanimata secundùm hanc sententiam vnicâ tantùm gaudet formâ : Vegetabilis duabus potitur : Sensitiua tres continet formas;& Rationalis quatuor includit.Multi ex antiquis Philosophis pro diuersis partibus heterogeneis viuentibus partiales formas distinctas constituebant superadditas;alij formas per totum corpus dispersas.Ex Medicis tenent nonnulli cum Galeno , & Auicenna , in quolibet mixto formas elementorum formaliter manere. Communis Theologorum & Philosophorum sententia vnicam tâtùm formam in vnoquoque composito siue inanimato,siue animato constituit. Ita D.Th. 1.p.q.76.art.4.& alij plurimi apud Suar. n. 62. quam idem Suar.latè propugnat ibid.& disp.13.sect.3.& lib.1.de anima cap.6. 2

De Medicorum sententia asserentium , formas elementorum manere formaliter in mixto,iudicium feram Contr. 7.de generatione,Punct.4. vbi specialiter illam exagitabo. De sententia constituente diuersas formas partiales superadditas pro partibus heterogeneis dicam Contr. 1. de anima,Punct.7.Nunc de aliis sententiis iudicium fero. 3

§. II.

Duplex reiicitur sententia.

PRimo loco reiicienda est sententia , quæ formas multiplicat pro multitudine prædicatorum essentialium ex his quæ diximus in Logica,vbi probaui prædicata essêtialia non distingui distinctione reali, sed tantùm per rationem,ex quo infertur rationes formales prædicatorum non distingui per formas realiter distinctas , aliàs realiter,& non solùm formaliter distinguerentur. Secundò , si formæ multiplicandæ essent secundùm diuersa prædicata formaliter distincta , necessum esset non solùm in compositis , sed etiam in formis accidentalibus in Angelo & in materia prima formalitates realiter distinctas constituere, quia in his entitatibus reperiuntur prædicata essentialia formaliter distincta,generica,specifica& indiuidualia,quibus formalitates , seu entitates realiter distinctæ corresponderent sicuti in toto composito secundùm hanc sententiâ correspondent. Vltimò eadêmet entitas indiuisibilis secundùm diuersas cõuenientias,& secundùm diuersos 4

effectus,

effectus, quos potest producere, diuersas per intellectum formalitates sortitur: ergo non multiplicantur realiter formæ secundùm diuersas formalitates, quas intellectus distinguit.

Fundamentum huius sententiæ desumptum erat ex Aristotele 7. Metaphys. cap. 10. afferente partibus definitionis correspondere partes rei. Hoc nullius est momenti, intelligendus est enim Aristoteles de partibus, non physicè, sed metaphysicè ab ipso intellectu definiente distinctis. Alio modo potest explicari testimonium Aristotelis de definitione data per partes physicas compositi. Aliud testimonium adducitur pro eadem sententia ex eodem Philosopho dicente 2. Metaphys. cap. 2. in formis substantialibus non dari processum in infinitum, quia non datur in conceptibus quidditatiuis. Non maioris est negotij hoc testimonium dissoluere, quàm primum; recta enim est illatio Aristotelis: conceptus quidditatiui non sunt infiniti; ergo neque formæ, quia his multiplicatis non possunt illi non multiplicari, non tamen ideo tenet opposita consequentia; formæ non multiplicantur: ergo neque conceptus, & ideò non rectè arguitur, neque à priori, neque à posteriori conceptus quidditatiui multiplicantur, ergo multiplicantur formæ.

6 Accedo ad formam corporeitatis quam multis reiicit Suarez locis citatis, sed ex nullo capite efficacius reiicitur, quàm ex solutione, & impugnatione illorum, quæ ad illam constituendam adducunt Scotus, & Henric. illis enim destructis non esse admittendam talem formam clarè constabit, non enim licet absque probabili ratione liberè formas absque vllo fundamento comminisci. Scoti & Henrici fundamenta expendo.

7 Existimat Scotus formam hãc necessariam esse in viuentibus, quia anima est actus corporis physici & organici: ergo anima, quæ est forma viuentis supponit iam corpus organicum: ergo supponit materiam primam cum forma corporeitatis, quia materia prima nudè sumpta organica non est. Ostendam Controu. 1. de anima, Punct. 1. ly *corporis* in definitione positum posse significare totum compositum constitutum per ipsam animam, cuius anima dicitur actus constitutiuus, iuxta quam expositionem anima dici potest actus corporis deorganizati per ipsam animam illud constituentem viuens, & organicum, si verò ly *corporis* non totum compositum, sed materiam primam significet, dicendum est, hanc supponi organicam ad formam per deorganizationem accidentalem, quæ consistit in quantitate cum hoc temperamento qualitatum diuerso pro diuersis partibus viuentibus siue intrinsecè, siue tantùm extrinsecè heterogeneis pro diuersis partibus viuentis per ipsam animam constituendi.

8 Secundò, & præcipuè motus est Scotus argumento à posteriori sic confecto. Quando in morte animalis recedit anima, non statim introducitur alia forma: ergo necesse est materiam primam retinere residuam aliam formam, ne maneat absque omni forma: recedente animâ non introduci aliam formam, sic probat. Si introduceretur alia forma esset diuersa secundùm diuersas dispositiones, quæ succedunt dispositionibus viuentis; sed videmus non ita contingere, sed semper idem cadauer cum eisdem accidentibus permanere: ergo non introducitur alia forma statim vt decedit anima. Argumentum ad hominem in Scotum retorqueo. Scotus ipse fatetur, materiam manere cum forma corporeitatis adhuc incompletam, quia forma corporeitatis non dat materiæ esse completum, aliàs anima illi superaddita non potuisset constituere vnum per se, sed vnum per accidens, quia quidquid enti completo supperadditur, vnum per se constituere nequit, quia per accidens illi inest, & ita vnum per accidens constituere necesse est: ergo poterit dici manere adhuc absque illa forma corporeitatis absque vllo, vel saltem absque nouo inconuenienti. Probo consequentiam. Non minùs ordinatur in tua sententia ad constituendum compositum cum anima superuentura materia cum corporeitatis forma, quàm in mea sententia materia sine aliqua substantiali forma: sed in tua sententia inconueniens non est materiam cùm forma corporeitatis incompletam permanere sine alia forma, ad quam essentialiter ordinatur: ergo neque in mea sententia erit absurdum materiam nudam omni formâ substantiali incompletam permanere sine forma ad quam ordinatur. Ad argumentum Scoti respondendum est nunquam recedere animam sine noua forma cadaueris adueniente.

An verò forma cadaueris sit specialis forma, quæ semper formis viuentibus succedat, vel eadem semper in specie pro cadaueribus succedentibus viuentibus eiusdem speciei, vel an quæcumque forma, quæ viuenti succedit cadauer appelletur dum illius materia remanet cum illa figura externa, quam habebat viuens, parum ad præsentem quæstionem attinet, & vtrumque probabiliter dici potest. Affirmat Suarez num. 16. Ego probabilius censeo, formam cadaueris non esse specialem aliquam formam, sed omnem formam immediatè succedentem viuenti dici cadauericam, dum illius figuram externam materia retinet, quam habebat in viuenti. Quod si semper eadem appareat, ideo est, quia quod præcipuè sensibus sentimus in cadauere, sunt accidentia, quæ remanent ex præcedenti forma, quæ neque ab illa in conseruari dependebant, neque cum cadauerica opponuntur, & ita remanent in composito quousque ab aliquo extrinseco agente corrumpantur. Si quis defendere velit dari specialem formam cadaueris eiusdem rationis in omnibus compositis, quæ succedunt viuentibus eiusdem speciei, dicere tenetur in his omnibus occurrere semper aliqua accidentia, tum ex his, quæ remanent ex forma viuentis, tum ex aliis aduenientibus, eadem semper in omni corruptione viuentium eiusdem speciei, quæ ad specialem formam cadauericam disponunt, licet alia simul his adiungantur, quæ necessaria non sunt ad illam specialem formam introducendam, conducunt tamen ad expulsionem dispositionum formæ viuentis, & consequenter ad huius corruptionem, si corruptio viuentis ex defectu dispositionum præcisè contingat, licet ego aliter sentiam. Neque refert dispositiones semper intendere disponere ad aliam formam & non præcisè hanc corrumpere, quia bene possunt illa accidentia intendere introductionem formæ, quam non consequuntur, quia desunt alia, & deest temperamentum adæquatum formæ ad quam ordinantur, & illa sufficiunt ad expellendas dispositiones requisitas ad conseruandam formam viuentis. Iterum affero me loqui in opinione, quæ asserit formam in conseruari, dependere à dispositionibus, quod ego non sentio, & ita iuxta mea principia dicam, illa accidentia, quæ non conducunt ad introductionem nouæ formæ, quantumuis expellant dispositiones antiquæ non conducere ad illius corruptionem.

Tertiò arguit Scotus: Dici nequit corpus hominis mortui esse specie diuersum à corpore eiusdem hominis viuentis: sed necessariò dicendum est idem, non solùm in specie, sed etiam numero: ergo habet eamdem omnino formam. Non animam: ergo formam corporeitatis. Antecedens probat Scotus: si non esset idem corpus in homine mortuo, & viuo, non iacuisset in sepulchro idem corpus Christi, quod fuit in Christo viuente, quod dici nefas est. Respondeo in homine viuente & mortuo esse eamdem materiam cum eadem deorganizatione figuræ externæ, quam materiam sic organicam corpus appellamus, & ratione illius dicimus esse, idem corpus in mortuo, & viuente. Si verò sermo sit de corpore completo constituto ex materia, & forma, verum non est dicere esse idem corpus in cadauere, & in viuente, neque in hoc sensu dicitur permanere in sacrosancto Christi cadauere idem corpus, quod antè præcessit, & modò est in Christo viuente.

Quartò argumentatur: Homo est corporeus non ratione animæ rationalis, quæ est spiritualis: ergo ratione aliùs formæ corporeitatis: vulgaris solutio est, hominem esse corporeum ratione animæ rationalis, quia etiamsi sit spiritualis *vt quod*, est corporea, *vt quo*. Non teneo: Animam esse corpoream, *vt quo*, nihil aliud esse potest, quàm constituere totum corporeum; in se enim nihil habet corporeitatis formaliter, & cùm distinguas formaliter *vt quo*, nihil aliud dicis, quàm animam spiritualem esse id, quo constituitur corpus, quod aduersarij sic impugnant: Nihil spirituale potest esse constitutiuum corporei: sed anima rationalis est spiritualis, *vt quod*, quod est esse simpliciter secundùm suam entitatem & rationem intrinsecam spiritualem: ergo non potest esse corporea *vt quo*. Vrgeo, esse corpoream *vt quo*, & esse id, quo constituitur corpus, & esse constitutiuum corporis, formaliter non distinguuntur: ergo conclusionem ipsam reddis pro ratione, cùm dicis animam spiritualem *vt quod* esse constitutiuam hominis corporei, quia est corporea, *vt quo*. Recurrunt alij ad informationem, & asserunt animam rationalem constituere formaliter corpus, quia etiamsi sit forma

spiritualis, informat mediâ informatione corporeâ, & ita informat modo corporeo, & corpus constituit. Non placet solutio, quia multi censent modum vnionis subiectari in anima, & esse spiritualem, vel dari duplicem modum quemdam ex parte materiæ, & alterum ex parte animæ, & hunc esse spiritualem, & informationem animæ: quod si verum non sit, saltem non repugnat compositum ex materia & anima rationali vnitum mediâ vnione spirituali, quod non spirituale, sed corporeum diceretur, etiamsi informatio formæ spiritualis esset spiritualis.

11 Facilius respondeo, non omnia prædicata, quæ sunt in toto, formaliter participare ratione vtriusque partis, sed plurima ratione alterius tantùm, etiamsi de toto prædicentur: patet in prædicato intellectiui; dicimus enim, homo est intellectiuus, & potentia intelligendi tantùm illi formaliter competit ratione animæ, licèt totum denominet compositum. Eâdem ratione prædicatum corporei de toto homine dicitur, & totus homo dicetur corporeus, etiamsi ratione vnius tantùm partis corporeitatis rationem participiet, & non ratione alterius. Instant aduersarij. Homo est adæquatè corporeus: ergo corporeitate adæquatâ; sed materia prima est entitas inadæquata habens corporeitatem inadæquatam identificatam secum: ergo homo habet distinctam corporeitatem à corporeitate materiæ. Retorqueo argumentum: quæcumque sit illa forma, quam aduersarij inueniunt, vt compositum corporeum constituat, est entitas inadæquata: ergo illius corporeitas est inadæquata: ergo non potest constituere compositum adæquatè corporeum. Respondeo distinguendo antecedens: homo est adæquatè corporeus, quoad denominationem, id est, totus homo adæquatè sumptus, denominatur corporeus, concedo antecedens: est adæquatè corporeus secundùm totam entitatem adæquatam, quâ secundùm omne illud, quod formaliter dicit, sit corporeus, nego antecedens; quia homo formaliter dicit animâ, quæ corporea non est: deinde nego consequentiam, quia corporeitate inadæquata totum adæquatè dicitur corporeum, vel distinguo maioris claritatis gratiâ. Homo est corporeus corporeitate adæquatâ, hoc est, totâ corporeitate, quam potest includere, concedo: Corporeitate, quæ in se sit entitas adæquata nego. Eodem enim modo, quo dicitur rationalis rationalitate animæ, quæ est entitas inadæquata, & est tota rationalitas, quâ denominatur totus homo adæquatè rationalis, est corporeus corporeitate materiæ, quæ est entitas inadæquata, & totum hominem denominat corporeum, etiamsi ex duabus partibus essentialibus; quas includit vna tantùm sit corporea, & spiritualis alia.

12 Dices, homo includit essentialiter materiam, & formâ; hæc, quæ præcipua pars illius est, formaliter est spiritualis; illa, quæ est pars minùs præcipua, materialis: informatio in probabili sententia spiritualis est, ac per nos non est alia ratio propter quam homo corporeus dici debeat: ergo potiori ratione totus homo debet denominari spiritualis ratione partis formalis principalioris, quàm corporeus, ratione partis materialis minùs principalis: cur enim materialis pars totum poterit denominare corporeum, quia ipsa est corporea, & pars formalis non poterit idem totum spirituale denominare, cùm ipsa spiritualis sit, & quæ præcipuè illud constituit? Respondeo materiam vnitam animæ spirituali communicare animæ saltem extrinsecè rationem corporis, quam in se habet, animam verò non communicare materiæ adhuc extrinsecè rationem spiritualis, & ita potest denominari corporea anima in toto, cùm dicimus homo est corporeus, etiamsi ipsa anima spiritualis sit, & materia non potest adhuc in toto spiritualis denominari, nec homo absolutè spiritualis dici potest. Materiam communicare extrinsecè animæ rationem corporeitatis mediâ vnione, probo, & explico. Ratio corporis dicit impenetrabilitatem cum alio corpore à se distincto, & ratio spiritus dicit penetrabilitatem cum alio quocumque corpore, & entitate eiusdem rationis cum ipsa, vt probabo latè Controuers. 1. de anima, Puncto 5. sed materia eo ipso, quod vniatur animæ mediâ vnione, illam constituit extrinsecè impenetrabilem cum alio corpore distincto ab illo, cui vnitur, quia anima Petri dum est vnita illius materiæ non potest penetrari cum ligno: ergo materia aliquo modo communicat rationem corporis, quam habet, animæ, quam impenetrabilem constituit cum alio corpore, & cum alia anima vnita alij materiæ. Anima verò etiamsi materiæ vniatur, non illam constituit penetrabilem cum aliqua entitate, cum qua antea non posset penetrari, & ita neque extrinsecè illam penetrabilem constituit, neque illi rationem spiritualitatis communicat.

Vltimò arguit Henr. Animata dicuntur constare corpore, & animâ, inanimata non dicuntur constare corpore, & formâ: ergo in animatis datur aliqua forma corporeitatis afficiens materiam ab anima distincta, quæ non datur in inanimitatis, quæ non dicuntur constare corpore non includente animam. Respondeo animata dici constare corpore, & animâ, quia constant materiâ organicâ per temperamentum heterogeneum qualitatum, quæ materia, ita dispositâ dicitur corpus, ad distinctionem materiæ non organicæ: inanimata non dicuntur constare corpore & formâ, idem enim sonat in viuentibus, constare corpore, & animâ, ac constare materiâ organicâ & formâ. 13

§. III.

Reijcitur multiplicitas formarum in viuentibus, & vera statuitur sententia.

LEui operâ potuimus destruere fundamenta omnia, quibus forma corporeitatis à suis patronis propugnabatur, sed neque hac indigebimus, vt nos expediamus à sententia, quæ secundùm gradus diuersos viuentis distinctas formas constituebat; nullum est enim neque leue argumentum, præter illud quod adducit Ocham quodlibeto 2. quæst. 10. petitum ex diuersitate, & oppositione operationum quod nullius esse momenti clarè constabit. Accedunt rationes aliæ, quæ difficiliorem reddunt hanc formarum multiplicitatem in animatis, quæ iam expendo. 14

In equo forma vegetatiua, non est realiter ratio aliqua communis, sed contracta ad certam & determinatam speciem; ergo contrahitur per differentiam specificam secum identificatam. Antecedens neque illatio aliquâ indigent confirmatione; procedit argumentum. Ratio specifica contrahens animam vegetatiuam equi, vel dicit rationem animæ sensitiuæ, vel clauditur intra rationem vegetatiuæ, sicuti ratio animæ vegetatiuæ, quæ est in arbore, si contrahitur per rationem animæ sensitiuæ, eadem forma vegetatiua realiter erit sensitiua, quia ratio, quæ contrahitur, & ratio contrahens realiter sunt idem. Si contrahitur intra rationem animæ vegetatiuæ: ergo sicuti materia arboris est sufficienter informata formâ arboris, quæ tantùm est vegetatiua, & cum illa constituit totum compositum adæquatum, ita materia, quæ est sub forma equi, erit sufficienter informata per animam vegetatiuam, seu per formam, quæ est principium vegetandi, & cum illa totum adæquatum constituet; ergo non poterit postea informari formâ sensitiuâ, vel si illâ informetur, hæc supponet iam totum vegetatiuum simile arbori iam adæquatè constitutum, & ita non poterit vnum per se constituere, quia forma quæ superuenit toti adæquato non potest cum illo vnum per se, sed vnum per accidens constituere. Idem dico de forma rationali superuenienti composito sensitiuo. Rursus à posteriori probatur in homine idem principium indiuisibile concurrere ad operationes vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi, & consequenter per eamdem formam constitui vegetatiuum, sensitiuum, & rationalem. Ex nimia attentione intellectiuæ animæ impeditur operatio sensitiuæ, & nutritiuæ: ergo hæ operationes proueniunt ab eodem principio, ergo ab eadem anima: patet consequentia. Ex eo quod hoc principium intentum sit in sua operatione exercenda, nullum habet impedimentum ad operandum principium aliud ab hoc distinctum: ergo quando virtus operatiua huius actionis impeditur alia actione, ambæ ab eadem virtute indiuisibili proueniunt. 15

Vltimò in homine non dari animam sensitiuam à rationali distinctam, ab inconuenienti Theologico probatur: quia, si in Christo fuit duplex anima sensitiua, & rationalis, dum rationalis amisit vnionem cum corpore in triduo mortis, sensitiua vel permansit vnita materiæ, vel fuit corrupta, vel simul fuit separata cùm rationali: dicere permansisse vnitam materiæ, hæreticum est, quia sequeretur Christum non fuisse mortuum, siquidem illius corpus permansisset cum anima sensitiua: dicere fuisse corruptam, 16

tutum

tutum non est, quia sequeretur in morte Christi Verbum reliquisse aliquam partem essentialem Christi, cui principaliter primò & per se fuerat vnitum. Si dicatur permansisse separatam miraculum inauditum fingitur, scilicet materialem formam absque subiecto fuisse conseruatam, & in re grauissima absque fundamento contra sententiam Patrum, dicitur duas Christi animas in triduo esse separatas. Hanc multiplicitatem animarum in Christo esse contra Patrum sententiam, & sensum Ecclesiæ constabit ex testimoniis quæ iam subiicio. S. Augustinus lib. 83. quæstionum, inuert contra Apollinarem ipsum asserentem Verbum assumpsisse animam sensitiuam sine naturali dixisse re ipsa Verbum assumpsisse quandam buellam: ergo sentit animam sensitiuam distinctam à rationali simul cum materia belluam constituere: ergo ex mente Augustini non potest anima rationalis cum alia sensitiua distincta belluam constituente, hominem constituere, quia ex bellua, & rationali anima non potest constitui totum simpliciter & per se: quod est homo. Vltimò constat hæc veritas ex Synodo Constantinopolitana IV. can. 11. vbi sic scribitur: *Apparet quosdam in tantum impietatis venisse, vt homines duas animas habere dogmatizent: talis igitur impietatis inuentores, & similia sapientes, cùm Vetus, & nouum Testamentum, omnésque Patres vnam animam rationalem hominem habere asserant, Sancta & vniuersalis Synodus anathematizat.* Et in lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, eadem veritas iam vt dogma Catholicum traditur, verbis adeò expressis, vt nullam possint pati interpretationē de duabus animis rationalibus; sic habentur cap. 5. *Neque duas animas esse dicimus in vno homine sicut Iacobus & alij Sanctorum scribunt; vnam animalem, quo animetur corpus, & immixta sit sanguini, & alteram spiritualem, quæ rationem ministret, sed dicimus vnam esse, eámque animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat.* Non aliis clarioribus verbis poterat singularitas animæ in homine exprimi.

17 Obiicit Ocham: Caro concupiscit aduersum spiritum, & spiritus aduersus carnem: ergo est diuersa anima, quæ elicit operationes carnis ab illa, quæ elicit operationes spiritus. Si hæc diuersitas operationum diuersa argueret principia, sufficeret diuersas potentias constituere radicatas in eadem anima, sine animarum multiplicitate. Nego has operationes diuersas arguere diuersa principia vitalia, & affirmo has diuersas concupiscentias oriri ab eadem anima. Concupiscentia carnis seu actus appetitus sensitiui, qui feruntur in obiecta delectabilia, quæ vt plurimum sunt contra rectam rationem, nascuntur ab anima inclinata ad illum per sensationem externam, quæ percipit obiectum delectabile, quod primò tetigit sensus externus, quo allicitur appetitus, & illi blanditur sensus internus, vt in illud obiectum feratur. Eadémque anima præuenta cognitione spirituali, & auxiliis diuinæ gratiæ fertur appetitu rationali, in obiecta rationi conformia, quæ vt plurimùm sunt oppositа illis, in quæ ferebatur sensitiuus appetitus ex vi sensationum, quæ delectabilitatem obiecti proponebant. Insuper hos motus appetitus sensitiui, & rationalis prouenire ab eodem principio probatur, quia si in obiecta diuersa ferantur, alter ab altero retardatur, si verò in obiecto consentiant, vterque fit faciliùs & promptiùs. Concludo ex his in compositis, quæ de facto dantur, dari vnicam formam simplicem cum qua simul cum materia adæquatè totum constituitur, & nullo probabili fundamento posse multiplicitatem formarum substantialium inadæquatarum in eodem assignari composito.

§. IV.

An possit dari compositum cui naturaliter duplex forma contingat.

18 Hæreo semper in his quæstionibus, quæ de possibili, & de potentia Dei absoluta procedunt, in quibus vt plurimùm vix apparet principium aliquod ex quo possimus certam conclusionem deducere. Non disputo an possit materia duplicem recipere formam quamlibet ex se adæquatam ad suum totum componendum, cum quibus duo tota adæquata constituat, distincta: tamen inadæquatè tantùm, quia vna est vtrique communis materia, sed an idem totum possit constare duplici formâ inadæquatâ, quarum quælibet seorsim sumpta non possit totum adæquatum constituere, vtraque tamen illud constituat per vnionem ad eamdem indiuisibilem materiam.

Possunt hæ formæ ordinatæ ad constituendum idem 19
compositum cum eadem materia constitui inuicem inter se connexæ, ita vt vna non possit saltem naturaliter separari ab alia, ita tamen, vt neutra supponat alteram priùs informantem materiam, neque ab illa oriatur, sed vtraque simul materiam respiciant, absque vllo prioritatis ordine inter vtriusque informationem. Hæc mutua formarum connexio potest oriri ex eo, quod vtraque indiuisibiliter sit principium earundem operationum, ita vt neutra aliquid producat in composito sine alterius consortio, neque detur aliqua operatio, seu aliqua passio, quæ indiuisibiliter non procedat ab vtráque. Si hac ratione duplex hæc inadæquata forma constituatur, existimo absque vlla difficultate posse defendi, non enim repugnat dari duo principia inadæquata earundem passionum, & operationum, neque potest excogitari ratio proter quam hæc duo principia non possint esse partes formales compositi, quarum neutra possit dici forma adæquata, quia nullam passionem adæquatè producit, neque est principium adæquatum alicuius operationis exercitæ in composito.

Alio modo poterunt excogitari hæ formæ inter se con- 20
nexæ, & neutra supponens alteram priorem naturâ, quælibet tamen habens principium distinctarum operationum, quarum operationes productæ ab vtraque forma dicentur operationes adæquatæ compositi constituti per vtramque formam, & operationes cuiuscumque formæ seorsim sumptæ inadæquatæ dicentur respectu compositi. In his formis inadæquatis sic constitutis primum mihi difficile est, ex quo capite possent inter se illam connexionem habere, siquidē illarum quælibet posset esse principium suarum operationum absque vllo alterius concursu, & neutra supponeret informationem alterius, neque alterâ indigeret ad aliquam operationem. Dices, formas has mutuò esse sibi conditiones comitantes ad existendum. Contrà: hæ formæ non sunt extrema relatiua prædicamentalia, quorum vnum non potest esse sine alio, neque sunt sibi inuicem modi? ergo nullum est caput, ex quo talem mutuam dependentiam in se habeant. Secundò mihi difficile est his admissis formis, cur illarum quælibet non possit dici forma adæquata constituens compositum adæquatum, inseparabile ab alio adæquato composito, quod cum eádem materiâ alia forma constitueret, cùm enim quælibet forma sit principium operationum distinctarum, operationes illæ dici possent adæquatæ compositi constituti per illam formam, & aliæ operationes ortæ ab alia forma essent similiter operationes adæquatæ aliùs compositi constituti per aliam formam. Neque ex eo quod eamdem materiam respiciant inadæquatæ dici debent, quia adæquatio formarum non ex materia, sed ex ipsis formis desumenda est, neque repugnant duæ formæ adæquatè respicientes eamdem numero materiam, neque duo tota inadæquatè distincta, quorum materia eadem esse debeat propter connexionem formarum. Quod si dicas duo inter se non posse connecti, neque eamdem exigere materiam, mihi facilè persuadeo, quia difficilè excogitatur talis connexio inter duas formas, quarum quælibet est adæquatum principium diuersarum operationum, vt suprà expendebam, hac tamen admissa formarum connexione, facilè connexio totorum percipitur, quæ tantùm datur ratione formarum, neque aliquid aliud importat totorum connexio præter connexionem formarum in ordine ad eamdem materiam.

Denique quis poterat has formas meditari cum subor- 21
dinatione vnius ad aliam, ita vt vnius informatio supponeret alterius informationem? Hac ratione non potest vtraque esse forma substantialis. Ratio à priori est: forma substantialis debet esse actus primus subiecti, & id, à quo primo dimanant operationes: ergo forma illa, quæ supponit alium actum primum in subiecto non potest esse substantialis: ergo si forma illa, quæ suponitur ex parte subiecti prior alterâ sit substantialis, posterior aduenies non erit substantialis, neque primus actus, sed secundus, ac proinde accidentalis. Deinde forma substantialis, quæ prior supponitur ex parte subiecti connexionem habet cum posteriori: ergo posterior oritur à priori, quam suponit: ergo prior est radix posterioris, & omnium operationū, quæ ab vtraque oriūtur, & non posterior, quæ tantùm se habebit

habebit vt complementum prioris, & potentia illius, & non poterit esse prima radix omnium operetionum, quæ sunt in composito, cùm potiùs ipsa sit radicata in alia forma. Non vltrà progredior, nullum enim principium solidum inuenio, in quo firmiter pedem figere possim.

PVNCTVM III.

Essentia formæ metaphysicè sumptæ explicatur.

1 DIfficultatem penè exhausi Controuers. 2. Punct. 3. vbi conceptum quidditatiuũ materiæ vt distinctæ à forma explicui: & dum rationem assignaui propter quam materia à forma distinguitur, simul explicaui rationem specialem formæ, propter quam differt à materia. Rationalis forma materiæ vnitur, & ex illa non educitur, neque dependet secundùm suam existentiam, postquam semel est creata; reliquæ formæ materiales, vt tradam Puncto sequenti, non tantùm materiæ vniuntur, sed etiam educuntur ex illa; itaque sunt vnibiles, & educibiles, & vtraque potentia per suammet entitatem illis conuenit, quia nulla forma terminat vnionem ad materiam, neque eductionem ex illa mediâ aliâ entitate, sed per se ipsam. Inquiro modò in quo consistat cõceptus quidditatiuus formæ substantialis provt abstrahit ab hac, & illa forma in particulari, & conuenit omnibus formis substantialibus, etiam possibilibus.

2 Non esse de ratione formæ esse educibilé extra disputationem esto. Quia anima rationalis educibilis non est, & tamen habet propriam rationem formæ, vt definitum est in Concil. Viennensi sub Clem. V. in Clement. vnica, §. *Porrò*, de summa Trinit. Formam substantialem actum potentiæ sæpè appellat Philosophus, & animam quatenus forma est per actum definit lib. 2. de Anima: *Anima est actus corporis*, &c. existimant multi formam dici actum, quia per illam determinatur indifferentia materiæ ad hoc, vel illud totum componendum; ego verò differentiam hanc à conceptu quidditatiuo materiæ relegaui Controuers. 2. Punct. 3. ac proinde non possum determinationem hanc ex parte formæ inter illius quidditatiuos conceptus annumerare. Formam per proprios, & quidditatiuos conceptus sic definio: *Substantia incompleta, quæ per modum perficientis componit totum.* Alio modo, *pars essentialis compositi, quæ terminat vnionem ad aliam compartem perfectibilem per modum perficientis.* Ratio partis essentiatis, seu substantiæ incompletæ aptæ totum cõponere, cõmunis est materiæ, & formæ; differt forma à materia per rationẽ perficientis, seu perfectionis quã habet respectu materiæ. Definitionẽ hanc valde consonam esse existimo, his quæ Aristoteles de forma semper docuit, vbique enim illam actum appellat, & hanc rationem actus perfectionem vocat, ita expresè lib. 2. de anima cap. 1. text. 2. *est autem materia* (verba sunt Philosophi) *quædam potentia, forma verò actus, atque perfectio materiæ.* En conceptum quidditatiuũ formæ explicat Aristoteles per rationẽ actus, atque perfectionis, quam non distinguit, quia actus quatenus est potentiæ actus, illius est perfectio. Neque desiderabis explicationem rationis perfectionis in qua constitui vltimam formæ differentiam, si attentè legeris Punctum tertium citatum, vbi abundè satis explicui, quomodo materia sit perfectibilis per formam, & quomodo forma sit perfectio materiæ: & iterum hæc formæ definitio, quæ cum præcedentibus coincidit, explicabit: *pars essentialis compositi, quæ perfectiora prædicata alteri comparti in toto communicat, quàm ipsa ab illa in eodem toto percipiat.* Differunt formæ inter se per diuersas actuationes, & diuersa prædicata, quibus materiam perficiunt, quatenus hæc terminant vnionem ad materiam, mediâ quâ materiam perficiunt, & per diuersum modum terminandi, quem habent ex parte sui secundùm diuersa prædicata terminatiua vnionis, & à posteriori per diuersas vniones, quas terminant. Neque ad conceptum quidditatiuum huius formæ in specie pertinet ordo ad eductionem ex potentia materiæ, sicuti neque ad conceptum quidditatiuum attinet potentia, quam habet materia, vt ex illa educantur formæ, sed tantùm terminabilitatem vnionis, quæ dicit ex parte extremi omnia prædicata materiæ, quatenus possunt vnionem terminare connotando tantùm vnionem, non verò alias actiones, seu passiones, quas possint terminare.

Inquiri solet; an forma sit tota quidditas compositi. Respondeo negatiuè, quia compositum præter formam in- 3
cludit materiam tanquam partem essentialem, ex qua componitur, quâ deficiente, totum deficit. Occurrunt nonnulli: homo vi caloris amittit partes materiæ, quas modò habet, & acquirit alias: ergo potest contingere, vt post multos annos nihil remaneat materiæ in homine ex ea, quæ modò est: ergo si tota quidditas compositi non sita est in forma, sed etiam in materia non erit idem homo quadraginta annis elapsis, qui fuerat ante illos. Idem argumentum fieri potest in reliquis viuentibus præter hominem, etiam de formis ipsis, quarum diuersę partes acquiruntur, & deperduntur per diminutiouem, & augmẽtationem viuentium. Respondeo hominem plures materiæ partes amittere, & plures acquirere, an verò possit perdere omnes, quas acquisiuit in prima generatione incertum est, sed quidquid sit de hoc. Dico esse eumdem hominem secundùm animam, & secundùm se totum dici eumdem moraliter, etiamsi physicè indiuisibiliter non sit idem, sicut dicitur idem fluuius hodie, ac heri, etiamsi omnes partes aquæ, quas heri habebat, iam amiserit, & alias acquisiuit.

Obiicies: Fidem docere resurrecturum esse eundem 4
hominem, & non esse eumdem simpliciter, qui non est idem physicè, sed tantùm moraliter. Respondeo resurrecturum eundem hominem physicè secundùm formam, & secundùm plures materiæ partes, non verò resurrecturum secundùm omnes partes materiæ, quas habuit, si enim omnes quas vi caloris naturalis amisit, iterum resumeret, ad instar monstrosi gigantis quilibet resurgeret. Resurget ergo secundùm illas partes, quas habebat in instanti mortis, quod si oportuerit sub pluribus resurgere, illis adjungentur aliæ, ex his, quas vi caloris amiserat; quod si contingat duplicem hominem sub eadem parte materiæ animam agere, Deus eodem modo, vel ex alia materia in altero defectum illius partis supplebit.

Desiderabis scire conceptum communem formæ sub- 5
stantialis, & accidentalis. Respondeo vtramque esse perfectionem subiecti, forma substantialis modo suprà explicato, accidentalis forma, quia ex sua natura ordinatur ad perficiendum subiectum, quod afficit, & ex se ad subiectum perficiendum ordinatur, & est propter illud, quapropter illius perfectio iure dicitur, etiamsi secundùm suam entitatem accidentalis forma imperfectior sit substantiali subiecto.

Ostendi Controuersia 2. Punct. 3. in fine quàm jejunè 6
Recentior Complutensis intenderit impugnare conceptum quidditatiuum materiæ primæ à me designatum, hic etiam contra conceptum formæ à me præscriptum nonnulla adducit, eò meliora, quò pauciora. Asserit me, suppresso nomine impugnare sententiam S. Thomæ, dum rejicio sententiam asserentem conceptum quidditatiuum formæ consistere, in eo, quod determinet essentiam materiæ. Sed probat ex eo quòd S. Thomas hæc habet 1. p. q. 44. art. 1. Sed considerandum, quòd materia per formam contrahitur ad determinatam speciem, sicuti substantia alicuius speciei per accidens & aduenies contrahitur ad terminatum modum essendi, vt homo contrahitur per album. Hæc S. Thomas, quæ ego libentissimè admitto. Sed in his neque à longè insinuat in hac ratione determinandi consistere conceptum quidditatiuum formæ, neque id omni formæ possibili respectu omnium materiarum possibilium, sed his speciebus formarum existentiam respectu huius materiæ.

Accusat me Recentior iste pro libito fingere definitio- 7
nem. Obiectio ista aditum præcludit omnibus quæstionibus, in quibus agitur de essentiis, & quidditatibus, & conceptibus formalibus rerum; quis enim conceptum formalem essentiæ alicuius rei designat illam definit, non enim clarior explicatio alicuius dari potest, quàm expositio conceptus sui formalis. Respondeo igitur me in hac quæstione explicasse definitionem formæ à Philosopho traditam clarioribus, & expressioribus conceptibus formalibus exprimentibus eundem conceptum obiectiuum.

Concedit hic Author formam dicere conceptum perfi- 8
ficiendi materiam, dicit tamen hoc nasci ex eo quòd sit actus dans speciem. Si inter hoc, quod est perficere materiam, & dare speciem formalis distinctio inuenienda esset, priùs deberet in forma agnosci hoc quod est materiam perficere, quàm dare speciem, quia forma non dat

speciem

speciem materiæ, hoc enim eiusdem speciei est in quolibet composito, sed totum, quod competit, ideò enim constituit hoc totum, quia materiam informat, & actuat, qua hoc totum constituit.

PVNCTVM IV.

Quomodo formæ præexistant in potentia materiæ.

1 CErtum est rationalem animum non educi, sed creari, & independenter à materia conseruari: de reliquis formis materialibus procedit difficultas, quomodo educantur ex potentia materiæ, & quam dependentiam habeant ab illa.

2 Ex antiquis Philosophis multi percipere non valebant, quomodo formæ possent præexistere in potentia materiæ, & educi ex illa, si in eadem non præcessissent, quia ex nihilo, nihil fit: ergo si nihil formæ præcessit, fit ex nihilo, quod fieri nequit ab agenti naturali. Propter rationem aliqui quos videre potes apud Suarez in Metaphysic. disput. 17. sect. 2. negarunt dari formas substantiales. Contra hos idem argumentum fit de formis accidentalibus, quod illi de substantialibus conficiebant. Ideò illos refert Suarez asserentes nullam dari mutationem in rebus substantialibus, sed omnes formas esse sub materia à creatione illius, & tunc existere hominem, quando in materia apparet forma hominis, & tunc equum quando in eadem materia apparet equi forma, & sic de aliis. Non explicarunt authores huius delirij, quid sit apparere modò in materia, in qua sunt omnes formæ, formam hominis, & non apparere aliam formam, neque aliquis explicabit, quomodo incipiat apparere forma, quæ antea erat occulta: quis eam vocat, vt nunc appareat, vel quis formam equi excitat, vt reliquis dormientibus, ipsa vigilet, & equum constituat? Vltrà: esse equum nihil aliud est quàm esse materiam, formam, & vnionem equi, sed totum hoc est ante apparentiam, quia per hanc nihil equi incipit esse, sed tantùm apparere secundùm hos Philosophos: ergo quacumque materia existente, in qua sunt omnes formæ, existunt omnia composita, etiamsi non appareant, quia apparentia non est ratio formalis, neque pars essentialis compositi. Rursus de eadem apparentia idem argumentum conficio, quod Philosophi de formis. Apparentia, quæ incipit, quando incipit existere compositum, cuius forma apparet, non præcesserat saltem sub illo modo: ergo incipit esse: ergo tunc primò producitur: ergo ex nihilo, quia nihil illius præcesserat.

3 Alij ex eisdem Philosophis apud eumdem Suarez ibidem asserebant formas præcessisse in materia non secundùm se totas, sed secundùm aliquid sui, & hac ratione formas non fieri ex nihilo sed ex parte ipsarum in materia præcedenti. Contra hos sic fit argumentum. Pars illa formæ, quæ denuo fit distinguitur realiter ab illa, quæ in materia præexistebat; ergo fit ex nihilo, etiamsi pars alia præcesserit. Alij apud eumdem Suarez num. 9. minùs aberrarunt asserentes omnes formas materiales creari, contra quos agam, dum communem, verámque sententiam statuam.

4 Horum omnium Philosophorum vnum est fundamentum, videlicet non posse generari formas, quæ in materia non præcesserunt, quia ex nihilo nihil fit. Et ita omnibus eadem ratione satisfacio. Creatio est productio rei ex nihilo, hoc est, ex nullo præsupposito subiecto: nõ ex nihilo rei creatæ, quod latiùs explicabo Contr. 13. Punct. 1. ac proinde etiamsi formæ substantiales fiant ex nihilo sui seu ex nihilo suarum entitatum præsupposito, nõ creantur si fiant ex præsuppositio subiecto, ex cuius potentia educantur tanquam ex causa materiali, in qua non formaliter, sed eminenter tanquam effectus in causa, & virtute continebantur.

5 Agendum est modò cum aliquibus recentioribus, quorum satis probasse putant, dum euidenti demonstratione non conuincuntur, quasi difficile esset ingenioso viro in re purè Philosophicâ, in qua si neget principia ab omnibus Philosophis admissa, non hæresis argui poterit, quodcumque delirium ita defendere, vt nunquam ad angustias conclusionis demonstratiuæ ex principiis concessis trahi possit. Horum aliqui cùm non auderent asserere formas materiales creari, defendunt nullâ ratione oppositum posse probari.

6 Longè difficilius est opinatus Arriaga, qui docet formas materiales dependere à materia, & non creari, & licet hanc negatiuam partem non expressè tradat dum agit de dependentia formarum materialium à materia, eam apertè defendit, dum disputat. 3. sectione 4. postquam probauerat formas materiales dependere à materia, docet num. 33. formas cælorum potuisse à Deo creari, verùm cùm illæ omnes dependentes sint à materia fundamentum non esse, vt dicamus intercessisse hoc miraculum in productione formæ cœlestis. His admissis ab Arriaga cum communi sententia, aliam quæstionem mouet disputat. 8. sectione 1. num. 3. an videlicet causa materialis sit vera causa, & exerceat aliquam causalitatem cum forma: cui quæstioni affirmatiuè respondet, asserit tamen ita concludere propter communem sententiam, licet videatur, absque vllo fundamento nos finxisse hoc genus causæ materialis, quia ex eo quod forma dependeat à materia non infertur materiam esse causam illius, quia anima rationalis in primo instanti creationis dependet à materia, & tamen rationalis animæ materia causa non est. Clarius suam sententiam explicat Arriaga ibidem dum pro illa refert Patrem Lessium lib. 3. de summo bono, à num. 49. satis fusè quæstionem hanc disputantem, vbi in negantem partem inclinat, illámque defendit ratione ab Arriaga adductâ: sine hac dependentia, & vero influxu formarum à subiecto potest assignari distinctio inter generationem, & creationem, ex eo præcisè quod illa res creari dicatur, quæ neque vt à conditione, neque alio modo dependeat à subiecto, & illa generari dicatur, quæ à subiecto saltem vt à conditione, vel à posteriori dependet, etiamsi ab eo non causetur: ergo nulla est necessitas confingendi veram causalitatem inter formam genitam, & subiectum. Eisdem ferè verbis Lessium refert Arriaga pro sua sententia quam postea infirmare intendit. Ex quo infertur Arriagam certò existimasse formas materiales non creari, dubitare tamen an dependeant à subiecto per veram dependentiam, & causalitatem.

7 Contra sententiam Lessij & Arriagæ sic argumentor: Vt res creetur secundùm hos authores, necessum est, vt non dependeat in fieri, aut in conseruari ab alia, etiam à posteriori, & tanquam conditione: sed anima rationalis, vt fatetur Arriaga, dependet in fieri à materia tanquam à conditione, sine qua non produceretur: ergo generatur, & non creatur. Deinde ipse Arriaga fatetur modum vnionis posse creari, & tamen non potest adhuc de potentia Dei absoluta non dependere ab vtroque extremo: ergo ad creationem non requiritur omnimoda independentia ab alio, nec sufficit quæcumque independentia, sed requiritur independentia tanquam à subiecto, seu causa materiali. Aliud exemplum quod adducit Arriaga de actione creatiua dependenti à termino, à quo non causatur, probat posse esse dependentiam immediatam sine causalitate interiectâ, quod libenter in actione concedo, non tamen probat hanc dependentiam sufficere ad generationem, quia in sententia asserente, Angelum non esse causam materialem actionis, per quam producitur: dicendum est ipsam actionem per se ipsam creari; & nullo modo generari. Rursus communis sententia docet materiam primam dependere à posteriori à forma, & non posse esse naturaliter sine illa, nihilominus materia prima in omnium sententia creatur; ergo ad creationem nihil refert dependentia à posteriori. Video hac ratione non vrgeri Arriagam quia ipse defendit dependentiam materiæ à forma propter communem sententiam, & eodem modo asserit materiam esse veram causam, & requiri verum influxum causæ materialis ad generationem, licet ipse propendeat in sententiam negantem hunc influxum, sicuti in sententiam negantem dependentiam materiæ à forma. Cæterùm rationes suprà factas existimo manifestè conuincere non sufficere ad generationem quamcumque dependentiam, sed requiri dependentiam per veram causalitatem materialis causæ, & non requiriri terminum creatum esse independentem ab omni alio, vt cum Lessio docet Arriaga, quapropter si nulla esset ratio, quæ probaret materiam primam esse veram causam, nulla nobis suppeteret ad probandum formas materiales non creari, imò consequentiam hanc legi-

timam esse censeo: Hæc entitas non dependet à causa materiali per verum influxum : ergo creatur.

8 Audiui recentiores qui Lessij sententiam defendebant, asserentes ad generationem non requiri verum influxum subiecti in terminum productum, neque veram, & propriam causalitatem, non tamen sufficere quamcumque dependentiam, sed dependentiam ab aliquo tanquam à subiecto, & causâ materiali licet impropriè causa, & hac ratione posse creari modum vnionis, quia licèt non possit non dependere à materia, quam vnit, potest non dependere ab illa tanquam à subiecto: eademque ratione creari animum rationalem, etsi in primo instanti creationis dependeat à materia, sine qua non produceretur, quia non dependet ab illa tanquam à subiecto, & à causa materiali: Contrà: dependentia, quam tu assignas generationis modi vnionis tanquam à subiecto tantùm dicit, non posse esse illam actionem, quam tu vocas generationem sine subiecto, sed idem habebit quæcumque alia actio, quam creationem eiusdem vnionis appelles : ergo creatio & generatio vnionis ex nullo capite poterunt differre, si enim dicas generationem modi vnionis dependere à materia tanquam à vera causa, & creationem modi vnionis tantùm dependere à materia, quatenus illius terminus est modus talis materiæ; Vrgeo: terminum genitum dependere ab hac entitate tanquam à subiecto, & causa materiali, in tua sententia nullam dicit causalitatem inter subiectum, & terminum productum, sed tantùm hunc non posse sine illo, sed hoc est commune omni dependentiæ: ergo non potest explicari seclusâ verâ dependentiâ, quid sit dependere ab aliquo tanquam à subiecto, seu à causa materiali modo requisito ad generationem, neque potest mente concipi quid sit dependere ab aliquo tanquam à subiecto materiali, & quid dependere ab eadem entitate, non tanquam à causa materiali, si dependentiam effectus à causa materiali nõ cõstituimus in vero influxu, & propriissima causalitate.

9 Venio ad sententiam recentiorum asserentium probari non posse formas materiales educi ex materia, & non creari. Certum est apud omnes formas materiales dependere à materia, quod prædicti recentiores admittunt, & probo ex differentia inter animam rationalem, & reliquas formas viuentium, hæ enim sunt corruptibiles, illa verò incorruptibilis, & æterna: si verò formæ materiales à materia non dependerent, etiamsi à subiecto expellerentur; permanerent separatæ sicut permanet rationalis anima, sed eo ipso quod expellantur corrumpuntur; ergo dependebant à subiecto. Minorem probo. Si formæ materiales absque subiecto conseruarentur, producerent suas passiones, & plures effectus, quos sensibus possemus percipere, videlicet calorem, & lucem : sed hæc accidentia non producuntur nisi quando forma est in subiecto ; ergo non conseruantur extra illud. Neque potest dici formam ignis separatam à subiecto non posse producere calorem, & lucem, quia si secundùm suum esse non dependeret à subiecto, neque secundùm suas operationes dependeret, sicut anima rationalis, quæ intelligit, & discurrit, & producit suas passiones, seu conseruat suas passiones in statu separationis. Ex hac dependentia, quam habent formæ materiales à subiecto, infero ego esse dependentiam tanquam à vera causa materiali per veram generationem. Negant consequentiam recentiores asserentes hanc dependentiam non esse tanquam à vera causa, sed tanquam à conditione : Contra quos sic insurgo: Forma materialis dependet à materia non à posteriori, non tanquam modus à re, non tanquam à conditione: ergo tanquam à vera causa: non dependere à posteriori tanquam ab effectu patet, quia materia non est effectus formæ ; non dependere tanquam modum à re certum est, quia forma saltem de potentia Dei absoluta potest separari à materia; non dependere tanquam à conditione sic probo. Materia prima non est conditio disponens ad existentiam formæ, vt patet; non est approximatio subiecti ad passum, quia approximatio est præsentia distincta à materia; deinde, quia in his, in quibus requiritur approximatio, aliunde supponitur dependentia, neque modus alicuius conditionis apparet, quem possit exhibere materia in productione formæ materialis: ergo non dependet forma materialis à subiecto, tanquam à conditione : ergo non restat alia dependentia, quam habeat talis forma à subiecto, nisi dependentia effectus à causa per veram causalitatem.

10 Dices formas materiales dependere à materia eo modo quo de facto materia dependet in conseruari à forma, sine qua naturaliter existere non potest. Præclusi hoc effugium Controuers. 2. Punct. 7. vbi probaui materiam primam non dependere à forma adhuc à posteriori. Respondeo tamen in gratiam communis sententiæ materiam primam dependere à forma à posteriori tanquam ab effectu, & tanquam potentia ab actu, & perfectibile, à perficienti, quam dependentiam non potest habere forma à materia, quia materia non est effectus formæ, neque est de ratione actus informantis dependere à potentia, neque huiusmodi perfectionis dependere à perfectibili, vt patet in animo rationali, quia est actus materiæ, illiúsque perfectio, & tamen à materia non dependet.

Assero cum communi sententia rectè concludi ex dependentia formarum materialium tanquam à materia dependere ab hac tanquam à causa materiali, quia non inuenitur aliud genus causæ, neque alius modus dependendi, quo possit dependere. Quod si cum Recentioribus putas posse inueniri aliam dependentiam à subiecto, non tanquã à vera causa, quam censet Arriaga sufficere ad generationem, & hi recentiores non sufficere, sed rectè cum creatione componi, assigna, quæ sit huius dependentiæ natura, atque conditio, quod si nullus talem hunc vsque modum agnouit, præter hos paucos, qui illum defendendum suscepere, neque libido illum defendendi, non solùm illius naturam nondum est assequuta, verùm etiam neque illi nomen inuenit, cur dicendum est formas materiales dependere à subiecto, & non aliquo modo ex his, quos huc vsque Philosophia nouit, & recurrendum ad hunc modum incognitum, absque vlla ratione, & fundamento? Addo hunc dicendi modum non adeò consonum esse ad defendendam animi rationalis immortalitatem, quia si semel conceditur formas materiales creari, & esse corruptibilis, saltem destruimus fundamentum desumptum ex creatione animæ ad illius immortalitatem inferendam, & nõnulla aperitur via, vt quis ex immortalitate animæ rationalis intendat probare reliquas brutorum animas esse immortales, quia creantur sicuti rationalis anima; vel vt ex natura corruptibili reliquarum formarum materialium non obstãte creatione ipsarum inferat aliquis, animam rationalem esse corruptibilem, quæ illationes etiamsi bonæ non sint nonnullã habent speciem, quapropter vt illas fugiamus; consultius nobis est asserere tanquam certum omnes formas materiales generari, & dependere à materia tanquam à vera causa, & vnam animam rationalem creari, & esse omnino independentem à subiecto quod informat. 11

Obicies fieri non posse materiam primam adeò imperfectam in se eminenter continere, tanquam in vera causa formas omnes materiales, longè perfectiores illã: ergo non possunt ab illa tanquam à vera causa dependere : Antecedens probatur: principium effectiuũ adæquatum debet esse saltem æquè perfectum cum effectu: ergo principium passiuum, si verè, & propriè principium esset, deberet eamdé perfectionis proportionem seruare cum effectu. Hoc argumentum æquè fauet sententiæ in quam propendet Arriaga & sententiæ recentiorum, quam retuli, vtraque enim negat subiecto veram causalitatem respectu formarum, licèt sententia, cui patrocinatur Artiaga asserat deficiente verâ causalitate ex parte materiæ in formas, has verè generari ratione dependentiæ impropriæ, & recentiorum sententia sine propria dependentia generationem non agnoscat, & consequenter dicat, formas materiales dependẽtes à materia non per veram causalitatem propriæ causæ, non generari, sed creari. Respondeo negando primum antecedens. Ad confirmationem dico principium effectiuum debere habere æqualem perfectionem cum effectu, passiuum verò non debere hanc perfectionis æqualitatem retinere. Ratio disparitatis inter vtrumque sumenda est ex diuerso modo, quem habent hæc principia influendi in effectus, actiuum enim longè excellentiori modo influit quàm passiuum: hoc enim tantùm influit recipiendo effectum, ab illo autem totus exit effectus. 12

CONTROVERSIA IV.

De vnione inter materiam, & formam.

AD perfectam cognitionem extremorum cognitio vnionis inter ipsa media, quæ totum conficiunt, maximoperè spectat, quæ se tenet ex parte vtriusque

vtriusque principij materiæ videlicet, & formæ, & principium, *vt quo* dicitur respectu materiæ, quæ est principium *vt quod*, quatenus se tenet ex parte illius, & similiter quatenus se tenet ex parte formæ dicitur principium *vt quo* constituens formam principium in actu secundo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit vnio compositi substantialis.

ET si præcipuè de vnione compositi substantialis disputatio instituatur, quia eadem est de aliis totis doctrina, de illorum vnionibus nonnihil dicam.

§. I.

Doctorum placita.

1 PRimam sententiam defendunt Gregor. Arim. in 3. dist. 28. quæst. 2. ad 18. Maior ibid dist. 1. quæst. art. 1. Caiet. 1. part. quæst. 2. art... Medina ibid. Bacon. in 3. distinct. 1. q. 1. art. 1. & quæst. 2 art. 2. asserentes vnionem non esse entitatem distinctam à materia, & forma, & tantùm dicere applicationem localem tanquam conditionem. Ab his differre videtur Gabr. (cuius etto secunda sententia) in 1. dist. 30. quæst. 4. concluf. 5. qui asserit vnionem extremorum nihil aliud esse, quàm intimam extremorum præsentiam, & hanc præsentiam ait Gabr. esse simultatem in eodem loco siue definitiuè, siue circumscriptiuè. Differt Gabr. à Gregorio, & aliis quia illi approximationem, tantùm requirebant vt conditionem, vt extrema per se ipsa formaliter vnirentur; Gabr. verò eamdem approximationem rationem formalem vniendi esse contendit.

2 Tertia sententia, quam tenet Aureolus apud Capr. in 3. dist. 1. quæst. 1. art. 2. asserit vnionem inter extrema non esse aliquid positiuum, sed negationem diuisionis. Quarta sententia vnionem constituit in dependentia materiæ à forma, hanc defendunt Scot. in 3. quæst. 1. Bassol. ibid. Ocham in 3. dist. 3. quæst. 4. & in 3. quæst. 1. supra hanc dependentiam, quæ est formalis ratio vniendi requirunt Doctores huius sententiæ indistantiam extremorum vt conditionem vt vniantur. An verò hæc dependentia distinguenda sit ab extremis, vel identitatem cum illis retineat, ad præsentem quæstionem non spectat, specialem disputationem alibi sibi vendicat hæc difficultas, vnum tantùm ex his doctoribus modò scire oportet, ipsos nempe vnionem extremorum constituere in dependentia formæ à materia cuiuscumque naturæ sit hæc dependentia quam examinabo lib 3. Controuers. 12. Punct. 1.

3 Quinta sententia tenet vnionem esse modum quemdã substantialem modaliter distinctum à materia, & forma, realitérque distinctum ab approximatione, extremorum & à dependentia formæ à materia. Ita P. Vazquez t. 1. in 3. partem disp. 18. cap. 3. & disp. 19. num. 23. Pater Soar. disp. 15. Metaph. sect. 6. à num. 6. vsque ad 10. & tit. 1. in 3. p. disp. 8. sectione 3. concl. 3. Rub. tract. 4. de forma, quæst. 6. num. 57. Hurt. disp. 5. sect. 1. num. 6. Arriag. disput. 4 sect. 1. & ferè omnes moderni pluresque ex antiquis apud Soar. suprà. Hanc opinionem amplector quam nonnullis conclusionibus explicabo, & simul sententias suprà relatas refellam. Alij dicendi modi, quos recentes excogitarunt ad negandum substantialem vnionem, ad has sententias reduci possunt, quos inter illas explicandas & impugnandas explicabo, & impugnabo.

§. II.

Duplici conclusione propriæ sententiæ duplicem sententiam explodo.

4 PRima conclvsio. Vnio inter materiam & formam distinguitur ab ipsa materia, & forma vt aliquid superadditum non solùm tanquam conditio, sed tanquam ratio formalis. Hæc conclusio directè impugnat primam sententiam, quam sic probo. Possunt existere materia & forma absque vnione: ergo vnio aliquid est distinctum à materia & forma: Antecedens patet in morte hominis, admittitúrque ab omnibus aduersariis: consequentia est legitima iuxta illud principium firmum in Philosophia, *Illa quæ realiter separantur, realiter distinguuntur*: ergo separatio vnionis à materiâ, & formâ infert necessariò distinctionem. Dices materiam, & formam posse existere absque eo quod vniantur ex defectu conditionis, approximationis videlicet, quâ positâ non poterunt non vniri. Contrà: do ad conclusionem, de quâ modò ago, materiam, & formam, quæ possunt existere non vnitæ, vniri necessariò positâ approximatione, & sic argumentor. Approximatio tunc non se haberet vt conditio, vt existeret vnio identificata cum materia & forma: ergo esset conditio vt existeret alia vnio distincta à materia, & forma vel ipsa esset formaliter vnio. Antecedens probo: vnio identificata cum materia, & forma nihil aliud est, quàm materia & forma; sed approximatio non est conditio vt existant materia, & forma: ergo non est conditio vt existat vnio identificata cum materia & forma: Probo consequentiam: quidquid est conditio ad hoc vt aliquid physicè existat, est conditio ad hoc vt existat illud, quod physicè indiuisibiliter identificatur cum illo: ergo si approximatio esset conditio, vt existeret vnio identificata indiuisibiliter cum materia, & forma, esset conditio, vt existeret mnteria & forma: sed non est conditio vt existat materia & forma; quia absque approximatione possunt existere: ergo non est conditio vt existat vnio identificata cum materia, & forma.

Dices, approximationem esse conditionem vt materia, 5
& forma existant vnitæ, etiamsi non sit conditio necessaria, vt existant materia, & forma, secundùm se. Contrà: materiam & formam vnitas existere, vel dicit aliquid supra existentiam vtriusque entitatis, vel tantùm dicit vtramque existentem: Si dicit aliquid distinctum: ergo vnio distinguitur à materia, & forma: si nihil distinctum dicit, materiam & formam existere, est materiam & formam vnitas existere: ergo quod est conditio vt materia & forma existant, erit conditio, vt existant vnitæ, & quod non est conditio, vt existant, non erit conditio, vt existant vnitæ. Dices materiam & formam vnitas dicere supra materiam, & formam approximationem tanquam conditionem. Contrà: conditio distinguitur realiter à ratione formali ad quam est conditio: ergo approximatio, si tantùm se habet vt conditio respectu vnionis, ratio formalis huius debet distingui ab approximatione. De illa ratione formali vt distincta ab approximatione, à qua tanquam à conditione ad sui existentiam distinguitur, inquiro an dicat aliquod præter materiam, & formam, vel non: si dicit aliquid: ergo vnio distinguitur à materia & forma: si tantùm dicit materiam, & formam, tota ratio formalis vnionis, vt distincta à conditione, quæ illius rationem formalem non ingreditur, sita est in nudis entitatibus materiæ, & formæ: ergo existente materiâ, & forma existit ratio formalis vnionis, secluso quocumque alio. Ex hoc duo infero: primum, approximationem non esse conditionem ad rationem formalem vnionis, siquidem non est conditio ad existentias materiæ, & formæ secundùm se, in quibus tota ratio formalis vnionis, quæ ab approximatione distingui debet, in opinione, quæ approximationem conditionem ad vnionem appellat, necessariò est constituenda. Secundò infero positâ existentiâ materiæ, & existentiâ formæ non posse non esse vnitas, quia implicat existere rationem formalem vnionis, & extrema non esse vnita; vnio enim essentialiter est nexus actualis, & exercitium vniendi duo extrema, quorum est vnio. Vtraque consequentia est legitima: primum consequens est contra primam sententiam, cui dixi directè opponi meam conclusionem: secundum, contra omnium consensum, & veritatem Catholicam, quá credimus, mortuo homine animam non vnitam incorruptam permanere, & Christo mortuo illius materiam in sepulchro iacuisse, animámque descendisse ad inferos, vnionémque inrer vtramque partem periisse.

Dices approximationem non esse conditionem, vt exi- 6
stat secundùm entitatem vnio identificata cum materia, & forma, vt probat ratio à nobis facta, sed vt existat secundùm formalitatem, hoc est, vt actu exerceat officium vnionis, quia eadem vnio, quæ physicè existit quando materia, & forma approximationem non habent, & non actu vnit, quia non existit secundùm formalitatem vnionis ex defectu conditionis, incipit esse secundùm illam formalitatem vnionis positâ approximatione tanquam cõditione, cum

cúmque tunc incipiat exiſtere, non phyſicè, & ſecundùm entitatem, ſed ſecundùm formalitatem, tunc primò incipit exercere officium vnionis, & annectere actu, quod antea non præſtabat. Rem explicat exemplo cognitionis diuinæ, quâ cognoſcit obiectum contingens; illa cognitio ſi obiectum deficeret tota exiſteret ſecundùm entitatem, quia eſt intrinſeca Deo, & nihil Dei intrinſecum phyſicè deficere potuit, ſi tamen obiectum quod antecedenter potuit non eſſe, non fuiſſet, cognitio illa non exiſteret ſecundùm formalitatem, neque Deum conſtitueret cognoſcentem, & iudicantem exiſtere tale obiectum, præcisè ex defectu obiecti, quod non pertinet ad rationem formalem conſtitutiuam cognitionis diuinæ, ſed tantùm ſe habet vt conditio reſpectu illius.

7 Hunc dicendi modum apprehendunt plures, qui *connotatores* vulgo dici ſolent, quia per hæc extrinſeca connotata rerum formalitates explicant, aſſerúntque hoc connotato poſito (idem connotatum ſonat atque conditio, etiamſi connotatum non ſolùm vices conditionis, ſed obiecti gerat aliquando) intrinſecè & formaliter habere aliquam formalitatem, quam ſine tali connotato tantùm habebat phyſicè, & materialiter. Hæc doctrina multùm curſum noſtrum retardaret, ſi quoties occurrerit, illam ex profeſſo impugnandam ſuſciperemus, eſt enim frequens apud plures in tota Philoſophia, quapropter ſemel illam radicitùs impugno in Metaph. Controuerſ. 9. Punct. 4. de relat. diſputans, vbi plura contra hunc dicendi modum inuenies: modò ſummis labris rationem quamdam attingam, vt illam loco citato recognoſcas Vnio ſecundùm ſuam phyſicam entitatem, & ſecundùm formalitatem ſeu actuale exercitium vniendi, à parte rei ſeclusâ fictione intellectus non diſtinguitur à materia, & forma; ſed exiſtente materia, & formâ ſecundum ſententiam, quam impugno, & ſeclusò quocumque alio eſt vnio ſecundùm entitatem phyſicam: ergo eſt formaliter tota formalitas, quam ſine intellectus fictione habere poteſt, & eſt ſecundum actuale exercitium vniendi.

8 Secvnda conclvsio. Vnio non conſiſtit formaliter in approximatione ſeu intima præſentia inter materiam & formam. Hæc concluſio eſt contra ſententiam, quam defendit Gabriel, pro qua ſic argumentor. Approximatio localis nihil aliud eſt quàm præſentia vtriuſque extremi: ſed quotieſcumque mouetur homo corrumpuntur præſentiæ materiæ, & formæ, & aliæ acquirũtur: ergo quotieſcũq; mouetur homo corrumpitur vnio, quæ antea erat, & producitur alia vnio, & tot vniones producuntur, & corrumpuntur in motu locali, quot producuntur & corrumpuntur præſentiæ: ergo ex vi motus localis producitur vnio inter materiam & formam, & conſequenter producitur homo, & principium efficiens motus localis hominis verè eſt principium hominis, & verè hominem producit, ſicuti illum produxit principium generans, quod ex vi generationis non produxit materiam, neque formam, ſed tantùm vnionis modum, quo poſito reſultat homo ex materia, & forma: ergo principium mouens localiter hominem, quod ſimilem vnionem producit, ſi hæc in approximatione conſiſtit, dicetur principium producens hominem; & principium deſtruens approximationem, quam antea habebat, dicitur principium deſtruens hominem, quia nullo alio modo dicimus hominem corrumpi ab aliqua cauſa naturali, niſi quatenus hæc illius modum vnionis corrumpit. Ex quo inferetur principium mouens localiter hominem, eſſe principium deſtruens hominem, quatenus deſtruit modum vnionis, qui in approximatione deſtructa à motore conſtituitur, & alium hominem producens quatenus producit aliam vnionem, ſeu aliam approximationem inter eamdem materiam & formam.

9 Secundò, ſi vnio in approximatione conſiſteret, ſequeretur formam vnam ſubſtantialem non expellere aliam, quod ſic probo. Formæ ſubſtantiales inter ſe poſſunt penetrari, & illarum penetratio cum alio tertio tantùm repugnat ratione quantitatis, ſed diuerſæ formæ in eadem materia non ſecum afferrent diuerſas quantitates: ergo non repugnat penetratio formarum inter ſe, & cum eadem materia neque ratione ipſarum formarum, neque ratione diuerſarum quantitatum, quas ſecum afferant: ergo ex nullo capite repugnat penetrare duplicem formam in eadem materia: ergo vna forma non expellit aliam à ſubiecto per informationem, neque eſt incompoſſibilis cum alia, ſi informatio conſiſtit tantùm in approximatione inter materiam, & formam. Conſequens admitti non poteſt: ergo antecedens non ſubſiſtit.

Tertiò anima Chriſti fuit penetrata cum materia Sanctiſſimæ genitricis, cum ex illa illæſo virginitatis clauſtro fuit natus, & tamen anima Chriſti non fuit vnita materiæ primæ Virginis: ergo vnio non conſiſtit in approximattone intima ſeu in penetratione inter materiam & formam. 10

Propter hæc argumenta nonnulli hanc approximationem aliter explicant dicentes, vnionem non conſiſtere in approximatione locali tantùm, ſed in approximatione ſecundùm virtutem, quæ poteſt deficere etiamſi ſint penetratæ localiter materia, & forma, & ita poſſunt habere hanc penetrationem localem ſine vnione. Contra hanc approximationem ſecundùm virtutem, argumentum ſæpè factum, adhuc integrum iterum repeto. Approximatio ſecundùm virtutem diſtincta à præſentia locali, vel dicit aliquid diſtinctum à materia, & forma, vel tantùm dicit entitatem vtriuſque, ſi dicit aliquid diſtinctum, iam conſtituitur vnio realiter diſtincta à materia, & forma, & intimâ præſentiâ locali; ſi nihil dicit diſtinctum à materiâ, & formâ, & intimâ præſentiâ locali, implicat eſſe materiam & formam intimè præſentes, ſeu penetratas ſine hac approximatione ſecundùm virtutem: ergo non poteſt dari forma penetrata alicui materiæ, quæ non habeat hanc approximationem ſecundùm virtutem; & quæ non ſit vnita tali materiæ. Reſpondent approximationem ſecundùm virtutem non diſtingui à forma provt in materia, vel à forma quatenus in materia, licet diſtinguatur à forma ſecundùm ſe. Hos omnes dicendi modos euertet prædictum argumentum, redeat iterum. Forma vt in materia, vel dicit aliquid diſtinctum à materia, formâ, & penetratione locali, vel non: Si dicit aliquid diſtinctum, dicet vnionem ſuperadditam, quam ego propugno; ſi nihil dicit diſtinctum, nihil dicis dum ad hos vanos dicendi modos confugis. 11

Vt aliquo modo declinarent vim argumenti ſuprà facti, dixêre recentiores, applicationem localem non eſſe approximationem ſecundùm virtutem, neque actu vnire extrema deficientibus diſpoſitionibus requiſitis ad formam. Solutio hæc poteſt diſpoſitiones exigere tanquam conditionem, vt materia & forma vniatur, vel vt aliquid ſaltem inadæquatè pertinens ad vnionem, quam poteſt conſtituere in approximatione locali, & in diſpoſitionibus in materia exiſtentibus. Si primum dicat, ſuſtinebit eamdem impugnationem quam adhibui n. 4. & ſequenti contra primam ſententiam, quæ approximationem inter materiam & formam dicebat eſſe conditionem, & non rationem formalem, vt materia, & forma immediatè vnirentur. Quam iterum breuiter attingo. Si diſpoſitiones tantùm ſunt conditio: ergo adæquatè diſtinguũtur à ratione formali vnionis: ergo vnio, quæ requirit diſpoſitiones tanquam conditionem, cõſiſtit adæquatè in approximatione, vel in alio adæquatè diſtincto à diſpoſitionibus: ergo illo poſito etiamſi diſpoſitiones non exiſtant, erit ratio formalis vnionis, & extrema erunt formaliter vnita: ergo ſi ſemel materia, & forma ſint intimè præſentes etiamſi deficiant diſpoſitiones erunt vnitæ, quia ex defectu conditionis non poſſunt extrema non eſſe vnita, ſi permanet tota ratio formalis vnionis. Si dicas deficientibus diſpoſitionibus deficere rationem formalem vnionis, aſſigna rationem hanc, quæ deficit poſitâ penetratione inter materiam & formam, & entitatem ſuperadditam, quam quærimus, nobis oſtendes. 12

Alio modo dici poſſet diſpoſitiones ipſas pertinere ad rationem formalem vnionis; quod multis impugnatur: Poteſt forma eſſe vnita materiæ deficientibus diſpoſitionibus: ergo diſpoſitiones neque inadæquatè pertinent ad rationem formalem vnionis. Secundò, poſitis his diſpoſitionibus in materia ad formam hominis, materia eſt æquè diſpoſita ad hanc, vel illam formam, & Deus liberè hanc vel illam animam rationalem illi infundit ex pluribus, quas poteſt creare: ergo materia prima Virginis præcisè ex vi diſpoſitionum indifferens eſt, vt illi vniatur anima quæ de facto fuit vnita materiæ Chriſti: ergo quando penetrata fuit materia prima Beatiſſimæ Virginis cum anima ſanctiſſima Chriſti Domini habuit totam rationem formalem vnionis cum ipſa, quia habuit diſpoſitiones ex ſe æquè reſpicientes propriam animam, & animam Chriſti, & æquè erat vtrique penetrata: ergo æquè erat vtrique 13

vnita.

vnita. Idem dico de materia prima Christi respectu formæ Sanctissimæ Virginis. Audiui recentiorem respondentem, materiam primam Virginis tunc non vniri animæ Christi quia iam erat propriæ vnita. Contrà materiam primam Virginis esse vnitam propriæ animæ, & hanc animam esse propriam illius, nihil aliud est quàm materiam primam habere dispositiones ad hanc animam, & esse illi intimè præsentem, sed idem habet respectu animæ Christi: ergo eodem modo illi erit vnita tanquam propriæ animæ. Omitto contra hanc sententiam constituere vnionem totius compositi substantialis in quodam aggregato accidentium, præsentia enim intima, seu penetratio inter materiam & formam, consistit in duplici præsentia accidentali realiter distinctâ, & si his dispositiones adiunguntur ad vnionem constituendam, dicet vnio quatuor primas qualitates, quantitatem, & alia accidentia.

§. III.

Duplicem aliam sententiam refello duplici conclusione propria sententiæ, illámque penitus expono.

14 Tertia conclvsio. Vnio non potest consistere in aliquo non positiuo, quod sit negatio diuisionis. Hæc conclusio contradicit opinioni Aureoli quam retuli n.2. & probatu facillima est. Diuisio est carentia vnionis positiuæ: ergo non diuisio, seu negatio diuisionis est ipsa vnio positiua, probo consequentiam: diuisio & vnio positiua mutuò opponuntur sicut esse: sed diuisio est non esse vnionis positiuæ: ergo ipsa positiua vnio est non esse diuisionis: ergo vnio, quæ consistit in negatione diuisionis debet in aliquo positiuo consistere. Ex quo inferes rectè docuisse Aureolum vnionem consistere in negatione diuisionis, postea terminos implicasse, dum dixit negationem vnionis non esse aliquid positiuum. Addo non rectè explicari vnionem per negationem diuisionis cùm per positiuos terminos possit clariùs explicari, per illam enim negationem, res potiùs confunditur, quàm explicatur.

15 Qvarta conclvsio. Vnio distinguitur realiter ab eductione. Hæc conclusio impugnat opinionem Ochami relatam n.2. illam multis propugnat Hurtad. loco cit. n.3. videamus quanta vi. Arguit primò: Vnio animæ rationalis non identificatur cum aliqua actione: ergo neque vnio reliquorum compositorum. Non tenet illatio, quia animæ rationalis creatio essentialiter distinguitur ab eductione aliarum formarum, & per illam non inhæret forma materiæ, neque ex vi illius aliquam connexionem habet cum materia, sed sine illa potest naturaliter existere; forma verò materialis ex vi eductionis materiæ inhæret, & sine illa formaliter, vt educta adhuc de potentia Dei absoluta existere non potest, vnde longum est discrimen inter actionem creatiuam, & eductionem, ratione cuius ex distinctione creationis ab vnione non potest inferri distinctio inter eductionem, & vnionem. Arguit rursus Hurtadus: Generatio terminatur ad vnionem, quia generatio aliquid producit *vt quo*, ratione cuius compositum producatur *vt quod*: ergo distinguitur ab ipsa vnione, sicut actio à termino. Deinde vnio dependet à materia per generationē, quia generatio est passio, passio autem est causalitas materiæ, vnio verò non est causalitas, sed ipsa causatur. Hoc probat Hurtadus, quia in homine nihil potest causari per vnionem, sed ipsa causatur. Hæc omnia facilè ab Hurtado dicuntur, & faciliùs possunt reiici ab aduersariis; qui enim asserunt actionem productiuam formæ esse vnionem, negant generationem compositi, cuius forma educitur, terminari ad vnionem, & dicunt tantùm terminari ad formā producendam, tanquam ad terminum constituentem *vt quod* compositum, & ipsam generationem ipsum *vt quo* constituere annectendo formam productam ex vi illius cum materia, quam supponit. Similiter negant vnionem pendere ab agente mediâ generatione, aut passione, sed immediatè per se ipsam, quæ est passio respectu formæ, non respectu vnionis secum identificatæ. Ad confirmationem respondeo in homine vnionem non esse causalitatem neque respectu formæ, neque respectu sui ipsius, sed terminum per causalitatem, scilicet per passionem productū, in equo verò & in aliis compositis materialibus, vnionem esse causalitatem secundùm hanc sententiam respectu formæ, quæ est terminus productus ab agente, receptus in subiecto, & materiæ vnitus indiuisibiliter per eamdem entitatem.

Arguit iterum, sequi ex eo quod vnio identificetur 16
cum generatione terminari ad se ipsam, cum verò præuidisset responderi posse, terminari ad formam, & non ad se ipsam, instat. Generatio non terminatur ad formam tantùm, sed ad formam vt vnitam: ergo terminatur ad vnionem: ergo si non distinguitur ab vnione terminabitur ad se ipsam. Si negemus Hurtado generationem terminari ad formam, vt vnitam formaliter, & dicamus tantùm terminari ad formam, quæ ex vi illius vnitur, sicuti non terminatur ad formam, vt genitam, sed ad formam, quæ ex vi illius, generatur, difficilè poterit antecedens assumptum probare. Rationem, quam ipse vocat à priori desumptam ex diuersis effectibus formalibus, & naturis vnionis, & productionis non maioris roboris est. Ait vnionem ex natura sua esse vinculum duorum extremorum, & generationem esse viam ad terminum, & causalitatem illius, quam ab illo distingui certum est. Respondeo vnionem esse vinculum duorum extremorum, & productionem esse viam ad terminum, & hæc duo identificari in eductione formæ, & productionem distingui à termino scilicet à forma non ab vnione, ad quam non terminatur, quia est eademmet vnio, quæ non terminatur ad se ipsam.

Posset probari distinctio inter vnionem, & eductionem, 17
quia si vnio, & eductio identificarentur, sequeretur diuersum esse totum in instanti generationis, in quo forma producitur à causa secunda, & in reliquo tempore, quo conseruatur à causa prima, quia posito diuerso principio effectiuo actionem diuersam esse necesse est: ergo erit diuersa vnio formæ identificata cum actione, ex vi cuius producitur, quotiescumque principium producens est diuersum, quæ diuersitas non solùm erit numerica, sed specifica, cùm principia conseruans, & producens formam, specie differant, & consequenter actiones, quæ à principiis speciem trahunt. Nec valet dicere totum esse idem, etsi vnio sit diuersa, quia retinet easdem partes essentiales: totum enim essentialiter includit vnionem tanquam quid pertinens ad illius essentiam, & vltimò illud constituens in ratione totius; ac proinde variatâ vnione variatur aliquid essentiale totius, & consequenter totum, implicat enim aliquid permanere cuius non tota permanet essentia, quia omne ens includit omnia illi essentialia, ita vt quocumque deficiente absolutè deficiat. Infertur similiter in instanti, in quo Deus primò conseruat formam productam à causa secunda in instanti, in quo primò totum genuit, non conseruari totum, sed primò produci; quia in illo instanti non est totum quod præcessit sed aliud incipit, vt probaui: ergo non conseruatur tunc totum, sed primo producitur. Hæc quemque veritatis amicum conuincet; si quis tamen absurda hæc omnia deuoret, existimo præter exclamationes, & admirationes (quæ semper ab ingenioso, & viro docto abesse debent) nihil aliud suppetere, quo possit hæc ratio maiorem vim recipere, quapropter transeo ad aliam.

Actio quâ de facto substantialis forma producitur, di- 18
stinguitur ab ipsa forma producta, vt probabo Controuers. 12. Puncto 1. ergo est accidens. Probo consequentiam: Actio distincta à termino essentialiter est propter terminum, & ratione illius habet esse, & non intenditur à natura propter se, sed propter terminum: Non vt ipsa sit, sed vt sit terminus: id autem, quod non intenditur propter se, sed propter aliud essentialiter est accidens, & non substantia: vt in Metaph. exponens conceptum accidentis probabo. Hoc posito sic arguo: Actio, & passio, seu inhærentia, dependentia, vel eductio, quæ realiter non distinguuntur sunt accidens: ergo non possunt esse de essentia totius substantialis: Probo consequentiam: Totum substantiale, secundùm totum id, quod dicit essentialiter, & secundùm rationem totius completi primariò, & per se intenditur: ergo secundùm totum id, quod includit essentialiter, & secundùm rationem formalem totius est substantia; ergo secundùm vnionem, quam essentialiter includit, & quæ totum substantiale constituit in ratione totius est substantia: ergo vnio debet esse substantia, & nun accidens: ergo distinguitur ab actione, quā producitur forma quæ non est substantia, sed accidens. Dicunt nonnulli modum vnionis pertinere ad essentiam compositi non in recto, sed in obliquo, & ita non est necessariò esse substantiam. Contrà: esto, modum vnionis pertinere in obliquo pertineat, verè est id, per quod totum substantiale, siue constituatur in ratione totius substantialis per aliquod dictum in recto, vel connotatum in obliquo, debet constitui per aliquid substantiale,

ſtantiale,ſiue includat in recto illa,quæ ad ſuam eſſentiam conſtituendam ſpectant,ſiue in obliquo neceſſariò ſubſtantialia eſſe debent.

19 Qvinta conclvsio. Entitas ſubſtantialis diſtincta à materia,& forma in qua dixi vnionem conſiſtere non eſt res,ſed modus, eſt dicere non poteſt adhuc potentia Dei abſoluta exiſtere ſine extremis, etiamſi extrema poſſent eſſe ſine illa.Probo:Si hæc entitas in qua vnionem conſtituimus poſſet eſſe ſine extremis vnitis eſſet indifferens, vt vniretur,& non vniretur: ergo indigeret alio modo ſuperaddito, quo vniretur: ergo danda eſt aliqua vnio,quæ immediatè ſit per ſuammet entitatem fixa extremis: ergo danda eſt vnio, quæ de potentia Dei abſoluta non poſſit ab illis ſeparari;quia quod per ſuammet entitatem, alicui eſt affixum, non poteſt non illi eſſe affixum,ſi cum ſua entitate perſeueret. Probo primam conſequentiam: ideo damus vnionem ſuperadditam inter materiam,& formam, quia poſſunt exiſtere quin vniantur:ergo ſi daremus vnionem interiectam poſſe exiſtere non vniendo, indigeret alio modo ſuperaddito vt vniret:Secunda conſecutio euidens eſt, quia ſi non daretur vnio immediatè per ſe extremis affixa,ſed aliâ indigens vnione,rurſus illa vnio aliâ indigeret,& ſic in infinitum vniones procederent.

§. IV.

Argumenta ſoluta.

20 Argumenta, quæ contra noſtram ſententiam ex tanta opinionum diuerſitate adduci poſſunt, pauca ſunt,& quæ nihil ferè difficultatis continent.

Obiicies primò. Modus vnionis à nobis aſſignatus poteſt immediatè vniri materiæ, & formæ nullo alio modo interiecto: ergo materia, & forma poterunt ſimiliter immediatè vniri nullo interiecto modo. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: Materia,& forma, quæ de facto exiſtunt indifferentes vt vniantur, & vt non vniantur ſaltem de potentia Dei abſoluta,nego conſequentiam: materia & forma, quæ poſſent exiſtere ex ſe determinatæ ad vnionem actualem, ita vt adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſent exiſtere quin actu vnirentur, concedo conſequentiam. Rationem exhibeo:totum fundamentum, quod habemus ad ponendam vnionem ſuperadditam inter materiam & formam eſt, quia videmus poſſe exiſtere ſaltem diuinâ intercedente potentiâ, quin actu vniantur, ex quo inferimus non actu vniri per ſuaſmet entitates, quod ſi videremus materiam,& formam nunquam non vniri, & iudicaremus adhuc de potentia Dei abſoluta non poſſe non actu vniri,nullum eſſet fundamentum ad vnionem ſuperadditum admittendam inter talem materiam, & formam.Neque modò admittẽda eſt inter materiã,& modum vnionis, quem aſſignamus pro materia, & forma, quæ de facto exiſtunt,quia talis vnionis modus indifferentiam non habet, vt vniatur, & non vniatur,ſed per ſuammet entitatem eſt affixus materiæ & formæ, ita vt neque de potentia Dei abſoluta,ex ſuppoſitione, quod exiſtat poſſit non vnire talia extrema,& illis non eſſe vnitum,eo modo,quo vnitur, non vt extremum, ſed vt nexus annectens extrema, quod non eſt propriè vniri,ſed eſſe rationem vniendi, neque vnionis modus dicitur vnitus, ſed vniens, quod ad quæſtionem non attinet:illo enim modo, quo vnitur propriè,vel impropriè,vt *quo*, vel *quod*, vt extremum, vel vt nexus,vnitur abſque vlla indifferentia, & ita per ſuam entitatem,& non per aliquid ſuperadditum. Adde neceſſum eſſe vnionem non vniri medio alio, ne in infinitum procedatur, quod non requiritur inter materiam & formam.

21 Obiicies ſecundò. Materia & forma ſunt partes immediatæ totius: ergo per ſe immediatè illud componunt, & non medio alio modo vnionis. Probo conſequentiam, de ratione partis eſt componere: ergo de ratione partis immediatè eſt componere. Concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: ergo materia & forma per ſe immediatè componunt totum, immediatione partium, & immediatione componentium, concedo conſequentiam:immediatione cauſalitatis, & compoſitionis, nego conſequentiam. Eſt dicere, componunt non mediâ alia parte, & non medio alio componente, concedo: componunt non mediâ compoſitione, nego. Ad probationem conſequentiæ reſpondeo, concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens: de ratione partis immediatæ eſt non componere mediâ aliâ parte, ſeu medio alio componente, concedo: mediâ cauſalitate,ſeu mediâ compoſitione, nego.

Obiicies tertiò, Forma per inhæſionem ſeu dependentiam,quam habet à materia,eſt in materia,eſt inſeparabilis ab illa, inhæret illi,eſt connexa cum illa: ergo non indiget alio modo vnionis. Reſpondeo formam per dependentiam eſſe in materia tanquam in ſubiecto inhæſionis, non verò tanquam in ſubiecto informationis,cum quo vnum conſtituat,& eſſe inſeparabilem localiter ab illa,illique inhærere modo explicato, & eſſe connexam cum illa tanquam cùm cauſa,à qua dependet ex vi dependentiæ,ſeu inhæſionis, quibus omnibus poſitis adhuc forma non conſtituit vnum ſubſtantiale cum materia, neque illi eſt vnita, & illis permanentibus poteſt Deus vnionem impedire.ac proinde hæc eſt neceſſaria, vt ex vi illius forma ſit vnita materiæ, & totum ſit conſtitutum. 22

§. V.

De vnione aliorum totorum.

De toto integrali ſeruatâ proportione idem iudicium ferendum eſt,ac de toto eſſentiali;ſicut enim partes eſſentiales indifferentes ſunt, vt vniantur,& non vniantur, ſic integrantes,quarum plurimis valdè contingenter accidit vnio,vt patet in vnione duarum partium aquæ, ex qua indifferentia conſtat non vniri per ſe ipſas, ſed per vnionem ſuperadditam. Hanc non eſſe dependentiam, quam habent partes à ſubiecto,certum eſt,quia duæ partes aquæ cum eadem dependentia ab eodem ſubiecto modò ſunt vnitæ, modò diuiſæ, quia quando diuiditur aqua, non corrũmpitur vnio, quam partes formæ aquæ habebant cum ſubiecto: ergo non vniuntur integraliter per dependentiam à ſubiecto. Deinde partes materiæ primæ, quæ nullam habent dependentiam à ſubiecto, integraliter ſunt vnitæ, & partes quantitatis eamdem integralem vnionem retinent extra ſubiectum conſtitutæ in myſterio Euchariſtiæ, quam habebant in ſubiecto:ergo vnio integralis non conſiſtit in partium à ſubiecto dependentia. Ponenda eſt talis vnio in modis ſuperaditis partibus vnitis pertinenbus ad eandem ſpeciem ad quam pertinent partes integraliter vnitæ, ſiue ſubſtantiales,ſiue accidentales. 23

Maior eſt difficultas de aliis concretis accidentalibus, an videlicet includat vnionem diſtinctam ab ipſa eductione formæ accidentalis; vel formæ accidentales, per quas conſtituuntur, vniantur ſubiectis præcisè per dependentiam,quam habent ab illis,ita vt inter albedinem, & ſubiectum, quod ex vi illius album conſtituitur, nulla intercedat vnio præter inhærentiam, ſeu dependentiam, quam habet albedo à ſubiecto. Ratio dubitandi rectè ſumitur ex his,quæ de toto ſubſtantiali diximus,in quo tantùm probauimus indigere vnione diſtinctâ ab inhærentia formæ, quia inhærentia eſt accidens, & non poteſt pertinere ad conſtitutionem totius ſubſtantialis, ſed hæc ratio non probat inhærentiam non poſſe conſtituere hoc totum accidentale, verbi gratiâ,album.ergo nulla poteſt adhiberi ad probandum in his concretis accidentalibus dari vnionem inter materiam & formam, diſtinctam à dependentia, quam habet forma à materia, ſcilicet albedo à ligno albo. 25

Rationem ſuprà dictam non probare dandam eſſe hanc vnionem diſtinctam à dependentia formæ in concretis accidentalibus, apertè conuincitur; venio ad aliam, quà nonnulli probant dependentiam à ſubiecto non eſſe vnionem inter terminum dependentem, & ſubiectum, à quo dependet, quæ ſi alicuius eſt roboris æquè premit in compoſitis ſubſtantialibus, & accidentalibus. Vnio inter materiam, & formam hominis dependet à ſubiecto mediâ inhæſione, & non illi vnitur per hanc inhæſionem, ſeu dependentiam: ergo dependentia ſeu inhæſio non eſt vnio inter extremum dependens, & ſubiectum, à quo dependet, neque illa conſtituit vnita. Primam partem antecedentis,ſcilicet vnionem hominis dependere mediâ inhæſione à ſubiecto,fert communis ſententia.Secunda probatur:vnio eſſentialiter per ſe ipſam vnitur materiæ, & formæ, & eſt vniendi ratio, quæ non poteſt vniri medio alio:ergo vnio educta ex ſubiecto,quod vnit,nò illi vnitur mediâ inhærentia:ergo inhærentia non eſt vnio inter ſubiectum, & terminum inhærentem,ſeu dependentem. Hæc ratio æquè probat de omnibus inhærẽtiis,ſeu dependẽtiis 26

à

à causa materiali, cùm ex vi omnium æquè terminus constituatur dependens à subiecto, illi inhærens, & inseparabilis, neque aliquid potest cum fundamento excogitari in alia inhærentia, propter quod rationem habeat vnionis, quâ careat inhærentia, mediâ quâ vnio hominis dependet à subiecto. Posset quis respondere vnionem inter materiam, & formam per se ipsam esse vnitam extremis substantialiter, & simul esse vnitam alteti extremo verbi gratiâ, materiæ mediâ vnione superaddrtâ accidentali, sicuti integralis vnio per se ipsam est vnita extremis, & media vnione superaddita subiecto. Hoc exemplum rem explicat, non probat; quia vnio integralis per se ipsam vnitam extremis non illis vnitur mediâ vnione superaddita, sed alij subiecto à quo separari potest: vnio verò essentialis inter materiam, & formam hominis, si materiæ vniatur media inhæsione, vnitur medio alio, & eidem extremo, cui vnitur immediatè; & per se, quod videtur repugnantiam inuoluere, sicuti repugnat dicere actionem per se ipsam immediatè dependentem à principio effectiuo, ab eodem media alia actione dependere.

26 Fateor exemplum rem non probare, verumtamen illo seclusò, cur dici non poterit vnionem inter materiam & formam hominis per se ipsam vniri substantialiter materiæ per modum nexus, seu, *vt quo*, & media inhærentiâ superadditâ vniri eidem materiæ accidentaliter, & per modum extremi, seu *vt quod*? Neque exemplum de actione adductum quidquam probat, actio enim per se dependens ab hoc principio, non solùm non potest dependere media alia actione ab hoc actiuo principio, verùm neque ab alio, quod si ab alio principio potest dependere mediâ aliâ actione; & simul per se ipsam ab hoc, poterit bis ab eo dependere, per se ipsam, & mediâ actione; vnionem verò per se ipsam his extremis certum est mediâ vnione superadditâ posse aliis vniri, vt patet in vnione integrali respectu subiecti: ergo diuersa est ratio de vnione per se ipsam immediatè extrema respiciente, & de actione respiciente principium. Ratio diuersitatis pro actione, & pro aliis modis respectu vnionis posset ita assignari. Actioni per se ipsam immediatè dependenti semper esset superflua ex natura rei alia actio, quia independenter ab illa supponebatur per se ipsam extra causas, vnio verò etiamsi per se ipsam sit vnita indiget inhærentia superadditâ, vt existat: si autem ipsa inhærentia in suis prædicatis intrinsecis habeat imbibitam rationem vnionis, vnio indigens inhærentia indigebit prædicatis intrinsecis illis, ac proinde indigebit vnione, si enim dependere à subiecto dicit esse illi vnitum, vnio, quæ petit à subiecto dependere mediâ inhærentiâ, petit illi esse vnitam mediâ inhærentiâ diuerso modo, quo est vnita immediatè, & per se præcisè tanquam extremo, à quo per suam entitatem non dependet tanquam à causa materiali, sed per aliam vnionem superadditam accidentalem. Propter hos diuersos modos vniendi posset dicere aliquis vnionem inter materiam, & formam hominis esse vnitam per se ipsam substantialiter, vt nexum extremo, à quo ex vi huius vnionis non dependet in genere causæ materialis, & mediâ inhærentiâ per modum extremi dependentis ab alio in genere causæ materialis mediâ hac vnione accidentali, seu mediâ inhærentiâ. Consequenter teneretur is dicere formas materiales substantiales eductas ex potentia materiæ, & illi vnitas mediâ vnione substantiali, habere duplicem vnionem ad materiam, quandam medio modo substantiali distincto ab eductione pertinente ad compositionem totius, mediâ quâ formâ vnitur materiæ tanquam extremum alteri coextremo absque vlla dependentia; alteram accidentalem non pertinentem ad constitutionem totius substantialis, mediâ quâ vniuntur materia, & forma non tantùm, vt purè extrema, sed forma vt extremum dependens à materia, & materia vt extremum influens in formam mediâ vnione accidentali, seu inhærentiâ. Neque inconueniens esset asserere eamdem formam cùm eadem materia diuersas inire compositiones mediis diuersis modis; substantialem mediâ vnione substantiali, & accidentalem mediâ inhærentiâ, quæ est accidentalis vnio. Certum enim est adhuc in opinione, quæ dicit inhærentiam non esse vnionem ex forma substantiali materiæ inhærentem, seclusâ vnione aliquo modo fieri quoddam concretum, etsi propriè non vnum, certè cum maiori connexione, quam habeant alia tota per accidens, in quibus non deest aliqua ordinatio, sicut exercitus, & musica; & simul fieri aliud concretum substantiale propriissimè vnum vnione substantiali, ex qua totum per se substantiale resultat.

Alio modo posset responderi prædicto argumento, scilicet eductionem terminatam ad extremum per se vnitum subiecto, non esse vnionem inter subiectum, & extremum eductum, secus eductionem termini non vniti per se ipsum subiecto, quia terminus per se ipsum vnitus subiecto, neque indiget aliâ vnione ad subiectum, neque illam potest terminare, ac proinde non vniri per eductionem formaliter vnionem, quia non potest vnionem terminare; terminus verò, qui per se ipsum non vnitur subiecto, indiget vnione vt illi vniatur, & illam potest terminare, ac proinde potest educi ex vi actionis, quæ formaliter sit eductio vnitiua, seu vnio eductiua. Non caret specie probabilitatis solutio, magis tamen priori adhæreo, quia si eductio ex communi prædicato eductionis, & dependentiæ termini à subiecto, non habet rationem vnionis, sine fundamento dicitur illam habere ex aliqua peculiari ratione talis dependentiæ, seu eductionis. 27

Adhibui omnia fundamenta, quæ ad vnionem distinctam ab eductione formæ in concretis accidentalibus ponendam, & relegandam, sum assecutus, ex quibus non difficile cuique erit, partem, quam maluerit, eligere, ego propter communem sententiam propendeo in opinionem, quæ modum vnionis distinctum ab eductione constituit, licèt opposita mihi valde probabilis visa sit. 28

De compositis accidentalibus, quorum forma est modus subiecti dicendum est, formas ipsas immediatè, & per se ipsas esse illis vnitas, quia implicat separari ab illis, & non tribuere suum effectum formalem subiecto, quod omni alio seclusò constituunt præsens, verbi gratia vel durans, si duratio modus est superadditus. Producuntur hi modi sæpe mediâ actione superaddita, quâ à subiecto dependent, quapropter si quis defendat albedinem subiecto vniri mediâ inhærentiâ, iuxta dicta de vnione, dicere tenebitur, præsentiam habere duplicem vnionem ad subiectum, alteram inseparabilem per se ipsam, alteram separabilem mediâ passione; ni velit solutionem adductam num. 19. defendere, videlicet eductionem terminatam ad rem, quæ per se ipsam subiecto vnitur non esse vnionem, secus eductionem terminatam ad rem indigentem modo superaddito, vt subiecto vniatur. Idem, quod dixi de composito accidentali, cuius forma est modus, intellige de composito substantiali habentem similem formam modalem. 29

Ex suppositione quod vnio distinguatur ab eductione, in compositis etiam accidentalibus posset dubitari, an possit dari compositum cuius formæ eductio non distinguatur ab vnione. De compositis accidentalibus affirmatiuè respondeo; vix enim inuenitur ratio efficax ad probandum de facto non identificari eductionem, & vnionem. De substantialibus si eductio distinguatur à forma substantiali, necessariò erit accidens propter rationem dictam n. 11. ac proinde neque de potentia Dei absoluta poterit pertinere ad constitutionem essentialem compositi substantialis, neque esse illius vnionem, quæ est de essentia compositi; si forma substantialis per se ipsam educatur ex subiecto nullo superaddito modo vnionis indigebit, vt illi vniatur iuxta dicta num. 21. 30

Punctum II.

An modus vnionis sit simplex entitas.

§. I.

Doctorum placita, & difficultatis status.

Pater Hurtadus disput. 5. sectione 7. subsectione 2. asserit in composito substantiali duplicem dari modum vnionis, quemdam tenentem se ex parte materiæ, quam respicit vt subiectum, & formam vt terminum; alterum ex parte formæ, quam vt subiectum vnit, & materiam vt terminum. Communis ferè omnium Doctorum sententia, quam tenet Pater Suarez disputat. 14. Metaphysic. sect. 9. num. 13. Pater Vasquez tom. 1. in 3. part. disputat. 9. num. 23. affirmat tantùm dari modum quemdam 1

vnionis, quo materia vnitur formæ, & forma materiæ per eamdem indiuisibilitatem.

2 Sententia assignans, duplicem vnionis modum variis modis explicari potest. Primò potest dici requiri duplicem vnionis modum, quorum vnus sufficiens sit, vt vniat materiam formæ, perfectè, & adæquatè, non item formam materiæ, qua de causa dandus est alius tenens se ex parte formæ, sicut in opinione, quæ distinguit relationem à termino, & fundamento, relatio similitudinis, quam fundat albedo *A* adæquatè eam similem constituit albedini *B*, tamen vt albedo *B* sit similis albedini *A*, indiget alia similitudine, quia non constituitur similis per similitudinem albedinis *A*, cuius est terminus, & non subiectum. Alio modo, qui forsan tantùm verbis differt à præcedenti, potest duplex vnionis modus exposci, vnus ex parte materiæ, quæ eam vniat vt subiectum, & formam vt terminum; & alterum ex parte formæ, quæ hanc vt subiectum vniat, & materiam vt terminum. Hoc modo asserit Hurtadus requiri duplicem vnionem, quem dixi tantùm differre verbis à priori, quia illum eodem exemplo relationis explicat, & probat. Quod si exemplum ad rem est, sicuti relatio albedinis *A*, quæ respicit vt terminum albedinem *B*, constituit relatam albedinem *A*, & non albedinem *B*, ita vnio materiæ, quæ respicit formam vt terminum, constituet vnitam materiam, & non formam. Nec dici potest exempli paritatem in hoc non tenere, quia cùm exemplum sit potissimum fundamentum, quo vtitur Hurtadus ad constituendam duplicem vnionem; vnam ex parte materiæ, & alteram ex parte formæ, quas vult multiplicari à paritate relationum, si paritas vim aliquam specie tenus sit habitura, necessum est dici vnionem materiæ non constituere formaliter vnitam formam, quia si dicatur oppositum, disparitas redditur in ipsa conclusione inter vnionem, & relationem, quia relatio huius albedinis non constituit aliam relatam, & ideo alia albedo relatione aliâ indiget, quâ formaliter relata constituatur. Si autem vnio extremum illud, quod vt terminum respicit, formaliter constituit vnitum, illud extremum aliâ vnione non indigebit, vt formaliter vnitum constituatur. Cùm dicitur vnionem huius extremi, materiam verbi gratia, vnire tanquam terminum, vel in re, nihil dicitur vel disparitas relationis assignatur, quia formam esse vnitam tanquam terminum per vnionem inhærentem materiæ, vel importat formaliter esse vnitam, ita vt illud additum *tanquam terminum*, sit ratio contrahens, & non diminuens, vel non simpliciter esse vnitam, quia illud *tanquam terminum*, non est additum purè contrahens, sed diminuens. Si primum dicatur, clarè appareret disparitas inter relationem, & vnionem, quia relatio huius extremi non constituit relatum terminum, quem respicit, & ita non sufficit relatio ad illum terminata vt illum formaliter referat, & ideo addenda est illi alia relatio, ex vi cuius referatur, vnio verò constituit formaliter vnitum terminum, quem attingit, & ita non indiget aliâ vnione, vt formaliter constituatur terminus vnionis vnitus. Si secundum dicatur, est dicere vnionem materiæ simpliciter vnire materiam formæ, & non formam materiæ, & nihil differt modus, quo Hurtadus duplicem vnionem assignat, ab illo quem primo loco retuli, quod numquam Hurtadus verbis fatetur, non enim audet dicere ex vi vnionis materiæ formam non esse vnitam, sed tantùm dicit non esse vnitam, vt subiectum, sed tantùm vt terminum. Alio modo posset excogitari duplex vnio, non quia necessum sit vt vna se teneat ex parte materiæ, & alia ex parte formæ, sed quia siue vtraque se teneat ex parte materiæ, siue vtraque ex parte formæ, siue vna ex parte materiæ, & altera ex parte formæ, quælibet semper eodem modo vnit materiam formæ, & formam materiæ inadæquatè, & ideo indiget consortio alterius vnionis, vt annectat adæquatè materiam, & formam inter se.

§. II.

Verâ sententia.

3 Sit Prima conclvsio. Non est excogitabilis vnio, siue in materia, siue in forma constituatur, quæ diuerso modo vniat materiam formæ, & formam materiæ, sed necessariò æquè strictè, & propriè vnit materiam formæ, & formam materiæ, ita vt si in materia tantùm subiectetur, nihil materiæ accrescat in ratione vnitæ, quod non eodem prorsus modo formæ conueniat, in qua talis vnio non subiectatur, nec poterit dici materia specialiter vnita, vt subiectum, sed tantùm eâdem ratione, quâ forma, quæ tantùm est vnionis terminus, ex vi illius vnita dicitur. Hæc conclusio est contra Hurtadum, & contra duos priores modos assignandi duplicem vnionis modum: pulchram illius rationem à priori desumptam accipe. Effectus formalis vnionis est constituere illud, quod vnit, componens vnum compositum cum alia comparte: ergo vnio, quam dicet se tenere ex parte materiæ constituit materiam componentem vnum cum forma: ergo eadem formaliter constituit formam componentem vnum totum cum materia. Probo consequentiam: implicat adhuc mente ex parte obiecti præscindi hos conceptus: materia componens vnum cum forma, & forma componens vnum cum materia: ergo implicat ex parte obiecti præscindi effectum formalem quem præstat materiæ vnio in ordine ad formam, ab effectu, quem præstat formæ in ordine ad materiam. Conceptus præscindi non posse sic probo. Materia componens vnum cum forma ex parte obiecti nihil aliud est quàm vnum compositum ex materia, & forma: forma componens vnum cum materia similiter ex parte obiecti formaliter importat compositum ex forma, & materia: ergo hi conceptus *materia componens vnum cum forma*, & *forma componens vnum cum materia*, formaliter identificantur cum hoc tertio *compositum ex materia & forma*; ergo identificantur inter se: ergo vnio quæ pertinet ad constitutiuum horum conceptuum adhuc formaliter non distinguitur. Neque potes dicere conceptus hos distingui, quia dicunt diuersas entitates in recto, etiamsi dicant easdem, si computentur illæ, quas dicunt in recto, & in obliquo, non habitâ ratione diuersi modi, quo hæ in recto, illæ in obliquo dicuntur, quia ego argumentor de conceptu obiectiuo quatenus distincto à formali, quo significatur, in quo non est rectum, neque obliquum, quod tantùm extrinsecè conuenit obiecto ex diuerso modo, quo significatur, & intrinsecè, & in se semper est idem obiectum significatum; ergo si conceptus isti *materia componens vnum cum forma*, & *forma componens vnum cum materia*, & *compositum ex materia & forma* tantùm differunt ex eo, quod vnus significat in recto, quod alius in obliquo, & conueniunt in omnibus obiectis significatis præscindendo à diuerso modo obliqui & recti, quo significantur, non distinguuntur ex parte obiecti, sed tantùm ex parte cognitionis, quâ diuerso modo cognoscuntur, quæ nullam distinctionem realem importat in obiectis cognitis.

4 Dices conceptum hunc, *materia componens vnum cum forma*, dicere vnionem subiectatam in materia, & conceptum istum, *forma componens vnum cum materia*, dicere vnionem subiectatam in forma, & alium conceptum, *vnum compositum ex materia & forma*, dicere duplicem vnionem vnam subiectatam in materia, & alteram in forma. Sic dicendum existimo in doctrina Hurtadi asserentis vnionem materiæ illam vnire tanquam subiectum, & formam vt terminum; sed hanc solutionem, & Hurtadi doctrinam sic euerto. Demus vnionem creari, quod fieri posse concedit Hurtadus disputatione 12. sect. 5. tunc illa vnio nullum haberet subiectum inhæsionis, quia non fieret per passionem, & constitueret idem compositum, verbi gratiâ, eumdem hominem, quia actio, & passio non pertinent ad constitutionem hominis, neque alicuius substantialis compositi, quæ omnia concedit Hurtadus sectione citatâ, & expresè affirmat §. 97. creatâ vnione extrema perficienda esse per eamdem vnionem, quæ per se ipsam, & non per inhæsionem est illorum perfectio, & hominem compositum per vnionem creatam essentialiter fore eumdem. Ex quo manifestè infero hominem compositum ex materia, & forma non dicere formaliter neque identicè vnionem receptam in materia, aut forma, sed tantùm accidentaliter tanquam quid non pertinens ad illius constitutionem dicere vnionem receptam in illo extremo, in quo de facto recipitur, & eodem modo totum compositum idem omnino intrinsecè inuariatum permansurum, si in altero, vel etiam in neutro reciperetur, ergo de ratione huius conceptus, *homo compositus ex materia & forma*, non est receptio vnionis in aliqua parte illius: ergo neque de ratione horum *materia componens vnum cum forma*, & *forma componens*

componens vnum cum materia, quia nihil possunt hi conceptus includere, quod in illo priori non includatur.

Efficacissimè eumdem dicendi modum iterum reiicio. 5 Do vnionem subiectari in materia: materia quatenus vnita formæ non dicit illam receptionem vnionis: ergo materia quatenus vnita formæ non dicit vnionem recipi in ipsa materia. Consequentia est euidens. Antecedens probo: Materia quatenus vnita formæ dicit vnionem immediatè per se ipsam efficientem ipsam materiam, & tanquam modum inseparabilem ab ipsa materia, sed vnio non respicit immediatè materiam, neque tanquam modus illius, mediâ inhæsione, sed per se ipsam, ergo vnio vt modus est materiæ, non respicit illam tanquam subiectum inhæsionis, quia ab illa tanquam, à subiecto inhæsionis potest separari; ergo non illam vnit quatenus est subiectum inhæsionis illius. Patet consequentia, vnio vnit materiam quatenus est illius modus, & quatenus est inseparabilis ab illa, & quatenus per se ipsam illam attingit, sed non est modus materiæ vt subiecti inhæsionis, neque est inseparabilis ab illa tanquam à subiecto inhæsionis, quia potest creari vnio, & tunc separabitur à materia tanquam à subiecto inhæsionis, neque per se ipsam vnio attingit materiam tanquam inhæsionis subiectum, quia inter vnionem, & materiam formaliter, vt subiectum mediat inhæsio distincta ab vnione, & materia: ergo vnio non vnit materiam quatenus est illius subiectum inhæsionis: ergo ex hoc capite non magis, neque diuerso modo vnit materiam, quàm formam, quia inhæsio superaddita vnioni omnino impertinens est, vt vniat, cùm vnio non per inhæsionem, sed præcisè per suammet entitatem formaliter, & adæquatè vniat: ergo ex eo quod vnio inhæreat materiæ & non formæ non vnit diuerso modo materiam, ac formam: ergo non est constituenda diuersa vnio ex parte formæ, ex eo quod vnio se tenens ex parte materiæ inhæreat materiæ, & non formæ.

6 In confirmationem eiusdem sententiæ argumentum desumitur ex vnione Verbi ad naturam humanam, quæ tantùm naturæ inhæret, & vnit formaliter vtrumque extremum, naturam videlicet & Verbum. Respondet Hurtad. ex vi huius vnionis vniri Verbum non tanquam subiectum, sed tanquam terminum. Solutionem hanc abundè impugnaui n. 5. vbi probaui, vnionem non vnire extremum, cui inhæret, quatenus illius est subiectum, sed tantùm immediatè quatenus est modus illius subiecti, & illud respicit vt extremum immediatè vniendum, quomodo illud respiciet, siue in illo subiectetur, siue non subiectetur, vnio enim vnit omne extremum quatenus extremum, & terminum illius, & nullum tanquam subiectum, licet vniat extremum illud, in quo subiectatur, quia non illud vnit quatenus in illo subiectatur mediâ passione, sed quatenus illud immediatè per se respicit tanquam extremum & terminum vnionis. Ex quo inferes vnionem subiectatam in natura, æquè respicere Verbum & ipsam naturam tanquam terminos, licèt insuper naturam tanquam subiectum respiciat, ex vi cuius illam non vnit, Respondet secundò naturam non esse perfectionem Verbi, ac proinde non requirere vnionem in Verbo, quia nonvnitur illi tanquam extremo perfectibili, partes verò essentiales vnam esse perfectionem alterius, & hac ratione duplicem vnionen requirere. Præcludam hoc effugium num. 10. vbi explicabo quomodo partes essentiales se mutuò perficiant.

7 Alium dicédi modum videlicet requiri duplicem vnionem, siue vtraque sit ex parte materiæ, siue ex parte formæ, vel vna ex parte materiæ, & altera ex parte formæ, quia vna sufficiens non est, vt vniat adæquatè extrema, & ideo aliam eiusdem rationis necessariam esse, vt vtraque simul constituant extrema vnita, quæ altera tantùm vnire non potuit. Nullus huevsque somniauit hunc dicendi modum, ideo solùm reiiciendum, quia nullo nititur fundamento, eâdem enim ratione posset quis dicere requiri duplicem potentiam visiuam, vt animam constituat potentem videre, quia vna sufficiens non est, vt adæquatè hunc præstet effectum, & similiter duplicem quantitatem, vt subiectum extendatur, quia simplex quantitas non est potens adæquatè subiectum extendere.

8 Ex his constat materializationem & informationem eamdem esse simplicem entitatem indiuisibilem, sicut actio & passio, quia informatio nihil aliud est, quàm vnio formæ ad materiam, mediâ quâ forma exercet munus partis formalis componentis, in ordine ad quam vnio, informatio dicitur, materializatio verò est vnio materiæ ad formam mediâ quâ, materia exercet munus partis materialis actu componentis compositum, in ordine ad quam materializatio dicitur eadem vnio, quæ in ordine ad formam informatio denominatur.

§. III.

Satisfit Hurtado.

9 Argumentatur Hurtadus ad probandum dandam esse duplicem vnionem. Modus vnionis debet recipi in materia, & in forma: sed idem modus vnionis non potest recipi in materia, & in forma: ergo duplex est assignandus. Maiorem probat: forma, vt vnita, est perfectio materiæ: ergo vt vnita debet recipi in materia: ergo modus vnionis debet recipi in materia. Vrget Hurtadus in forma hominis, quæ secundùm se non potest recipi in materia: ergo debet recipi vt vnita: ergo debet recipi illius vnio in materia. Similiter materia vt vnita est perfectio formæ: ergo forma debet recipere materiam vt vnitam: ergo debet recipere illius vnionem, non enim alio modo materiam, vt vnitam forma potest recipere nisi recipiendo vnionem: formam esse perfectionem materiæ, & materiam esse perfectionem formæ probat Hurtadus ex eo, quod vtraque sit entitas incompleta complenda, & perficienda per aliam. Minorem probat, quia idem modus vnionis non potest subiectari in materia, & in forma hominis, quia si materialis sit, non poterit subiectari in forma spirituali, & si spiritualis, non poterit in materia corporea recipi.

10 Fatetur Hurtadus num. 130. hoc argumentum efficax non esse ad probandum duplicem vnionis modum in aliis compositis præter hominem, videamus an fateri debeat adhuc in homine esse prorsus inefficax. In primis nescio quomodo hæc componat Hurt. cum doctrina, quam tradit disp. 12. sect. 5. citatâ, vbi docet vnionem posse creari, & inquirit an extrema eo casu perficerentur per vnionem creatam: Huic difficultati respondet §. 97. citato. Respondeo eâ perfectum iri vnione, quia hæc per se ipsam est vtriusque partis perfectio, &c. ergo ad hoc vt materia perficiatur per formam media vnione necessum non est ex mente ipsius Hurtadi vnionem in ipsa recipi, quandoquidem per vnionem creatam perficeretur, quia vnio per se ipsam est perfectio vtriusque partis. Venio ad alia. Sunt multi, qui affirmant accidentia materialia subiectari in toto composito, etiam in homine, & vnionem materialem in eodem posse recipi in toto composito, & inadæquatè in anima, de quo Puncto sequenti, in quorum sententia neganda est minor prioris syllogismi ab Hurtado confecti, de qua erit tota argumenti contentio. Quia tamen incerta res est, an eadem entitas possit subiectari in subiecto materiali, & spirituali, de qua modò cum Hurtado contendere nolo, alio modo radicitus argumento neruos præcido. Nego maiorem, videlicet vnionem recipiendam esse in materia, & forma. Ad confirmationem respondeo materiam perfici per formam, & formam per materiam, non secundùm suas entitates intrinsecas, sed in ordine ad totum, in quo vtraque perficitur, non in se ipsis, quia in se semper remanent entitates inadæquatæ, sed in toto, & ita necessum non est, vt se inuicem perficiant, vt mutuò se recipiant, sed vt vniantur, & communicent in eodem toto, in quo absque vlla receptione mutuò perficientur iuxta dicta Cont. 2. Punct. 3. §. 3.

11 Argumentatur secundò Hurt. Si relatio similitudinis distingueretur à fundamento, & termino, relatio fundamente inhærens, non sufficeret, vt terminum constitueret similem: sed necessaria esset alia relatio, ex parte termini: ergo datâ vnione superadditâ inter materiam & formam, duplex danda est, quædam ex parte materiæ, & altera ex parte formæ. Parco arguendi modo; possem enim dicere ex vi huius suppositionis intrinsecè per modum quemdam superfluum, quia eo ipso quod ponatur fundamentum, & terminus per suas entitates formaliter relata constituuntur, ac proinde si supponitur modus alius in aliquo extremo, supponitur entitas quædam superflua in rerum natura, quæ pari iure, vel potius non impari iniuriâ debet poni in vno extremo, ac in alio, cùm neutrum, neque determinatè, neque indeterminatè illum exigat, neque aliquod illo. um melius ius habeat, vt talem modum

tanquam sibi necessarium exposcat, neque tanquam sibi superfluum respuat. Neque volo ex Arriagæ doctrina respondere modum vnionis posse eumdem in materia, & forma subiectari, relationem verò non posse vtrumque extremum per modum vnius subiecti indiuisibilis respicere, & ita necessariam esse duplicem relationem, vt in vtroque extremo relato subiectetur relatio, non tamen necessariam esse duplicem vnionem, vt vtrumque extremum vniendum sit subiectum vnionis; quia in vtroque tanquam in subiecto adæquato, & illorum quocumque tanquam in subiecto inadæquato potest eadem indiuisibilis vnio subiectari. Quod si solutionem hanc velis impugnare ex doctrina eiusdem Hurtadi asserentis non posse eumdem modum vnionis subiectari in materia, & in forma, memineris quæso ipsum Hurtadum dixisse §. 130. ex hoc capite tantùm in homine posse duplicem vnionis modum propugnari.

12 Alias rationes adducit Hurtado ad probandum dãdam esse duplicem relationem in duplici extremo, quibus ipse sibi respõdisse poterat: asserit §. 143. relationem in causa & in effectu esse diuersæ rationis, vt patet in paternitate, & in filiatione, ac proinde non posse per eamdem relationem referri Patrem ad Filium, & Filium ad Patrem. Admitto hanc doctrinam & ex illa Hurtado respondeo, relationes multiplicandas esse in causa, & effectu propter hanc rationem, quæ non inuenitur in extremis vt vnitis, in quibus vnio eiusdem rationis esse potest, ac proinde necessum non est excogitare diuersas vniones, vt diuerso modo referentur causa & effectus. Si dicas in extremis relatis relatione similitudinis hanc non inueniri rationem, dicam in his relationes multiplicandas esse, quia extrema similia sæpe sunt loco dissita, & eadem relatio non potest constitui in duplici loco, neque extremum distans constituere relatum. Instat Hurtadus esse aliqua extrema relata, quæ non possunt loco distare, quod probat ex potentia vitali, & illius actibus in quibus est mutua relatio, & separari non possunt. De relationibus causæ ad effectum, & effectus ad causam, quæ in potentia & actibus reperiuntur, rationem aliam nuper dederam, ex ipso Hurtado desumptam. Verumtamen quia in opinione, quæ relationes has admittat, hæc eadem extrema relatione diuersitatis referuntur, affirmo posse extrema relata relatione eiusdem rationis, quæ dici solet relatio æquiparantiæ, referri vnâ eadémque relatione. Contra hunc dicendi modum nimis ardens insurgit Hurtadus; asserit, duplicem relationem absque fundamento non esse denegãdam ex eo solùm, quod nulla ratio vrgeat ad has relationes multiplicãdas. & ab omnium sensu non esse puerilem in modum discedendum, sed cum fundamento adeò præsente, vt omnes opprimat. Rogo Hurtadum, quo fundamento relationes omnes superadditas neget contra omnes Doctores, qui illas defendunt? Hoc certè omnium præcipuum est, absque his relationibus superadditis præcisè ex eo quod supponantur fundamẽtum, & terminus, vtrumque intelligitur relatum: ergo otiosè ponitur illa relatio: ergo ponẽda non est. Sic arguit Hurtadus disput. 15. Metaphysic. sect. 2. §. 14. & 15. Sicque argumentantur doctissimi viri, quo fundamento doctè & maturè satis discedunt ab authoribus, qui relationes superadditas admittunt: ergo qui eãdem formã arguendi seruatã duplicem relationem in his extremis, quæ separari nequeunt, negarent, sic arguentes: positã simplici relatione vtrumque extremum intelligitur relatum: ergo superfluit secunda relatio: ergo ponenda non est; non discederent puerilem in modum, ab his qui duplicem relationem concedunt, sed eãdem ratione, quã ipse Hurtadus ab eisdem Doctoribus magis discedit, dum eodem fundamento, quo illi multiplicitatem relationum simplici quadam relatione admissã negãt, omnem relationem superadditam euellit.

13 Rationem aliam disparitatis inuenio apud eumdem Hurtadum, vt illius hypothetico argumento satisfaciam: Ait Hurtad. §. 143. ad causam referri effectum esse omnino independens à relatione causæ ad effectum, quia creatura refertur ad Creaturam, & Creator non refertur ad creaturam. Ex qua doctrina respondeo ex conceptu vnius extremi relationis non esse alterum extremum esse relatum, quia possunt separari, & ideo non sufficit relatio, quã constituitur hoc extremum relatum, vt illud formaliter referatur: de conceptu verò vnius extremi vniti est alterum extremum esse vnitum, & de potentia Dei absolutã non potest materia esse vnita formæ, quin forma sit vnita materiæ, neque ex parte obiecti præscindi possunt hi conceptus: *materia est vnita formæ, & forma est vnita materiæ.* Hac de causa multiplicanda non est vnio in extremis vnitis, cùm illud vnitum maneat ex vi formæ, quã hoc illi vnitur; secus in relationibus quorum vnum extremum relatum non est, ex eo quod aliud ad illud referatur. Dices, neque mente præscindi posse albedinem *A* esse similem albedini *B*, & albedinem *B* esse similem albedini *A*, neq; Petrum esse eundẽ relatione identitatis cum Ioanne, & Ioannẽ habere eamdem identitatem relatiuam cum Petro. Neque Antonium esse diuersum ab equo Bucephalo, & equum Bucephalum esse diuersum ab Antonio: ergo eadem est ratio de relatione & vnione. Hæc obiectio impugnat multiplicitatem relationum, non simplicitatem vnionis; si enim præscindi nequeunt hi conceptus, Antonius est diuersus à Bucephalo; & Bucephalus est diuersus ab Antonio, sequitur per eamdem relationem constitui vtrumque diuersum. Consequentiam non negant Patroni harum relationum, sed consequens, & antecedens neque in illorum opinione potest admitti, cùm ipsi asserant hominem diuersum esse à Deo relatione diuersitatis, & Deum similem relationem non habere, & asserant Antonium esse diuersum à Bucephalo per relationem quandam ex vi cuius formaliter Bucephalus non est diuersus ab Antonio, sed aliã indiget relatione, vt diuersus constituatur. Quæ omnia ego falsa esse iudico, & ideo affirmo has omnes relationes superadditas esse auferendas, & vtrumque extremum per eamdem relationem referri ab vtroque simul sumpto realiter, & formaliter ex parte obiecti indistinctam. Neque à me petendum est vt argumenta soluam, quibus vtor ad has relationes superadditas expungendas, sed si ex suppositione opinionis, quæ relationes superadditas admittit, fiat argumentum ad vnionum multiplicitatem probandam, inconcussa esse debent omnia principia per locum intrinsecum connexa cum conclusione has relationes superadditas statuente, illísque suppositis argumentum procedere, & ideo supponendum est conceptum diuersum dicere albedinem *A* esse similem albedini *B*, & albedinem *B* similem esse albedini *A*, & sic de aliis relatiuis.

Vltimò respondeo relationem non referre terminum 14
purè terminum ad suum subiectum, quia respicit terminum tanquam quid extrinsecum; vnionem verò terminum vnire, quã illum tanquam intrinsecum terminum attingit.

§. IV.

Incidens difficultas explicatur de natura intrinseci.

EX solutione suprà data alia quæstio suboritur quid sit 15
intrinsecum respectu alterius, quare vnio vtrique termino intrinseca sit dicenda, & relatio tantùm fundamento intrinseca dicatur, & termino extrinseca? quare actio extrinseca sit agenti & intrinseca termino? Hurtad. suprà disput. 5. citata §. 45. terminum intrinsecum definit: *Terminus intrinsecus est ille ad quem aliqua res refertur, quæ illi non est extrinseca, & quæ ab illo non dependet in genere causæ materialis, neque aliunde extrinsecè.* Hanc definitionem rectè impugnat Arriaga disput. 4. sect... subsect. 3. quia licèt aliqua rectè per negationem definiantur, res positiua nunquam definienda est per negationem suæ negationis: extrinsecum autem est negatio intrinseci: ergo dicere non extrinsecum, est idem ac dicere intrinsecum, magis obscurè & inuolutè, sicut si quis definiret lucidum, quod est non tenebrosum. Deinde etiamsi extrinsecum non diceret formaliter negationem intrinseci, certè æquè ignotũ est quid sit extrinsecum, & quid intrinsecum, ac proinde definitio non est bona, siquidem definitũ per æquè ignotum, & non per aliquid notius illo explicat. Arriaga suprà num. 11. terminum intrinsecum definit: *Terminus intrinsecus est, qui vnitur, & non extrinsecè cum alio neque in genere causæ materialis, aut formalis.* Peccat Arriaga in quo Hurtadum reprehenderat, idem enim est terminum intrinsecum definire per *non extrinsecè*, & per *non extrinsecum*, æquè enim est vterque terminus ignotus, & eamdem formalitatem, licèt diuerso modo significatã, importat. Deinde terminus actionis, quem dicit Arriaga intrinsecum esse non vnitur actioni, sed tantùm actio connexionem habet cum illo, sine quo esse nequit, & huic similem connexionẽ habet cum principio effectiuo, cui eadem actio extrinseca dicitur.

Easdem

Easdem patitur impugnationes alia definitio, quam refert Hurtad.§.86. scilicet, *terminus intrinsecus est qui cum re quam terminat init compositionem intrinsecam.* Hæc definitio clariùs aliis definitum in definitione adhibuit.

16 Alij dicunt terminum intrinsecum esse illum, *qui est intimè præsens viæ, seu respectu cuius est terminus.* Posset impugnari hæc definitio, quia Deus est necessariò intimè præsens actioni creatæ, quæ illi est extrinseca. Respondeo Deum esse intimè præsentem actioni, non præcisè, quia ab illo oritur actio, ex hoc enim capite sufficeret illi esse immediatum, sed quia immensus est, & intimè præsens actioni ab illo immediatè ortæ, sicut omni termino ab ipso producto, & sicut esset præsens cuilibet entitati existenti in rerum natura, etiamsi per impossibile fingeretur ab illo independens. Secundò obiicitur contra hanc definitionem: relatio diuersitatis, quam dicit vnio ad materiam, quam respicit vt terminum extrinsecum, in opinione, quæ has relationes agnoscit, & necessariò est intimè præsens materiæ. Respondeo materiam non petere esse intimè præsentem relationi diuersitatis quam habet vnio ad illam vt terminet hanc relationem, neque relationem immediatè petere materiam approximatam, vt in illam tendat, sed tantùm relationem exigere intimam præsentiã cum vnione, in qua subiectatur, & quia vnio petit esse intimè præsentem materiæ, tunc est, quod relatio non immediatè neque ratione sui, sed mediatè, & ratione subiecti petat intimam præsentiam cum termino, tendentia autem intrinseca non mediatè tantùm, & ratione alius, sed immediatè, & ratione sui exigit intimam præsentiam cum termino. Fortiùs existimo hanc opinionem impugnari ex vnione integrali, quæ intrinseca est vtrique termino, cui non est intimè præsens, in communi enim sententia indiuisibile vnitiuum duarum partium quantitatis alteri tantùm est intimè præsens, & in mea sententia quam explico Controuers.17. neutri est intimè præsens, & tamen vtrique intrinsecum est.

17 Illa ego inter se mutuò intrinseca vocarem, *quæ pertinent ad constitutionem vnius per se*, vnum per se voco, quod distinguitur à toto morali, seu ab aggregato, quod nullâ vnione physicâ nectitur, quod totum se extendit ad totum integrale, & essentiale, ad totum substantiale & accidentale. Secundùm hanc definitionem vnio inter materiam & formam accidentalem, & substantialem, & inter quascumque partes integrantes per se ipsam intrinseca est extremis, quia per se ipsam pertinet simul cum illis ad constitutionem vnius per se. Materia, & forma, accidentia physica, & subiectum illorum, partes integrantes inter se mutuò sunt sibi intrinseca, quando actu sunt vnita per vnionem superadditam, ratione cuius, pertinent ad constitutionẽ vnius per se, non per suas entitates, quia seclusâ vnione materia est valde extrinseca formæ, & forma materiæ, & pars integralis alteri comparti, sicuti modò anima separata extrinseca est cuicũque materiæ, & substantia aquæ alteri aquæ, cui potest integraliter vniri. Secundùm hanc definitionem relatio prædicamentalis intrinseca est subiecto cui vnitur, & cùm quo constituit vnum per se accidẽtale, non termino, cùm quo nullum totum per se cõstituit. Similiter actio extrinseca est agenti, & passio intrinseca subiecto, & principio operanti immanenter quatenus subiecto illius, cum quo constituit vnum per se accidentale, quod non constituit cum principio transeunter operante. Vnum in hac definitione difficile est, videlicet secundùm illam terminum productum non dicendum esse intrinsecum actioni ex vi cuius producitur, quia nullum totũ per se cum illa constituit, neque aliquam cum eo vnit compositionem. Arriaga suprà dicit ex actione, & termino producto fieri vnum, sed ego non calleo hanc vnionem inter actionem & terminum, neque rationem aliquam inuenio, propter quam actio cum termino, & non cum principio vnionem habeat, quia ab vtroque distinguitur, in neutro recipitur tanquam in subiecto, à termino tantùm à posteriori, & à principio à priori dependet: ergo non est maior ratio cur dicatur actio vnita termino, potiùs quàm principio: fateor rationem exigere intimam præsentiam cum termino, & non cum principio, sed ex hoc capite intrinseca tantùm localiter dici poterit, non enim ex illo ratio intrinseci aut extrinseci desumenda est, vt probaui n.16.

18 Cæterùm sicuti nullam rationem inuenio; propter quam dicenda sit actio constituens vnum cum termino, ita nullam agnosco, propter quam dici debeat illi intrinseca, & ideo æquè extrinsecam dicendam esse censeo termino, & principio, ab vtroque enim æquè distinguitur, & neutri horum vnitur: quod si vulgo actio intrinseca termino dicatur, ideo est, quia si aliquod subiectum habet, idem est vtrique commune, & quia intimè penetrantur, ex quo aliqua ratio intrinseci impropriè, & tantùm in ordine ad totum, non verò propriè, & strictè desumi potest. Ex alio capite fundamentum aliquod desumitur, vt vulgo actio intrinseca termino dicatur, & non principio effectiuo, quia principium effectiuum non indiget ad suam existentiam actione, quæ ab illo fluit, terminus verò subsistere nequit sine aliqua actione, quam terminat, sed hoc propriè non est actionem esse intrinsecam termino, sed terminum intrinsecè, & per suam entitatem actione indigere. Neque ex eo quod dicamus actionem non esse intrinsecam termino contra communem Doctorum sententiam sentimus, qui actionem termino intrinsecam appellant, quia Doctores de hac re non ex professo disputarunt, neque distinxerunt inter illa, quæ propriè, & impropriè aliis intrinseca dicebantur, & ideò in re parui momenti vulgo indulsere, qui actionem absolutè termino intrinsecam vocauit. Si autem velis defendere actionem intrinsecam dicendam esse termino, rationem intrinsecè sic defini: Intrinsecum alicui est illud, *per quod formaliter constituitur productum, vel cum quo componit vnum per se.* Si enim semel statuamus entitates definitione amplectendas, postea non difficile erit illis opportunam definitionem accommodari; hanc actioni competere respectu termini certum est, quia ex vi actionis terminus formaliter productus constituitur, conuenit etiam aliis entitatibus, quas intrinsecas dicimus, vt explicatum est n.16. Neque vitio dandum est huic definitioni per disiunctionem tradi, ratione cuius non vna pro omnibus definitis, sed duplex reddetur definitio accommodè inter illa distribuenda, hoc enim tantùm est reprehendendum, cùm omnia definita possunt per eumdem conceptum explicari, sunt tamen plura, quorum quidditas non potest per simplicem exprimi conceptum, quæ etsi non ita bene ac si per simplicem conceptum definirentur, aptè tamen, dum ille nobis non suppetit, per duplicem conceptum describuntur.

Punctum III.

In quo extremo subiectetur vnio.

1 Dixi vnionem per se, & immediatè vtrumque extremorum connectere independenter ab inhæsione, & æquè vnire illud, quod tantùm immediatè per se ipsam vt terminum, respicit, ac alterum, quod non tantùm respicit, per se ipsam vt terminum, sed etiam mediâ inhæsione vt subiectum. Inquiro modò quod subiectum afficiat mediâ inhæsione vnio per se ipsam annectens materiam & formam. P. Vasquez tom.1. in 3. partem disput.19. num.23. asserit vnionem subiectari in forma, idem docere videtur P. Soar. de vnione compositi materialis disput. 13. sect. 9. num.13. vbi docet vnionem inter materiam & formam potiùs se tenere ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, & materiam quoad suam entitatem tantùm mutari ratione priuationis formæ, vel ratione formæ denuo aduenientis, non ratione modi vnionis. De vnione tamen inter materiam & formam hominis intercedente expresè docet disp.15. sect.3. in fine n.9. educi non solùm ex materia, aut ex forma solùm, sed simul ex materia, & forma tanquam ex subiecto adæquato, & ex illa cum qualibet seorsim sumptâ, tanquam ex subiecto inadæquato. Item docet Arriaga disp.4. sect.4. subsect.4. de omni vnione essentiali cuiuscumque compositi substantialis. Hurtadus qui tenet dari duplicem vnionem substantialem in composito docet disput.5 sect. 5. vnam vnionem subiectari adæquatè in materia, & alteram in forma. P. Rub. lib.1. physicorum lib.4. n.65. Noster Albertinus tom.2. Cord. de prædic. subst. q.5. docent modum vnionis in omnibus compositis essentialibus subiectari adæquatè in materia.

2 Nihil solidum in hac difficultate inuenio quod in aliquam partem animum affigat, vnus inter omnes dicendi modos displicet illorum, qui asserunt vnionem materialem subiectari in materia, & forma, quia nulla est ratio, quæ prohibeat illam in materia adæquatè recipi, neq; quæ cogat eundem, neque inadæquatè in forma constituere, &

ideo absque necessitate, & sine fundamento dicitur rem materialem posse educi è subiecto spirituali adhuc inadæquato, quod impugnabo, dum de subiecto sensationum materialium hominis disputabo Contr 3. de anima Punct. 1. §. 2. Quod si diceremus modum vnionis spiritualem esse, in eamdem, imò in maiorem difficultatem incideremus, dum ex subiecto materiali modum spiritualem concederemus eductum.

3 Præmitto quod satis fusè explicui Puncto præcedenti, modum vnionis non necessariò subiectari in extremo, quod vnit, quia etiamsi crearetur absque vllo subiecto, vtrumque vniret, quod immediatè, & per se præstat. Ex hoc infero, non esse necessariò in materia, & in forma cõstituendum, sed sufficienter constitui in harum altera. Ex hoc probabiliter conjector recipi in materia, & non in forma, hoc enim quod est recipere, propriùs est materiæ, quæ est primum subiectum, cuius munus est recipere & materialiter causare, quàm formæ. Secundò: vnio producitur ab agente naturali, à quo producitur forma materialis, quæ non creatur: ergo ex eodem subiecto educit agens formam, & vnionem: sed forma materialis educitur ex potentia materiæ: ergo & vnio. Tertiò omnes dispositiones, quæ disponunt ad formam disponunt ad vnionem: ergo sicut forma & vnio habent commune subiectũ dispositionum, ita habebunt cõmune proprium subiectum. Quartò: communis Philosophorum sententia tenet generationem subiectari in materia prima: sed generatio terminatur ad vnionem, vt probabo proprio loco, ergo vnio subiectatur in materia prima. Probo consequentiam: Actio & terminus actionis subiectantur in eodem subiecto: sed actio generatiua subiectatur in materia: ergo vnio, quæ est illius terminus. Video hæc fundamenta rem non demonstrare, sed videbis, quàm inefficacius rationes aliorum Doctorum oppositas suadeant sententias.

4 Obiicit Vasquez suprà: Forma est indifferens, vt sit per se separata à materia, vel in materia, si illam informet: ergo indiget aliquo in illa recepto ad hoc, vt constituatur in materia, & illis vnita: Concedo antecedens, & distinguo consequens; indiget alio modo recepto in ipsa forma, nego consequentiam: terminato ad formam, concedo consequentiam. Rem explico: forma materialis duplicem indifferentiam habet respectu subiecti, quamdam vt ex illo educatur, vel vt existat independens ab illo tanquam à causa materiali, hæc indifferentia tollitur per creationem quâ forma constituitur independens à materia, vel per eductionem, quâ constituatur dependens à materia, & illi inhærens, seu in illa recepta. Creatio, & eductio formæ ad formam terminantur, eductio respicit materiam tanquam principium passiuum, in quo per se ipsam recipitur. Creatio nullum principium passiuum habet, neque in aliquo recipitur. En hæc indifferentia formæ determinatur secundùm vtrumque extremum, quin aliquem modum in se recipiat. Aliam indifferentiam habet forma materialis communem etiam animæ rationali, vt vniatur, vel non vniatur subiecto. Hæc determinatur per negationẽ vnionis terminatæ ad illam, vel per vnionem terminatam ad ipsam, & in materia receptam. Sicuti affirmat Vasquez indifferentiam materiæ, vt vniatur, vel non vniatur formæ determinari per negationem vnionis, vel per vnionem non receptam in materia: sed tantùm in forma.

5 Obiicit Soar. Tota agentis vis eò tendit, vt educat formam ex materia: ergo consequenter vt ponat vnionem in forma. Consequentiam nego.

6 Obiicit Hurtado suprà §. 68. ad conceptum rei perficientis, quæ suum effectum formalem subiecto communicat, requiritur, vt ille effectus formalis sit communicabilis per motum, aut generationem receptam in ipso subiecto: ergo vt vnio tribuat suum effectum formalem formæ, & materiæ debet recipi in vtraque per motum, & generationem. Antecedens probat: Verbum est vnitum humanitati, & non perficitur per illam: ergo ad hoc, vt vnum extremum perficiatur non sufficit terminare vnionem inter vtrumque, sed requiritur virtus receptiua extremi, vt vniti per proprium motum, ex defectu cuius Verbum non perficitur per naturam humanam, & natura humana, quæ illius vnionem recipit per illud perficitur. Respondeo negando antecedens, quia vt Puncto præcedenti ex ipso Hurtado dicebam, vnio per se ipsam, perficit materiam, & formam. Ad confirmationem respondeo, non ideo Verbum non perfici per naturam, & naturam perfici per Verbum, quia vnio Verbi recipitur in natura, & non in Verbo, quia si vnio hypostatica crearetur, & etiamsi natura rationalis daretur incapax recipiendi in genere causæ materialis hypostaticam vnionem, quæ de facto illam terminaret, & per vnionem hypostaticam Verbo vniretur, per illud perficeretur, quod negare non audebit Hurtadus: ergo perfici, vel non perfici per vnionem non ex eo est quod vnio recipiatur vel non recipiatur in materia. Dico Verbum non perfici per vnionem ad naturam, quia in se est infinitum, & hæc vnio, aut natura vnita non est complementum Verbi, neque aliquo modo illâ indigebat Verbum, neque ad illam ordinabatur, neque talis vnio, aut terminus illius Verbum eleuat ad aliquam operationem, aut euoluit ad aliquem statum altioris ordinis, quem Verbum ex se non pertingeret, quæ propria sunt perfectionis, & formæ perficientis subiectum. Natura verò per hanc vnionem mille modis perficitur, in primis enim illâ indiget natura vt subsistentia Verbi suppleat defectum propriæ; deinde effertur ad infinitam sanctitatem, & instituitur sancta eadem sanctitate, quâ Deus sanctus est, & constituitur pertinens ad hoc suppositum Christus Filius Dei naturalis. Denique innumeris modis expendunt Scriptura, & Patres quomodo Verbum exinanitum sit per hanc vnionem hypostaticam ad naturam humanam, & naturam humanam per eandem perfecerit, & ad fastigium supremi honoris euexerit. Quæ ergo perfectio accrescet ex vnione ad naturam humanam diuino Verbo, ex quo omnis perfectio, & in quo omnium perfectionum scaturgio? aut quæ accrescet illi, si vnionem naturæ reciperet, cuius receptio non solùm Verbo perfectionem non pareret, verùm etiam imperfectionem creaturæ, & carentiam infinitæ perfectionis, quâ gaudet, argueret? Quæ perfectio ex hac vnione non naturæ superinnatauit? quæ mediâ illâ latices fontalis originis omnium perfectionum exhaurit.

Obiicit Arriaga: Cùm sunt duo ignes applicati ad producendum calorem, vtrique debet applicari calor productus tanquam effectus: Sed materia, & forma sunt applicatæ ad recipiendam vnionem: ergo vtrique illius receptio applicanda est. Respondeo applicationem ad recipiendum, vel agendum supponere virtutem extremi applicati ad actionem, vel receptionem, ad quam applicatur, & ex hoc capite formam non esse applicatam ad recipiendam vnionem, quia non habet virtutem receptiuam respectu illius. Vnionem in compositis cuius forma est materialis, materialem esse, nullus ambigit. Item in homine eiusdem esse conditionis constat ex materia, in qua recipi probauimus, ex subiecto enim materiali modum spiritualem educi melior Philosophia non admittit. De vnionis diuisibilitate dicam Controu. 1. de anima Puncto 6. 7

CONTROVERSIA V.

De toto substantiali.

Agi de omnibus principiis, ex quibus totum conficitur, accedo modò ad totum, quod ex illis coalescit.

Punctum I.

An totum distinguatur à suis partibus simul sumptis & vnitis.

Sive totum præter materiam, & formam, & vnionem, modum alium includat, siue non, de quo Puncto immediatè venturo, eamdem semper decisionem habet, eodémque modo tractanda est præfixa difficultas. Inquirit an totum distinguatur ab omnibus partibus, & modis, quos includit simul sumptis, siue includat tantùm materiam, & formam, & vnionem, siue supra materiam, formam, & vnionem, modum alium includat. In opinione enim quam veram esse probo, nullum modum distinctum ab vnione supra materiam, & formam constituente, inquiritur an totum distinguatur realiter à materia, formâ, & vnione, & in opposita sententia modum illum addente, quæritur, an totum distinguatur à materia, forma 1

formâ & vnione,& illo modo simul sumptis. Procedit quæstio iuxta terminos verioris sententiæ negantis modum illum, ne multitudine terminorum minùs expeditè tractetur.

2 Scotus, Caietanus,& alij,quos longum esset recensere, & citatos inuenies apud Soar.in Metaph.disp.26.sect.3.n.2. in quod etiam nostri Conimbr. inclinant, docent totum realiter distingui à materia, & formâ, & vnione simul sumptis. Opposita sententia est communis ommnium ferè Doctorum huius temporis, cui plures ex antiquis patrocinantur apud Conimbr. 1. Physic. cap. 2. q.11. & apud Soar. n. 6. qui præter alios refert Angelicum Doctorem, illiúsque expressa testimonia pro hac sententia: eamdem amplectitur idem P.Soar. ibid. Rub.1.Physic. tract.39.q.1. P.Hurt. disp.6.sect.1. P.Arriag. disp.5.sect.1. quibus libens subscribo.

3 Dico totum non distingui à materia, formâ, & vnione simul sumptis omnibus in recto. Probo clarè, communi ratione, neque ideo contemnenda. Totum vel includit aliquid præter materiam, formam, & vnionem, vel non includit: si non includit: ergo non habet ratione cuius ab illis distinguatur. Si includit: Rursus inquiro, an distinguatur à materia, formâ, & vnione,& incluso illo, quod tu addis, ac proinde si in infinitum non abis,cogeris concedere totum non distingui ab illis, quæ includit simul sumptis, quæcumque illa sint. Confirmo & declaro eamdem rationem. Totum vel distinguitur adæquatè,vel inadæquatè à suis partibus, & vnione simul sumptis; non adæquatè, aliàs non erunt partes illius,pars enim necessariò identificatur inadæquatè cum toto, & totum eamdem identificationem inadæquatam retinet cum parte,quæ incompossibilis est cum distinctione adæquatâ, implicat enim totum inadæquatè identificari cum aliquo extremo, & adæquatè ab illo distingui: non inadæquatè, quod sic probo:In omni distinctione inadæquata debet esse aliquid 7 in termino distincto, per quod distinguatur: sed nihil est in toto,per quod distinguatur inadæquatè:ergo. Maior est per se nota, Minorem probo: In toto tantùm est materia, forma, & vnio: sed per materiam, per formam, aut vnionem, non potest distingui à materia,formâ, & vnione: ergo nihil habet per quod distinguatur inadæquatè:ergo neque adæquatè,neque inadæquatè distinguitur: ergo nullo modo.

4 Respondent recentiores distingui non per aliquod in illo inclusum, sed per se ipsum resultans tanquam quid includens partes,& vnionem. Contrà hanc solutionê idem redit argumentum. Totum per se ipsum non potest distingui adæquatè, vt probaui: non distingui adæquatè, quia nihil sui est, per quod distinguatur, quidquid enim totius aut in toto assignetur, aut erit materia, aut forma aut vnio. Persistes dicendo totum non per aliquid illius, sed per se ipsum distingui à materia, formâ, & vnione simul sumptis. Contrà: vel distinguitur per se ipsum,vel per aliquid, quod non sit tota sua entitas; vel distinguitur per totam suam entitatem, non per aliquid, quod non sit tota sua entitas, quia nihil potest esse in toto, seu pertinens ad totum, quod non sit tota sua entitas, nisi materia, vel forma, vel Vnio. Non per totam suam entitatem, quod sic probo: Si totum distingueretur per totam suam entitatem à materia, formâ, & vnione simul sumptis, implicaret, non distingui adæquatè, quia distingui vnum ab alio adæquatè nihil aliud est, quàm distingui per totam suam entitatem, quod sic probo. Distinctio, & identificatio secundùm eamdem entitatem indiuisibilem non suscipit magis, & minùs; illud enim quod formaliter & per se ipsum est identificatum, vel distinctum ab alio secundùm illam rationem formaliter distinctam, vel identificatam, non potest esse magis distinctum vel identificatum, 1 vt per se notum est, quis enim potest concipere maiorem identitatem inter me, & me ipsum, quàm illam quam habeo de facto, neque maiorem distinctionem inter me & Petrum, in quibus nihil est commune, sed distinctio secundùm omnia, quæ pertinent ad constitutionem vniuscuiusque: ergo distinctio, vel identitas maior, adæquata, vel inadæquata ex eo sumitur, quod sit secundùm totam entitatem,vel secundùm aliquid illius,& illa erit summa, & adæquata distinctio, quæ est secundùm totam entitatem rei, & illa tantùm poterit dici inadæquata distinctio, quæ non est secundùm totam entitatem, sed secundùm aliquid illius:ergo implicat totum distingui secundùm totam suam entitatem à materia,formâ & vnione simul sumptis, & distingui tantùm inadæquatè, sed necessariò adæquatè distinguendum esset, si secundùm totam suam entitatem distingueretur.

Confirmo eamdem conclusionem. Ex eo præcisè,quod 5 sit materia, forma, & vnio seclusâ qualibet aliâ entitate, est totum:ergo totum non dicit aliam tertiam entitatem. Probo antecedens:positâ materiâ,formâ,& vnione,implicat materiam,& formam, non esse vnitas, quia his positis sunt extrema vnibilia, & est tota ratio formalis adæquata vniendi, quæ consistit formaliter in vnione: ergo positâ materiâ,formâ,& vnione, quolibet alio secluso, sunt partes componentes, quia partem totum componere nihil aliud est,quàm se vnire: ergo est totum compositum, implicant enim partes esse componentes,& non esse compositum, secluso etiam omni alio ab ipsis,& actuali compositione distincto.

Dixi semper totum non distingui à materia,formâ, & 6 vnione simul sumptis, non verò sicuti vulgo dici solet à partibus simul sumptis, & vnitis, quia, vt acutè notarunt sapientissimi recentiores, partes simul sumptæ, & vnitæ non dicunt vnionem in recto,sed in obliquo, sicuti lignum album dicit albedinem, & ita non identificantur, neque inadæquatè cum vnione, cum qua identificatur totum, ex quo infertur partes simul sumptas, & vnitas distingui inadæquatè à toto: illatio est per se nota, assumptum probo: Hæc est vera propositio: partes sunt vnitæ: ergo subiectum dicit totum, quod dicit prædicatum in recto: sed subiectum non dicit vnionem: ergo hoc concretum *partes vnitæ* non dicit in recto vnionem: ergo tantùm dicit partes, materiam, & formam: sed materia & forma non possunt dici totum, neque possumus dicere materiam & formam identificari cum toto: ergo non possumus dicere partes vnitas identificari cum toto. Probo consequentiam: quidquid prædicatur identicè de aliquo concreto,debet identificari cum illo, quod cõcretum dicit in recto, & non sufficit identificari cum illo quod dicit in obliquo: sed totum non identificatur adæquatè cum illo, quod hoc concretum *partes vnitæ* dicit in recto, quia tantùm dicit partes & non vnionem: ergo totum non potest prædicari de hoc concreto tanquam quid identificatum adæquatè cum illo. Maior inter omnes Summulistas est certa, & patet in his prædicationibus, album est albedo, & lignum est album, & album est lignum, quarum prior est falsa, quia prædicatum non identificatur cum subiecto secundùm id,quod dicit in recto, etiamsi verificetur cum illo secundùm illud, quod dicit in obliquo, & duæ posteriores sunt veræ, quia etiamsi subiectum, & prædicatum non identificentur secundùm significata in obliquo, identificantur secundùm significata in recto, ex quorum identitate desumitur veritas propositionum. Vrgeo: Omnes concedunt concretum hoc *materia vnita formæ* distingui à composito, quia non dicit in recto quidquid pertinet ad compositum,etiamsi computatis omnibus,quæ dicit in recto,& in obliquo,dicat quidquid pertinet ad compositum: ergo hoc cõcretum *partes vnitæ* distinguetur à composito, quia non dicit in recto quidquid pertinet ad illud, videlicet vnionem, etiamsi illam connotet in obliquo. Ex hoc similiter inferes concretum vnitum, quod totum dicitur, non esse concretum adiectiuum,quod vnionem in obliquo significet, aliàs distingueretur à toto. Neque totum potest includere vnionem in obliquo per modum habentis,sicuti lignum,quia toti non superuenit vnio,sed illud constituit, & ita vnitum adiectiuè significat extremum, quod alteri vnitur;& vnitum substantiuè,totum,quod resultat formaliter ex vtroque extremo, & ex vnione. Hæc omnia ad purum loquendi modum spectant, de quibus satis.

Obiicitur primò Aristoteles 1. Meaph. cap.14. text.19. 7 asserens bis tria non esse sex; illius sunt verba: *Substantia enim cuiuscumque est ipsum semel, veluti ipsorum sex, non quibus, aut ter est, sed semel sex enim semel sex sunt.* Respondet Hurtadus Aristotelem dicere bis tria non esse sex, sicuti materia, & forma sine vnione non sunt totum. Hurtadum impugnant recentiores, ex eo quod senarius numerus vnionem non includat, sed immeritò; licèt enim numerus nullam vnitatem physicam habeat formaliter tamen eo modo, quo est vnus, vnitatem dicit, & sicuti vnus dicitur ab intellectu numerante, ita ab illo vnitatem extrinsecâ habet, quæ non consistit tantùm in vnitate medietatum, sed in aliâ, quâ intellectus cognoscit vnitatem

totius, sæpe enim puer duplicem quinarium numerum recenset, & non valet denarium conficere, in quo casu sunt bis quinque, seu est bis quinarius numerus, & non est denarius formaliter, sed tantùm materialiter, quia non est numerus formaliter, quousque vnitates formaliter mente annumerentur.

8 Obiicies secundò alia eiusdem Aristotelis testimonia ex lib 2. Metaph. cap.17. text. vltimo, vbi ait Syllabam *ba* non esse *B* & *A*, nec carnem esse ignem, & terram, & ex lib. 8.text.15. *Omnium namque* (verba sunt Philosophi) *quæcumque plures partes habent, & non est totum, quasi coaceruatis, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes.* Resp.hæc testimonia probare totum præter partes includere vnionem, neque quidquam aliud insinuare.

9 Obiicies tertiò: multa conueniunt toti, quæ non conueniunt materiæ, formæ, & vnioni simul sumptis: ergo ab illis distinguitur. Probo antecedens: Totum est integrum, totum gignitur, & corrumpitur, Totum est vnum. Sed hæc non conueniunt materiæ, formæ, & vnioni: ergo. Resp. hæc omnia eodem modo conuenire materiæ, formæ, & vnioni simul sumptis, ac conueniunt toti, quia partes & vnio sunt vnum integrum adæquatum, & quælibet in se dicit vnitatem inadæquatam; sic totum est vnum integrum constans pluribus vnitatibus inadæquatis duabus tanquam extremis vnitis, alterâ tanquam vnione: & sicut totum gignitur, & corrumpitur, quia gignitur vnio, quæ vltimò complet hominem, & eadem corrumpitur sine qua nequit subsistere: sic materia, forma, & vnio quatenus simul sumptæ ginuntur, & corrumpuntur ratione eiusdem vnionis, licèt partes secundùm se neque gignantur, neque corrumpantur, & sicut totum compositum habet vnam vnitatem totalem, & plures partiales, sic materia, forma & vnio habent plures vnitates partiales, propriam quælibet, & omnes simul totalem, ex partialibus confectam.

10 Obiicies quartò. Partes & vnio causant totum: ergo distinguuntur ab illo: Distinguo antecedens: partes, & vnio causant totum collectiuè sumptæ, nego; distributiuè, transeat. Dico transeat, quia vnio non causat, sed est causalitas.

11 Obiicies quintò. Totum habet causam totalem intrinsecam: sed hæc non potest esse nisi materia, forma & vnio simul sumptæ: ergo sic sumptæ sunt causa adæquata totius: ergo distinguuntur ab illo. Respondeo negando antecedens, quia dicunt sibi repugnantiam causa intrinseca, & causa totalis. Rationem audi: causa intrinseca causat componendo, & conceptus causæ intrinsecæ est conceptus partis potentis componere, & causalitas per quam dicitur actu causans, est compositio, ita vt formaliter idem sit actu intrinsecè componere, & actu intrinsecè causare, idem formalissimè sit causa intrinsecè actu causans, & actu componens: sed implicat aliquam entitatem adæquatè componere totum, vt per se notum est, quia conceptus componentis est conceptus partis essentialiter connotantis alteram compartem, cum qua simul ponatur: ergo implicat aliquam entitatem intrinsecè causare totum. Instabis totum est intrinsecè adæquatè causatum: ergo habet causam intrinsecam adæquatam. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia totum intrinsecè adæquatè causatum non dicit causam intrinsecam adæquatam, sed plures inadæquatas. Sicuti compositum non dicit vnum adæquatum componens, sed plura componentia inadæquata.

12 Vrgebis iterum: ex pluribus causis partialibus fit vna totalis: sed dantur plures causæ partiales intrinsecæ: ergo ex illis fiet vna totalis. Respondeo antecedens esse verum de pluribus partialibus causis extrinsecis, non de intrinsecis. Disparitatem do: Causæ extrinsecæ causant effectum ab illis adæquatè distinctum, & ita possunt coniungi, vt influant in effectum, cui dant aliud esse ab illo, quod habent causæ influentes. Intrinsecæ causæ tantùm causant per exhibitionem suarum entitatum, quas formaliter in se ipsis effectui communicant per coniunctionem vniuscuiusque cum altera mediâ vnione, ex his autem communicationibus partialibus non potest fieri vna totalis, quia non est aliud tertium, cui talis communicatio fiat, neque est extremum aliquod in effectu, cui partes simul sumptæ, & vnitæ se communicent, ac proinde non est effectus in ordine ad quem possint intelligi componentes vnam causam intrinsecam adæquatam, omnes causæ intrinsecæ inadæquatæ. Persistes adhuc: causæ intrinsecæ partiales vniuntur in ratione causarum: ergo ex illis fit vna totalis: Distinguo antecedens: vniuntur in ratione causarum, vt efficiant vnam causam totalem nego: vniuntur vt quælibet simul cum alia per vnionem tanquam per causalitatem causæ inadæquatæ, quod in actu secundo sine vnione non præstaret, constituant vnum effectum, hoc est, totum, concedo. Sicuti partes in ratione partium vniuntur, non vt faciant vnam partem totalem, implicat enim conceptui partis ratio totalis, sed vt faciant totum, quod relatiuè opponitur parti, & quod essentialiter à parte distinguitur tanquam includens ab incluso. Eadem ratione causæ intrinsecæ vniuntur non vt componant vnam causam intrinsecam totalem, quia conceptus totalitatis repugnat conceptui causæ intrinsecæ, quæ formaliter dicit conceptum partis, sed vt efficiant vnum effectum, scilicet compositum relatiuè oppositum conceptui causæ intrinsecæ, & essentialiter distinctum ab eadem causa intrinseca tanquam includens ab incluso. Hæc optimè explicant conceptum causæ intrinsecæ, si verò propter pusillorum scandalum nolis negare dari causam intrinsecam adæquatam respectu compositi, dicito dari duplicem causam intrinsecam adæquatam, materialem vnam aliam formalem, quamlibet in diuerso genere, ex quibus non potest fieri vna totalis, quia pertinent ad diuersum genus, sed hæc responsio fuga erit, prima verò ad rem opportuna solutio.

Obiicies. Hi conceptus, *materia vnita formæ: forma vnita* 13
materiæ: materia, forma, & vnio, non distinguuntur ex parte obiecti, vt probauimus Controuers. præcedenti, Puncto 3. ergo quidquid prædicatur de vno potest prædicari de alio: sed de hoc conceptu, materia vnita formæ, prædicatur esse causam totius: ergo de illo conceptu *materia, forma, & vnio* poterit fieri eadem prædicatio. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia per diuersum modum significandi sine distinctione ex parte obiecti sit diuersum significatum in recto, & posito diuerso significato in recto est diuersa verificatio prædicati, quæ sumenda est ex identitate cum illo, quod ex parte subiecti se tenet in recto, & non cum illo quod est in obliquo, vt dicebam modò num. 6. Exempla plura passim suppetunt: Pallium Petri, & pallium, & Petrus, ex parte obiecti non distinguuntur. & hæc prædicatio est vera, *Pallium Petri distinguitur adæquatè à Petro.* Et hæc falsa, *Pallium & Petrus distinguuntur adæquate à Petro.* Similiter ex parte obiecti non distinguuntur hæc complexa: *Albedo receptam quantitate,* & *quantitas recipiens albedinem.* Et hæc vera propositio, *quantitas recipiens albedinem ex se est impenetrabilis.* Et hæc falsa, *albedo recipiens quantitatem ex se est impenetrabilis.*

Hæc de toto substantiali essentiali, quæ in omni toto 14
etiam accidentali, & integrali proportio seruatâ obserua, nullum enim distinguitur ab illis simul sumptis, quibus constat; totum integrale non distinguitur à partibus integrantibus, & illorum nexu; concretum accidentale sicut album, si vnionem dicit distinctam inter subiectum & albedinem ab eductione distinctam, non distinguitur à subiecto, albedine, & tali vnione; si vnionem non importat distinctam ab eductione, subiectum, albedo, & eductio erunt adæquatè totum. Composita quorum forma siue substantialis siue accidentalis, modalis est, per se ipsam subiecto vnita nulla intercedente vnione inter subiectum, & formam, sicuti in his concretis præsens, & subsistens, iuxta communem sententiam, quæ subsistentiam & præsentiam modum esse defendit, non distinguuntur à subiecto & forma simul sumptis.

PVNCTVM II.

An totum substantiale includat aliquid præter materiam formam, & vnionem.

QVæstionem hanc vnus his temporibus in scholas P. 1
Gabriel Vazquez inuexit, qui tom. 1 in 3. parte disputat. 19. numer. 26. in composito substantiali modum quemdam substantialem constituit deriuatum à forma distinctum ab ipsa, & ab vnionis modo, vt apertè declarat num. 29. §. *contrà vero*, vbi arguit ab inconuenienti contra Philosophos qui tantùm admittebant in composito substantiali materiam, formam, & modum vnionis. Cómunis sententia, quam amplector, negat dari in composito talem

talem modum, cuius præcipuum fundamentum est, illum superfluè poni, quod nobis notum fiet, si expendamus rationes quibus Vazquez, & cum illo docti recentiores illum propugnant; singula referam, expendam, & soluam.

2 Arguit 1. Vazquez num. 28. Diuerso modo constituitur compositum substantiale, & accidentale, quia in composito accidentali subiectum tantùm est vehiculum accidentium, in composito verò substantiali viuenti, materia non tantùm est vehiculum formæ, sed principium operationis vitalis, & viuificatur: ita vt deinde nouum esse habeat, quod sit viuere, nam teste Aristot. 2. de anima c. 4. text. 27. *Viuere viuentibus est esse.* Materiam in viuentibus esse principium operationum vitalium, quæ propriæ non sunt animæ, sicut intelligere, & velle, sed compositi probat Vazquez ex Aristotele 1. de anima cap. 4. textu 64. *Dicere autem animam irasci vel timere, simile est ac si quispiam diceret animam texere, vel ædificare, nam melius est fortasse dicere, non animam sed hominem anima misereri, vel discere.* Multa in hac ratione inuenio difficillima: facilè ab omnibus me expediam. In primis difficile est Arist. hoc text. citato docuisse has operationes de quibus loquitur procedere efficienter à materia, & ipsum loqui de operationibus corporeis, & non spiritualibus, vt vult Vazquez; cum Aristoteles loquatur de actu miserendi, & discendi, qui sunt actus voluntatis, & intellectus. Dicerem ego Aristotelem hic docuisse omnes operationes quas exercet animus in statu vnionis tribui composito, quod dicirur irasci, timere, misereri, & discere, etiamsi actiones spirituales saltem ab anima tantùm efficienter producantur, quia tamen non producuntur de facto independenter à materia, & quia totus homo dicitur videre & intelligere; ita toti tribuuntur rationes, etiamsi plures illarum, & forsan omnes tantùm ratione animæ exerceat. Hæc omitto de quibus Controuers. 3. Punct. 1. de anima latè dicam. Do materiam primam principium esse actionum vitalium. Venio ad illud nouum esse quod habet materia, quo iam viuere dicitur, quod certè non penitus percipio. Modus ille adæquatè distinguitur à materia prima, & materia, quæ modò est sub forma viuentis cum illo modo, & quæ antea fuerat, destructo viuenti postea erit sine illo: ergo modus ille non dat nouum esse materiæ neque materia postquam illud habet nouum aliquod esse recipit quod sit proprium esse illius per quod formaliter existat. Rursus si modus ille tribuit nouum esse materiæ siue distinctum, siue indistinctum ab ipsa materia, cur non poterit eadem forma nouum illud esse tribuere modo illo non intercedente? Dices modum illum esse deriuatum à forma, & ita ab ipsa distingui. Contrà: modus ille deriuatus à forma immediatè sine alia deriuatione se inserit materiæ, & illi tribuit nouum esse; ergo ipsa forma poterit absque vlla deriuatione se insinuare in materiæ præcordia, & illi dare illud esse nouum. Omitto alia contra hoc nouum esse materiæ quod mihi semper nouissimum erit.

3 Respondeo totum substantiale, & concretum accidentale ex eo distingui, quod concretum accidentale constituatur per formam, & informationem accidentalem, & sæpe ex parte subiecti supponit totum substantiale adæquatè constitutum, & forma accidentalis huius concreti constitutiua primò, & per se intenditur propter subiectum à quo distinguitur. Totum verò substantiale constituitur per formam, & informationem substantialem, & illius forma non intenditur à natura propter subiectum ab illa distinctum, sed propter compositum, quod constituit, & nunquam supponit subiectum substantialiter completum, sed semper incompletum, cum quo totum completum componit. Ad illud quod additur de operationibus, concedo subiectum aliquando totum concurrere ad operationes formæ accidentalis quatenus illam sustentat, quæ æquè bene fierent dum forma accidentalis existeret, etiamsi subiecto careret. Et concedo similiter operationes plures viuentis exercendas non esse à forma existenti sine materia, quia de facto dependenter ab illa exercentur, & admitto ad præsentem quæstionem materiam ad illas effectiuè immediatè concurrere, ex hoc tamen non infertur, materiam recipere nouum esse, neque per se ipsam esse viuentem, sed tantùm simul cum anima effectiuè concurrere ad operationem vitalem, sicuti concurrunt species impressæ, & alia comprincipia.

Arguit secundò P. Vazquez: Anima rationalis tribuit materiæ non solùm esse hominis, sed esse animalis, viuentis, & corporis, & omnem rationem genericam, quæ est sub prædicamento Substantiæ: ergo debet tribuere modum alium distinctum à se ipsa, quia cùm sit spiritualis non potest tribuere materiæ rationem corporis, quam non habet, neque homo dici potest corpus ratione vnius partis, videlicet materiæ, aliàs non minùs diceretur homo spiritualis, quàm corporeus, neque vniuocè diceretur corporeus homo cum equo, cum equus secundùm se totum esset corporeus, & homo tantùm secundùm materiam: ergo necessum est animam materiæ communicare alium effectum formalem distinctum à se ipsa, ratione cuius habeat esse corporis, & esse animalis, &c. ita P. Vazquez num. 31. explicui Controuers. 3. Puncto 2. num. 11. quomodo homo præcisè ratione materiæ quolibet alio secluso, corporeus dici debeat, etiamsi rationem spiritualem dicat tanquam præcipuum constitutiuum, ideo hanc obiectionis partem non tracto. Omitto similiter reliqua prædicata posse immediatè ab ipsa anima materiæ communicari, quod iam tetigi. Venio ad explicandum hunc effectum formalem, quem forma materiæ tribuit iuxta Vazquez Philosophiam, ratione cuius materiæ tribuere dicitur rationem animalis, & rationem viuentis. Animalis ratio quam forma tribuit materiæ, vel est totum compositum, vel aliquid in illo inclusum: si totum compositum falsum est formam materiæ talem rationem tribuere: si est aliquid inadæquatè pertinens ad compositum, quod tribuit rationalis anima ab ipsa distinctum: ergo in homine est ratio animalis, quam tribuit anima, distincta ab ipsa anima: ergo dicemus hominem constare ratione animalis, & anima ab hac ratione distinctâ: ergo anima formaliter non est constitutiua rationis animalis. Secundò materia, etiam quando est animâ informata, tantùm habet esse partem componentem animalis, & hominis, qui constat ex materia, & forma: ergo materia non habet à forma esse animal, sed tantùm ratione vnionis habet esse partem actu componentem animal, quod per se habebat tantùm in potentia: ergo dicendum non est animam tribuere materiæ esse animalis, nec esse hominis, sed tantùm formam cum materia constituere animal, & hominem mediâ vnione: ergo forma tantùm se ipsam communicat materiæ, & effectus formalis est totum, in quo ipsa forma, & materia continentur, quod totum effectus formalis dicitur, quia vltimò per formam completur, quod impediri nequit positâ formâ cum vnione ad materiam, cùm totum vt dictum est Puncto præcedenti, nihil aliud sit, quàm materia, forma, & vnio inter vtramque. 4

Arguit P. Vazquez num. 32. Homo viuit vitâ corruptibili: anima rationalis est incorruptibilis; ergo præcisè per animam rationalem non potest viuere vitâ corruptibili: ergo dandus est modus aliquis ratione cuius homo viuat vitâ corruptibili. Si ad modum vnionis recurramus, occurrunt Recentiores: corrumpi animam rationalem, sed in diuerso statu constitui: ergo ex eo quod modus vnionis corrumpatur non corrumpitur vita hominis identificata cum animo rationali: ergo vt corruptibilis sit vita hominis, dandus est alius viuificationis modus, ratione cuius homo viuificetur, qui corruptibilis sit. Contra rationem hanc sic insurgo: modus ille vnionis vel est vita formaliter per se ipsum, vel viuificatur ab anima: si est vita formaliter per se ipsum habebit rationem formæ substantialis vitalis, & formaliter erit anima, & constituens viuens quatenus ab animo rationali distinguitur, & ita in homine erit duplex anima rationalis, & illa, quam hæc inuenit opinio. Dices modum hunc non esse animam, quia deriuatur ab anima rationali. Sed quid inde? etiamsi ab anima rationali deriuetur ab illa distinguitur, & formaliter per se ipsum quatenus ab anima rationali distinguitur est vita: ergo formaliter est anima, omnis enim actus materiæ, qui formaliter est substantia, & per se ipsum vita in actu primo essentialiter est anima. Si dicas modum illum viuificari per animam rationalem, modus ille viuet vitâ identificata cum anima rationali: ergo homo, qui viuit vita, quam formaliter dicit talis modus, viuet vita identificata cum anima rationali: ergo hoc modo posito remanet integra difficultas, quam argumentum proponit. Secundò modus ille, vel est vita adæquata hominis, vel inadæquata: si adæquata: ergo anima rationalis non est vita hominis: si inadæquata: ergo non est principium operationum 5

tionum vitalium. Vtraque consequentia certissima est, prima per se nota, secunda procedit à negatione definiti ad negationem definitionis: vita enim in actu primo, iuxta communem sententiam, est principium immanens operationum vitalium: ergo si anima non est vita hominis, non erit principium immanens operationum vitalium. Si modus ille est vita inadæquata: ergo homo viuit modo illo, & anima rationali: ergo sicut viuere dicitur vitâ corruptibili ratione illius modi corruptibilis, ita dicetur viuere vitâ corruptibili ratione animæ rationalis: ergo si ex eo quòd homo viuat per animam rationalem dicetur viuere vitâ incorruptibili; absolutè modo illo admisso poterit dici vitam saltem inadæquatam hominis esse incorruptibilem, & ita non corrumpi vitam hominis secundùm se totam.

6 Respondeo corruptâ vnione corrumpi totum hominem, non quia corrumpantur singulæ partes illius, sed quia corrumpitur aliquid, sine quo, reliquis etiam partibus permanentibus, totum nequit existere, corrupto homine, corrumpitur necessariò viuens quod est ipse homo, & hac ratione dicitur homo viuens corruptibile, non quia vita formalis, seu id, quo homo viuebat corrumpatur, sed quia definit esse illa vita in ordine ad viuens constituendum, etiamsi in se permaneat.

7 Ex his infero superfluè, & absque efficaci fundamento hunc modum in composito constitui: ex quo capite tantùm efficacissimè reiicitur, eodem enim iure quo modus iste ponitur, possent alij plures, præcipuè alius communicatus formæ à materia, qui correspondaret ex parte formæ, huic, quem in materia ponit Vasquez deriuatum à forma; cùm enim vtrumque extremum mutuò vniatur, & mutuò suum esse vnum alteri mediâ vnione in toto communicet, ita deberet mutuò diuersos modos sibi inuicem communicare. Deinde ratio, quæ hunc modum propugnat in homine petitâ ab spiritualitate animæ, quæ non potest materiæ tribuere rationem corporis, etiamsi efficax esset, tantùm probaret modum hunc dandum esse in composito materiali constante formâ spirituali. Rationes aliæ, quæ sumuntur ex vitalitate, & ex ratione animalis, quam forma debet materiæ tribuere, etiamsi modum istum in viuentibus extorquerent, in reliquis compositis substantialibus non viuentibus, in quibus forma non communicat materiæ rationes has nihil præstarent, quapropter admisso illo modo in viuentibus negandus esset in reliquis compositis, in quibus superfluus esset, siquidem non deseruiret ad communicanda illa prædicata, propter quorum communicationem inuentus est. Scio dixisse Vasquez n. 28. licere in non animantibus instar animantium philosophari, sed certè id non assequor.

Punctum III.

An possit dari compositum constans materiâ & formâ spirituali.

1 Negatiuam partem defendit Hurtadus disp. 2. de anima, sect. 2. quam docuerat Pater Suarez disput. 13. Metaphysic. sect. 14. num. 14. vbi docet expresè non inuenisse conclusionem, quam docet apud authores. Affirmatiuam sententiam tenent sapientissimi recentiores, quos sequutus est Arriaga disp. 1. de anima, sect. 5. vbi refert pro hac sententia Aureol. Alensem, & aliquos quos citat P. Suarez num. 5. sed horum Doctorum authoritas hac in re nobis tuta non est, quia illorum fundamentum valde alienum est à nostra, & communi sententia; asserebant enim prædicti Doctores nullâ substantiam adhuc spi-
2 ritualem posse inueniri, quæ his partibus non componeretur.

Ostendam Controu. 1. de anima, Punct. 5. non esse de conceptu rei spiritualis non constare partibus, ex quo principio ibi statuendo facilè meam conclusionem depromo. Non est contra conceptû rei spiritualis cõpositio partium integralium, neque essentialium: ergo compositio ex subiecto & forma spirituali potest cadere in compositum spirituale. Probo consequentiam: Si ex aliquo capite talis compositio repugnaret, tantùm esset ex prædicato spiritualis, ex hoc non repugnat: ergo ex nullo. Accedant huic rationi solutiones argumentorum, quæ contra hanc substantiam fiunt, ex quibus constabit nullam reperiri repugnantiam in tali substantia, ex quo affirmatiua pars in his quæstionibus inferenda est.

Obiicies ex Suario: Omnis forma spiritualis potest operari independenter à subiecto: ergo nulla illo indiget: 3
ergo nulla potest illud habere. Si aliquid probaret hæc obiecto suaderet formam spiritualem non indigere adhuc materiali subiecto, neque cum illo posse totum componere, quod est contra constitutionem hominis ex materia & forma spirituali. Respondeo non omnem formam spiritualem posse suas omnes operationes exercere independenter à subiecto spirituali: sicut enim materiales formæ, etiamsi crearentur non possent exercere omnes suas operationes sine subiecto materiali, quo etiam creatæ indigerent ad aliquas exercendas, sic forma spiritualis indigere potest subiecto spirituali ad alias operationes materiales obeundas. Quod si vnam, vel alteram operationem posset talis forma sine subiecto exercere, quia anima rationalis plures obit operationes, etiam separata à materia, non tamen ideò illam abhorret, sed illâ indiget ad aliarum exercitium. Si roges quomodo indigeret talis forma subiecto spirituali. Respondeo, posse illo indigere tanquam comprincipio actiuo, quia non est contra rationem subiecti esse principium actiuum operationum compositi, multi enim sentiunt materiam simul cùm forma actiuè concurrere ad sensationes. Posset etiam illo subiecto indigere vt esset passiuum principium operationum, quas forma, etsi materialis non posset recipere, non enim bene valet: forma est spiritualis: ergo potest recipere omnes operationes materiales: est enim sententia trita satis inter Philosophos sensationes materiales bruti non recipi in forma, sed in materia, & consequenter non posse recipi, quia si possent recipi de facto reciperentur, quia non recipiuntur liberè, sed necessario in subiecto, in quo possunt recipi. Posset etiam indigere subiecto, non vt operationes, sed vt species ad illas requisitas reciperet.

Obiic. secundò: Tale compositum fore corruptibile. 4
Nec consequentia tenet, nec consequens terret. Consequentia non tenet, quia cæli in communi sententia compositi sunt ex materia & forma, & tamen sunt incorruptibiles. Consequens non terret, quia inconueniens non est asserere posse dari compositum spirituale secundùm materiam & formam, & corruptibile in ratione compositi, ad quod tantùm requiritur vnionem fore corruptibilem, neque erit contra rationem vnionis spiritualis posse corrumpi, multi enim asserunt vnionem corruptibilem hominis spiritualem existere.

Obiicies tertiò: Spirituale est magis perfectum quàm 5
materiale: ergo habet minorem compositionem: ergo est magis simplex; ergo non habet compositionem ex materia & forma. Respondeo negando vltimam consequentiam admissis omnibus præmissis. Quia maior simplicitas in substantia spirituali potest consistere in aliquibus speciebus in carentia compositionis essentialis, quam intendit obiectio, in aliis tantùm in minori compositione accidentali, quia id, quod præstat substantia corporea per plura accidentia, per vnum tantùm exhibet spiritualis substantia intelligendo per species vniuersaliores, & per cognitiones, quæ plura obiecta simul amplectuntur. Potest item hæc maior simplicitas consistere in carentia compositionis integralis.

Obiicies quartò: Si substantia spiritualis composita ex 6
materia, & forma possibilis est: non est fundamentum ad asserendum Angelos, qui de facto dantur non habere talem compositionem. Respondeo in primis esse fundamentum negatiuum, quia nulla est, vel leuis coniectura, ex qua possimus deducere Angelos, qui de facto dantur, habere talem compositionem, & ad negandam compositionem, & multiplicationem entitatum, fundamentum negatiuum sufficiens est. Reperitur etiam ratio positiua à posteriori ex perfectissimis operationibus, mirâque illorum virtute, quæ perfectissimam arguit substantiam, illorúmque simplicitatem suadet, cùm substantia eò sit perfectior, quò simplicior. Accedit Patrum atque Doctorum communis consensus, quo substantiæ Angelicæ absque compositione ex materia, & forma recensentur. Hæc omnia rem moraliter omnino cerram reddunt, neque vllum locum in intellectu prudenti formidini relinquunt.

Inquirere posses, an sicut datur compositum constans formâ spirituali, & subiecto materiali, possit dari aliud cõstans subiecto spirituali, & formâ materiali. Pauca mihi certa

certa sunt, cùm de possibilibus disputo. Negatiuè respondeo, & simul rationem, & disparitatem reddo: forma spiritualis potest habere virtutem actiuam ad efficiendas operationes, v.g. sensationes materiales, quæ exerceri non possunt sine subiecto materiali, in quo recipiatur, tum operationes, tum species materiales & alia principia, seu organa requisita ad tales operationes exercendas; forma verò materialis non potest efficere spirituales operationes, ac proinde non potest indigere subiecto spirituali, vt in illo recipiantur spirituales operationes, quas efficere nequit, neque materiales, quæ in subiecto spirituali recipi non possunt. Neque materialis forma dependere potest à subiecto spirituali in genere causæ materialis, ac proinde nullum apparet caput, ex quo possit forma spiritualis subiecto materiali indigere.

PVNCTVM IV.

An possit dari compositum constans duplici parte essentiali, quarum neutra sit materia, neque forma.

1 COmpositionem essentialem, quam hucvsque notauimus in materiam, & formam resoluimus, ex quibus consurgit; cùm autem solerter indagarem conceptum metaphysicum materiæ, & formæ hæc quæstio in mentem incidit, an videlicet dari possit compositum essentialiter includens duas partes, ita vt qualibet deficiente deficiat illius compositionis essentia, sicuti deficiente materia, vel forma, etiamsi altera earum partium subsistat, deficit totum ex vtraque constitutum. In hac quæstione desiderari non debent authores pro affirmatiua, aut pro negatiua sententia, neminem enim hucusque vidi difficultatem hanc definientem.

2 Negatiua pars suaderi potest authoritate totius Scholæ, quæ tantùm cognouit compositionem essentialem ex materia, & forma, recedere autem à sententia omnium Doctorum, sine fundamento valde vrgenti, nefas est. Hæc ratio parum premit, quia authores hucvsque tantùm egêre de compositione essentiali, quæ de facto datur, non de illa, quæ de potentia Dei absoluta dari potest, seu de compositione omni, quæ lato possibilitatis campo depascitur: ac proinde licet nullus quem hucvsque viderim hãc compositionem admiserit, nullus quem sciam illam negauit. Ex hoc infero nullam Doctorum authoritatem huic compositioni suffragari, aut refragari, & ita rationis tantùm trutina appendenda est.

3 Vnum in hac compositione difficile esse potest: reperiri formalitates his partibus accommodatas, quas constituiuum materiæ aut formæ adhuc physicè non transcendat. Ex hoc capite ita potest fieri argumentatio: eo ipso quod habeant cõceptum quidditatiuum partium essentialium, habent rationem formalem constitutiuam materiæ, aut formæ: ergo implicant partes essentiales compositi, quæ rationem materiæ, & formæ non induant. Probatio antecedentis ita tentanda est: Secluso conceptu constitutiuo materiæ, & constitutiuo formæ nullus remanet per quem entitas possit formaliter constitui in ratione partis essentialis: ergo talis constituenda est per conceptum quidditatiuum materiæ, aut formæ; ergo implicat dari partem essentialem, quæ alterum horum conceptuum intrinsecè non imbibat.

4 Ex solutione huius rationis totum fundamentum partis affirmantis, in quam eo desumendum est. Suppono ex dictis de conceptu quidditatiuo materiæ, & formæ Controu.2.Punct.3. & Controu.3.Punct.3. quosdam constituere conceptum quidditatiuum materiæ in virtute receptiua formarum, & conceptum formæ in ordine ad materiam potentem recipere formas, tanquam ad aliquam compartem. Alios verò conceptum materiæ in indifferentia ad terminandam vnionem cum aliis compartibus essentialibus diuersæ speciei, & conceptum formæ in determinatione ad illam compartem vnius tantùm speciei: constituebant alij conceptum materiæ in virtute passiua operationum compositi, & conceptum formæ in virtute actiua earundem. Alij dicebant materiam à forma differre, ex eo quod materia esset radix impenetrationis, & non forma. Ego dixi conceptum materiæ consistere in ratione perfectibilis, per aliam compartem, & conceptum formæ in ratione perficientis compartem aliam. Sume tibi conceptum quem ex his malueris pro materia, & forma constituenda, & illo secluso adhuc plures remanebunt in illa entitate formalitates, ex vi quarum entitas illa pars essentialis constituatur, & quæ in alia entitate possint existere sine identitate cum illo conceptu excluso.

Excurro singulos materiæ, & formæ conceptus. Seclusâ 5
virtute receptiuâ formarum à materia prima, in sententia, quæ in hac materiæ essentiam constituebat, non remanet materia, neque remanet forma, quia conceptus formę, qui antea non erat in materia, non resultat præcisè ex negatione conceptus materiæ, cùm sit positiuus, & formaliter non consistat in negatione: sed hoc conceptu secluso adhuc manet pars essentialis: ergo conceptus partis essentialis secundùm hanc sententiam non includit materiam, aut formam: Maior est per se nota, Minorem probo. Seclusâ virtute receptiuâ remanet vnibilis alteri extremo, seu comparti per vnionem, ex qua totum vnitum resultabit: ergo quod sine vtraque parte subsistere non poterit, & cuius partes seorsim non poterũt exercere operationes illas, quas simul exercent, & quæ specie differant, & vna ordinetur essentialiter ad vnionem cum altera, & petant vniri cum intima penetratione, & non tantùm more integrantium per approximationem immediatam: ergo entitas illa remanebit cum conceptu partis essentialis, quia conceptus partis est conceptus vnibilis ad aliam compartem, & differentia partis essentialis ab integrali, optimè constituitur per diuersitatem specificam partium, & per ordinem ad vnionem faciendam cum intima penetratione inter extrema, quorum vtrumque ordinetur essentialiter ad constitutionem totius, & neutrum primariò, & per se ad alterum à quo adæquatè distinguatur. Cæterùm conceptus hos posse dari in aliqua entitate separatos à virtute receptiua difficultate caret, nulla enim est cõnexio inter virtutem receptiuam, & vnitiuam, neque aliqua leuis implicatio dari potest, in eo quod detur entitas sic vnibilis, quæ virtutem non habeat receptiuam alterius extremi, cui est vnienda, neque vnionis, mediâ quâ illi annectenda est, vt de facto fatentur omnes, qui negant conceptum materiæ consistere in hac virtute receptiua. Vidi aliquos adhærentes sententiæ constituenti materiæ conceptum modo explicato, qui negant posse dari compositum essentiale constans duabus partibus quarum neutra virtutem habeat receptiuam modi vnionis, quia compositum illud constaret, & non constaret materia, & quia conceptus materiæ, quam essentialiter dicit totum, formaliter dicit virtutem receptiuam: ita ferè omnes negant posse dari compositum essentiale, cuius partes non habeant rationem illam, quam putant esse constitutiuam materiæ, & formæ. Hi omnes confundunt præcedentem rationem, quia nondum concepêre totum constans partibus essentialibus, quarum neutra sit materia, vel forma, & ita tenentur sic philosophari, vt suam sententiam quoquo modo defendant, illorum tamen discursum sic infringo. Pono conceptum materiæ consistere in virtute receptiua: dato compositio essentiali constante partibus, quarum nulla haberet receptiuam virtutem non daretur duplex illud contradictoriũ: ergo malè hoc inconuenienti illud totum denegant: Antecedens probo: dato illo toto, hæc propositio esse vera, *totum hoc non constat materia*: hæc esset falsa, *totum hoc constat materiâ*, quæ tantùm potest probari ex hoc principio, *omne totum essentiale constat materiâ*, quod ego nego, & probare non poteris, neque per se notum est; ergo ex inconuenienti huius contradictionis negandum non est, posse Deum creare partem essentialem, quæ non habeat rationem constitutiuam materiæ, aut formæ.

In aliorum sententiis idem omnino fieri potest discur- 6
sus, quia authores qui dicunt rationem materiæ consistere in differentia ad plures formas, & rationem formæ in ordine ad partem sic indifferentem, rationem reddere non poterunt cur non possit Deus creare cõpositum constans duabus partibus essentialibus ita determinatis, vt se inuicem vniant per se ipsas, vt neque de potentia Dei absoluta possint non esse inter se vnitæ, & illarum quælibet sit per suam entitatem determinata ad vnionem cum alia determinata comparte. Vel etiamsi per superadditum modum vniantur, & possint de potentia Dei absoluta non esse vnitæ, incapaces sint determinandi vnionem cum aliis compartibus, sicuti multi affirmant de cœlestibus corporibus. Qui etiam materiæ in virtute passiua, & formæ, in actiua constituebãt, rationem reddere non possunt,

propter

propter quam repugnet totum, quorum vtraque pars sit æquè actiua,& passiua in ordine ad operationes, quia omnes ab vtraque indiuisibiliter actiuè procedunt,& in eisdé indiuisibiliter recipiuntur, vt multi tenent contingere de facto in composito materiali, quarum actiones à toto indiuisibiliter procedere,& in toto indiuisibiliter recipi existimant. Qui constituebant rationem materiæ in radicali impenetratione, rationem apparentem non inuenient ad negandum compositum cuius vtraque pars æquè sit impenetrationis radix,in quo neutra habebit rationem formæ, neque materiæ,ex hoc capite, quia vtraque materia, aut vtraque forma esse non potest, neque speciale constitutiuum materiæ,aut formæ in aliqua reperietur. Neque iuxta sententiam,quam tradidi de conceptu materiæ, & formæ potest inueniri ratio ad negandum compositum,cuius partes æquè mutuò perficiantur in toto,quarum nulla speciaIiter perficiens, aut perfectibilis dici poterit,& ita rationem materiæ,aut formæ neutra habebit.

7 Obiic. Vtraque pars compositi, quod nos dicimus non constare materiâ, & forma, esset actus primus compositi: ergo esset forma,quam semper Aristoteles definit per rationem actus primi. Vires resumet obiectio: ponamus illud compositum esse viuens organicum. Tunc sic: Quælibet pars illius compositi esset actus primus compositi organici potentiâ vitam habentis: ergo esset anima: ergo esset forma,cuius conceptus includitur in conceptu animæ: ergo totum illud constaret duplici formâ,quod absurdũ est: ergo totum illud non est admittendum. Resp. nullam partẽ illius compositi futuram esse formam,quia in omniũ opinione forma essentialiter dicit ordinem ad materiam,tanquam ad compartem: sed nulla pars diceret ordinẽ ad materiam tanquam ad compartem,vt supponit obiectio, quæ intendit probare vtramque partem futuram esse formam: ego nulla pars esset forma. Ad rationem respondeo Aristotelem definiisse formã per actum primum potentię seu materiæ,& animâ per actũ primũ materiæ,quam multi volunt significari per particulam *corporis*, vel etamsi non significetur per illam particulam materia, sed totum compositum, anima & quęlibet forma dicitur actus compositi,non quia compositum respiciat tanquam potentiam, sed quia illud constituit actuando potentiam seu materiam, & ita actus ille,qui tantùm fuerit constitutiuus compositi,non dicitur actus alicuius potentiæ quam includat compositum, neq; forma neque anima dici potest. Contra hoc totum obiectionem aliam non inuenio,quam non soluerim,dum illius constitutionem explicui, & conceptus partium essentialium quas includit,exposui.

8 Moneo hoc totum non posse esse vegetabile,quia vtraque pars illius necessariò esset per creationem producenda,quia nullum præsupponeret subiectum, & ita non posset ab agenti creato, vel minima illius portiuncula necessariò creanda produci. Posset à Deo generari, & corrumpi ratione vnionis quæ posset non creari, sed educi ex altera parte in opinione,quæ in hac virtute eductiua existente,in altera parte rationem materiæ non constituit,& secundùm eamdem opinionem posset ex vtraque indiuisibiliter educi,quia per virtutem eductiuam communem vtrique parti neutra potest constitui materia respectu alterius. Quod si ex eo quod vnio educatur etiam ex vtraque parte, alteri earum velis conceptum materiæ,& formæ adhærere, non ideo totum hoc exterminandum erit, facilè enim dici poterit vnionem ex nullo præsuppositio subiecto educi, sed creari. Si roges an corpus illud posset esse sensitiuum,Respondeo nullam inuenire repugnantiam in eo quod posset esse sensitiuum per sensationes diuersæ rationis,ab his quæ de facto sunt dependenter à materia.

Punctum V.

An possit dari corpus omnino simplex.

§. I.

De compositione essentiali.

1 Corpora, quæ de facto existentia cognoscimus per generationem,& corruptionem aliorum producta duplici constant parte essentiali,materiâ videlicet, &formâ, aliam insuper compositionem integralium partium habent, in quas diuidi possunt, de vtraque compositione inquiro, an ita sit de conceptu totius completi corporis, vt repugnet sine illa corpus aliquod inueniri. De compositione essentiali negatiuam partem defendit Hurtad. disp. 1. de cælo, sect. 1. qui putat non posse dari corpus cõpletum carens materiâ & formâ. Affirmatiuam sententiam multi tenent apud Suar. qui illam amplectitur disp. 13. Metaph. sect. 10. & apud Conimb. lib. 1. de cælo. cap. 2. quæst. 4. art. 1. qui sentiunt corpora cœlestia hac compositione carere, & de cælo saltem empyreo id multi defendunt: eidem sententiæ assentitur Arriag. cum pluribus recentioribus, quam communem esse inter Scholasticos testatur Suarez suprà.

Sentio posse dari corpus completum expers compositionis essentialis. Nonnulla sit conclusionis coniectura in rebus spiritualibus dari entitatem simplicem completam, sicut est Angelus; & incompletam, sicut est anima rationalis; ergo in rebus corporeis dabitur entitas simplex incompleta, sicut materia & forma; & completa, quæ erit corpus hoc, quod propugnabo. Secundò sic arguo: Nulla est neque apparens repugnantia in hoc corpore: ergo est obiectum omnipotentiæ diuinæ, quæ ad omnia quæ contradictionem non inuoluunt se extendit: antecedens probandum est solutione argumentorum, quæ hoc corpus impugnant,ideò ad illa venio antequam meam sententiam explicem de corpore compositione integrali carente. 2

Obiicit primò Hurtadus: Corpus illud non potest esse vegetatiuum, quia vegetatio fit inter subiecta affecta qualitatibus contrariis, quæ sibi inuicem perniciem machinantur, corpus autem illud capax non esset harum qualitatum, quia qualitates ordinantur ad nouam formam introducendam in subiecto: sed corpus illud non esset capax nouæ formæ: ergo non esset capax qualitatum, quæ ad illam disponunt. Solutionem impugnatione præoccupat Hurtadus, asserítque illud corpus non posse ab intrinseco augeri sine corruptione sustantiæ, sed per vnionem iam productæ, sicut augetur aqua, quod sic probat: Illa corpora augentur ab intrinseco, quæ ab intrinseco corrumpuntur, quia augmentatio est ad resarciendas partes deperditas per diminutionem. Respondeo, nullum esse inconueniens asserere corpus illud non fore vegetabile, id tamen non probat Hurtadus; sto solutioni quam ipse impugnare intendit, & impugnationi Resp. augmentationem non solùm esse ad reparanda damna decretionis, sed absolutè ad maiorem substantiam acquirendam, & ad perueniendum ad perfectum statum viuentis, vt patet in infantibus, in quibus substantia, quam per augmentationem acquirunt longè excedit illam, quam per diminutionem deperdunt. 3

Instat Hurtadus: Si corpus illud esset diuiduum, esset corruptibile, quia ita posset diuidi, vt diuisio perueniret ad partem minorem minimo requisito ad conseruationem: ergo si corpus illud esset diuiduum, esset corruptibile: aliàs cùm esset simplex, & completum esset incorruptibile: ergo esset corruptibile, & incorruptibile. Sic cum Arriaga interpretor Hurtadum num 9. in quo vix perfectum sensum reddunt illius verba, culpâ credo Typographi, qui dum hæc in posteriori editione priori addidit, forsan omisit aliquid, quo asseuerentur. Lege Hurtadum ab illis verbis *Item corpora diuidua*. Neque refert, ait Hurtadus, materiam primam esse diuiduam, & non esse corruptibilem, quia materia prima in quacumque mensura diuisa potest acquirere aliam formam, cum qua possit conseruari sine maiori extensione. Instantiam hanc sic impugnat Arriaga: materia prima sub quacunque mẽsura minima potest conseruari cum aliqua forma: ergo potest dari corpus simplex, quod possit etiam in quacumque mensurâ conseruari: hãc redargutionem ita claram putat Arriaga, vt miretur potuisse concedi corpori composito ex materia, & forma capacitatem diuisionis sine corruptibilitate,& id negari corpori simplici. Admirationem potest Arriaga deponere doctrinâ Hurtadi attentè inspectâ. Defendit Hurtadus corpus simplex necessariò viuens esse futurum, quod minimum ad sui generationem requirit. Ex quo infertur illud corpus simplex non posse conseruari in quacumque minimâ extensione; compositum verò ex forma, & materia potest esse non viués, quia etiamsi materia sit sub forma viuentis,& per diuisionem redigatur ad extẽsionem minorẽ minimâ requisitâ ad illam formam sustinendam, potest alia forma aduenire cum qua conseruetur, in illo autem viuenti simplici cùm semper viuentis ratio esset conseruãda, sempet retinenda esset extensio ad illam requisita. 4

Alio

Alio modo rationem Hurtadi impugno, in qua multa difficilia, & nihil quod difficultatem ingerat inuenio. In primis falsum est principium, quod supponit, scilicet, omne corpus diuiduum esse corruptibile, cælum enim diuiduum est, & iuxta communem sententiam corrumpi nequit, non enim ex eo quod sit diuisibile mathematicè in partes, quibus constat, infertur esse diuisibile physicè ab agente naturali: quod si supponat corpus illud esse diuisibile, non solùm mathematicè, sed etiam physicè, gratis sibi hoc principiũ assumit. Neque ad defendendũ corpus hoc non esse diuisibile rationem aliquam desiderarem præter illam, quam ipse adducit, si efficax esset, scilicet, diuisionem fieri, per receptionem corruptibilium qualitatum, quarum incapax esset tale corpus, quo admisso ex suis principiis illius argumentum irritum fit; si enim diuisio facienda est per receptionem qualitatum, quas corpus hoc recipere nequit. rectè defendam ego corpus illud physicè diuidi non posse, etsi aliàs mathematicè diuisibile sit. Malè ergo iuxta hæc principia inferr Hurtadus, corpus hoc fore physicè diuisibile, ex eo quod esset diuisibile mathematicè. Neque scio ex quo capite inferat Hurtadus corpus simplex necessariò fore incorruptibile, nisi forsan ex incapacitate qualitatum per quas necessariò facienda est corruptio, quo posito nullum illi principium supereset, ad probandum corpus illud fore diuisibile physicè, neque corruptibile, vt nos trahat ad vtramque partem contradictionis. Respondeo corpus illud posse esse corruptibile, quia agens naturale poterit corrumpere vnionem integralem eductam ex partibus, quâ corruptâ corpus illud si certam extensionem requirit, non poterit subsistere, quia per illam diuisionem destruitur minimum requisitum ad sui conseruationem.

Contra hanc solutionem insurgit Arriaga n. 41. suâ sententiâ efficaciter, sed non meâ, sic argumentatur. Agens naturale non potest destruere vnionem continuatiuam nisi separando partes, quæ antea erant vnitæ: ergo quando destruit vnionem partium illas separat: ergo remanent separatæ: ergo non corrumpuntur, id enim quod est ab alio separatum corruptum non est. Respondeo separationem, seu diuisionem partium duo dicere, corruptionem vnionis & permanentiam partium carentium vnione, quam antea habebant: agens, cui separatio, aut diuisio tribuitur tantùm præstat illud negatiuum, videlicet destructionem vnionis inter partes, quæ postea ab alia causa possunt conseruari, quam conseruationem non præstat, neque intendit agens, quod vnionem destruxit, ac proinde destructâ vnione, ratione agentis quod illam destruxit poterunt partes permanere, si sit agens potens illas sine vnione conseruare, & tunc illud agens, quod vnionem destruxit dicetur, partes illas separasse, vel poterunt destrui ex defectu agentis, quod illas absque illa vnione conseruare possit, & tunc agẽs vnionem illarum corrumpens non dicetur illas separasse, neque diuisisse si separatio, & diuisio sumantur, vt sonãt, pro aliquo positiuo, sed tantùm vnionem destruxisse, quod contingit in nostro casu, in quo agens naturale corrumpet vnionem, & in eodem instanti in quo corrumpitur hæc, destruentur partes, quæ erant vnitæ, & ita non poterunt dici separatæ seu diuisæ ex defectu permanentiæ. Ex quo inferes antecedens illud, agens naturale non potest destruere vnionem nisi separando partes, falsum esse, quia separatio duo dicit, destructionem vnionis, & conseruationem partium, quæ fuerãt vnitæ, quæ cõseruatio non requiritur ad destructionem vnionis, neque ad illam agens conducit, neque incumbit agẽti, quod vnionem destruit, & est omnio per accidens, vt hîc & nunc corrumpatur vnio, partes permãsuras esse corruptâ vnione. Vnde in nostro casu agens corrumpens integralem vnionem corporis simplicis, sine qua partes illius nõ conseruarentur, neque vnionem immediatè, neque partes, quæ erant vnitæ mediatè destrueret per separationem, seu diuisionem partium, sed præcisè per corruptionem, seu per non esse vnionis.

Impugnat secundò hanc solutionem Arriaga: vnio illa non potest destrui ab agenti naturali ex subtractione concursus, quem non præstat, non ex defectu subiecti, quia inde sequeretur vnionem destrui, quia destruitur subiectum: non è contrario, quia destruitur vnio, vt intendit exhibita solutio: non per formam contrariam: ego nullo modo. Respondeo vnionem corrumpi posse per impressionem impulsus recepti in partibus exigentis corruptionem talis vnionis, incompossibilis cum illa, cuius impulsus corpus illud esset capax, sicuti corrumpitur integralis vnio materiæ primæ.

Ex hoc concludo corpus illud posse esse incorruptibile & constans partibus vnitis, quas agens naturale non possit diuidere, quia illarum vnio est incorruptibilis respectu agentis naturalis, sicuti vnio corporum, vel quia partes immediatè, & per se essent vnitæ. Item posse dari corpus simplex talis conditionis, vt destrui possit ab agente naturali producente impulsum, ex vi cuius destrueretur vnio requisita, vt habeat minimam extensionem, sine qua corpus illud conseruari non posset, ex defectu cuius vnionis destruerentur extrema, quæ sine illa subsistere non possent. Dixi agens naturale posse destruere vnionem eductam ex partibus, vt iuxta principia arguentis solutio procederet; in mea verò sententia vnio creata potest destrui ab agenti naturali, non physicè, sed producendo qualitatem, quę exigat subtractionem actionis creatiuæ, qua Deus illam conseruabat, si enim agens naturale exigere potest creationem animæ rationalis per dispositionum introductionem, cur non poterit exigere annihilationem moduli vnionis integralis?

Argumentatur rursus Hurtadus: corpus illud non fore sensitiuum, quia non constaret his quatuor qualitatibus, à quibus sensationes dependent, & illarum species petunt in subiecto, in quo recipiendæ sunt temperamentum calidum, & humidum. Mirum est quam frigide contra hoc simplex corpus agatur. Fatetur Hurtadus responderi posse corpus hoc posse sentire per sensationes diuersæ speciei à nostris, quæ non dependerent à quatuor qualitatum temperamento, & per species inditas à Deo, quæ non exigerent hoc temperamentum ex parte subiecti. Addo ego corpus hoc posse sentire easdem qualitates, quas nos sentimus per species illarum, etiamsi tales qualitates recipere non posset, quia potentia sensitiua potest frequenter sentire obiecta in extraneo subiecto recepta. Sed demus corpus hoc non fore sensitiuum, quid tunc postea? Cœlestia copora sensitiua non sunt, & multi censent gaudere simplicitate, quam nos in hoc corpore indagamus.

Vltimò arguit Hurtadus: Si tale corpus esset possibile esset nobilius animo rationali, & esset ignobilius; nobilius quia esset actus simplex completus: quod dicit maiorem perfectionem, quàm esse formam informantem: esset ignobilius, quia anima rationalis habet operationes multò excellentiores, virtus enim intellectiua, & capacitas videndi Deum essentialiter dicit perfectionem longè excellentiorem, quouis alio corpore. Idem argumentum posset conficere Hurtadus, de quocumque composito materiali respectu eiusdem animæ rationalis. Vnde de musca conficio argumentum, quod de corpore simplici conficit Hurtadus, eadem omnino arguendi formâ: Musca est entitas completa, totumque substantiale completum, anima rationalis est entitas incompleta, & pars ordinata ad componendum totum: sed maiorem perfectionem dicit esse totum, quàm partem: ergo musca est perfectior animâ rationali. Deinde est imperfectior, quia anima rationalis est spiritualis capax videndi Deum, &c. ergo est perfectior & imperfectior. Dices muscam esse entitatem compositam & animam rationalem esse simplicem, & ita non rectè argumentum procedere. Contra: Ego non comparo muscam in ratione compositæ, aut simplicis cum anima ad probandum muscam esse perfectiorem, sed in ratione completæ, & incompletæ, in qua ratione musca excedit perfectionem animæ rationalis, etiamsi excedatur ratione simplicitatis, quam habet anima. Respondebis muscam non esse absolutè perfectiorem animâ rationali, quia etiamsi illam excedat in ratione simplicitatis, quæ est longè maior perfectione quam habet musca, ex eo quod sit entitas completa. Placet solutio, sed illam tibi fume. Corpus illud præcisè si comparetur in ratione totius simplicis cum anima præcisè quatenus est forma, & entitas ex se inadæquata secundùm hanc rationem vincit perfectionem animæ rationalis, tamen absolute non est perfectius animâ rationali, quia anima rationalis habet alia prædicata ratione quorum longe maiori excessu vincit perfectionem illius corporis, quàm vincitur ex eo, quod illa sit entitas incompleta, & illud corpus simplex completum, & maior, minorve perfectio physica huius entitatis respectu illius sumenda est, non ex vno, vel altero prædicato metaphysico, sed ex omnibus, & ex tota entitate.

11 Rem clarè vide in rebus æquè simplicibus : compara formam accidentalem spiritualem , cum substantiali corporea,v. g. præsentiam Angeli cum forma equi , non rectè argueres. Præsentia Angeli est forma spiritualis : forma equi est forma materialis : forma spiritualis perfectior est materiali : ergo præsentia Angeli est perfectior forma equi. Rursus,præsentia Angeli est forma accidentalis:forma equi forma substantialis : forma accidentalis est imperfectior formâ substantiali : ergo præsentia Angeli est imperfectior forma equi:ergo est perfectior, & imperfectior. Mala argumentatio, ad hoc enim vt concludatur. præsentiam Angeli absolutè esse perfectiorem , non sufficit comparatio facta inter rationem spiritualitatis,sed debet fieri inter omnia prædicata,quæ se tenent ex parte vtriusque extremi,in quibus computatis excessibus,quibus mutuò excedentur entitates secundùm diuersa prædicata,illa entitas absolutè perfectior dicenda est, quæ secundùm plura excedit , quàm exceditur. Sic in nostro casu corpus illud simplex excedit animam, quia est completum & compositionem non respicit , quam respicit anima:Excediturquia anima est spiritualis & capax videndi Deum: computari debent illi excessus , & si maior fuerit , sicuti est de facto ille,qui se tenet ex parte animæ, anima absolutè perfectior erit ; si autem maior esset excessus tenens se ex parte corporis corpus absolutè perfectius diceretur. En manifestè redarguitur Hurtadus , & illius argumenti fallacia ostenditur,quæ,vt rectè expendit Arriaga. procedit ex suppositione duplicis contradictorij,videlicet prædicatum corporis simplicis completi esse omnium perfectissimum,ita vt illius excessus nullo alio possit compensari , & similiter eandem summam perfectionem habere prædicata, quibus anima constituitur spiritualis, & capax videdi Deum,quibus principiis manifestè oppositis infert animam rationalem esse perfectiorem omni entitate non potenti videre Deum, & consequenter corpore simplici; & simul corpus simplex esse perfectius omni entitate respiciente compositionem,& consequenter animo rationali,& consequenter animam rationalem esse perfectiorem, & imperfectiorem corpore simplici,& corpus simplex esse perfectius,& imperfectius animo rationali.

12 Alij arguunt : non potest dari substantia materialis carens omni formâ accidentali:ergo neque carens omni formâ substantiali. De substantia spirituali idem confice argumentum : non potest dari substantia spiritualis sine aliqua forma accidentali : ergo neque sine forma substantiali. Nego consequentiam quidquid sit de antecedenti, quod si verum est non alia de causa nisi quia est de ratione creaturæ iam constitutæ in suo esse substantiali capacem esse alicuius mutationis accidentalis , quæ per formam accidentalem facienda est.

§. II.

De compositione integrali.

13 Affirmo non solum posse dari corpus completum indiuisibile integraliter secundùm substantiam , sed quod sit subiectum quantitatis diuisibilis,& extensæ. Nulla firmior probatio in his quæstionibus , quam illa , quæ sumitur ex non repugnantia subiecti , quam argumentorum solutiones propugnabunt. Verumtamen antequàm argumenta proponam , & soluam , nonnulla præmitto, quæ meam conclusionem alienam non esse à vera Philosophia , & à principiis in aliis quæstionibus communiter admissis deductam esse ostendant. In primis de conceptu entis corporei non est diuisibilitas integralis , vt ostendo Controuers. 1. de anima,Punct.5. ergo non ex eo quod totum sit corporeum debet esse diuisibile integraliter,sed sufficiet si sit impenetrabile , vel per se ipsum, vel saltem per quantitatem indiuisibilem illi inhærentem, quia essentia quantitatis non consistit in diuisibilitate, seu extensione aptitudinali,sed in impenetrabilitate. Ex quo infero non repugnare corpus aliquod indiuisibile integraliter.Partem aliam conclusionis , in qua affirmo posse ex huiusmodi corpore educi quantitatem diuisibilem sic suadeo. Non repugnat res diuisibilis,& extensa educta ex subiecto indiuisibili:ergo ex eo,quod corpus illud indiuisibile esset,non repugnaret educi ex illo quantitatè indiuisibilè:antecedens debent admittere omnes Thomistæ,qui afferunt formas brutorum perfectorũ esse indiuisibiles,& quantitatem,& alia accidentia extensa,& diuisibilia educi ex toto composito , iuxta quæ asserta quantitas diuisibilis equi inadæquatè educitur ex forma indiuisibili eiusdem equi,quia implicat educi adæquatè ex toto composito,qui inadæquatè educatur ex parte essentiali constitutiuâ compositi:ergo sicuti educitur quantitas diuisibilis ex subiecto inadæquato indiuisibili,sic poterit educi ex subiecto adæquato. Idem clarius admittunt plures Theologi asserentes præsentiam Angeli ex vi cuius constituitur in spatio diuisibili , diuisibilem esse,& habere partes realiter inter se distinctas efficientes omnes, & singulas subiectum indiuisibile,ex quo educuntur : ergo non repugnat rem diuisibilè educi ex subiecto indiuisibili. Quod si dicas Angelum, & illius præsentiam esse spiritualem, argumentum à paritate desumo.Non repugnat præsentiam spiritualem diuisibilem,& essentialiter per se ipsam actu extensam educi ex subiecto spirituali indiuisibili:ergo non repugnabit,quantitatem corpoream,quæ tantùm per suam essentiam habet petere extensionem educi ex subiecto corporeo indiuisibili. Confirmatur : si ex aliquo capite repugnaret educi quantitatem diuisibilem ex subiecto indiuisibili esset,quia accidens & subiectum debent commensurari , sed inter accidens spirituale diuisibile , & subiectum spirituale indiuisibile datur sufficiens proportio , vt accidens è subiecto educatur : ergo eadem potest dari in accidenti corporeo diuisibili respectu subiecti corporei indiuisibilis, non enim maior proportio requiritur inter accidens , & subiectum spirituale , quàm inter accidens & subiectum corporeum.

Obiic. Effectus formalis quantitatis diuisibis est constituere partes subiecti extra alias partes, & ilud extendere: 14
sed non posset quantitas diuisibilis præstare hunc effectum tali corpori : ergo non posset illi vniri , quia nulla forma potest vniri subiecto , cui non potest præstare suum effectum formalem. Effectum formalem cuiusuis formæ nihil aliud esse quàm totum resultans ex materia,& forma,ostẽdam Controuers.8. Punct.3. & ita sicuti ex diuersis in specie subiectis, etsi forma sit eiusdem speciei,resultat totum specie distinctum ; sic resultat diuersus effectus formalis, & ita licet ex quantitate , & ex subiecto diuisibili resultaret necessariò tanquam effectus formalis totum habens partes extra partes, posset dici ex quantitate, & ex subiecto indiuisibili resultare diuersum effectum formalem,quia resultaret totum specie distinctũ,quod,partes extra partes non haberet : verumtamen id omitto,& parco, plusquàm par esset plures vti hac communicatione effectus formalis subiecto informato per formam,nam cùm effectus formalis sit totum, & forma non communicat,nec tribuit totum subiecto ; ita si strictè loquendum sit, debet non dici formam tribuere subiecto suum effectum formalem ; verumtamen indulgendum est vulgo in loquendi modo , quo effectus formalis dicitur denominatio illa , quæ subiecto accrescit,ex eo quod actu vniatur formæ , & totum componat.

His omissis : Respondeo subiectum habere actu partes 15
extra partes quando entitatiuè habet partes , prouenire formaliter à præsentia & non à quantitate , quia per præsentiam formaliter constituuntur partes in illo spatio , in quo sunt. Neque ex vi quantitatis partes subiecti exigunt formaliter præsentiam , ex vi cuius vna sit extra aliam , sed ex vi cuius quælibet pars diuisibilis , vel indiuisibilis , vel quodlibet totum , cuiusuis sit conditionis, sit in eodem spatio , in quo est quantitas cui vnitur , & cum de facto diuersæ partes subiecti vniuntur diuersis partibus quantitatis existentibus in diuersis partibus spatij, vt sint partes subiecti in eodem spatio , in quo sunt partes quantitatis, quibus vniuntur,petunt esse partes extra partes , si tamen partes quantitatis essent in eodem spatio, partes subiecti , quæ peterent esse illis intimè præsentes, peterent esse in eodem spatio. Eadem ratione si plures partes subiecti vnirentur eidem parti quantitatis , omnes peterent esse huic intimè præsentes & consequenter , inter se penetratæ , & eadem pars , seu idem totum diuisibile , vel indiuisibile subiecti si vniretur diuersis partibus quantitatis existentibus in diuersis spatiis , subiectum illud siue totale siue partiale peteret repeti in omnibus spatiis , in quibus erant partes, quantitatis, cui erat vnitum. Hinc deprehendes totum integraliter indiuisibile , de quo loquimur vnitum quantitati diuisibili , ex vi illius vnionis tantùm habiturum exigere præsentiam quandam

per

per quam repeteretur in omnibus partibus spatij in quibus erant partes quantitatis, quibus erat vnitum, quod vniuersaliter præstat quantitas cuicumque subiecto, sicuti quælibet alia forma, quæ petit subiectum existens in spatio, in quo ipsa est, quia tamen speciale est quantitatis petere habere partes non penetratas, ideo quando vnitur subiecto habenti partes cum correspondentia secundùm vnionem partis subiecti, ad partem quantitatis, sicuti contingit in quantis, quæ agnoscimus existentia, tribuit subiecto petere habere partes extra partes, vt correspondeant partibus ipsius quantitatis, quibus sunt vnitæ.

16 Obiic. secundò. Forma debet commensurari cum subiecto ex quo educitur: ergo non potest educi forma diuisibilis ex subiecto indiuisibili. Insto manifestè: forma materialis indiuisibilis educitur in opinione Thomistarum, & potest educi in sententia maioris partis totius scholæ ex subiecto diuisibili: ergo sicuti non repugnat ex defectu commensurationis educi indiuisibilem formam ex subiecto diuisibili, ita non repugnabit ex defectu huius educi formam diuisibilem ex subiecto indiuisibili, non enim datur maior commensuratio formæ indiuisibilis ad subiectum diuisibile, quàm formæ diuisibilis ad subiectum indiuisibile. Secundò non maior requiritur commensuratio formæ cum subiecto informationis, quàm cum subiecto vnionis: sed indiuisibilitas formæ non impedit commensurationem requisitam, vt informet subiectum diuisibile, vt patet in anima rationali; neque vt educatur ex illo: ergo diuisibilitas formæ non tollet commensurationem requisitam, vt possit educi ex subiecto indiuisibili. Respondeo formam tantùm exigere esse in eodem spatio, in quo est subiectum ex quo educitur quod potest habere forma diuisibilis respectu subiecti indiuisibilis, quia subiectum erit repetitū in omnibus partibus spatij in quibus fuerit pars formæ, quæ ex illo educitur, quæcumque autem commensuratio præter hanc superflua erit, vt forma ex subiecto educi possit. Vide quæ dixi num. 13. de præsentia Angeli. Alia argumenta similia fieri possent, quæ ex doctrina tradita facilè quisque soluet.

LIBER SECVNDVS PHYSICORVM.

EXplicata fuit libro primo natura *Totius* secundùm se, & secundùm illa, quæ intrinsecè includit; opus est in secundo explicare idem totum in ordine ad proprios motus, qui à toto, & à principiis intrinsecis, quæ includit, proueniunt, & in ordine ad causas intrinsecas, ex quibus componitur; & extrinsecis, à quibus dependet.

CONTROVERSIA VI.

De Natura.

NAturam Aristoteles primò in hoc libro contemplatur, vt pote causam motuum in ordine ad quos Totum corporeum in præsentiarum idem Philosophus meditatur.

PVNCTVM PRIMVM.

Definitur natura.

1 NOn poterimus non aberrare in lato campo, per quem nomen *natura* vagatur, si viam non sternimus distinguentes varias naturæ acceptiones, vt certam nobis sectandam præfigamus.

2 Varias naturæ acceptiones referunt Conimbr. libr. 2. phys. q. 1. art. 1. & ex illis, qui postea de hac re egêre, quas omnes breuiter referam. Primò natura sumitur à probis Philosophis, quorum Seneca 4. de officiis, & D. Augustin. lib. 15. de Trinit. c. 1. pro substantia infinita, Deo videlicet Optimo, Maximo, omnium rerum opifice, quem aliqui barbarè vocant naturam naturantem, hoc est creantem reliquas naturas, quas iidem naturatas, id est, creatas appellabāt. Secundò sumitur natura pro quidditate seu essentia rei. In hoc sensu dicimus Verbum assumpsisse naturam humanam, hoc est, illa, quæ essentialia sunt homini; & in eodem sensu dicimus definitionem explicare naturam rei, videlicet illa, quæ sunt de essentia rei. Nota passim rectè Conimbr. assignasse discrimē inter naturam, & quidditatem, natura enim dicit esse rei in ordine ad se, quidditas verò dicit esse rei in ordine ad definionem, quā respōdemus interroganti, quid est hoc. Tertiò sumitur natura pro tota collectione rerum naturalium, quo sensu dixit Aristot. 12. Metaph. cap. 7. text. 38. naturam pendere à principio, hoc est, totam hanc mundi machinam dependere à prima causa. Quartò sumitur pro causis naturalibus secundùm innatam propensionem, atque virtutem. In hoc sensu dicimus naturam abhorrere superfluum, nihil vanè moliri, vacuum non permittere. Quintò sumitur natura pro temperamento, seu complexione cuiuscumque viuentis ex quatuor qualitatibus resultante. Vltimò sumitur natura pro viuentium generatione, quæ natiuitas seu nascentia appellatur, vnde natura dicitur. Hæc est propria, & genuina huius nominis significatio, & vocis acceptio, quia tamē generatio ab interno principio prouenit, nomen naturæ deriuatum fuit, ad significandum internum principium cuiuscumque generationis, seu motus, & hoc titulo substantia, siue viuens, siue non viuens, quæ est principium motus, natura dicitur, de quo principio in præsenti Aristoteles disserit. Has naturæ acceptiones apud Conimb. latiùs reperies loco citato, quibus nec verbum addidi, illorum enim tum eruditio magna, tum materiæ leuitas quidquam addi non permittit.

Naturam secundùm propriam acceptionem, quam vltimò retuli definit Aristot. text. 3. *Principium, & causa, vt id moueatur, & quiescat, in quo primò, & perse, & non secundùm accidens inest.* In prima definitionis voce offendunt Doctores, quæ in hac definitione superfluere videtur, ad quid enim *principium*, & *causa*, ponitur in definitione, si causa conceptus in se formaliter principij conceptum exprimit. Auicenn. cum Burleo, quibus consentit Toletus dicit per *principium* intelligi formam, per *causam* materiam.

3

Abs re omnino, quia inter materiam, & formam, hæc propriùs sibi arrogat rationem causæ, quàm illa: ergo gratis & contra rationem dicitur per causam non formam, sed specialiter materiam exprimi, & per principium formam. Ingens antiquorum, recentiúmque caterua dicit nomen *causa* additum esse vt excluderetur priuatio, quæ continebatur in illa voce *principium*. Non damno particulam *causa* positam esse, sed inquiro cur vox *principium* non fuit dempta, quæ in conceptu causæ continebatur. Si enim ego definirem hominem *viuens animal rationale*, etsi vox *animal* excluderet plantam inclusam in illa voce *viuens*, vitiosa esset definitio, quia posità voce *animal*, superuacanea erat vox *viuens*, cuius conceptus in conceptu animalis expressè continetur. Res quidem parui momenti, in qua non temerè dicetur vocem illam penitus superfluere; si verò tibi placeat, Philosophum neque minimam vocalam prodegisse, dicito definitioné tradidisse expresso conceptu principij, & causæ ne aliquis ex imperito vulgo, cui conceptu causæ exploratus non esset, intelligens non in se imbibere conceptum principij censeret naturam non esse principium motus, in ordine ad quem natura dicitur.

4 Circa particulam *quietis* dubitant an importet aliquid positiuum, an tantùm negatiuum, videlicet negationem motus. Significare aliquid positiuum videlicet permanentiam, seu conseruationem termini acquisiti per motum docet optimè Rub. lib. 2. cap. 1. q. 1. n. 8. & Valles. de naturæ principiis, ad hoc caput, quod pulchrè probat ex interno impetu, quem habēt corpora ad conseruandum terminum quem per motum naturalem acquisierunt, si enim amouere intendas lapidem à loco, ad quem per naturalē motum peruenit, resistentiam experieris: ergo lapis positiuè intendit conseruare præsentiam illam, & quiescere in spatio acquisito: ergo est principium positiuum non solùm motus, sed etiam quietis.

5 Circa particulam *motus & quietis* venit in quæstionem, an copulatiuè, vel disiunctiuè sumenda sit: An videlicet sufficiat ad rationem naturæ esse principium motus, vel quietis, vel requiratur vtriusque simul esse principium. P. Fons. 5. Metaph. q. 1. cap. 4. sect. 4. disiunctiuè intelligendam esse defendit, ita vt in aliquibus compositi materia, quæ est natura, principium sit motus, in aliis verò quietis. Neque verbum & ita strictè intelligi volunt multi Fonsecæ sectatores, vt necessariò coniungat vtrumque principium in definito, quod ego sic explicarem. Particula & dicenda est annectere iuxta hanc sententiam rationem definiti in his principiis etiam non coniunctis, non ipsa principia in se ipsis, ita vt faciat hunc sensum, omne id, quod fuerit causa motus est natura. Item omne id, quod fuerit causa quietis est natura, ex qua coniunctione, hæc disiunctio; in quam resoluatur, fieri potest, natura est principium quietis vel motus. In hunc sensum explicanda est particula & in illo testimonio Scripturæ apud Ioann Epist. 1 cap. 2. *Hic est Antichristus qui negat Patrem, & Filium*, hoc est, qui negat Patrem Antichristus est, & qui negat Filium similiter est Antichristus, quæ coniunctiua propositio in hanc disiunctiuam resoluitur: qui negat Patrem, vel Filium, est Antichristus.

6 Sentio naturas omnes, quæ de facto dantur causam esse motus, & quietis sumpta particula & cōiunctiuè, quia omnes habent virtutem acquirendi, si aliquid illarum perdiderint, vt patet in lapide, qui præsentiam deorsum producit, & eamdem conseruat, & in eam iam amissam propendet, idem contingit in aqua respectu frigiditatis, & quibuscumque aliis entitatibus respectu suarum passionum. Sentio simul, quod si daretur aliqua substantia, quæ tantùm esset principium motus, vel quietis, illam naturam esse dicendam propter rationes dictas, tum etiam quia terminus motus, & ex illo potentia ad motum, vel quietem specie distingui non posset. De mente Aristotelis sentio particulam intelligendam esse collectiuè, quia Aristoteles definiuit rationem communem naturam, quæ de facto dantur. Cùm autem omnes naturæ existentes simul sint principium motus, & quietis, (simultate potentiæ intelige, non actus) sit Aristotelem definiisse rationem naturæ, quæ simul est principium motus, & quietis, quam vt definiret, sicuti est, per principium motus, simul, & quietis, illam debuit definire. Hæc omnia leuia sunt, nec maiori indigent probatione: An verò per principium debeat intelligi principium actiuum, vel passiuum sufficiat, dicam Puncto sequenti.

Eius in quo est, per particulam istam excludunt aliqui materiam primam, quæ cùm sit primum subiectum in nullo est: Alij dicūt materiam esse in toto, in quo continetur, quia contentum propriè dicitur esse in continenti. Totum multi relegant à ratione naturæ iuxta Philosophi mentem, quia in nullo est; horum tamen aliqui defendunt ex natura rei totum naturam dici posse, quia est in supposito, non verò in sententia Philosophi, qui suppositum non cognouit. Alij tandem docent adhuc iuxta Aristotelem totum dicendum esse naturam, qui particulam illam *eius in quo est* censent, Aristotelem intellexisse negatiuè, hoc est non in subiecto extraneo. Quæ omnia Puncto venturo examinabo. Vnum ex hac particula certum est, neque materiam, neque formam, neque totum naturam dici per ordinem ad motum exercitum in subiecto extraneo. 7

Tandem per illam *primò & per se, & non secundum accidens* excluduntur accidentia, quæ non sunt in subiecto, primò & per se, sed secūdariò, & accidentaliter. Sunt qui putent particulam *primò & per se* ad verbum *motus* referendam esse, ita vt sensus sit, causa motus, qui sit primò, & per se: errant tamen, quia vt bene Conimb. PP. demonstrant ex textu Græco ad verbum *in quo est*, referri necesse est. 8

Punctum II.

Quibus entitatibus ratio naturæ conueniat.

EX duplici capite dubium materiæ ius est, vt inter naturas annumeretur. Primum, ex defectu subiecti in quo sit. Secundum, quia non est principium actiuum motus, sed tantùm passiuum. Totum inter naturas ex mente Aristotelis recensebo, etiamsi subiectum non habeat: potiori ratione ex hoc capite materia recenseri poterit, quæ etsi non sit in subiecto, est tamen in toto, sicut inclusum in includente. Venio ad aliam rationem desumptam ex eo, quod materia principium passiuum sit non actiuum. 1

Scotus in 2. dist. 18. quæstione vnicá, quem tota sua schola sequuta est, existimat naturam tantùm constitui per principium passiuum, & non per actiuum. P. Vasquez 1. 2. tom. 1. disp. 25. cap. 3. num. 20. & 21. Et Vallesius Controuers. 11. ad Tyrones, aliique recentiores totam rationem naturæ principio actiuo, nullámque passiuo tribuunt. Communis sententia, vtrumque principium tam actiuum, quàm passiuum naturæ constitutiuum esse defendit, & materiam primam propriè & strictè naturam esse censet. Ita Conimb. lib. 2. Physic. cap. 1. quæst. 1. art. 2. Rub. ibid. q. 2. Hurtadus disp. 7. sect. 2. Arriaga disp. 6. sect. 1. quibus subscribo. Probo hanc sentiam ex definitione naturæ traditá ab Arist. Definiuit Philosophus naturam per principium motus abstrahens à ratione principij: Sed ratio principij vniuocè conuenit principio actiuo, & passiuo: ergo non potiori iure intelligenda est definitio de principio actiuo quàm passiuo. Accedunt expressa Aristotelis testimonia, quibus materiam absolutè naturam appellat. Ita hoc lib. 2. text. 10. *Natura sic dicitur: Primò cuiuscumque subiecta materies eorum, quæ motus in se, mutationisque principium habent. Alio verò modo ipsa forma, & species.* Et 5. Metaph. *Natura verò hæc prima materia, & hæc dupliciter, aut quæ ad ipsum prima, aut simpliciter prima.* Tum 5. Metaph. cap. 4. *Natura est, ex quo primo inexistente generatur, quod gignitur.* 2

Obiicies Aristotelem eodem cap. 4. lib. 5. Metaph. vbi hæc habet: *Ex dictis itaque prima, & quæ propriè dicitur natura, est substantia eorum, quæ in se ipsis vt ipsa sunt, motus principium habent. Materia enim eo quod huius sit susceptiua dicitur natura*: ergo sentit Aristoteles materiam dici naturam eo quod sit susceptiua formæ: ergo ratio naturæ primariò conuenit formæ, propter hanc secundariò materiæ? Respondeo Aristotelem hoc cap. expressè dixisse omnem essentiam dici naturam metaphoricè propter naturam substantialem completam. Audi Aristotelem: *Metaphoricè vero omnis substantia* (id est, omnis essentia cuiuscumque accidentis) *natura propter hanc dicitur*, deinde subdit: *Ex dictis prima & quæ dicitur, natura est substantia eorum, quæ in se ipsis, vt ipsa sunt motus principium habent*, hoc est, ex essentiis dictis in quibus substantia, & accidens, *prima*, & quæ dicitur natura est substantia. Quam doctrinam probat in materia, dum dicit. *Materia enim eo quod huius sit susceptiua*, hoc est, quia est susceptiua motus, natura dicitur, quibus verbis non ex forma mendicatam rationem 3

naturæ,

naturæ, materiæ attribuit, quia materia per principium motus, quod in se formaliter habet, natura dicitur. Hac ratione explicandus est Aristoteles, & reiiciendus Hurtadus, qui docuit sect. 3. §. 15. Aristotelem prædicto testimonio docuisse materiam esse analogicè naturam cum forma, quod non tollit propriè dici naturam, sicut accidens propriè est ens, & tamen respectu substantiæ in multorum sententia rationem entis analogicè participat. Huic doctrinæ non acquiesco, quia cùm materia vniuocè sit principium motus cum forma, vniuocè rationem naturæ debet participare; deinde, quia illud genus analogiæ fictitium est, vt probabo in Metap. 13. quia absque fundamento Philosophus ad hanc interpretationé ab Hurtado trahitur.

4 Obiicitur secundò Aristoteles lib. 2. physic. cap. 1. textu 12. vbi hæc habet: *Atque natura magis hæc est, quàm materies, vnumquodque enim magis dicitur cùm est actu, quàm cum potentia.* Hoc testimonium adducam postea ad probandum rationem naturæ competere toti, quod comparat Aristoteles cum materia, non formam, vt rectè ex D. Thom. ostendit Rub. quod totum dicitur physicè magis natura quàm materia, quia includit materiam & formam.

5 Obiicies tertiò Aristotelem 5. Metaphys. cap. 4. *Quare & quæcumque* (verba sunt Aristotelis,) *naturâ sunt, aut fiunt iam existente, ex quo apta sunt fieri, aut esse, nondum dicimus naturam habere si speciem & formam non habeant:* ergo quovsque veniat forma non est natura; ergo materia natura non est. Respondeo Aristotelem docuisse materiam præexistentem, ex qua aliquid fit, non esse naturam, sed illud quod faciendum est, nondum habere naturam, quia nondum existit, neque habet formam, quæ facta non est, neque materiam, quæ ad illud non spectat donec fit forma, quod eleganter explicuit idem Philosophus, 2. physic. cap. 1. his verbis: *Nam quod potestate caro est aut os suam prius naturam non habet, antequàm formam, quæ vt ratio est, acceperit.* Concludit ergo Aristoteles carnem non habere naturam carnis, quovsque adueniat forma, quæ carnem constituat.

6 Scotus cum sua schola formam à ratione naturæ excluſit quem ferè omnes meritò impugnant, tum ex Aristotelis testimoniis, tum ex constitutiuo naturæ, quod propriissimè conuenit formæ, quæ est principium motus, & quietis in composito, in quo est, neque in hoc magis est immorandum. Venio ad rationalem animum, de quo nonnulla poterat esse dubitatio. Sensère nonnulli animum rationalem, vt rationalem naturam non esse. Oppositam sententiam amplector cum P. Soar. tom. 1. Metaph. disp. 1. sect. 2. num. 17. Tolet. quæst. 2. Procem. in lib. de anima, Conimb. lib. 2. Physic. dubio 1. quæst. 3. citatâ n. 26. Probat Rub. hanc conclusionem: Anima rationalis, vt rationalis est principium ridendi, & flendi in homine: ergo est principium motuum materialium in homine in quo est: ergo est natura. Non acquiesco: actus flendi dicit duo, & actum internum voluntatis, quo tristatur, & angitur animus; & actum externum excutiendi lachrymas: primus actus totus est spiritualis, & respectu illius non potest dici anima principium motus corporis: secundus actus non immediatè prouenit ab anima, sed ab actu voluntatis, qui non est in composito primò & per se: ergo non potest dici naturalis. Idem dico de actu ridendi, qui dicit actum internum spiritualem animæ, & actum externum, videlicet motum localem procedentem non immediatè ab anima, sed ab interno actu.

7 Aliter ego conclusionem probo: anima rationalis, vt sensitiua est natura, sed vt sensitiua & rationalis ex parte obiecti non distinguuntur: ergo saltem ex parte obiecti, vt rationalis, est natura: Maiorem admittunt omnes, qui formam equi naturam esse concedunt, quia anima rationalis, vt sensitiua æquè est principium sensationis in homine ac hinnibilis in equo. Minorem probo in Metaph. Controu. 4. Puncto 8. vbi nullam præcisionem obiectiuam admitto in rebus inter se identificatis. Secundò probo adhuc vt rationalem ex parte actus præcisam esse naturam. Anima vt principium vegetandi est natura; sed vt rationalis est principium vegetandi: ergo vt rationalis est natura. Minorem huius syllogismi in qua est tota difficultas probo. Contr. 3. de generat. Punct. 3. ibi me adi. Tertiò, anima rationalis, vt rationalis est forma compositi: sed forma vt forma est principium operationum in composito: ergo vt rationalis est natura.

8 Obiicies: Anima rationalis vt rationalis tantùm est principium intellectionis, & volitionis: sed intellectio, & volitio non sunt motus compositi, neque sunt motus corporei: ergo vt rationalis non est principiū actuum, per quos possit constitui natura. Probo sequentiam: Natura constituitur per ordinem ad motus corporeos, & per ordinem ad motus compositi; ergo per ordinem ad intellectionem, & volitionem, quæ neque sunt motus corporei neque motus compositi non potest constitui natura. Respondeo, negādo maiorem primi syllogismi, dixi enim animam rationalem, vt rationalem supponi ad actum vegetandi, quod probo Controu. citatâ *de generatione*, sed esto: maiorem admitto, & nego minorem. Ad confirmationem. Respondeo motum volitionis, & intellectionis etsi solùm ab anima efficienter procedant, & in illa recipiantur, esse motum totius compositi, quia per intellectionem elicitam ab anima, & in illa receptam, totus homo dicitur intelligens, & per potētiam intellectiuam animæ dicitur anima intelligens, quia cùm totum nihil aliud sit quàm partes, quod est proprium cuiusuis partis, ratione illius est proprium totius. Sic equus moueri dicitur per sensationem actiuè tantùm procedentem à forma, & in eadem receptam vt probabo Controu. 3. de anima Puncto 1. Ad aliud quod obiicitur, videlicet motum intellectionis non esse corporeum. Respondeo verum esse hunc motum secūdùm se non esse corporeum, esse tamen motum totius corporei, & exercitum dependenter à corpore, quod sufficit, vt per ordinem ad illum natura constituatur, quia Aristoteles definiuit naturam per ordinem ad motum substantiæ corporeæ, siue spiritualem, siue corporeum.

9 De cælorum formis dicendum est eodem modo esse naturas: Probat Rub. cap. citat. quæst. 1. numer. 13. ex eo quod sunt principium motus, etsi non sint principium quietis: non assentior. Assero corpora cælestia esse principia quietis quatenus conseruant suas qualitates, & passiones, quæ illorum formas comitantur. (suppono disputationis gratiâ corpora cælestia esse composita ex materia, & forma quidquid sit de hoc) & si illis priuarentur, iterum se mouerent per acquisitionem illarum, sicut aqua natiuâ frigiditate priuata se mouet, vt iterum illam acquirat. Quod si semper localiter cæli moueantur (non loquor de Empyreo) non ideo carent principio quietis, quia si ab Angelis non mouerentur, eamdem semper præsentiam in eodem spatio conseruarent, à quo si aliud agens illos intenderet remouere, non sine resistentia recederent, & postquàm recessissent, iterum se mouerent ad idem spatium acquirendum, modò autem absque vlla violentia ab Angelo cientur, quia etsi omnes illius partes moueantur, neque tota corpora cælestia, neque illorum partes aliquæ à proprio centro diuelluntur, totum enim corpus in eodem spatio permanet, & quælibet pars æquè gaudet qualibet parte spatij æque distanti à centro intrinseco eiusdem corporis cælestis, & à reliquis compartibus, & numquam per motum ab Angelo productum aliter constituitur.

10 Toti rationem naturæ tribuit Rub. q. 2. n. 18. quam ex mente Aristotelis illi denegandam non esse ipsius Philosophi expressa testimonia suadent, perspicuum est quod tradidit 1. Physic. c. 1. *Natura quidem sunt animalia, partesque ipsorum & plantæ, & simplicia corpora, vt terra, ignis, & aer, & aqua. Hæc enim & eiusmodi res natura dicimus esse,* & testimonio suprà adducto ex lib. 5 Metaph. cap. 4. id clarè testatur. *Quare quæcumque natura sunt, aut fiunt iam existente, ex quo apta sunt fieri, aut esse, nondum dicuntur naturam habere, si speciē & formam non habeant, natura igitur quod ex ambobus his est* (hoc est compositum) *vt animalia & partes eorum.* Ratione eamdem conclusionem probo: magis naturalis est motus in ipso quàm in ipso in quo est: ergo totum quod est principium motus in seipso potiùs debet esse natura, quàm pars quæ est principium motus in toto in quo est.

11 Obiiciunt Hurtadus, & Arriaga qui oppositam sententiam defendunt, hic *disp. 6. sect. 1.* ille *disp. 7. sect. 5.* Aristotelem 2. Physic. text. 12. sic dicentem: *Compositum natura quidem non est, sed est, & constat natura, vt homo.* Quibus verbis expressè videtur negare totum naturam esse. Expendas quæso illam particulam, *sed est, & constat natura.* Quæ clarè sonant, sed est natura, & constat natura, ex qua præcedentem partem huius clausulæ intelligo, in qua Aristoteles asserit, compositum non esse naturam tantùm, sicuti est materia, & forma, quæ sunt natura, & naturā non constant, sed esse simul naturam, & cōstare naturā;

si enim in priori parte clausulæ absolutè negaret, totum esse naturam, inepte in posteriori contradictorium exprimeret, *sed est natura*. Ex quo inferes hoc testimonio nostram sententiam non impugnari, sed propugnari.

10 Concludo, materiam, formam, & compositum vniuocè rationem naturæ participare, & particulam illam *eius in quo est*, in definitione positam intelligendam esse negatiuè, id est, non in alio subiecto. Ex quo inferes totum simplex corporeum naturam esse dicendum, non verò totum spirituale sicut Angelus, quia non est principium, quo moueatur totum corporeum, in quo sit, de quo agit Arist. in hoc opere; non de mobili spirituali.

PVNCTVM III.

Quid sit motus naturalis, violentus, & medius.

1 NAturalis motus quàm plurimæ sunt acceptiones. Primò naturale dicitur, quod supernaturali opponitur, & sicuti supernaturale dupliciter dicitur, quoad modum, & quoad substantiam; ita naturale, quoddam est tantùm quoad substantiam, aliud verò quoad modum, & quoad substantiam. Secundò naturale dicetur id, quod prouenit à natura sine cognitione operante ad vnum determinata, sic dicitur motus naturalis, quo lapis descendit deorsum. Tertiò dicitur naturale, id quod opponitur libero, sic etiam voluntatis actus, qui non proueniunt à principio indifferenti naturales dicuntur. Quartò naturale dicitur, quod è natiuitate alicui entitati conuenit, vel ab illa procedit per naturalem emanationem, sic naturale opponitur aduentitio. Quintò naturale dici solet, id, quod iuxta communem seriem causarum communiter accidit, vt pluuia in hyeme. Sextò motus naturalis à natura secundùm explicationem quam de illa tradidimus Puncto præcedenti frequenter dicitur.

2 Violentum definit Aristoteles 3. Ethic. cap. 1. *cuius principium est foris nihil prorsus eo conferente, cui vis est illata*. Quam definitionem omnes ferè Theologi, atque Philosophi, ita explicant, vt illam particulam *nihil prorsus eo conferente*, non tantùm negatiuè, sed etiam positiuè intelligenda sit, hoc est reluctante, cui vis est illata. Sumitur hæc explicatio ex Aristotele 2. Ethic. ad eudemum, vbi hæc habet: *Quando igitur foris quidpiam præter impetum intrinsecum mouerit, sedaritve, id vi fieri asseueramus: quando vero secus non vi.* Vbi idem putat Aristoteles esse violentum, & vi factum. Circa particulam *passo* censeo non debere intelligi necessariò de subiecto, quod in actu secundo patiatur formaliter, quia hoc numquam positiuè passioni resistit, cùm sit causa, & principium intrinsecum illius. Dicitur autem passum totum subiectum, seu forma cui est violentus motus, v.g. forma aquæ, sic est violentus calor inhærens subiecto, quod informat. Intelligitur etiam passum principium effectiuum, cuius impetus seu determinatio in actu primo impeditur, ne in actu secundo in actionem prorumpat, hæc enim patiuntur, quando contra illorum exigentiam illis accidens, cui resistunt, vel negatio accidentis, vel actionis, cuius habitum intendebant, contingit.

3 Ad hoc, vt motus dicatur naturalis in vltima acceptione, hoc est proueniens à natura, vt natura est, non sufficit prouenire à principio passiuo, aliàs nullus motus naturalis non esset, omnes enim à principio passiuo proueniunt, sed requiritur, vt proueniat actiuè, & passiuè à natura, quia motus formaliter vt motus, dicit ordinem non solùm ad principium passiuum, sed etiam ad actiuum, vt probabo lib. 3. Contr. 12. Punct. 6. ac proinde vt adæquatè naturalis sit requiritur, vt actiuè, & passiuè proueniat à natura, hoc est, à compositio, vel ab aliqua parte cõpositi. Neq; sufficit vt quomodocumque actiuè, & passiuè proueniat ab aliqua parte actu cõponẽte compositum, sed requiritur, vt proueniat ab illa quatenus specialiter est motus, illius cõpositi. Hac ratione motus, quo materia prima quantitatẽ producit iuxta communem sententiam, vt causa adæquata illius, motus naturalis non est, quia non prouenit, à materia prima quatenus est in composito, quia eamdem quantitatem, & eodem omnino modo illam produceret in composito, & extra compositum, & ita motus ille non dicitur motus compositi, in quo est materia prima, eadem ratione motus, quo anima producit potentiam intellectiuam motus naturalis non est, secus motus, quo intellectionem producit motus, naturalis dici debet, quia iuxta communem sententiam calor receptus in materia prima, & motus ille effectiuè, est à forma, & passiuè, seu subiectiuè à materia, & ita actiuè, & passiuè prouenit à composito secundum partes essentiales quas dicit.

Obiic. sufficit ad constituendam naturam esse principiũ passiuum: ergo sufficit vt motus sit naturalis, prouenire à principio passiuo, ratione cuius illius subiectum natura constituitur. Respondeo ad rationem naturæ non requiri alium influxum præter passiuum, ex parte principij quod natura dicitur, non tamen sufficere esse principium passiuum cuiuscumque motus, sed motus illius in quo est tale principium passiuum. Instabis, illa particula *eius in quo est*, non necessariò intelligitur positiuè, sed sufficit negatiuè iuxta dicta puncto præcedenti: ergo materia prima quatenus principium quantitatis est principium motus in se ipsa: ergo secundùm hanc rationem est principium motus quatenus est natura, sicuti de toto simplici diximus Puncto præcedenti: Resp. particulam illam *eius in quo est*, posse intelligi negatiuè, in motibus, qui positiuè pertinent ad totum siue simplex, siue compositum, quia sunt propria illius, vel fiunt dependenter ab illo, quia definitio naturæ datur per ordinem ad motus proprios compositi, qui actiuè & passiuè proueniunt ab illo influente secundùm se totum indiuisibiliter actiuè, & passiuè, vel secundùm vnam partem essentialem actiuè, & passiuè, vel actiuè, & passiuè secundùm eamdem partem, dependenter tamen ab vnione ad alteram, vt motus ille proprius dicatur compositi, & propriè dici possit motus alicuius partis vt existentis in composito. 4

Motus violentus dicitur non solùm ille, qui est contra motum naturalem strictè sumptum, hoc est, prouenientem à natura quatenus natura est; sed qui est contra naturalem propensionem, & determinationem, seu exigentiam causæ; quia omnis huiusmodi motus fit vi resistente exigentiæ, seu determinationi causæ. Contra principiũ actiuum dari violentiam nullus negat, sæpe enim dum agens frigidum intendit producere frigiditatem, coërcetur ab agenti calido, ne talem frigiditatem producat. Est dubium inter Doctores contra quæ principia detur violentia: Vasquez 1.2. disp. 25. c. 2. Mol. 1. p. q. 12. art. 1. Granados 1. 2. disp. 5. de voluntario negant dari violentum contra principium passiuum. Addit Vasquez, dari non solùm contra principium actiuum, sed etiam formale. Pater Soar. 1 2. disp. 2. de voluntario sect. 1. ibid. Montes. disp. 1. q. 1. Cornejo q. 6. disp. 12. dub. 1. Mart. q. 6. art. 4. tenent dari violentiam contra principium passiuum, sic probant: Materia, vt est principium passiuum est natura: ergo motus, qui est contra principium passiuum est contra naturam: ergo est violentus. Non conuincor, quia sicuti non omnis violentia est contra naturam vt natura est, ignis enim violentiam patitur quando impeditur ne calorem producat in passo approximato, quem vt non natura producit, sic non omnis motus, qui est contra naturam violentus dici debet, nisi sit contra naturam positiuè resistentem, & inclinatam ad oppositum. Sed esto, motus omnis contra principium passiuum violentus sit. Vnde probant Doctores hi dari motum contra principium passiuum? 5

Dico primò, non posse dari violentum contra principium passiuum strictè sumptum per receptionem alicuius qualitatis, seu formæ positiuæ. Probo: Principium passiuum positiuè influit in formam receptam: ergo forma recepta, & ipsa receptio oritur ab entitate intrinseca principij passiui: ergo non est illi violenta, nihil enim quod passiuè oritur ab intrinseco rei, illi violentum esse potest, quia omne violentum essentialiter est ab extrinseco. 6

Dico secundò. Non potest fieri violentia principio passiuo in negatione receptionis alicuius formæ producendæ ab extrinseco agente, ad quam nullam dispositionem habet. Probo: principium passiuum non est determinatum in actu primo ad illam formam recipiendam per suammet entitatem, sed determinatur per potentiam agentis, quod est in actu primo ad illam producendam, & si sint duo agentia in actu primo ad produc̃das qualitates oppositas, determinatur per præsentiã agentis validioris, & nõ impediti ad suum effectum producendũ, sed positã hac determinatione, nõ potest naturaliter non recipere effectum: ergo positâ hac determinatione, non potest naturaliter violentiam pati. Minorem probo, Posito passo ex se potente recipere formam, & agenti non impedito ex se in actu primo 7

determinato

determinato ad illam formam producendam non potest naturaliter effectus non produci : ergo non potest non recipi : ergo posità tali determinatione non potest subiectum violentiam pati per negationem receptionis : sed antecedenter ad terminationem causæ non potest esse violentia , quia hæc semper est contra denominationem: ergo in ordine ad has formas principium passiuum nullam violentiam pati potest.

8 Obiic. Aqua intendens producere frigiditatem,violentiam patitur quando impeditur ab igne, ne talem frigiditatem producat in passo : ergo passum violentiam patietur quando impedirur ab eodem igne, ne frigiditatem producendam ab aqua recipiat. Nego consequentiam:disparitas est manifesta ; aqua in præsentia ignis adhuc ex se determinata ad producendam frigiditatem , cuius determinatio in actu primo coercetur vi actiuâ ignis, ne in actum secundum erumpat : passum verò, præsentibus duobus agentibus contrariis tantùm est determinatum in actu primo,vt recipiat ab agente extrinseco validiori,quia cùm ex se non sit determinatam ad hanc formam potiùs,quàm illam oppositam recipiendam , sed indifferens ad vtramque,determinatur extrinsecè ab agente validiori, & ita in præsentia ignis validioris ad producendum calorem, non determinatur adhuc in actu primo ad recipiendam frigiditatem , & ita negatio receptionis illi violenta non est.

9 Dico tertiò. Vltima dispositione productâ ad aliquam formam violentia fieret principio passiuo , si illam formam in se non reciperet, naturaliter tamen hæc violentia contingere non potest. Probo primam partem conclusionis:Subiectum ita dispositum est determinatum in actu primo,& exigit receptionem qualitatum ; ergo si non daretur talis receptio esset contra illius exigentiam : ergo esset illi violenta negatio talis receptionis. Secundam partem faciliùs ostendo:posita vltima dispositione ad formam, etiamsi nullum sit agens naturale debet illam producere Deus vt author naturæ, & illam producet vt patet in productione plurium formarum substantialium præcipuè viuentium imperfectorum , quæ producuntur à Deo ad exigentiam dispositionum existentium in subiecto : ergo non potest naturaliter deficere receptio talium formarum,quia Deus naturaliter nunquam deficit in his , quæ illi , vt authori naturæ incumbunt.

10 Dices contra primam partem conclusionis : positis dispositionibus ad formam, hanc produci ad exigentiam dispositionum , non ad exigentiam subiecti,& ita si deficeret talis productio , esset contra exigentiam dispositionum, non contra exigentiá subiecti,neque aliqua inferretur subiecto violentia , sed tantùm dispositionibus. Contrà : virtus actiua, quæ ex se non potest producere , neque exigit productionem effectus sine aliis comprincipiis , & conditionibus , dicitur per se ipsam simul cum illis conditionibus,& comprincipiis exigere effectum : ergo similiter virtus passiua , quæ sine dispositionibus effectum non exigit, dicetur illum exigere per suammet entitatem simul cum dispositionibus , quando dispositiones illi adsunt.

11 Effectus formalis duplex est, primarius, & secundarius: primarius est totum compositum , secundarius expulsio formæ præcedentis. Circa primarium effectum , nulla potest dari violentia distincta ab illa , quæ principio actiuo intendenti producere formam, & vnionem inferri potest. Probo clarè:productâ forma , & vnione adhuc de potentia Dei absoluta non potest impediri naturaliter primarius effectus , videlicet compositum , & totum constitutum : ergo tantùm potest impediri totum compositum , quatenus potest impedire productio formæ,& vnionis:ergo nulla alia violentia potest dari in negatione huius effectus præter illam , quam immediatè patitur agens intendens producere formam & vnionem : ergo numquam datur violentia immediatè contra principium formale in ordine ad primarium effectum , præter illam,quæ datur contra principium productiuum formæ , & vnionis, ex quibus necessariò resultat.

12 Obiicies : Quando accidens est extra subiectum petit illud informare:ergo tunc fit violentia contra principium formale. Distinguo antecedens, accidens extra subiectum constitutum petit illud informare exigendo immediatè productionem informationis,& media illa suum formalem effectum,concedo;exigendo immediatè effectum formalem , non exigendo immediatè vnionem, ex quo resultat produci à principio effectiuo, nego , ergo fit violentia contra principium formale ; distinguo consequens quatenus impeditur productio actiua vnionis, quam forma moraliter exigit , vel in cuius productionem actiuè propendet, si habet talem virtutem, concedo:quatenus immediatè effectus formaliter,nego.

13 Circa effectum formalem secundarium existimo non posse dari violentiam strictè sumptam ; posse tamen de potentia Dei absoluta dari violentiam nonnullam , non contra influxum aliquem moralem. Hæc conclusio fiet perspicua attento modo , quo effectus formalis secundarius , expulsio formæ videlicet, dependet à forma. Suppono,quod postea probabo Controuers. 8. Puncto. 3. formam tantùm expellere aliam exigendo , ne Deus vltra illam conseruet,sed vt Deus subtrahat concursum , quem antea præstabat, quo posito sic argumentor:Expulsio formæ non prouenit ab alia forma contraria physicè , sed moraliter : ergo si impediatur talis expulsio non impeditur effectus, in quem forma physicè influere intendebat : ergo non impeditur effectus immediatè ab ipsa forma efficiendus , sed à Deo : ergo non fit contra influxum physicum , quem intendebat , sed contra exigentiam moralem, quam habet: ergo non est propria violentia , sicuti est quando impeditur ignis à productione , quam ipse non tantùm exigeret , sed physicè præstaret , si non impediretur ab alio agente. Posse dari supernaturaliter hanc violentiam constabit ex dicendis Controu. 8. Punct. 2. vbi probabo posse Deum formas ex se incompossibiles naturaliter conseruare. Naturaliter hanc violentiam non posse contingere vt certum suadeo , quia naturaliter non possunt formæ incompossibiles in eodem subiecto conseruari. Neque calor existens in aqua est contra effectum formalem , quem intendit forma aquæ , quia neque impedit effectum formalem primarium , neque secundarium illius , sed tantùm est contra impetum actiuum formæ aquæ , ex vi cuius intendit producere frigiditatem, à qua productione arcetur per informationem caloris impedientis productionem aquæ. Vnde ex parte caloris hæc resistentia est formalis in ordine ad frigiditatem , quæ produceretur , quæ violentiam non patitur , quia nondum existit , respectu tamen formæ aquæ , quæ patitur violentiam, etsi ex parte caloris ab eadem informatione proueniat,est contra virtutem actiuam aquæ, quia vt latè dicam Controu...*de generatione*, resistentia formalis non cum alia formali , sed cum actiua digladiatur. Ratione huius resistentiæ solet dici accidens violentum subiecto cui inhæret, quod intelligendum est formaliter per se ipsum de subiecto,ex quo educitur , quia semper nascitur ex virtute intrinseca illius, & nihil ortum ab intrinseco violentum esse potest virtuti , à qua nascitur, sed respectu formæ quam habet tale subiectum,vel quatenus talis forma impedit aliam , in cuius negatione consistit violentia illata subiecto , non in positiua receptione illius quam actu recipit.

14 Ex his concludo motum naturalem quatenus naturale dicit quod prouenit à natura , vt natura est, esse illum,qui actiuè,& passiuè prouenit à composito indiuisibiliter , vel actiuè ab vna parte, & passiuè ab alia, vel actiuè & passiuè ab eadem parte dependenter tamen à composito , seu quatenus est in composito modò explicato,num. 3. Motus naturalis quatenus positiuè opponitur violento est motus receptus in subiecto antecedenter intrinsecè determinato ad illum, sicuti est materia prima ad recipiendum suam quantitatem , & aqua ad frigiditatem , quæ recipiuntur iuxta exigentiam intrinsecam principij passiui , quâ subiectum est determinatum, vel per suam entitatem, vel per formam cum qua totum substantiale componit , eodem modo dicetur naturalis motus , quo materia vltimò dispositiua recipit formam substantialem, cuius receptio debetur principio passiuo,vt dixi n. 8. Motus violentus dicitur ille, qui est contra exigentiam formæ subiecti , in quo est , sicuti calefactio recepta in materia prima aquæ , & qui inducit negationem in proprio subiecto alicuius effectus , in quem subiectum propendebat , sicuti præsentia lapidis sursum , quæ negationem inducit præsentiæ deorsum , ad quam lapis erat determinatus , quia licet hi motus secundùm se præcisè violenti non sint principio passiuo , à quo intrinsecè oriuntur propter rationem dictam , vt violenti dicantur , sufficit ipsos inducere negationem formaliter violentam passo vel formæ cum qua passum vnum constituit. Motus medius est, qui nec secundùm se , nec secundùm aliquid , quod inducit est contra

exigentiam subiecti, aut formæ, cùm qua subiectum totum componit, neque oritur ex determinatione intrinseca, quam subiectum habet ad illum, sed tantùm ex determinatione agentis per accidens applicati, per quam extrinsecè tantùm determinatur subiectum ad illum. Talis est motus lucis in aëre, cuius receptio, neque est contra exigentiam formæ aëris, neque impedit aliquem effectum in quem materia, vel forma aëris propëdet, neque oritur ex aliqua determinatione, quâ habet ad illam subiectum per suam entitatẽ, vel per formam illi inhærẽtem, sed tãtùm per præsentiam luminosi determinatur aër ad lucem in se recipiendam.

PVNCTVM IV.

An creatura possit à Deo violentiam pati.

1 NOster P. Pereira lib. 7. Philosoph. cap. 8. negat iuè respondet. Affirmant P. Suarez 3. part. quæst. 44. artic. 2. P. Vasquez 1. 2. disput. 25. cap. 4. P. Fonseca & ferè omnes recentiores.

2 Dico primò: Si Deus imprimat impulsum lapidi, medio quo lapis deorsum ascendat, vel introducat calorem in aqua, medio quo illius natiuam frigiditatem remoueat, violentiam infert his creaturis medio calore, & impulsu, eodem modo ac illam imprimeret quodlibet aliud agens naturale, quod similes qualites produceret. Idem intellige de quacumque alia entitate à Deo producta, quæ ab agenti naturali producta esset violenta subiecto. Ratio præsto adest: calor in aqua, & sic aliæ similes entitates, ex se est illi violentus non ratione actionis, mediâ quâ producitur, vel agentis à quo dimanat: ergo à quocumque agente producatur, erit eodem modo violẽtus, cùm agẽs per se formaliter non inferat violentiam, sed per effectum ab illo productum. Confirmatur; aqua ex se repugnãtiam habet cum calore, quatenus ab illa prohibet produci frigiditatem: sed eodem modo prohibet illam produci calor productus à Deo, & ab agẽti naturali: ergo eamdem repugnantiam habet cum vtroque calore: ergo vterque calor æquè est illi violentus.

3 Dico secundò: Etiamsi Deus non concurrat cum causa secunda, v.g. cum lapide existente in medio aëris, vt moueatur deorsum præcisè per negationem concursus nullâ illi propriè, & strictè violentiam infert. Probo: violentia non fit nisi causæ existenti in actu primo ad operandum, sed quando Deus ex se denegat concursum, causa secunda non est in actu primo ad operandum: ergo non illi violentiam infert. Minorem probo: vnum ex requisitis ad operandum est omnipotentia applicata, vt operetur cum causa secunda: sed quando Deus ex se denegat concursum, omnipotentia non est applicata: ergo non habet causa secunda omnia requisita ad operãdum. Maior certa est, quia omnis effectus dependet ab omnipotentia liberè operãte: ergo dependet ab actu Dei, quo omnipotentia liberè determinatur vt operetur. Minorem ostendo: omnipotentia applicatur per actum, quo Deus vult liberè operari, quatenus est ex se, vel per negationem actus, quo decernat non operari antecedenter ad omnem causam secundam exigentem negationem operationis; sed quando Deus ex se nullâ causâ exigente negationem operationis decernit non concurrere, non habet actum, quo ex se velit operari, neque negationẽ actus, quo Deus ex se determinetur ad nõ operandum: ergo omnipotentia non est applicata ad operandum cum causa secunda: ergo càusa secunda non est in actu primo ad operandum: ergo illi non infertur violentia in negatione talis concursus.

4 Dices causam secundam quatenus est ex se habere omnia requisita ad operandum, ac proinde quando omnipotentia non applicatur illi violentiam inferri. Contrà: mea potentia visiua quatenus est ex se habet omnia requisita ad videndum colorem, cuius speciem non habet, ex defectu cuius illum non videt, & negatio talis visionis illi violenta non est, quia potentia visiua dependet à consortio speciei, vt visionem eliciat: ergo licèt causa creata habeat ex se omnia requisita ad effectum, quatenus est ex se, cùm essentialiter in operando dependeat ab omnipotentia, non illi violentia inferetur, si non habet omnipotentiam applicatam, à qua essenrialiter in operãdo dependet. Vrgeo: Quando Deus non applicat omnipotentiam, vel violentiam infert causæ secundæ immediatè per negationem concursus, vel per negationem applicationis; nullo modo: ergo. Probo primam partẽ antecedentis: non applicatâ omnipotentiâ implicat causam secundam immediatè in actionem prodire, ad quam fine consortio omnipotentiæ applicatæ non est adæquatè potens: ergo negatio operationis non potest illi esse immediatè violentia. Probo consequẽtiam: entitati non potenti adæquatè operari non potest esse violenta negatio operationis, quia entitas impotens ad operandum non propendet in operationem, propensio enim essentialiter dicit potentiam adæquatam: sed entitas causæ sine omnipotentia applicata non est adæquatè potens operari: ergo non habet propensionem ad operationem: ergo negatio operationis non est illi violenta. Secundam partem cõclusionis, videlicet Deum non inferre violentiam in negatione applicationis; sic suadeo. Applicatio omnipotẽtiæ est actus voluntatis Dei, vel negatio actus, quo ex se decernat non concurrere cum causa creata: sed talis positiuus actus, aut talis negatio non est effectus physicè præstandus à causa secunda: ergo negatio applicationis, siue applicatio consistat in actu positiuo diuinæ voluntatis, siue in negatiuo, non est negatio alicuius effectus, quem causa secunda physicè intendat producere; ergo causæ secundæ nulla infertur propria & stricta violẽtia per negationem talis applicationis. Probo consequentiam: violentia non potest consistere in negatione illius, quod non est effectus causæ secundæ, in cuius physicam productionem propendeat causa secunda: sed applicatio omnipotẽtiæ non est effectus in cuius productionem causa secunda propendeat; ergo illius negatio propriè, & strictè non potest esse violenta causæ secundæ. Maior probatur ex definitione violenti, quæ debet esse contra internum impetum, vim, & conatum, qui non reperitur, nisi in causa respectu effectus, ab illa producẽdi. Minorem probaui; consequentia est legitimè deducta.

Dico tertiò: Deus aliqualem violentiam infert creaturæ latè, & impropriè, quando ex se illi concursum denegat. Probo: etiamsi omnipotentia applicata non sit in actu primo ad operandum, creatura petit non per conatum, quem habet ad applicationem tanquam ad effectum, sed per indigentiam, quam habet talis applicationis, hanc applicationem exhiberi à Deo: ergo si Deus illam non præstat, faciet contra indigentiam causæ, cui ex vi authoris naturæ succurrere debeat, eo enim ipso quod creauit lapidem cum potentia ad operandum dependentem ab omnipotentia, tenetur talem omnipotentiam præstare, quam si non præstet, perinde est ac si lapidi potentiam se mouendi non dedisset, quapropter hanc applicationem donum creationis appellant Theologi, quia est complementum ipsius creationis, largitionisque potentiarum: ergo si hanc applicationem Deus non exhibeat, etiamsi nullum effectum principio potenti operari immediatè deneget, denegat virtuti ex se operatiuæ id, quo indiget, & quod Deus illi tenetur præstare ex vi creationis, vt illius donum sit adæquatè completum, & ne potentia operatiua entitati collata, perinde se habeat respectu creaturæ, ac si illi non inesset: ergo aliquam violentiam latè infert, non quia faciat contra exigentiam, quam habeat causa, sed contra illius indigentiam, quia virtus operatiua non alio modo petit applicationem ad operandum, quàm per sui indigentiam, & quasi per miseriam sui, quæ sine tali applicatione non potest operari, semel tamen iam constituta adæquatè potens operari non petit effectum præcisè per indigentiam, sed per exigentiam, & conatum, quem habeat ad producendum effectum, etiamsi illo non indigeat, sicut ignis exigit producere calorem in passo extraneo applicato, quo calore nullo modo indiget. 5

Ex his inferes quòd si Deus, postquam antecedenter decreuisset non concurrere cum aqua, vt frigiditatem produceret, in illa calorem produceret, talem calorem in actu secundo violentum non esse futurum aquæ, quia vt probaui Puncto præcedenti, calor tantùm est violentus aquæ quatenus impedit productionem frigiditatis, quam aqua potest, & intendit producere: sed in illo casu aqua non posset, neque intenderet producere frigiditatem: ergo calor non impediret productionem frigiditatis, quæ deficiente calore eodem modo non produceretur ex defectu applicationis causæ primæ ad operãdum cum secunda. 6

Obiicies primò, vt probes, Deum nullo modo posse violentiam 7

violentiam inferre creaturæ. Omnis creatura habet propensionem, vt obediat Deo: ergo quilibet effectus à Deo in creatura productus, est iuxta illius propensionem: ergo nullus potest illi esse violentus. Respondeo creaturam habere potentiam obedientialem, in his, quæ sunt contra illius naturam, quæ potentia obedientialis componitur cum violentia respectu effectus, quia creatura obedit Deo in his, cuius oppositum ipsa ex se intendebat, contra suam propensionem, & inclinationem, ac proinde cum violentiâ. Ad argumentum in forma negandum est antecedens, aliud enim est capacitas & potentia obedientialis ad obediendum Deo, aliud propensio. Obedientialis potentia seu capacitas datur in creatura respectu effectuũ qui sunt contra illius propensionem, propensio verò dari nequit ad actus oppositos, illis in quos creatura ex se propendet.

8 Obijcies secundò: Siue Deus impediat effectum mediâ formâ positiua, siue per subtractionem concursus eumdem impedit effectum, & eodem effectu manet priuata potentia: ergo eamdem infert violentiam. Respondeo Deum in vtroque casu eumdem impedire effectum, sed diuerso modo, quia quando illum impedit per negationem concursus, impedir effectum in quem proximè causa non propendet, ac proinde illum non impedit contra propensionem causæ; quando verò illum impedit per introductionem formæ incompossibilis, impedit effectum contra propensionem causæ, quam proximè habet in talem effectum, ac proinde in primo casu illum non impedit cum violentia, cum qua illum impedit in secundo. Est enim violentiam inferre impedire effectum in quem causa proximè propendet, quod Deus facit in secundo casu, in quo permanente propensione ex parte actus primi impedit actum secundum non in primo, in quo ex se concursum denegat, in quo casu propensionem remouet remouendo potentiam sine cuius applicatione non est virtus adæquata ad effectum, neque propensio per modum actus primi.

9 Obijcies tertiò: Aquæ, dum habet calorem conseruatum à fortiori agenti, non debetur productio frigiditatis: ergo non illi infertur violentia in negatione productionis. Distinguo antecedens; non debetur productio frigiditatis ex eo quod illam non exigat, nego: non debetur, ex eo quod contrarium agens conseruans calorem, vel ipse calor fortiùs exigat conseruationem caloris, & consequenter negationẽ productionis frigiditatis, quam exigit aqua productionem eiusdem frigiditatis, concedo: deinde nego consequentiam. Ratio est, quia adhuc præsente contrario aqua exigit frigiditatem producere, cuius exigentia si effectum non habet, quia contrarium oppositum exigit, violentiam patitur ortam ab exigentia contrarij, ratione cuius non debet cum illa concurrere Deus, qui tantùm debet ex vi causæ primæ concurrere cum illo agente, quod fortius in suum effectum propendet, etiamsi alterum violentiam patiatur à contrario fortiori, quod impedit effectum, in quem propendebat agens, quod violentiâ patitur.

10 Obijcies quintò ex D. Paulo ad Romanos; Deo operanti nihil resistere: sed vbi non est resistentia, non est violentia: ergo operante Deo nulla creatura violentiam patitur. Respondeo cum P. Vasquez, Deo operanti nihil resistere cum victoria, ita vt illius actionem impediat, quod tantùm vult Paulus, sæpè tamen creaturam resistere, sed frustrà, quæ resistentia respectu omnipotentiæ vix talis dici potest, sufficiens tamen est, vt ratione illius creatura violentiam patiatur.

11 Obijcies sextò contra sextam conclusionem: Si Deus tantùm infert violentiam quando causa secunda habet omnipotentiam applicatam, sequitur creaturam nunquam violentiam pati, etiam quando illius effectus impeditur à causa secunda. Consequens est falsum: ergo antecedens. Sequelam probo: quotiescumque causa secunda non operatur, omnipotentia non est applicata ad operandum: ergo non patitur violentiam causa secunda. Probo antecedens, quotiescumque causa secunda non operatur non habet Deus actum, quo velit omnipotentiam concurrere cum causa secunda: sed omnipotentiæ applicatio consistit in hoc actu: ergo quotiescumque creatura non operatur, non habet applicatam omnipotentiam. Alio modo idem fit argumentum. Applicatio omnipotentiæ consistit in actu, quo Deus vult concurrere cum causa secunda, sed quotiescumque vult concurrere cum causa secunda, de facto concurrit: ergo quotiescumque omnipotentia est applicata ad aliquem effectum, de facto existit effectus: ergo creatura numquam patitur violentiam per negationem effectus, ad cuius productionem habeat omnipotentiam applicatam, quia talis negatio numquam existit. Plena huius argumenti solutio exigebat doctrinam non paucis explicandam de modo, quo Deus suam omnipotentiam applicet ad concurrendum cum causis secundis. De qua applicatione respectu effectus liberi producendi dicam Controuers. 10. Punct. 4.

Modò ex ibi dicendis Respondeo applicationem ad ef- 12
fectum liberum producendum non consistere in actu, quo Deus velit productionem illius actus independenter à libertate voluntatis, aut necessariò connexo cum productione, sed indifferenti, ita vt illo posito adhuc possit esse, & non esse effectus ad quem Deus ex vi talis actus omnipotentiam applicat. Quod si per decretum simile non absolutè efficax, sed dependenter ab existentia, vel non existentia causæ impedientis respectu effectus præstandi, Deus applicaret suam omnipotentiam ad effectum necessarium, ita cum tali actu posset componi negatio effectus, & argumenta suprà facta nullam difficultatem haberent. Sed do Deum non habere simile decretum respectu effectus producendi à causa necessaria, sed ita absolutè efficax, vt illo posito non possit non esse effectus, & in hoc casu respondeo omnipotentiam esse applicatam virtualiter ad effectum producendum casu, quo illum non producit ratione contrarij exigentis productionem oppositam, præcisè per negationem decreti, quo Deus decernat antecedenter ad exigentiam contrarij denegare concursum, quia eo ipso quo Deus illum tantùm neget, ex eo quod contrarium exigit talem negationem, virtualiter Deus est præparatus ad illum præparandum, casu quo contrarium oppositum non exigeret, & hanc applicationem virtualem omnipotentiæ sufficere, v t causa secunda violentiam patiatur à contrario, quia ex illa sequeretur formalis, si agens contrarium non adesset, ac proinde negatio effectus non oritur ex defectu applicationis omnipotentiæ, quia hæc præsto adesset, si contrarium agens vel forma incompossibilis cum effectu illum non impediret, sed ratione impedimenti, seu contrarij agentis ex cuius præuisione Deus non applicat formaliter omnipotentiam, quam virtualiter applicat eo ipso, quod ex se illam non remoueat independenter ab exigentia contrarij, & formaliter applicaret contrario fortius non exigente negationem effectus, ad quem omnipotentia erat applicanda.

CONTROVERSIA VII.

De causis in communi.

AGGREDIMVR tractationem rei, si quæ est in tota Philosophia, scitu dignissimam, vix enim in illa, imò neque in Theologia quæstionem notabis, in qua tibi non occurrat prioritas causæ, dependentia effectus ab illa, causandi genus.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit causa?

§. I.

Aliorum sententia.

NVllam causæ definitionem tradidit Aristoteles in hoc 1
lib. neque 5. Metaphysic. cap. 2. vbi ex professo de causis disputauit, ideò omnibus datum est, ex proprio Marte rationem communem causæ definire, quo nihil exitialius, nulla enim lex esse potest, vbi legislatores sunt omnes, neque communem aliquam auscultant latam à Principe, cui auscultent omnes. Conimbr. 2. physic. cap. 7. quæst. 1. ita definiunt, *Causa est id, à quo aliquid per se dependet.* Quam definitionem mutuati sunt ex P. Fonsec. Metaphysic. 1. cap. 7. quæst. 1. P. Pereira lib. 8.

Philosophiæ

Philosophiæ c. 1. causam sic describit: *Causa est, quæ in suo genere per se, & principaliter concurrit ad sustentandum effectum.* Parum à Pereira discrepat P.Rubius lib.de causis,n.15. ita definiens: *Causa est per se influens in effectum.*P.Suarez disp.12. Metaphysic. sect. 2. causam describit, *Principium per se influens esse in aliud.* Arriaga sic definitionem omnibus faciliorem tradidisse putat:Causa *est quæ per se influit producendo essentiam.*Valesc.cap.7.text.68.hanc definitionem ex Aristotele putat deducere. Causa *est id propter quod est aliud.* Alij acuti recentiores causam definiunt: *Principium cum prioritate naturæ in aliud influens.*

2 Vna eadémque difficultas Doctores omnes in varias traxit sententias, nullámque causæ definitionem non nobis difficilem reddit. Fide sanctum est Patrem æternum esse principium influens in Filium, producens personalitatem Verbi, ratione cuius Verbum dicitur à Patre productum. Patres omnes Latini hoc nomen causæ in diuinis exosum habent, asserúntque Patrem dicendum non esse causam Filij,licet Græci omnes pleno ore Patrem Filij causam appellant. Nobis cum Patribus Latinis est sentiendum,& loquendum,ex quo tota in hac materia insurgit difficultas, quæ tota est in assignanda aliqua definitione, quæ conueniat omnibus principiis creatis,quæ per se verè influunt in suos effectus, & non conueniat Patri respectu Verbi, neque Patri,& Filio respectu Spiritus sancti, quia neque Pater dicendus est causa respectu Filij, neque Filius dicendus est effectus respectu Patris. Sicuti neque Pater,& Filius dicendi sunt causa, sed principium Spiritus sancti, neque Spiritus sanctus effectus respectu sui principij. Præter hanc difficultatem nulla potest contra has definitiones adduci, quæ ponderis aliquid contineat: percurro singulas.

3 Conimbricenses à sua definitione excludunt cõditiones, & dispositiones sine quibus non potest esse effectus per illam particulam *per se*, quia effectus non dependet per se à conditionibus. Per illam particulam *dependet*, excludunt secundam,& tertiam personam Trinitatis,quæ non dependent, sed procedunt,Filius enim non potest dici dependens à Patre. Ab hoc vltimo incipio quod maioris est momenti: cur Filius,qui sine Patre esse non potest,& ita ab illo producitur, vt non possit non existere ab illo productus,& qui per locum intrinsecum repugnaret, si Pater repugnaret,dicendus non est,dependens à Patre? Cur non dicetur dependere ab alio, illud, quod sine illo esse non potest, & à quo procedit tanquam à principio per se influente? Dices dependentiam dicere distinctionem naturæ in termino dependenti, quam non habet Filius respectu Patris, & ob hanc rationem non potest dici Filius respectu Patris, & ob hanc rationem non potest dici Filius ab illo independens. Non nego, sed rogo ex quo capite probas dependentiam dicere naturam distinctam in termino dependenti, ab illo,à quo dependet? id tibi supponis non dato fundamento,vt tuam definitionem integram serues. Sed esto: ignotior nobis est natura dependentiæ naturâ causæ, vel saltem æquè ignota,vnde non rectè per dependentiam causam explicas, qui posses per distinctionem naturæ inter causam, & effectum, per quam explicas dependentiam,naturam causæ breuiùs & clariùs nobis patefacere. Neque omnino conditiones censeo excludi per illam particulam *per se*, quæ tantùm opponitur cum illo, quod se habet per accidens respectu effectus, conditiones autem non sunt per accidens, sed per se requisitæ ad effectum. Secundò illud *per se*, non ponitur in definitione ex parte principij, sed ex parte termini, qui à principio procedit,quo posito sic argumentor. Modus vnionis per suammet entitatem est affixus extremis, quorum est vnio, & illi repugnat ex intrinsecis prædicatis existere sine extremis: ergo per se dependet ab illis: ergo hæc definitio conuenit extremis respectu modi,quo vniuntur,ex eo præcisè,quod sint illius extrema,ex quo capite non sunt illius causa; sunt enim plura extrema vnita, quæ nullam causalitatem propriam exercent circa vnionem, quâ annectuntur.

4 Patres Pereirus, & Rubius rectè principia omnia, quæ causalitatem propriam non exercent, conditiones, & dispositiones excludunt à suis definitionibus per illas particulas *per se influens*, quia priuatio, quæ principium generationis dicitur per accidens se habet ad generationem, vel saltem ad actionem productiuam termini, vel ad terminum productum, reliquæ conditiones non influunt,sed requiruntur,vt influat principium,quod dicitur causa, potius videtur redundare in vtraque definitione illa particula *per se*, quia omne quod influit, per se influit, & illa,quæ per accidens se habent nullo modo dicuntur influere. In definitione Pereiræ plura videntur redundare: particula illa *in suo genere*, necessaria non erat,quidquid enim influit, influit in suo genere: demerem ego etiam illam particulam *principaliter*, præcipuè si auferenda non esset illa particula *per se*, quidquid enim per se influit, & quidquid influit habet totam rationem principij principalis ad rationem causæ requisitam: particula illa *ad sustentandum*,mihi sonat genus causæ materialis,cuius proprium est,non efficientis effectum sustentare. Hæc definitio Rubij emendata videamus quomodo scopum vincant, ad quem reliquæ alliduntur definitiones. Excludunt Patrem à ratione causæ respectu Filij,& Patrem,& Filium respectu Spiritus sancti, per illam particulam *effectum*, quia neque Filius, neque Spiritus sanctus dicuntur effectus respectu processionum quas terminant, & ex vi quarum producuntur. Non inficior Verbum,& Spiritum sanctum, non posse dici *effectus*, quia effectus dicit quid creatum,seu factum,quod de Verbo,& Spiritu sancto dici non potest,teste Athanasio.Cæterùm horum definitionum authores, se in tuto collocarunt,nobisque naturam causæ æquè ignotam reliquerunt, cùm enim effectus, & causa relatiuè dicantur, æquè difficile est naturam effectus inquirere, & essentiam causæ perscrutari; itaque etsi firmum Catholicúmque sit Verbũ non esse effectum,æquè nos latet ratio propter quam Verbum non sit effectus Patris,& propter quam Pater non sit causa Verbi, & æquè explicatu difficile est,quid dicat cõceptus effectus,qui non conuenit Verbo supra conceptum procedentis à principio, qui rectè de Verbo dicitur. Et quid dicat conceptus causæ, qui primæ personæ respectu secundæ non conuenit supra conceptum principij influentis, qui dicitur de prima persona respectu secundæ.

Definitio Patris Suarij excludit primam Trinitatis personam à ratione causæ respectu secundæ per illam particulam *in aliud*: Filius enim non potest dici aliud à Patre, quia verbum *aliud*, significat non quamcumque distinctionem, sed specialiter distinctionem naturæ. Mitto Verbum esse aliud suppositum à Patre, & argumentor sic: illud *aliud* in quod debet influere principium, vt dicat causa, vel dicit naturam aliam,quam nos naturam vocamus, vt distinctam à personalitate, vel dicit aliam essentiam,quatenus essentia dicit conceptum quidditatiuum rei, qui conuenit naturæ, personalitati, & cuicumque accidenti. Si dicit aliam naturam,vt distinctam à personalitate,sequitur naturam creatam influentem actiuè,& passiuè in propriam substantiam, adhuc non esse futuram causam subsistentiæ, quia non influit in aliud, ac proinde meam subsistentiam de facto non habere causam materialem, quia hæc non poterat esse alia præter meam naturam,hæc autem,etsi de facto sit principium passiuum, illius causa dici non poterit, quia dum influit in subsistentiam,non influit in aliud, hoc est,in aliam naturam. Si illud aliud dicat alium quidditatiuum conceptum,subsistentia Filij producta distinguitur à persona producente, & habet proprium conceptum quidditatiuum, & hac ratione respectu illius,principium à quo procedit propriè causa dici posset. Eodem omnino modo reiicienda est definitio ab Arriaga adducta, quæ in nihilo differt à definitione P. Suarij. 5

Vallesij definitio leuiori operâ detruditur:Verbũ enim *propter*, si strictè sumatur tantùm causam finalem propter quam reliqua fiunt, significat: si ab illius strictâ significatione discedamus, latissimè patet illius significatio, non enim solùm effectus propter causas existere dicere solemus, sed etiam causas propter effectus, & communi proloquio inter Philosophos dicitur: *esse est propter operari.*Neque inuenietur ratio aliqua propter quam potiùs posset dici lux propter solem,quàm Verbum propter Patrem. 6

Abstrusioribus fundamentis ex Theologia petitis, & in Philosophia non alienis à communi sententia suam definitionem architectantur recentiores:supponunt ex Theologia principium productiuum in Patre non distingui formaliter ab ipsa productione actiua, & ab ipso actuali influxu,& primam personam Trinitatis constitui formaliter, vt actiuam per generationem, ita vt non sit priùs in aliquo signo rationis,Patrem esse potentem generare Filium, & esse actu generantem. Neque in Patre, & Filio priùs 7

esse

esse principium spiratiuum, quàm spirationem ipsam, sed principium constitui per ipsam actiuam spirationem. Sumunt secundò ex Philosopho aliud principium, videlicet de ratione causæ esse prioritatem naturæ respectu effectus. Ex quibus inferunt Patrem non esse causam respectu Filij, neque principium spiratiuum respectu Spiritus sancti, quod sic probant. Pater non potest concipi, vt principium Filij, quin concipiatur actu generans, sed vt actu generans non potest esse prior naturâ filio: ergo vt principium non est prius naturâ: ergo non est causa, quia de ratione causæ est prioritas naturæ respectu effectus. Patrem, vt generantem non esse priorem naturâ, probant ratione, quâ probabo influxum, & actionem non esse priorem naturâ respectu effectus creati, quia videlicet non potest esse, neque concipi sine effectu: illa autem quæ naturâ sunt priora, possunt esse sine illo, quod posterius est, vt latiùs Puncto sequenti. Ex quo infertur Patrem vt generantem non esse priorem naturâ Filio, quia vt generans includit actualem generationem, quæ non potest esse neque concipi sine termino genito, & consequenter neque vt principium habet hanc prioritatem, quia prima persona, vt prima persona, & vt principium Filij, & vt generans Filium formaliter dicit eumdem indiuisibilem conceptum, quod si Pater non est principium prius naturâ Filio; neque causa illius propter rationem iam dictam, quam Philosophi omnes admittunt asserentes, causam essentialiter dicere prioritatem naturæ respectu effectus.

8 Hæc sententia acutè satis ad speciem rem componit, sed præterquàm quod iuxta principia metaphysica difficultatibus non careat, quòd mihi maioris est momenti, longè abest à mente Patrum, & à ratione, propter quam primæ personæ Trinitatis rationem causæ respectu secundæ negant. Id primò displicet in hac sententia, quod rem certam inter omnes Patres Latinos, & inconcussam inter Theologos dependentem facit à quadàm opinione dubiâ satis, quam plurimi Theologi impugnant, præcipuè Pater Valquez, qui primam personam, & principium generandi per aliquid prædicamentaliter absolutum, & tantùm transcendentaliter relatum constituit, iuxta quam sententiam ruit tota doctrina, & fundamentum, quo deuegant hi recentiores primæ personæ veram rationem causæ. Audio illos respondentes se iuxta propria principia, & sententiam, quam defendendam suscipiunt, rectam definitionem causæ tradidisse, neque illorum esse iuxta sententias quas impugnant definitiones componere. Solutionem admitterem, si in rebus æquâ probabilitatis lance libratis hac propriæ doctrinæ consequentiâ se tuerentur hi recentiores, in præsentiarùm verò, inter omnes Latinos sanctum est nomine causæ in diuinis vtendum non esse; illam verò recentiorum opinionem, licet aliqui Theologi defendant, nullus illam tuetur, tanquam quid necessarium ad retinendas Patrum loquutiones, neque illi adhæsit, ne adhuc verbis à Patribus discederet, ideóque non rectè hac doctrinæ consequentia se protegunt hi recentiores, illa enim, quæ ab omnibus sunt deguſtanda, ad proprium condiri palatum par non est. Interrogo hos recentiores an aliquando nostrum Vasquium constituentem primam personam Trinitatis per aliquid absolutum, aliquando impugnauerint, quia ex opinione illius inferatur Patrem esse causam Filij, vel apud quem Patrum legerint, principium generandi constituendum esse paternitatem, ne dicatur causa Verbi geniti. Nullus de hac constitutione metaphysica meminit, neque dissentio inter Græcos, qui Patrem Filij causam vocabant, & Latinos, qui non causam, sed principium Filij Patrem appellant, ex hac diuersitate constituendi metaphysicè primam Trinitatis personam trahebat originem, neque Latini Patres recusabant Patrem causam Filij vocare propter metaphysicam constitutionem. sic vel aliter defendendam, de qua nihil curabant. Alia ergo Patrum mens, quàm sciri plurimùm oportebit, vt sciamus quid nomine causæ intellexerint Patres, Doctoréque Latini, & ex quo capite principium in diuinis nomine causæ appellari recusauerint.

§. II.

Propter quam rationem Latini Patres nomen causa *in diuinis non admittant.*

9 Sensère Latini Patres conuenientius esse vti nomine principij quam causæ in diuinis, ne nomen causæ rationem effectus, & creaturæ, distinctam inæqualem, & finitam naturam in productis denotaret, neque alia de causa volunt Patrem non dici causam Filij, nisi ne Filium Patri inæqualem naturâque ab illo diuersum, creatum, & finitum compellare viderentur. Sic manifestè ostendunt plura Patrum testimonia, nonnulla in medium adducam, quibus hæc veritas comprobetur. D. Anselmus epist. de processione Spiritus sancti contra Græcos, paulò post medium, has rationes adducit dubitandi, vt definiat, an Pater dicendus esset principium vel causa Verbi: *Si tamen dicitur, Deus principium aut causam habere. Principium autem videtur non nisi rei recipientis esse, & causa non nisi effectus alicuius, & Spiritus sanctus numquam incipit esse, neque est effectus alicuius.* En vbi nullam rationem adducit, ne dicatur Spiritus sanctus causam habere, nisi quia nullius est effectus, vnde cum postea cum omnibus Latinis nomen causæ non admittit, non alia ratione mouetur, nisi ne dicat Verbum, aut Spiritum sanctum effectum esse.

Egregium est aliud testimonium ex D. Dionysio lib. de 10
diuinis Nominibus, cap. 2. *Neque enim* (ait Dionys.) *inter effectus & causas perfecta similitudo, sed effecta quidem causarum, quas possunt præferunt imagines: causæ autem secretæ sunt ab effectis, suntque principij sui ratione superiores.* Pulchrè Dionysius rationes omnes recensèt, quas supra adduxi. *Neque enim*, ait, *inter effectus & causas perfecta similitudo*, quasi diceret, in personis diuinis nulla potest aliùs esse causa, quia personæ omnes perfectam habent similitudinem, quæ non intercedit inter causas & effecta, etsi vna aliùs esset causa, illa perfectior esset. *Effecta quidem causarum præferunt imagines*, &c. idem est, ac dicere effecta quas possunt per productionem & dependentiam trahunt perfectiones ex his, quæ relucent in causis, quæ sunt secretæ, hoc est, distinctæ naturæ ab effectibus, respectu quorum superiores sunt. Quibus expressè testatur Dionysius Verbum, aut Spiritum sanctum, non habere causam, quia vtrumque eiusdem est perfectionis cum principio, à quo procedunt, & non distinguitur à natura principij, neque aliud principium habet maioris perfectionis, neque trahit perfectiones aliquas à natura principij aliis non participatis; quicquid enim est in natura principij generantis & spirantis est in natura geniti & spirati, vtpote non simili, sed omnino eâdem.

Accedit Bessarion Patriarcha Constantinopolitanus in 11
oratione pro vnione, quæ habetur in fine Concilij Florentini capite vltimo, post medium, vbi hæc habet: *Notandum, quod sancti Doctores Orientales etiam in diuinis vtuntur nomine causæ, & causati largo modo, non quidem vt limitationem, & dependentiam importat, sed prout productionem, & emanationem à principio eius, quod est à principio significat: ideò me etiam ad Græcos loquentem his nominibus vsum fuisse.* Disputauerat Patriarcha cum Græcis de processione Spiritus sancti, vtebantur Græci hoc nomine *causa* etiam in diuinis, Bessarion cum Latinis vtebatur nomine *principium*, & nomen causa non admittebat in diuinis, verumtamen, quia de hac re non erat concertatio, & vocibus tantùm in illa dissidebant, Bessarion nomine *causa* vsus est inter disputandum cum Græcis, ne vocum diuersitate turbaretur disputatio, & impedita vocibus diuersis ad rem non peruenirent. Postea verò disputatione finitâ rationem reddit Bessarion, cur cum Græcis fuerit loquutus, & ait: vsus sum nomine *causa* more Græco, quia Græci Patres cum quibus sum loquutus largo modo sumunt hoc nomen *causa*, non quatenus significat dependentiam, & limitationem causati, quam dependentiam & limitationem nefas esset admittere, & quam intendunt Patres Latini negare, dum dicunt Patrem non esse causam Verbi, & quia ipsi limitationem, & hanc dependentiam non intendebant admitti in diuinis, non recusaui loqui cum illis, quia non ex alio capite nomen *causæ* in diuinis inuisum esse potest, nisi quia limitationem, & dependentiam significat: expende illa verba: *Non quidem vt limitationem & dependentiam importat*, &c. *ideo me etiam ad Græcos.* quorum genuinum sensum esse à me traditum manifestè comperies.

Ex his inferes Latinos hoc nomen *causa* exterminasse à 12
diuinis, ne limitationem, hoc est, naturam limitatam, & finitam in personis significare viderentur. Hanc illationem finitæ, & limitatæ virtutis in persona producta ex causa, à qua producitur, quam Latini faciebant cuius antecedens negabant, ne consequens admitterent, fundatam inuenio in alio principio vulgari satis in Philosophia, quod tetigit D. Dionys. testimonio citato in illis verbis,

Effect

Effecta quidem causarum, quas possunt præferunt imagines. Illud est, nullum effectum perfectiorem sua causa. quia causa nihil potest producere perfectius se ipsa, neque eminenter continet maiorem perfectionem suâ formali perfectione, ex quo principio metimur perfectionem cuiuscumque effectus per causæ perfectionem tanquam mensuram, quam non potest excedere, omnisque causa taxat, & limitat perfectionem effectus, & quotiescumque effectus procedit à causa creata, etiamsi hæc produxerit effectum, quem potest, dicimus effectum productum non excessisse tantam perfectionem, quia causa à qua procedebat, non poterat aliam maiorem attingere; si verò effectus à Deo immediatè fuit productus dicimus, Deum produxisse effectum cum tanta perfectione, quia ita illi placuit effectum producere, potenti aliàs perfectiorem alium producere, cuius perfectio similiter voluntate diuinâ taxaretur, quæ potuit omnipotentiam ad maiorem aliam producendam applicare. En causæ omnes taxant, terminósque præscribunt perfectioni effectus, ita vt si à virtute creata procedat tantam perfectionem non excedat, quia alia maior non est obiectum virtutis, à qua procedit, etsi à Deo immediatè producatur, tantam perfectionem habeat, & non aliam maiorem, quia voluntas non applicuit omnipotentiam ad effectum cum maiori perfectione producendum, & omnes ab illa producibiles finiti sint, & limitati, quia nihil non finitum, & limitatum ad extrà producendum est obiectũ virtutis productiuæ existentis in Deo. In diuinis aliter se res habent, principium producens non taxat perfectionem termini producti, cuius perfectio nullam taxam habet, aut mensuram; quod si Filius non possit esse perfectior Patre, ideo est quia eadem est vtriusque perfectio, communisque indiuisibilis essentia, quâ maior alia repugnat, non præcisè ex defectu virtutis causæ illam potentis producere, sed quia secundum se repugnat maior perfectio, & quia vna omnium personarum natura, atque perfectio excedit omnem perfectionem excogitabilem. Hanc summam perfectionem sine aliquo termino, aut limitatione volunt Latini Patres in personis productis defendere, & ne viderentur illam non agnoscere, si nomen *causæ* in diuinis admitterent, quod apud illos limitationem importabat, illo vti noluerunt, Neque in re à Græcis dissentiebant, qui nomen *causa* sine hac limitatione ad diuinas personas extendebant, ideò Bessarion non recusauit vti illo, explicat tamen nomen illud vsurpare cum Græcis non quatenus dicit dependentiam & limitationem, quam apud Latinos importabat, in quorum acceptione nefas esset nomen causæ ad diuina transferri.

13 Eadem est mens Angelici Doctoris opusc. 1. cap. 1. contra errores Græcorum, vbi his verbis probat Patrem non esse dicendum causam Filij: *Nam apud Philosophos prima causa Deus nominatur: omne autem causatum sub vniuersitate creaturarum comprehenditur apud eos, & ideo si Filius causam dicatur habere, posset intelligi quod sub vniuersitate causarum, aut creaturarum comprehenderetur.* En expresè testatur D. Thomas Patrem non esse dicendum causam Filij, ne Filius inter vniuersitatem creaturarum recenseatur, hoc est, ne creatura compelletur. Et cap. 2. vbi negat Patrem prioritatem causæ respectu Filij hæc habet: *Neque enim prior est Pater tempore: cum Filius sit æternus: neque prior naturâ cum Patris & Filij sit vna natura.* Ecce D. Thomas negat Patrem esse priorem naturâ Filio, quia Pater & Filius eamdem habent naturam, idem enim sonabat inter Patres aliquid esse prius naturâ alio, quàm habere naturam priorem illo, quod erat posterius. Constat ergo ex Patribus ideo non admisisse nomen causæ in diuinis, quia sentiunt nomen causæ importare distinctionem naturæ inter causam, & causatum, & perfectionem finitam, & limitatam, rationemque creaturæ in termino à causa producto.

§. III.

Veram causæ definitionem expono.

14 NOn est animus causam vtcumque definire definitione, quæ omnibus & solis causis conueniat, sed etiam primum quidditatiuum conceptum causæ explicare, & constitutiuum essentiale causæ in definitione iuxta mentes Patrum exprimere. Definitionem adductam à Rubio quam num. 1. retuli scilicet, *id quod per se influit in effectum* ideo reieci, quia rem per conceptum æquè obscurum exponebat, est enim æquè ignota ratio, propter quam Filius non sit dicendus effectus, & Pater causa non sit appellandus: verumtamen conceptum quidditatiuum causæ attingere constat ex mente Patrum, qui ideo negabant Patrem esse causam Filij ne concederent Filium esse effectum, sentientes causam, dici essentialiter per ordinem ad effectum: Est ergo hic conceptus effectus clarius in definitione explicandus. Non ineptè definiretur causa: *Principium influens in terminum non identificatum cum natura principij.* Quæ definitio non conuenit Patri respectu Filij producti, quia Filius productus identificatur cum natura producentis, & videtur omni causæ creatæ competere, & aliàs attingit distinctionem creaturarum, ex defectu cuius nolunt Patres Latini primam personam dici causam respectu secundæ. Contra hanc definitionem adduci potest sententia aliquorum asserentium posse eamdem entitatem, se ipsam per secundam actionem producere, quæ productio est vera causalitas, nullus enim admisit actionem creatam, quæ propriissimè non sit causalitas, ex vi cuius principium non constituatur in actu secundo. Hanc opinionem non omnes admittunt, illamque impugnabo Controuers. 9. Punct. 10. verumtamen vellem definitionem aliquam tradere, quæ iuxta omnium opinionem constans sit propter rationem, quam contra recentiores expendebam n. 8. Deinde si per impossibile hoc contingeret, vt idem homo se ipsum per veram actionem produceret, in illa productione totam rationem causalitatis contemplaremur: ergo de ratione formali causalitatis non est tendere in terminum distinctum à principio, quando principium est creatum: quod si Patres intendebant de ratione effectus seu termini causati à Deo esse distinctionem terminià natura Dei causantis, ideo est, quia requirebant limitationem ex parte effectus, illiusque naturam esse finitam, quod essentialiter importat distinctionem à natura producentis quod habet naturam infinitam.

Sic ergo essentialiter & quidditatiuè conceptum causæ 15
ad sensum Patrum, & iuxta Aristotelis mentem exprimo. *Principium influens per influxum ex se formaliter defectibilem.* Per particulam *principium* conuenit causa cum priuatione, & aliis, quæ non per se ad effectum conducunt, & principia dicuntur. Per illud *influens*, differt à principiis non conducentibus, & à conditionibus, quæ non influunt, sed prærequiruntur ad influxum, & adhuc conuenit cum principio generante, & cum principio spirante secundam, & tertiam personam Trinitatis, à quibus vltimò differt per illam particulam per *influxum ex se defectibilem*, quia influxus quo prima persona influit in secundam ex se est indefectibilis, generatio enim actiua identificatur cum Patre, & passiua cum Filio, ac proinde influxus, qui est idem cum generatione æquè indefectibilis est, ac Pater, & Filius, & ipsa natura diuina cum qua identificatur. Definitionem hanc competere omnibus causis respectu omnium effectuum per se notum est, nullus enim influxus procedit à Deo circa effectum ad extra productum, quem Deus subtrahere non possit, & qui ex se vtpote finitus, & limitatus non sit defectibilis. Eadem ratione potest deficere quilibet alius influxus dependens à causa secunda, qui etiam immediatè dependeret à Deo: quod si daretur aliqua causa secunda, quæ per se ipsam influeret in effectum adhuc illius influxus defectibilis esset, quia ipsa causa secunda posset deficere.

Statui definitionem hanc omnibus causis, & non alij 16
entitati competere: probo modò exprimere conceptum quidditatiuum causæ. Rationem causæ contemplantur Patres respectu effectus, seu termini, qui in se dicat distinctionem à natura diuina: rationem hanc rectè explicat defectibilitas influxus, quæ per locum intrinsecum dicit defectibilitatem termini, qui sine illo non potest, & consequenter distinctionem à natura diuina, quæ indefectibilis est. Ad rationem causæ exposcebant Patres ex parte termini virtutem finitam, & limitatam, hæc optimè explicatur per conceptum defectibilitatis: illud enim quod defectibile est, non est infinitum per essentiam, cui repugnat per locum intrinsecum esse defectibile. Consonat etiam hæc definitio doctrinæ Aristotelis, qui 2. Physic. cap. 3. tex. 29. & l. 2. de gener. c. 7. text. 55. causam efficientem definiuit, *vnde primum principium est mutationis*, ac si diceret, causa efficiens non est nisi illius, quod mutatur de non esse ad esse, quibus verbis innuit Aristoteles omnem effectum ex se esse defectibilem, capacémque non essendi.

Dices

17 Dices per defectibilem influxum explicari formalitates requisitas ad rationem causæ, respectu principij, & effectus respectu termini. Non tamen requiri hanc defectibilitatem per locum intrinsecum, vt in termino producto reluceat tota ratio effectus secundum omnes formalitates assignatas, & in principio producente tota ratio causæ, quod sic probare posses. Supponamus per impossibile Deum ad extra entitatem aliquam necessariò, & absque vlla libertate produxisse, non sequitur ex hac suppositione per locum intrinsecum Deum non esse causam illius termini producti, & terminum productum non esse effectum, quia adhuc haberet perfectionem finitam, & limitatã distinctam à natura Dei producentis, & nihilominus effectus ille non esset defectibilis, quia cùm necessariò produceretur à Deo independenter à quolibet alio, eo ipso quod Deus existeret, illum produceret, & cum Deus necessariò existat terminus ille necessariò produceretur à Deo. Respondeo duplicem defectibilitatem posse considerari in influxu, vnam extrinsecam, intrinsecam aliã: defectibilitas extrinseca est, quæ prouenit à causa indifferenti, vel libera vt producat: Defectibilitas intrinseca prouenit ab ipsa rei entitate, quæ ex se indifferens est, vt existat, & non existat, quia ex prædicatis essentialibus quæ in se habet non illi repugnat, non existere, neque essentialiter dicit actu existere. Hæc defectibilitas intrinseca est de ratione constitutiua effectus quæ adhuc conueniret entitati, quam Deus necessariò produceret, quia licet non posset deficere, hoc non illi competeret ratione intrinsecæ entitatis, ex vi cuius præcise apta erat ad existendum, vel non existendum; sed ratione agentis illam necessariò producentis. Influxus autem per quem Verbum producitur, & Verbum productum ex suamet intrinseca entitate deficere nõ possunt, & ex prædicatis intrinsecis defectibilitas illis repugnat, non præcisè ex eo quod principium productiuum necessariò terminum producat. Idem dicito de productione Spiritus sancti.

18 Obiic. in opinione aliquorum præcipuè ex Thomistis: creatio identificatur cum Deo: ergo in horum sententia influxus, quo Deus influit in rem creatam, cuius est causa identificatur cum ipso Deo: ergo est æquè indefectibilis cum ipso Deo: ergo in sententia horum definitio causæ à nobis assignata subsistere non potest. Dixi rem explicandam esse à me iuxta omnium sententias, & ita etiam ad hanc sententiam, definitionem extendo. Authores, qui dicunt creationem, actionémve non distingui à principio producente, dicunt creationem identificatam cum Deo non posse entitatiuè, & secundùm se deficere, asserunt tamen posse deficere secundùm formalitatem, & exercitium actionis, ita vt existat sine termino, & quin actu formalitatem influxus exerceat, & ita actionem defectibilem constituunt, etsi non materialiter, formaliter tamen, secundùm rationem formalem actualis influxus, & ita influxus, etsi aliàs identificatus sit cum Deo, & indefectibilis secundùm entitatem, defectibilis est secundùm formalitatem, & secundùm rationem formalis influxus, quia Deus ab æterno illam actionem secum identificatam habuit, quin ex vi illius effectus poneretur extra causas, & ita in tempore effectus ex vi illius producitur, vt potuerit nõ produci, quia omnis effectus ad extra liberè producitur respectu Dei, quæ defectibilitas sufficiens est, vt per ordinem ad illam illius principium constituatur in ratione causæ, quæ tantùm dicit ordinem ad influxum defectibilem formaliter in ratione influxus. Neque hæc defectibilitas conuenit influxui, quo prima persona influit in secundam, aut prima & secunda in tertiam, quia neque materialiter, neque formaliter adhuc in ratione influxuum actualium potuerunt deficere hi fluxus, quibus personæ producuntur.

19 Definitionem hanc intendit impugnare nouus quidam *Prado 2. part. Contr. 1. ar. 2.* & in ipso epigraphi impugnationis illam nouellam appellat, de quo ego parum curo, videamus, quid suprà ostensionẽ sui animi rationis contra hanc definitionẽ adducit.

Obiicit facilè contemptuum prædictam definitionem illum, qui cum Patribus Græcis vellet defendere Patrem non solùm dici principium, sed causam Filij, quia Græci in hac parte non recipiunt authoritatem Patrum Latinorum. Vno D. Thoma sæpe extra rem adducto, frequenter iste quæstiones definit ex rationibus contra suam sententiam adductis satisfeciſſe putat, & modò vt impugnet rationem haberi non vult de ipso S. Thoma, & de omnibus Patribus Latinis, nec sat mihi esse iudicat iuxta illorum phrasim loqui, & ad locutionem Græcorum contra Latinos Patres recurrit, vt me impugnandi affectum expleat.

Obiicit secundò Aristotelem non cognouisse productionem in diuinis, & ideò frustrà ex illo in definitione causæ quærere particulam excludentem talem productionem. Respondeo, ad hoc, vt Aristoteles proprietatem causæ designaret, quæ competere non posset Patri producenti Filium, necesse non esse Patrem æternum cognouisse, nec productionem Filij, eo autem ipso, quod talem proprietatem designauerit, excluſit Patrem à ratione causæ, sicut dum ego definio hominem per animal rationale, quod magneti non competit, magnetem excludo à ratione hominis, etiamsi magnetem non cognouerim, nec mihi vnquam in mentem venerit. 20

Obiicit, me petere principium dum suppono omnem causam, causam esse effectus creati, & limitati. Respondeo me hoc non ex meo cerebro fingere, sed ex vnanimi consensu omnium Patrum Latinorum, & totius Latinæ Ecclesiæ, cum quibus sentire, & loqui teneor, & ita hoc supposito conceptum communem causæ inquiro, & designo, mirórque hominem mei adeò memorem, ita esse sui immemorem, vt cum hoc argumentum contra me instituerit nu. 8. statim num. 10. asserat authoritates Patrum probare causam rigorosè includere distinctionem, & limitationem, idque ex doctrina Patrum expresè docere Sanctum Thomam. 21

Obiicit non requiri ad rationem causæ influxum defectibilem, & quia Angeli secundùm D. Dionysium vitam habent indeficiẽtem, & iuxta D. Thomam secundùm suam naturam sunt incorruptibiles. Agnoscit iste ex Concilio Lateranensi, ex D. Augustino, & Sancto Thoma omnem creaturam posse transire de non esse ad esse, & annihilari, quo potuisset ab hac obiectione abstinere, quam non refero, quia illi satisfacere necesse sit. Sed vt ostendam, quàm frigida, & friuola sint ea, quibus in meas sententias absque delectu inuehitur. 22

Tandem arguit, quod etiamsi conceptus causæ, quem ego designo omni causæ competeret, quidditatiuus non esset. Deberet alium conceptum designare, qui prius omni competeret, vt hoc fundamento aliquo assereret. 23

Pvnctvm II.

Quid sit actus primus respectu effectus, & causam esse in actu primo ad illum.

NOn pauci confundunt actum primum causæ cum prioritate naturæ causæ respectu effectus, existimantes idem esse causam esse in actu primo ad effectum, & esse naturâ priorem illo: Errant tamen, differunt enim sicuti differt subiectum à concreto, lignum v.g. ab albo, vt constabit ex dicendis in hoc Puncto de actu primo, & in sequenti de prioritate naturæ. 1

Causam in actu primo dicere entitatem intrinsecam virtutis productiuæ nemo in quæstionem vertit, quia actus primus dicit totum illud quod ad actum secundum supponitur: sed entitas intrinseca causæ v.g. ignis supponitur ad productionem caloris, & ad calorem productũ: ergo actus primus dicit formaliter entitatem intrinsecam causæ. Dicit similiter actus primus conditiones omnes prærequisitas ad effectum tenentes se ex parte causæ v. g. approximationem inter agens, & passum, positiuã, vel negatiuam, eo modo, quo requiritur ad effectum producendum, dispositiones ex parte passi, sine quibus effectus produci non potest, omnipotentiam applicatam ad operandum cum causa secunda, demum omnia comprincipia, & illorum circumstantias, quæ prærequiruntur ad effectum, & quæ debent supponi vt causa simpliciter sit potens operari. Ratio est manifesta: causa in actu primo, dicit virtutem iam aptam, & proximè potentem, & iam vltimo accinctam ad operationem: sed quousque habeat omnia alia comprincipia parata, & omnes conditiones, & circunstantias tenentes se ex parte virtutis virtus causatiua non est simpliciter potens operari, non enim dicitur homo, etsi potentiam visiuam habeat, simpliciter potens videre obiectum cuius speciem non habet, neque ignis dicitur proximè potens calefacere subiectum absens: ergo quousque virtus causatiua sit cum his omnibus comprincipiis & circunstantiis non est in actu primo ad operationem. 2

Effecta quidem causarum, quas possunt præferunt imagines. Illud est, nullum effectum perfectiorem sua causa. quia causa nihil potest producere perfectius se ipsa, neque eminenter continet maiorem perfectionem suâ formali perfectione, ex quo principio metimur perfectionem cuiuscumque effectus per causæ perfectionem tanquam mensuram, quam non potest excedere, omnisque causa taxat, & limitat perfectionem effectus, & quotiescumque effectus procedit à causa creata, etiamsi hæc produxerit effectum, quem potest, dicimus effectum productum non excessisse tantam perfectionem, quia causa à qua procedebat, non poterat aliam maiorem attingere; si verò effectus à Deo immediatè fuit productus dicimus, Deum produxisse effectum cum tanta perfectione, quia ita illi placuit effectum producere, potenti aliàs perfectiorem alium producere, cuius perfectio similiter voluntate diuinâ taxaretur, quæ potuit omnipotentiam ad maiorem aliam producendam applicare. En causæ omnes taxant, terminósque præscribunt perfectioni effectus, ita vt si à virtute creata procedat tantam perfectionem non excedat, quia alia maior non est obiectum virtutis, à qua procedit, etsi à Deo immediatè producatur, tantam perfectionem habeat, & non aliam maiorem, quia voluntas non applicuit omnipotentiam ad effectum cum maiori perfectione producendum, & omnes ab illa producibiles finiti sint, & limitati, quia nihil non finitum, & limitatum ad extrà producendum est obiectũ virtutis productiuæ existentis in Deo. In diuinis aliter se res habent, principium producens non taxat perfectionem termini producti, cuius perfectio nullam taxam habet, aut mensuram; quod si Filius non possit esse perfectior Patre, ideo est quia eadem est vtriusque perfectio, communisque indiuisibilis essentia, quâ maior alia repugnat, non præcisè ex defectu virtutis causæ illam potentis producere, sed quia secundum se repugnat maior perfectio, & quia vna omnium personarum natura, atque perfectio excedit omnem perfectionem excogitabilem. Hanc summam perfectionem sine aliquo termino, aut limitatione volunt Latini Patres in personis productis defendere, & ne viderentur illam non agnoscere, si nomen *causæ* in diuinis admitterent, quod apud illos limitationem importabat, illo vti noluerunt, Neque in re à Græcis dissentiebant, qui nomen *causa* sine hac limitatione ad diuinas personas extendebant, ideò Bessarion non recusauit vti illo, explicat tamen nomen illud vsurpare cum Græcis non quatenus dicit dependentiam & limitationem, quam apud Latinos importabat, in quorum acceptione nefas esset nomen causæ ad diuina transferri.

13 Eadem est mens Angelici Doctoris opusc. 1. cap. 1. contra errores Græcorum, vbi his verbis probat Patrem non esse dicendum causam Filij: *Nam apud Philosophos prima causa Deus nominatur: omne autem causatum sub vniuersitate creaturarum comprehenditur apud eos, & ideo si Filius causam dicatur habere, posset intelligi quod sub vniuersitate causarum, aut creaturarum comprehenderetur.* En expresè testatur D. Thomas Patrem non esse dicendum causam Filij, ne Filius inter vniuersitatem creaturarum recenseatur, hoc est, ne creatura compelletur. Et cap. 2. vbi negat Patrem prioritatem causæ respectu Filij hæc habet: *Neque enim prior est Pater tempore: cum Filius sit æternus: neque prior naturâ cum Patris & Filij sit vna natura.* Ecce D. Thomas negat Patrem esse priorem naturâ Filio, quia Pater & Filius eamdem habent naturam, idem enim sonabat inter Patres aliquid esse prius naturâ alio, quàm habere naturam priorem illo, quod erat posterius. Constat ergo ex Patribus ideo non admisisse nomen causæ in diuinis, quia sentiunt nomen causæ importare distinctionem naturæ inter causam, & causatum, & perfectionem finitam, & limitatam, rationemque creaturæ in termino à causa producto.

§. III.

Veram causæ definitionem expono.

14 NOn est animus causam vtcumque definire definitione, quæ omnibus & solis causis conueniat, sed etiam primum quidditatiuum conceptum causæ explicare, & constitutiuum essentiale causæ in definitione iuxta mentes Patrum exprimere. Definitionem adductam à Rubio quam num. 1. retuli scilicet, *id quod per se influit in effectum* ideo reieci, quia rem per conceptum æquè obscurum exponebat, est enim æquè ignota ratio, propter quam Filius non sit dicendus effectus, & Pater causa non sit appellandus: verumtamen conceptum quidditatiuum causæ attingere constat ex mente Patrum, qui ideo negabant Patrem esse causam Filij ne concederent Filium esse effectum, sentientes causam, dici essentialiter per ordinem ad effectum: Est ergo hic conceptus effectus clarius in definitione explicandus. Non ineptè definiretur causa: *Principium influens in terminum non identificatum cum natura principij.* Quæ definitio non conuenit Patri respectu Filij producti, quia Filius productus identificatur cum natura producentis, & videtur omni causæ creatæ competere, & aliàs attingit distinctionem creaturarum, ex defectu cuius nolunt Patres Latini primam personam dici causam respectu secundæ. Contra hanc definitionem adduci potest sententia aliquorum asserentium posse eamdem entitatem, se ipsam per secundam actionem producere, quæ productio est vera causalitas, nullus enim admisit actionem creatam, quæ propriissimè non sit causalitas, ex vi cuius principium non constituatur in actu secundo. Hanc opinionem non omnes admittunt, illamque impugnabo Controuers. 9. Punct. 10. verumtamen vellem definitionem aliquam tradere, quæ iuxta omnium opinionem constans sit propter rationem, quam contra recentiores expendebam n. 8. Deinde si per impossibile hoc contingeret, vt idem homo se ipsum per veram actionem produceret, in illa productione totam rationem causalitatis contemplaremur: ergo de ratione formali causalitatis non est tendere in terminum distinctum à principio, quando principium est creatum: quod si Patres intendebant de ratione effectus seu termini causati à Deo esse distinctionem terminià natura Dei causantis, ideo est, quia requirebant limitationem ex parte effectus, illiusque naturam esse finitam, quod essentialiter importat distinctionem à natura producentis quod habet naturam infinitam.

Sic ergo essentialiter & quidditatiuè conceptum causæ 15
ad sensum Patrum, & iuxta Aristotelis mentem exprimo. *Principium influens per influxum ex se formaliter defectibilem.* Per particulam *principium* conuenit causa cum priuatione, & aliis, quæ non per se ad effectum conducunt, & principia dicuntur. Per illud *influens*, differt à principiis non conducentibus, & à conditionibus, quæ non influunt, sed prærequiruntur ad influxum, & adhuc conuenit cum principio generante, & cum principio spirante secundam, & tertiam personam Trinitatis, à quibus vltimò differt per illam particulam per *influxum ex se defectibilem*, quia influxus quo prima persona influit in secundam ex se est indefectibilis, generatio enim actiua identificatur cum Patre, & passiua cum Filio, ac proinde influxus, qui est idem cum generatione æquè indefectibilis est, ac Pater, & Filius, & ipsa natura diuina cum qua identificatur. Definitionem hanc competere omnibus causis respectu omnium effectuum per se notum est, nullus enim influxus procedit à Deo circa effectum ad extra productum, quem Deus subtrahere non possit, & qui ex se vtpote finitus, & limitatus non sit defectibilis. Eadem ratione potest deficere quilibet alius influxus dependens à causa secunda, qui etiam immediatè dependeret à Deo: quod si daretur aliqua causa secunda, quæ per se ipsam influeret in effectum adhuc illius influxus defectibilis esset, quia ipsa causa secunda posset deficere.

Statui definitionem hanc omnibus causis, & non alij 16
entitati competere: probo modò exprimere conceptum quidditatiuum causæ. Rationem causæ contemplantur Patres respectu effectus, seu termini, qui in se dicat distinctionem à natura diuina: rationem hanc rectè explicat defectibilitas influxus, quæ per locum intrinsecum dicit defectibilitatem termini, qui sine illo non potest, & consequenter distinctionem à natura diuina, quæ indefectibilis est. Ad rationem causæ exposcebant Patres ex parte termini virtutem finitam, & limitatam, hæc optimè explicatur per conceptum defectibilitatis: illud enim quod defectibile est, non est infinitum per essentiam, cui repugnat per locum intrinsecum esse defectibile. Consonat etiam hæc definitio doctrinæ Aristotelis, qui 2. Physic. cap. 3. tex. 29. & l. 2. de gener. c. 7. text. 55. causam efficientem definiuit, *vnde primum principium est mutationis*, ac si diceret, causa efficiens non est nisi illius, quod mutatur de non esse ad esse, quibus verbis innuit Aristoteles omnem effectum ex se esse defectibilem, capacémque non essendi.

Dices

17 Dices per defectibilem influxum explicari formalitates requisitas ad rationem causæ, respectu principij, & effectus respectu termini. Non tamen requiri hanc defectibilitatem per locum intrinsecum, vt in termino producto reluceat tota ratio effectus secundum omnes formalitates assignatas, & in principio producente tota ratio causæ, quod sic probare posses. Supponamus per impossibile Deum ad extra entitatem aliquam necessariò, & absque vlla libertate produxisse, non sequitur ex hac suppositione per locum intrinsecum Deum non esse causam illius termini producti, & terminum productum non esse effectum, quia adhuc haberet perfectionem finitam, & limitatã distinctam à natura Dei producentis, & nihilominus effectus ille non esset defectibilis, quia cùm necessariò produceretur à Deo independenter à quolibet alio, eo ipso quod Deus existeret, illum produceret, & cum Deus necessariò existat terminus ille necessariò produceretur à Deo. Respondeo duplicem defectibilitatem posse considerari in influxu, vnam extrinsecam, intrinsecam aliã: defectibilitas extrinseca est, quæ prouenit à causa indifferenti, vel libera vt producat: Defectibilitas intrinseca prouenit ab ipsa rei entitate, quæ ex se indifferens est, vt existat, & non existat, quia ex prædicatis essentialibus quæ in se habet non illi repugnat, non existere, neque essentialiter dicit actu existere. Hæc defectibilitas intrinseca est de ratione constitutiua effectus quæ adhuc conueniret entitati, quam Deus necessariò produceret, quia licet non posset deficere, hoc non illi competeret ratione intrinsecæ entitatis, ex vi cuius præcise apta erat ad existendum, vel non existendum; sed ratione agentis illam necessariò producentis. Influxus autem per quem Verbum producitur, & Verbum productum ex suamet intrinseca entitate deficere nõ possunt, & ex prædicatis intrinsecis defectibilitas illis repugnat, non præcisè ex eo quod principium productiuum necessariò terminum producat. Idem dicito de productione Spiritus sancti.

18 Obiic. in opinione aliquorum præcipuè ex Thomistis: creatio identificatur cum Deo: ergo in horum sententia influxus, quo Deus influit in rem creatam, cuius est causa identificatur cum ipso Deo: ergo est æquè indefectibilis cum ipso Deo: ergo in sententia horum definitio causæ à nobis assignata subsistere non potest. Dixi rem explicandam esse à me iuxta omnium sententias, & ita etiam ad hanc sententiam, definitionem extendo. Authores, qui dicunt creationem, actionémve non distingui à principio producente, dicunt creationem identificatam cum Deo non posse entitatiuè, & secundùm se deficere, asserunt tamen posse deficere secundùm formalitatem, & exercitium actionis, ita vt existat sine termino, & quin actu formalitatem influxus exerceat, & ita actionem defectibilem constituunt, etsi non materialiter, formaliter tamen, secundùm rationem formalem actualis influxus, & ita influxus, etsi aliàs identificatus sit cum Deo, & indefectibilis secundùm entitatem, defectibilis est secundùm formalitatem, & secundùm rationem formalis influxus, quia Deus ab æterno illam actionem secum identificatam habuit, quin ex vi illius effectus poneretur extra causas, & ita in tempore effectus ex vi illius producitur, vt potuerit nõ produci, quia omnis effectus ad extra liberè producitur respectu Dei, quæ defectibilitas sufficiens est, vt per ordinem ad illam illius principium constituatur in ratione causæ, quæ tantùm dicit ordinem ad influxum defectibilem formaliter in ratione influxus. Neque hæc defectibilitas conuenit influxui, quo prima persona influit in secundam, aut prima & secunda in tertiam, quia neque materialiter, neque formaliter adhuc in ratione influxuum actualium potuerunt deficere hi fluxus, quibus personæ producuntur.

19 Definitionem hanc intendit impugnare nouus quidam *Prado 2. part. Contr. 1. ar. 2.* & in ipso epigraphi impugnationis illam nouellam appellat, de quo ego parum curo, videamus, quid suprà ostensionẽ sui animi rationis contra hanc definitionẽ adducit.

Obiicit facilè contemptuum prædictam definitionem illum, qui cum Patribus Græcis vellet defendere Patrem non solùm dici principium, sed causam Filij, quia Græci in hac parte non recipiunt authoritatem Patrum Latinorum. Vno D. Thoma sæpe extra rem adducto, frequenter iste quæstiones definit ex rationibus contra suam sententiam adductis satisfeciſſe putat, & modò vt impugnet rationem haberi non vult de ipso S. Thoma, & de omnibus Patribus Latinis, nec sat mihi esse iudicat iuxta illorum phrasim loqui, & ad locutionem Græcorum contra Latinos Patres recurrit, vt me impugnandi affectum expleat.

Obiicit secundò Aristotelem non cognouisse productionem in diuinis, & ideò frustrà ex illo in definitione causæ quærere particulam excludentem talem productionem. Respondeo, ad hoc, vt Aristoteles proprietatem causæ designaret, quæ competere non posset Patri producenti Filium, necesse non esse Patrem æternum cognouisse, nec productionem Filij, eo autem ipso, quod talem proprietatem designauerit, excluſit Patrem à ratione causæ, sicut dum ego definio hominem per animal rationale, quod magneti non competit, magnetem excludo à ratione hominis, etiamsi magnetem non cognouerim, nec mihi vnquam in mentem venerit. 20

Obiicit, me petere principium dum suppono omnem causam, causam esse effectus creati, & limitati. Respondeo me hoc non ex meo cerebro fingere, sed ex vnanimi consensu omnium Patrum Latinorum, & totius Latinæ Ecclesiæ, cum quibus sentire, & loqui teneor, & ita hoc supposito conceptum communem causæ inquiro, & designo, mirórque hominem mei adeò memorem, ita esse sui immemorem, vt cum hoc argumentum contra me instituerit nu. 8. statim num. 10. asserat authoritates Patrum probare causam rigorosè includere distinctionem, & limitationem, idque ex doctrina Patrum expresè docere Sanctum Thomam. 21

Obiicit non requiri ad rationem causæ influxum defectibilem, & quia Angeli secundùm D. Dionysium vitam habent indeficiẽtem, & iuxta D. Thomam secundùm suam naturam sunt incorruptibiles. Agnoscit iste ex Concilio Lateranensi, ex D. Augustino, & Sancto Thoma omnem creaturam posse transire de non esse ad esse, & annihilari, quo potuisset ab hac obiectione abstinere, quam non refero, quia illi satisfacere necesse sit. Sed vt ostendam, quàm frigida, & friuola sint ea, quibus in meas sententias absque delectu inuehitur. 22

Tandem arguit, quod etiamsi conceptus causæ, quem ego designo omni causæ competeret, quidditatiuus non esset. Deberet alium conceptum designare, qui prius omni competeret, vt hoc fundamento aliquo assereret. 23

Pvnctvm II.

Quid sit actus primus respectu effectus, & causam esse in actu primo ad illum.

NOn pauci confundunt actum primum causæ cum prioritate naturæ causæ respectu effectus, existimantes idem esse causam esse in actu primo ad effectum, & esse naturâ priorem illo: Errant tamen, differunt enim sicuti differt subiectum à concreto, lignum v.g. ab albo, vt constabit ex dicendis in hoc Puncto de actu primo, & in sequenti de prioritate naturæ. 1

Causam in actu primo dicere entitatem intrinsecam virtutis productiuæ nemo in quæstionem vertit, quia actus primus dicit totum illud quod ad actum secundum supponitur: sed entitas intrinseca causæ v.g. ignis supponitur ad productionem caloris, & ad calorem productũ: ergo actus primus dicit formaliter entitatem intrinsecam causæ. Dicit similiter actus primus conditiones omnes prærequisitas ad effectum tenentes se ex parte causæ v. g. approximationem inter agens, & passum, positiuã, vel negatiuam, eo modo, quo requiritur ad effectum producendum, dispositiones ex parte passi, sine quibus effectus produci non potest, omnipotentiam applicatam ad operandum cum causa secunda, demum omnia comprincipia, & illorum circumstantias, quæ prærequiruntur ad effectum, & quæ debent supponi vt causa simpliciter sit potens operari. Ratio est manifesta: causa in actu primo, dicit virtutem iam aptam, & proximè potentem, & iam vltimo accinctam ad operationem: sed quousque habeat omnia alia comprincipia parata, & omnes conditiones, & circunstantias tenentes se ex parte virtutis virtus causatiua non est simpliciter potens operari, non enim dicitur homo, etsi potentiam visiuam habeat, simpliciter potens videre obiectum cuius speciem non habet, neque ignis dicitur proximè potens calefacere subiectum absens: ergo quousque virtus causatiua sit cum his omnibus comprincipiis & circunstantiis non est in actu primo ad operationem. 2

3 Remotio impedimenti seu formæ incompossibilis cum actu secundo, quando potest esse effectus ipsius actus secundi non requiritur ex parte actus primi. Rem explico: Applicatur ignis intendens producere calorem subiecto frigido, frigiditas se tenens ex parte passi est incompossibilis cum calore, quem ignis intendit producere, & illa permanente calor non introducetur, potest tamen ignis non obstante resistentiâ frigiditatis calorem producere, & medio illo frigiditatem expelliere, quâ expulsâ, calor, qui illam expellit, sibi subiectum sine aliquo impedimento præparat, vt possit illud informare, & in illo recipi, tunc expulsio talis frigiditatis non se tenet ex parte actus primi, sed potiùs est effectus, & actus secundus non tantùm respectu actus primi caloris, sed respectu ipsius caloris, qui est actus secundus ignis potentis illum producere, & actus primus respectu frigiditatis expulsæ. Ratio est, quia tunc expulsio frigiditatis est effectus caloris introducti, ratione cuius frigiditas fuit expulsa, ex præuisione enim caloris informantis subiectum, Deus subtraxit concursum, quo frigiditatem conseruabat, effectus autem caloris non potest se tenere ex parte actus primi, quia ex parte actus primi tantùm se tenet, id, quod est prius: sed effectus caloris est posterior calore: ergo non est prior: ergo expulsio frigiditatis, quæ est effectus caloris, & illo posterior, non potest esse prior illo, & se tenere ex parte actus primi respectu eiusdem.

4 Maior difficultas est de aliis impedimentis, quæ non possunt auferri ab agente producente effectum mediâ productione illius; eadem materia exemplum præbeat. Applicatur ignis intendens producere calorem passo alias capaci, præoccupato tamen frigiditate, ita subiecto adhærente, ratione peculiaris informationis, vel ratione validissimi agentis, quod illam conseruat, vti neutiquam possit ignis frigiditatem expellere medio calore, neque hunc producere ratione impedimenti inauferibilis ab agente naturali, vel saltem ab hoc igne applicato. Inquirimus an hoc casu dicatur ignis in actu primo ad producendum calorem. Duplicem actum primum distinguo, liberum & necessarium. Posito impedimento inauferibili existimo destrui actum primum liberum, libertatémque in actu primo, ratione cuius potentia dicatur proximè libera ad operandum. Hæc conclusio mihi certissima est, si enim ego deuinctus sim ferreis catenis, à quibus me expedire non possum, nullus dicet me esse liberum, ad longum iter agendum, quod illo ablato impedimento inire possem. Itaque negatio impedimenti auferibilis non requiritur ad actum primum liberum, negatio verò impedimenti inauferibilis, essentialiter ad illum supponitur: verbi gratia sum ego in medio cubiculi constitutus ianuis vndique clausis, intendo Ecclesiam petere, impedit iter aër occupans spatium, quod ego per nouas præsentias sum acquisiturus, impedunt similiter parietes quibus sum conclusus, aër impediens præsentias acquirendas, non tollit libertatem, quia possum ego aërem remouere ipsâ præsentiarum productione; parietes, quos ego deiicere non possum libertatem destruunt, & actum primum liberum, quia non illos possum remouere, vt Ecclesiam petam. Sed de hoc longiùs redibit sermo Controuers. 12. de anima, vbi de libertate voluntatis disputabo.

5 De actu primo physico aliter sentiendum: affirmo ignem applicatum passo ex se receptiuo frigiditatis esse in actu primo, etiamsi non possit vincere impedimentum frigiditatis inhærentis subiecto: à posteriori conclusio manifestè probatur, quia si tantùm esset in actu primo causa necessaria, quando potest vincere impedimentum extrinsecum, vt effectum producat, numquam daretur resistentia causarum, quia numquam poterunt dari duæ causæ simul in actu primo ad effectus incompossibiles, quia non potest vtraque mutuò vincere, & vinci; illa verò quæ vincere non poterit non erit in actu primo: vbi verò non sunt duo contraria in actu primo, non potest esse resistentia, quæ dicit virtutes resistentes in actu primo, vt constabit ex dicendis in *Generatione*. A priori rationem reddo: Actus primus physicus tantùm dicit potentiam physicam ad operandum: sed cum potentia physica ad operandum componi potest impedimentum ad operationem: ergo negatio huius impedimenti non est de ratione potentiæ physicæ, neque actus primi physici, quia ille, qui potentiam habet cum omnibus aliis circunstantiis ad deambulandum, simpliciter dicetur potens deambulare, etiamsi aliquod impedimentum habeat, quo impediatur, ratione cuius non erit impotens physicè, sed tantùm physicè impeditus, & moraliter impotens, quia physicum impedimentum impotentiæ morali æquiualet in ordine ad effectum, quando inauferibile est. Ex hoc infertur & iam distinctio inter actum primum liberum, & non liberum, quia actus primus liber dicit potentiam non solùm physicam, sed moralem, & opponitur cum omni determinatione, siue intrinseca, siue extrinseca ad actum secundum, quæ illum præcedat actus verò primus physicus non dicit determinationem, neque opponitur cum determinatione intrinseca, quam semper ex se habet potentia necessaria ad effectum, neque cum determinatione extrinseca ad negationem effectus, quam inducit impedimentum inauferibile, ratione cuius determinationis opponitur cum actu primo libero, qui essentialiter dicit indifferentiam ex parte principij, quam non importat actus primus physicus, hic enim tantùm dicit posse facere, ille verò posse facere, & posse non facere.

Causam in actu primo noc includere actionem, ex dictis manifestè constat, si enim causa adhuc impedita, dum 6
nullam exercet actionem, est in actu primo, certum est ad actum primum non requiri actionem, & ratio ipsa manifestè ostendit: esse in actu primo dicit potentiam ad operandum cum omnibus prærequisitis ad actum secundum: sed potest esse potentia cum omnibus prærequisitis sine actione: ergo sine actione potest esse potentia in actu primo. Minor patet in causa libera, quæ postquam fuit in actu primo proximè potens ad operandum sæpè non operatur, & in causa necessaria physicè impedita, & ratione ipsâ manifestè apparet, aliud enim est posse operari: operari dicit operationem supra potentiam, posse operari tantùm dicit potentiam.

Difficilis quæstio dissoluitur de possibilitate actionis: 7
hanc requiri ex parte actus primi affirmant, nescio qui recentiores, quos impugnant Hurt. disp. 8. & Arriag. disp. 7. vterque sect. 2. subsect. 2. In opinione, quæ affirmat repugnante actione causam non posse subsistere, certum est requiri possibilitatem causalitatis tanquam obiectum relationis, quam dicit ad illam virtus productiua caloris, ad ipsum actum primum caloris producendi, quia ex parte actus primi supponitur ad productionem caloris virtus productiua caloris: sed hæc virtus supponit, vel dicit comitanter tanquam obiectum possibilitatem calefactionis, & caloris, sine qua existere non potest: ergo eo modo quo requiritur possibilitas calefactionis & caloris ad existentiam ignis tenentis se ex parte actus primi ad calorem producendum, requiritur ad actum primum respectu eiusdem caloris, quia actus primus illius dicit intrinsecè, & identicè entitatem ignis potentem calorem producere.

Dixi requiri possibilitatem caloris (eadem est ratio de 8
possibilitate caloris, seu calefactionis) ad actum primum respectu eiusdem caloris, secundùm prædictam sententiam, non tamen dixi requiri ex parte actus primi, quod est valde notandum, intercedit enim maximum discrimen inter hoc, quod est requiri ad actum primum, & requiri ex parte actus primi. Requiri ex parte actus primi proximi, dicit requiri tanquam quid tenens se ex parte virtutis, seu potentiæ, conditionisve immediatè prærequisitæ ad effectum: requiri ex parte actus primi remoti, est requiri hoc modo non ad ipsum effectum, sed ad actum primum effectus, qui se habeat tanquam actus secundus respectu illius prærequisiti, quod dicitur actus primus remotus respectu vltimi effectus. Requiri ad actum primum non dicit hunc prioritatis modum, sed sufficit requiri non immediatè ad effectum, & requiri ad causam, non vt actum primum illius, sed tantùm comitanter, vel vt actum secundum. Rem explico in probabili sententia, quæ asserit animam habere potentias superadditas, & non posse esse sine illis: ad actum primum visionis requiritur potentia auditiua, quia requiritur ad animæ existentiam, quæ est actus primus visionis, non tamen requiritur potentia auditiua ex parte actus primi ad visionem, quia neque immediatè influit in visionem cuius sit actus primus immediatus, neque mediatè, quia licet anima requirat potentiam visiuam ad sui existentiam (loquor iuxta communem sententiam, vt rem explicem) non illam requirit vt actum primum illius, neque ab illo dependet à priori, sed tantùm à posteriori, quæ dependentia non est ab aliquo,

aliquo, quod se teneat ex parte actus primi. Similiter præsentia vnionis ex parte actus primi supponit vnionem, & quia hæc requirit extrema, ad actum primum huius præsentiæ requiruntur extrema, non tamen requiruntur ex parte actus primi, quia neque sunt immediatè actus primus præsentiæ, neque mediâ vnione, quia etsi vnio ex se non possit esse sine extremis, hæc non requirit ex parte actus primi, neque se habent per modum actus primi. Sic in nostro casu, productio caloris supponit ex parte actus primi entitatem ignis secundùm se, hæc non potest existere secundùm sententiam, in qua procedit conclusio, sine possibilitate caloris: Ex quo infertur ad actum primum caloris requiri possibilitatem eiusdem, non tamen ex hoc capite requiritur ex parte actus primi, quia possibilitas caloris non requiritur immediatè, vt actus primus calefactionis, seu caloris existentis, neque vt actus primus virtutis, à qua est producendus calor, videlicet ignis, quia licèt ignis dicat intrinsecè relationem transcendentalem ad possibilitatem caloris, & illam requirat tanquam terminum, non illam requirit ex parte actus primi, quia terminus, vt terminus non est actus primus illius, quod terminat, vt patet in termino actionis productiuæ, sed tantùm requiritur comitanter, vel consequenter, seu illatiuè. Hæc doctrina apprimè obseruanda est, quam si in promptu Philosophus non habeat, nihil solidè apprehendet in his, quæ ad dependentiam effectuum à causis pertinent. Neque Theologus, qui his principiis dexterè non vtatur, nihil in materia de prouidentia, de ordine decretorum Dei solidè inuestigare poterit.

9 Alio modo affirmo requiri possibilitatem cuiusuis entitatis non solùm ad actum primum eiusdem existentis, sed ex parte actus primi obiectiuè. Probo: Ex parte actus primi caloris producendi ab igne requiritur voluntas Dei applicans omnipotentiam ad concurrendum cum igne: sed hoc decretum supponit ex parte actus primi possibilitatem eiusdem caloris producendi: ergo calor producendus remotè supponit sui possibilitatem, quatenus hæc supponitur ex parte actus primi, ad decretum, quod immediatè tanquam actum primum supponit. Tota difficultas in minori vertitur, vt Deus moueatur ad applicandam omnipotentiam ad producendum calorem requiritur ipsum esse possibilem, temerè enim, & cum periculo inane decretum eliciendi decreuisset producere calorem, quem ignorabat, an esset possibilis: ergo actus, quo vult producere calorem cùm causa secunda respicit, tanquam motiuum saltem inadæquatum possibilitatem caloris: ergo hic actus aliquo modo se tenet obiectiuè ex parte huius decreti eâ ratione, quâ potest dari actus primus respectu actuum internorum Dei, quia motiuum actus voluntatis non tantùm requiritur ad actum comitanter, sed antecedenter: ergo medio hoc decreto applicante omnipotentiam ad calefactionem, quod pertinet ad actum primum calefactionis, hæc supponit ex parte actus primi sui possibilitatem, eo modo, quo supponitur ad decretum: sed ad decretum supponitur non tantùm comitanter, sed antecedenter, non physicè, sed tantùm obiectiuè, tanquam motiuum actus, quod eadem calefactio supponit ex parte actus primi. Quod dixi de actu applicante omnipotentiam ad producendum effectum cum creatura, dicam de actu, quo Deus se solo illam producere decernit, quia semper actus, quo Deus vult effectum producere supponit ex parte motiui possibilitatem effectus.

10 Dico vltimò, possibilitatem effectus non requiri alio modo præter iam dictos, neque ad actum primum, neque ex parte actus primi respectu eiusdem effectus producendi, quapropter in opinione, quam latè probabo in Metaphysicis asserente, virtutem intrinsecam causæ non habere connexionem cum possibilitate effectus, possibilitas tantùm requiritur, vt obiectum voluntatis, quo Deus applicat suam omnipotentiam, quod sic probo. Possibilitas effectus potest considerari pertinens ad actum primum eiusdem effectus producendi tanquam obiectum alicuius ordinis, seu respectus, vel formaliter per suam entitatem constituens actum primum tanquam obiectum tantùm potest conducere, vt obiectum relationis transcendentalis, vel actus intentionalis, qui se teneat ex parte actus primi, quos modos se tenendi ex parte actus primi iam explicui: neque alius apparet, quo possit concurrere tanquam obiectum. Immediatè & per se formaliter non posse ad actum primum conducere, sic probo. Possibilitas effectus nihil est distinctum ab ipso effectu, sed effectus tantùm potest supponi ad se ipsum, vt obiectum, & non immediatè per suammet entitatem, quia nihil potest immediatè ad se ipsum supponi, neque tanquam virtus productiua, neque tanquam conditio: ergo non potest formaliter immediatè pertinere ad actum primum sui ipsius. Dices entitatem, vt possibilem supponi posse ad ipsam vt existentem. Contrà: vel distinguis formaliter entitatem vt possibilem ab ipsa vt existenti, vel non distinguis: si non distinguis non duplicem terminum distinctionis assignas, sed eumdem repetis modò affirmatum, & postea negatum. Si distinguis, possibilitas, vt distincta ab existentia non est physicè, sed tantùm obiectiuè, quia quod non est existens, absolutè non est: ergo non potest physicè actum primum constituere, nihil enim potest eo modo, quo non est, aliud constituere.

11 Ex hoc infero, quod si per impossibile fingamus Deum posse applicare omnipotentiam ad obiectum ex se repugnans, vel ignem posse independenter ab applicatione omnipotentiæ calorem producere, in hac suppositione admittendum esse actum primum adæquatum respectu obiecti impossibilis. Rem explico: Supponamus repugnare calorem, ex hac repugnantia, non sequitur per locum intrinsecum repugnare virtutem productiuam illius, verbi gratia ignem, quia vt probabo in Metaphys. Controuers. 10. Punct. 4. virtus productiua connexionem non habet cum possibilitate effectus. Applicetur ergo ignis potens producere calorem subiecto capaci, tunc talis ignis, tantùm ex defectu decreti applicantis omnipotentiam non erit in actu primo ad producendum calorem, quia possibilitas tantùm requiritur ad existentiam illius decreti: ergo si supponamus per impossibile decretum illud non esse necessarium ad productionem caloris, nihil deficiet ex his, quæ requiruntur ad actum primum caloris producendi.

12 Obiic. Implicante effectu, supposito quocumque alio, causa no potest producere effectum: ergo ad hoc vt causa possit producere effectum requiritur effectus possibilitas: ergo requiritur ad actum primum effectus producendi, qui dicit formaliter causam posse effectum producere. Distinguo antecedens: non potest causa producere effectum quocumque alio posito, ex defectu potentiæ seu actus primi, nego: ex intrinseca repugnantia effectus concedo: Deinde distinguo primum consequens: ergo ad hoc vt causa possit producere effectum requiritur effectus possibilitas: requiritur effectus possibilitas concomitanter ad ipsum effectum cum quo identificatur, & per modum actus secundi, concedo consequentiam: requiritur antecedenter ad ipsum effectum producendum, nego consequentiam. Deinde nego secundam consequentiam: actus enim primus dicit causam posse producere effectum quatenus est ex parte actu primi, & quatenus dicit omne, quod antecedenter prærequiritur ad effectum, non verò quatenus dicit possibilitatem effectus requisitam formaliter ad productionem, tanquam quid comitans, productionem, seu identificationem cum illa. Aliud enim est requiri formaliter ad effectum: Aliud est prærequiri causaliter. Quod causaliter prærequiritur pertinet ad actum primum, & hac ratione non requiritur possibilitas effectus ad eumdem producendum formaliter per se, sed tantùm tanquam obiectum decreti applicantis omnipotentiam, quod decreto præciso nullo modo requiritur. Quod formaliter requiritur tanquam actus secundus constituens actum primum formaliter operantem non se tenet ex parte actus primi, & hac ratione requiritur immediatè, & per se possibilitas ad ipsius productionem.

13 Obiicies secundò. Causa actu operans dicit operationem actualem: ergo causa potens operari dicit operationem possibilem: probatur consequentia, sicut se habet existentia operationis ad causam actu operantem, se habet possibilitas eiusdem ad causam potentem operari: sed causa operans constituitur per operationem actualem: ergo causa potens operari constituitur per possibilitatem operationis. Respondeo negando consequentiam prioris enthymematis, & maiorem syllogismi sequentis, hoc enim quod est operari dicit quid superadditum actui primo, posse autem operari nihil dicit illi superadditum. Vnum in hac re verum est, quod arguentem decepit, videlicet possibilitatem obiectiuam huius concreti *causa operans* dicere possibilitatem causæ & possibilitatem operationis, quia id, quod

includit hoc concretum *existens in statu existentiæ*, inclu. dit idem concretum possibilitatis obiectiuæ, seu Logicæ, cuius possibilitas non distinguitur ab ipsa entitate existente. Operatio verò quatenus dicit potentiam physicam, in qua virtualiter continetur tantùm dicit actum primum realiter distinctum ab ipsa operatione possibili, & existenti.

Punctvm III.

De prioritate causæ respectu effectuum.

§. I.

Naturam prioritatis explico.

1 PRioritatem causarum respectu effectuum explicuit Aristoteles in Metaphys. cap. 11. & in Postprædicament. cap. 12. vbi postquàm varios modos prioritatis tradidisset, scilicet prioritatem ordinis, dignitatis, vniuersalitatis, & temporis, accedit ad illa, quæ prioritatem causæ habent. Quæ verbis exponit: *Alia autem natura* (scilicet priora) *ea inquam, omnia, quæ ciusmodi sunt, vt sine aliis esse possint, non item sine illis alia.* Ex quo infertur illud, quod prius naturâ est, posse esse sine posteriori, posterius autem sine priori esse non posse, ideo dicitur prior naturâ quia sine effectu subsistere potest, effectus verò sine causa neutiquam potest existere. Ratio est, quia causa non recipit suum esse ab effectu, & ita deficiente effectu potest cum illo permanere; effectus verò habet à causa, quapropter sine causa existere repugnat.

2 Sibi contrarium fuisse Aristotelem in postpræd. cap. citato existimarunt nonnulli decepti quibusdam verbis, quibus ego doctrinam Philosophi magis illustrabo: *Videbatur vltra iam dictos, alius quidem esse prioris modus. Eorum enim, quæ essendi consequentia conuertuntur, alterum quod est causa quouis modo, vt alterum sit, prius naturâ non incongruè dici potest.* Ecce Aristoteles assignat alium prioritatis modum inter illa, quæ ad inuicem conuertuntur, quorum vnum est causa alterius: ergo prioritas ex mente Philosophi non dicit consequentiam non mutuam inter illud, quod est posterius. Hæc verba nonnulla speciem obiectioni præbent, illa tamen adduxi in confirmationem doctrinæ, quam tradiderat Aristoteles, quam apprimè probant, si attexantur illis, quæ postea subdit Philosophus, quibus præcedentia declarat. Exemplo doctrinam traditam explicat Arist. *Esse enim hominem ad orationem de ipso veram, essendi consequentia sanè conuertitur. Nam si sit homo, vera est oratio, quæ de ipso profertur, & è contrà, homo profectò est, si vera est oratio ea, qua hominem dicimus esse: Atqui oratio vera, vt res sit nullo pacto est causa; res tamen aliqua ex parte causa videtur, vt sit oratio vera.* Non dubitari potest in hoc exemplo extrema non dici ad conuertentiam, res enim, quæ causa est veritatis, connexionem non habet cum veritate, quæ est illius effectus, non enim infertur est homo: ergo est veritas propositionis, quâ dicitur hominem esse, quia homo potest existere nullâ propositione existente, in quo casu erit homo, & non erit propositio vera: veritas autem cuius est causa homo existens, necessariò infert hominis existentiam, & hæc est recta illatio, hæc propositio *homo existit*, est vera: ergo homo existit: hæc antem non ita: homo existit: ergo datur aliqua propositio vera cuius ipse sit causa, quia potest existere homo nullâ propositione verâ, vel falsâ existente. Vnum in hac re verum est propter quod videntur aliquo modo dici ad conuertentiam hæc extrema, etsi verè non conuertantur, quod Arist. in prædictis verbis insinuat, & ex quo fundamentum desumpsit ad affirmandum, hæc extrema conuerti non absolutè, sed ex suppositione, vt iam explico, quod non est contra prioritatem causæ respectu effectus. Asserit Aristoteles rectè inferri esse hominem ad orationem de ipso veram, hoc est rectè valere, hæc oratio est vera, *homo existit*: ergo existit homo. Postea subdit rationem propter quam hæc illatio mutua videatur: *Nam si sit homo vera est oratio, quæ de ipso profertur*, expendas quæso illa verba, *quæ de ipso profertur*, quæ non imprudens addit Aristoteles, qui non dixit: si sit homo, vera est oratio; quia hæc est inepta consequentia, est homo: ergo est oratio vera: sed dixit: *Nam si sit homo, vera est oratio quæ de ipso profertur.* Ac si diceret, si est homo vera erit oratio, quæ de ipso proferatur; clariùs, si sit homo, ex suppositione, quod esse de illo proferatur, oratio vera erit, implicat enim existente homine, me proferre hanc orationem, *homo existit*, & illam veram non esse, ac proinde mutuò dicuntur, hæc propositio est vera *homo existit*; ergo verè existit homo: Similiter homo existit: ergo hæc propositio quam ego modò profero, *homo existit*, vera est. In quo sensu extrema hæc ad conuertentiam dicuntur, quod declarat Aristoteles prædicto testimonio, sempérque integra remanet illius doctrina, quia veritas propositionis, quæ est effectus obiecti, nullâ suppositione facta infert obiectum, obiectum autem quod est causa, nullâ suppositione factâ, veritatem non infert, vt patet in exemplo adducto.

Cæterùm contra hanc doctrinam ita nonnulli obiiciunt: ex parte illius, quod prius dicitur, vel tantùm sumitur actus primus secundùm se, vel actus primus cum actione: si sumitur actus primus cum actione, quatenus dicit hoc concretum *causans*, non potest esse sine effectu, si sumitur actus primus secundùm se, sicuti actus primus secundùm se potest esse sine effectu, ita effectus secundùm se potest esse sine illo, quo posterior est, quia poterat dependere ab alio per aliam actionem, & non esse posterior hoc actu primo: ergo non est consequentia de effectu ad causam, quæ non sit ex causa ad effectum, cùm neutra entitas secundùm se alteram inferat, & sicuti effectus causalitati adiunctus infert causam, ita causa adiuncta causalitati infert effectum. Respondeo facta comparatione cum causa in actu primo existente, omni actione seclusâ cum effectu nudè sumpto disparem esse rationem, quia causa posita in actu primo potest esse sine aliquo effectu, & ita illud esse quod habet in illo primo habet independenter ab omni effectu, ita vt verum non sit dicere, hæc causa in actu primo existit ex vi huius effectus, quo ablato non existeret. Effectus verò in instanti in quo existit eo ipso quod existat affixus est alicui actioni determinatæ, quia etiamsi hæc vel illa illi sufficeret, eo ipso quod existit vnam determinatam habet, ex vi cuius existit, & quâ deficiente deficeret effectus, mediâ quâ affixus est huic actui primo, quia illa actio, ex vi cuius existit ex natura sua est determinatè affixa huic actui primo, & ita verum est de effectu, qui modò existit dependens ab hac actione per se affixa huic principio, non solùm secundùm causalitatem, sed etiam secundùm se defecturum deficiente hoc principio, dummodo aliud non superueniret; de causa verò numquam est verum dicere, deficiente hoc effectu, seu hac causalitate deficeret causa, nullo alio superueniente effectu. Verum est, me non posse modò inferre ex existentia effectus nudè sumpti existentiam huius numero causæ; qui nescio ex vi cuius causalitatis existit, quæ immediatè mihi causam demonstrat, in re tamen effectus ipse, etsi non per suam entitatem, per causalitatem, quam de facto habet, est affixus huic causæ, itavt sine illa non existeret; causa verò, etsi de facto per causalitatem coniungatur cum effectu, ita coniungitur, vt illo deficiente eodem modo existeret, etiamsi nullus alius succederet effectus.

Cæterùm hucvsque nondum dictum est, per quid constituatur causa prior effectu: licet enim actus primus, qui sine secundo esse potest, denominetur prior naturâ respectu actus secundi, vt dictum est, tamen non dicitur prior naturâ per suammet entitatem, vt patet ex ipsa ratione actus primi, seu subiecti, quod denominatur prius naturâ, quod potest esse sine effectu: ergo potest esse sine illo, quod est posterius: ergo potest non esse prius, quia sine posteriori existenti saltem in signo sequenti non potest existere prius formaliter vt prius: ergo actus primus, qui formaliter denominatur prior naturâ, in ratione prioris constituitur per causalitatem per quam constituitur formaliter causans, & per eamdem indiuisibiliter effectus constituitur posterior. Sicut enim per eamdem constituitur ignis producens calorem, & calor productus ab igne, ita per eamdem constituitur ignis prior naturâ calore, & calor posterior naturâ igne, quia conceptus prioris naturâ est conceptus causantis, & conceptus posterioris est conceptus causati: itaque duo dicit entitas, quæ est prior naturâ, seu subiectum, seu actus primus, qui denominatur prior naturâ; posse existere sine illo, respectu cuius prior dicitur, & esse causam illius: primum habet actus primus, ratione sui, quia per se est independens ab omni effectu producendo; secundum per actionem superadditam, ex vi cuius constituitur effectus existens. Similes

militer in effectu aliud est actu dependere, & effici ab illo, quo posterior est aliud non posse esse sine illo: Dependere actu habet per causalitatem superadditam, non posse existere sine hac causa determinata, ex eo quod de facto terminet hanc causalitatem, & non aliam, quod similiter dicit causalitatem superadditam, habet tamen ex se, & per suam intrinsecam entitatē non posse existere sine hac, vel illa, quia ita intrinsecè petit dependere ab aliqua causa vt implicet existere sine vlla dependentia.

Concludo ex his actum primum secundùm se non esse priorem naturâ, sed per actionem superadditam, quæ ab illo potest saltem supernaturaliter separari. Infero similiter effectum secundùm suam entitatem non esse posteriorem naturâ, sed per eâdem causalitatem, per quam dependet ab agente, quia vt modò dicebam per eamdem entitatem constituitur causa prior, & effectus posterior, habet tamen effectus per suam naturam, ita exigere dependere ab aliqua causa, quâ sit posterior, vt implicet existere sine aliqua dependētia illi superadditâ. Hæc de effectibus, qui dependent per actionem interiectam; illi verò qui immediatè dependent per suas entitates absque vllâ mediâ actione per suas entitates formaliter nullo alio superaddito constituuntur posteriores certâ, & determinatâ causâ, à qua per se dependent. Infero similiter actionem quâ dependet effectus à causa non esse priorem effectu, quia sine effectu existere non potest, sed intrinsecè per suam entitatem ita est connexa cum effectu, vt non possit neque diuinitùs esse sine illo. Rursus infero primam personam Trinitatis non esse priorem natura Filio, quia non est causa illius, vt probaui Puncto 1. neque me accuses circulū committere, ego enim non probaui, Patrem non esse causam Filij, quia non est prior naturâ illo, vt aliqui probant, sed iam aliunde firmum suppono, non esse causam, ex quo infero non esse priorem, quia prioritas naturæ essentialiter dicit causalitatem, & supponit virtutem causatiuam. Deinde Pater non potest dici prior Filio, quia adhuc vt principium productiuum Filij existere non potest sine Filio, similiter principium productiuū non distinguitur ab actuali productione actiua, & sicuti productio non potest esse prior naturâ propter rationem dictam; ita neque principium cum illa identificatum. Adde in multorum sententia, primam personam formaliter constitui per generationem actualem, & ita neque formaliter datur principium productiuum Filij distinctum ab ipsa productione actuali. Infero vltimò: Actum primum formaliter, vt priorem naturâ effectu non posse separari ab illo, quia formaliter vt prior includit causalitatem inseparabilem ab effectu, respectu effectus, qui non dependet, mediâ causalitate distincta, includit ipsum effectum.

6 Hæc de prioritate *in quo*, quam prioritatem *naturæ* Philosophi appellant. Aliam prioritatem assignant Doctores, quam vocant prioritatem *à quo*, quæ non dicit necessariò causalitatem neque illam excludit. Prius *à quo* dicitur illud à quo aliud siue natura, siue suppositò distinctum trahit originem, illud verò quod originem trahit, posterius *à quo* dici solet. Hac ratione, Pater dicitur prior prioritate originis Filio, & hic eadem ratione posterior dicitur, quia pater filium producit, & filius productus dicitur à patre. Eadem ratione omnis causa prior est effectu, & omnis effectus posterior causa; valet enim, est prius natura: ergo origine; non tamen è contrà, quia prioritas naturæ & *in quo*, suprà prioritatem originis, & *à quo*, dicit veram causalitatem, quam non includit præcisè prioritas originis seu prioritas *in quo*. De actione dissentiunt Doctores. An prior dicenda sit effectu prioritate originis, affirmant aliqui à paritate generationis actiuæ, quæ est prior origine termino genito, & qua effectus verè dicitur esse ab actione. Negant alij existimantes effectum non esse ab actione sed à causa mediâ actione: & disparitatem reddunt ad exemplum adductum, ex eo quod generatio actiua non distinguitur à principio producente Verbum, cuius est generatio, actio verò procedens à causa distinguitur à principio producente effectum. Res est parui momenti, assentior huic dicendi modo.

§. II.

Argumenta soluta.

7 OBiicies, ad probandum non omnem actum primum posse esse sine effectu, ac proinde non omnem causam priorem natura adhuc materialiter sumptam sine effectu esse posse. Ex parte actus primi respectu cuiusuis effectus supponitur actus voluntatis, quo Deus vult illam producere; sed posito hoc actu non potest esse actus secundus: ergo posito actu primo valet consequentia ad actum secundum. Ne recurras ad effectum, qui ratione libertatis, vel impedimenti creati potuit non coniungi cum actu primo, quia tantùm supponebat decretum virtuale, vel decretum producendi effectum dependenter à libertate causæ creatæ; conficio argumentum in actu primo, qui supponitur ad creationem Angeli: creatio Angeli supponit ex parte actus primi decretum absolutum, & efficax creandi Angelum: sed supposito hoc decreto non potest non Angelus creari, quia est decretum absolutum, & efficax independens ab aliquo, quod possit impedire creationem Angeli, quæ nullam entitatem habet in rerum natura secum incompossibilem, quod decretum non minorem connexionem habet cum creatione Angeli, quàm ipsa creatio cum termino? ergo hic actus primus inseparabilis est ab effectu, etiam per intellectum, quia non possumus concipere decretum efficax Dei sine effectu, quem Deus per tale decretum intendit producere: ergo datur actu primus à quo valeat consequentia ad effectum: ergo cùm postea huic actui primo aduenit actio, non constituit prior natura, quia de ratione illius, quod est prius natura, est, vt ex illo non valeat consequentia ad illud, quod est posterius. Respondeo totum actum primum, qui supponitur ad creationem Angeli quatenus dicit omnipotentiam, & decretum illud efficax, posse, & de facto separari ab Angelo non pro illo instanti pro quo Deus decreuit creare Angelum, sed per totam æternitatem præcedentem; omnipotentia enim, & decretum ex vi quorum Angelus in tempore fuit creatus extitère ab æterno sine creatione Angeli; actiò verò productiua effectus pro nullo instanti potest existere non existente effectu, & ideo connexio, quam habet actio cum effectu opponitur cum prioritate naturæ, non verò connexio, quam habet decretum cum effectu. Dices omnipotentiam cum tali decreto creandi Angelum in instanti *A*, non esse actum primum ad creationem faciendam in æternitate, seu in aliquo instanti præcedenti instans *A*, ac proinde hunc actum primum non posse existere in illa mensura, pro qua est actus primus sine effectu. Concedo, decretum non posse existere in mensura, pro qua est actus primus, id est, pro qua ex vi illius decernitur effectus sine effectu, nihilominus verum est totum actum primum secundùm se præcessisse in æternitate sine effectu, ac proinde non valet consequentia, est actus primus ad producendum Angelum in instanti *A*: ergo est Angelus productus. Sed necessum est adiungi aliam præmissam, videlicet, est actus primus creandi Angelum in instanti *A*, & instans *A* est iam præsens: & tunc legitimè infertur: ergo existit Angelus.

Instabis: supponamus Deum decreuisse creare Angelum ab æterno, & perpetuò illum conseruare. Decretum, quo decerneretur talis creatio semper connecteretur cum effectu: ergo non posset esse priùs naturâ illo, ergo actus primus huius Angeli non esset prior natura illo. Respondeo decretum creandi Angelum ab æterno, & perpetuò illum conseruandi, esse actum primū substantiæ Angeli, & infinitarum durationū, quas per totam æternitatem haberet, quæ omnes essent actus secundus adæquatus respectu illius, à quo actu secundo adæquato actus primus de facto separaretur, quia numquā illi toti simul coëxisteret, sed successiuè in singulis instantibus, singulis partibus illius actus adæquati, hoc est, singulis durationibus, & dū huic coëxisteret, esse sine omnibus aliis. Et ita à quacumque illarum singulariter sumpta per æternitatem à parte ante, & à parte post separaretur, quia tantùm illi coëxisteret per vnicum instans, in quo existeret illa duratio, & ita ex existentia actus primi non posse inferri existentiam totius actus adæquati, qui numquā simul existeret, neque existentiam huius partis in particulari, quia hæc tantùm existeret in vnico instanti, & actus primus illius per totam æternitatem duraret. Quod si substantia Angeli semper coëxisteret actui primo, seu decreto, quo produceretur, ideo esset, quia decretū esset actus primus substātiæ Angelicæ, ex eo enim quod sit decretum efficax circa substantiā Angeli, tantum infertur Angelum esse futurum in aliqua differentia temporis, non verò per totam æternitatem, sed ex eo, quod esset actus primus durationum correspondentium omnibus

temporis instantibus, quarum quælibet supponit, vel constituit Angelum præsentem in certo instanti temporis, & ita ratione decreti durationũ, seu actus primi durationum Angelus debet esse existens in omni tempore, & consequenter coëxistere cuicumque entitati in quacumque differentia temporis, & hac ratione coëxistit decreto, quo decernitur illius substantia, quatenus est decretum, seu actus primus durationum.

9 Instabis: Duratio non distinguitur à re durante: ergo decretũ, quod est actus primus substantiæ Angelicæ durantis, & quod est actus primus durationis adhuc ex parte obiecti nõ respicit duo, entitatem & durationẽ, nec est actus primus duorum: ergo malè distinguimus actum primum Angeli per æternitatem durantis, quantenus respicit substantiam Angelicam, & quatenus respicit durationem? Respondeo durationem non distingui intrinsecè à re durante, distingui tamen extrinsecè per aliquod extrinsecum quod connotat entitas durans, quod extrinsecum respicit decretum producẽdi Angelum durantem: diuersum enim est decretum, quo Deus decernit creare Angelum durantem ab æterno, à decreto, quo decernit illum in tempore creare, & diuersum obiectum respicit, etiamsi inspiciat eamdem substantiam Angeli.

10 Aliter responderi posset eamdem entitatem decreti secundùm totum id quod dicit entitatiuum futuram esse, etiamsi Deus non decreuisset producere Angelum, in quo casu licet non esset illud decretum secundùm formalitatem decreti, & esset secundùm entitatẽ, esset id, quod modò est actus primus Angeli, etsi non esset vt actus primus, & decretum efficax producendi Angelum, ex quo infertur actum primum Angeli secundùm suam entitatem non habere connexionem cum Angelo, quia eadem entitas quæ modò est decretum, & eadem omnipotentia in quibus cõsistit actus primus adæquatus Angeli producendi existerent, etiamsi Deus non decreuisset creare Angelũ, in quo casu existente toto actu primo secundùm entitatem, etsi non secundùm formalitatẽ, non existeret Angelus. Ex quo infertur non valere consequentiam ex entitate, quæ est actus primus Angeli ad ipsum Angelum existentem, quod sufficit ad prioritatem naturæ. Alij affimant decretum efficax vt efficax constitui per effectum, & non supponi ad illum, & ita decretum efficax non se tenere ex parte actus primi, iuxta quorum doctrinam ratione decreti numquam valebit consequentia de actu primo ad actum secundum. Legatur P. Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 80. cap. 2. & P. Herice disp. 16. cap. 9.

11 Obiicies secundò: Etiãsi fingamus per impossibile Deum esse causam necessariam effectus, non sequeretur Deum non esse priorẽ naturâ effectu, & nihilominus mutuò valeret consequentia, est effectus; ergo est causa: est causa, ergo est effectus, ergo non est de ratione prioris & posterioris naturâ non dici ad conuertentiã. Respondeo adhuc in hoc casu diuerso modo inferri effectum ex causa, quàm causa ex effectu, quia in. infertur effectus ex causa, vt si per impossibile fingeremus causam deficere per locum intrinsecum, sequeretur effectum defecturum esse, si tamen fingeremus per impossibile effectum, quem necessariò Deus erat producturus per accidens deficere, ex defectu per locum intrinsecum non inferretur defectus causæ, quod sufficit ad prioritatem naturæ, ad quam tantùm requirit Aristoteles, vt illa quæ sunt priora, ita sint, vt datâ negatione posterioris ex hac non inferatur per locum intrinsecum negatio prioris, sicuti datâ negatione prioris infertur per locum intrinsecum negatio posterioris, quod intendit Arist. per illa verba: *Alia autem natura priora, quæ huiusmodi sunt, vt sine aliis esse possint, non item sine illis alia*, casu autem quo Deus operaretur necessariò, etiam ex se posset esse sine effectu, quia si rursus fictioni fictio addatur, quâ dicamus actionem Dei necessariò operantis impediri, non sequeretur per locum intrinsecum Deum non extiturum, sicuti modò non sequitur ignem necessariò calefacientem non existere ex eo, quod non operetur.

12 Obiicies contra conclusionem, quâ diximus actionem non esse priorem naturâ effectu. Actio constituit actum primum priorem naturâ: ergo ipsa est prior naturâ, quia id quod est prius naturâ, non potest aliud tale constituere. Insto, actio constituit effectum posteriorem naturâ: ergo est posterior naturâ. Vrgeo in effectibus, qui per se ipsos ab agente procedunt: nullâ interiectâ actione, actus primus constituitur prior natura effectu per ipsum effectum: ergo effectus ipse est prior naturâ se ipso. Vide quàm rectè arguas. Respondeo actum primum constitui priorem per actionem, quæ non debet esse prior sicuti mea duratio hodierna constituitur prior per durationem craſtinam, quæ non est prior, sed posterior. Et ego sum posterior Adamo per meam durationem, & durationem Adami, quæ non est me posterior. Instabis, actus primus in illo signo, in quo præcedit illud, quod est posterius, est prior naturâ: ergo in illo signo debet habere id per quod constituitur prior: ergo in illo signo debet esse actio. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia actus primus constituitur prior per illud, quod non est in illo signo, sed in alio posteriori, sicuti duratio hodierna constituitur in hac mensura prior craſtinâ per durationem craſtinã, quæ non est in hac mensura, sed in alia ventura, quæsi in hac mensura esset, non constitueret priorem durationem hodiernam, id enim quod est prius, formaliter constituitur tale, per id, quod est posterius, quod essentialiter est in alio signo; illa enim quæ sunt in eodem signo, non possunt inter se seruare ordinem prioris & posterioris.

Obiicies vltimò: Si daretur virtus productiua identificata cum actione, virtus illa esset prior naturâ effectu: ergo actio identificata cum illa haberet eãdem prioritatem. Respondeo repugnare talem virtutem in creaturis, & in Deo respectu effectus ad extra producendi, vt probo Controu. 12. Punct. 1. 13

§. III.

Nonnulla de prioritate expediuntur.

SAtis nota est ex dictis distinctio inter illa, quæ sunt 1 naturâ priora, & priora tempore, solùm hic noro prioritatem naturæ importare necessariò coëxistentiam temporis in illo instanti in quo principium est prius naturâ, & effectus posterior, quia nihil potest influere in instãti temporis in quo non est, & in quo non sit illud in quod influit, influxus enim per quem principiũ formaliter constituitur prius, & effectus posterior, essentialiter est affixus vtrique extremo, & connotat existentiam vtriusque in instãti temporis, in quo ipse est, ex quo fit principium, & effectum debere tempore coëxistere vni tertio, scilicet influxui, & consequenter debere inter se coëxistere, cum hoc tamen non opponitur principium tempore præcessisse effectum, in quo non fuerit prius illo, Petrus enim prior est tempore filio, quem genuit, licet per se causa non requirat hanc proprietatem, essentia enim in primo instanti, in quo est, suas passiones producit, hæc tantùm est legitima consequentia in omni causa. Hoc principium actu est prius naturâ effectu; ergo est simul tempore cum effectu, siue simul cum illo, vel antea inceperit esse.

Dixi influxum constituere principium, à quo procedit 2 prius naturâ, ex quo inferes id tantùm esse prius naturâ, quod est principium, à quo influxus procedit, vel tanquam à causa, vel tanquam à conditione prærequisitâ. Ex hoc infertur in prioritate naturæ, neque esse effectum, neque negationem effectus, quia effectus neque depẽdet à se, neque à negatione sui, neque effectus, neque negatio effectus influit in ipsum effectum. Ex his deprehendes æquiuocationem ad quam multi offendunt sic arguentes: effectus non est in priori naturâ: ergo est negatio effectus, quia inter effectum, & negationem effectus non est medium. Explico hanc argumentationem, effectus non influit in se ipsum: ergo influit illius negatio, quia inter effectum, & negationem illius non est medium. Inepta argumentatio, eadem tamen cum præcedenti, influere enim idem est quod esse prius naturâ, & idem est dicere, negatio est in illo priori naturæ, quod supponitur ad effectum; ac dicere, negatio est prior naturâ effectu, & negatio influit in effectum. Ad illud quod dicitur de immediata oppositione contradictoriarum, Respondeo non opponi immediatè contradictoriè hæc extrema, *effectus est in priori naturæ*, & *negatio effectus est in priori naturæ*, quia propositiones istæ cum his conuertuntur, *effectus est causa*, & *negatio effectus est causa*, & omnes sunt falsæ, quia neque effectus, neque negatio effectus est causa ipsius, sed entitas positiua, à qua dependet, sicuti nec albedo, neque negatio albedinis in musico est causæ musicæ, sed tantùm homo. Contradictorium huius propositionis *effectus est prior natura*, est hæc propositio *effectus non est prior natura*, quarum hæc est vera, & illa falsa. Neque negandum est in priori naturæ

naturæ effectum non esse,sed absolutè dicendum in priori naturæ, quod supponitur ad effectum, effectum non esse, quia sicuti verum est dicere, effectus non est causa sui ipsius, ita verum est dicere effectus non est prior naturâ se ipso, & effectus non est in illo priori, quod supponitur ad effectum, quia hæ propositiones omnes habent eamdem omnino significationem,ex quo inferes manifestè decipi, qui dicunt in illo priori,quod supponitur ad effectum,neque esse,nec non esse effectum, per secundam enim propositionem retractant,quod per priorem dixerant. Secunda enim propositio tantùm addit negationem quandam supra priorem.Attendas quæso quòd prior propositio erat, *neque est effectus*; secunda *neque non est effectus*, quæ tantùm differt à prima per negationem præpositam, per quam sit prioris contradictoria,ac proinde,qui vtramque affirmat, duplex defendit contradictorium, dixerat enim per primam propositionem effectum non esse in illo signo,& postea id ipsum negat.

15 Sed adhuc instabis: Effectus, & negatio effectus sunt extrema contradictoria: sed ex duobus extremis contradictoriis alterum eorum debet esse in quocumque signo, ergo ex his extremis alterum eorum debet esse in signo naturæ,quod supponitur ad effectum.Concedo maiorem, & nego minorem, aliud enim est de quocumque in quocumque statu existenti debere verificari vnam ex duobus propositionibus contradictoriis, quod verum est, aliud vnum ex extremis contradictoriis debere esse in quocumque signo, quod est falsum, quia etsi nullum sit medium inter hoc quod est esse album,& non esse album,effectum esse in signo naturæ, & effectum non esse in signo naturæ: negationem esse in signo naturæ; & negationem non esse in signo naturæ: & ita harum propositionum, altera debet esse vera, datur tamen maximum medium inter hæc extrema, *effectus est in signo naturæ*, & *negatio effectus est in signo naturæ*, vt iam probaui, extrema enim contradictoria tantùm immediatè inter se opponuntur in ordine ad existendum,& non existendum in rerum natura, ita vt vera sit hæc consequentia, *homo non est in rerum natura: ergo negatio hominis est in rerum natura*, non tamen in ordine ad causalitatem, vel ad alia prædicata illis superaddita, in ordine ad quæ definunt esse contradictoria. Rem clarè cernes de eisdem extremis in ordine ad idem spatium cõsideratis:mea existentia, & negatio meæ existentiæ contradictoriè opponuntur: modò dum Compluti existo, verum est dicere meam existentiam non esse Romæ, falsum autem est negationem meæ existentiæ esse Romæ, quia dum ego existo Compluti, non est negatio meæ existentiæ in rerum natura, ac proinde non est Romæ, id enim quod non est,nullibi est. Non ergo sequitur in illo priori esse negationem effectus.Fateor tunc verum esse dari negationem præsentiæ, quâ mea existentia fiat præsens Romæ, in hoc tamen non tenet paritas exempli adducti,quia illa, quæ sunt priùs naturâ non dicuntur esse in signo aliquo, sicut dicuntur entia realia esse in loco, quia esse in loco, dicit præsentiam superadditam, qua locatum loco correspondet, esse autem in signo non dicit correspondentiam ad aliquod extremum, sed esse entitates à quibus fluat influxus,qui non in illo signo,sed in alio dicetur esse, ac proinde actus primus adæquatus,qui dicitur esse in signo naturæ, in illo signo in quo est, nihil intrinsecum neq; extrinsecũ importat existens in illo signo supra suam entitatem, constituitur enim formaliter prior per influxum existentẽ in alio signo posteriori, quem quasi ex priori cõnotat actus primus,qui prior naturâ dicetur.

Punctum IV.

Quomodo existentia causæ supponatur ad effectum.

1 Dvplex definienda difficultas est in præsenti: Prima est an ad causandum requiratur entitas actu existens, vel sufficiat immediatè præcessisse: Secunda quomodo existentia requisita in instanti in quo effectus producitur, vel tantùm in immediatè præcedenti supponatur ad effectum. Prima mihi leuissima est, res enim est manifestâ experientia comperta rem non existentem non operari, quis enim vidit extinctum ignem lucem producere? quisue leonem mortuum timuit impetentem aliúmve effectum à causa non existenti producentem vidit? ratio ipsa manifestè ostendit:id quod non existit non habet esse: ergo non potest alteri entitati esse,seu entitatem tribuere. Deinde causalitas quâ effectus dependet à causa est modus per se immediatus affixus causæ physicæ:ergo non potest existere sine illa,modus enim existere non potest sine re cuius est modus.

2 Occurrunt Thomistæ, qui defendunt rem sine existentia posse operari in instanti, in quo primò non est immediato suæ existentiæ,& dicunt sufficere immediatè antea causam habuisse esse, vt illud tribuat effectui, & immediatè præcessisse rem in instanti antecedenti, vt in hoc possit esse modus illius. Contra: Id quod præcessit æquè non est, & æquè non habet esse in primo instanti, in quo non habet esse, ac in vlterioribus: ergo si in vlterioribus operari non potest,neque in primo in quo non est, poterit operari, vel si in primo potest, poterit etiam in vlterioribus. Idem infero de modo,qui si potest esse sine re in hoc instanti,in quo primò res non est,poterit etiam in sequentibus, præcessisse enim,vel non præcessisse immediatè antea nihil conducit ad dependentiam, quam hîc, & nunc habet modus à re;eodem enim modo dependet calefactio in hoc instanti à subsistantia ignis, siue calor præcesserit in instanti antecedenti, dummodo ignis hîc & nunc existat.

3 Nonnulli contra Thomistas arguunt intendentes probare corrupta forma materiali leonis posse leonem adhuc viuere saltem pro vnico instanti, quia modus vnionis potest permanere in instanti in quo primò forma,à qua tanquam modus à re dependet, & forma in instanti in quo non est,poterit causare compositionem, Thomistæ tamen hanc doctrinam ad causas intrinsecas non extendunt,quæ cùm inadæquatè identificentur cum effectu, existere debent, vt effectus existat. Neque eadem est ratio de causis extrinsecis, quæ adæquatè ab effectu distinguuntur. Similiter arguit Hurtadus disp.8.sect.5.§.112. sequi ex hac sententia hominem in instanti in quo moritur posse videre, sentire,peccare, & damnari, etiamsi in gratia decesserit. Respondebunt Thomistæ has operationes esse immanentes,& importare influxum causæ materialis illas recipientis,qui præstari nequit à causa non existenti,sed adhuc poterit Hurtadus vrgere Thomistam, argumento, quod ipse conficit §.110. Causa materialis non potest recipere in instanti in quo non est, vt constat ex hac solutione, ergo neque efficiens efficere: vel aliter, causa efficiens potest efficere in instanti, in quo non est: ergo materialis poterit etiam recipere:etiamsi hanc consequentiam deglutiret Thomistâ: illum ego ab absurdo quod infert Hurtado liberarem,quia etiamsi homo in instanti in quo moritur efficienter,& subiectiuè visionem causaret, non esset viuens, quia viuens dicit compositum ex visione & subiecto quod implicat esse non existente subiecto,sicuti suprà dixi de composito essentiali, quod forma non existente, existere non potest.

4 Obiicit Thomista: Continguitas loci sufficit ad operandum:ergo contiguitas temporis: ergo entitas poterit operari in instanti.in quo primò desinit esse.Instat:entitas potest operari in loco immediatè à parte antea,& à parte post: ergo poterit in tempore vtrinque immediato,& ita operari antequam existat, in instanti immediato illi in quo extitura est.Vrget: Causa potest operari in spatio distanti,& mediato,dummodo approximetur mediâ aliâ cõcausâ immediatâ illi spatio:ergo poterit in tempore etiam remoto,& mediato,si approximetur medio alio immediato illi tempori,& ita homo,qui immediatè fuit ante me, poterit modò mecum in hoc tempore operari, etiamsi quinquaginta ante annos decesserit. Respondeo disparem esse rationem,id enim,quod non existit in hoc loco,sed in alio absolutè existit, & habet entitatem, illud verò quod non existit in hoc tempore,etsi dicatur existere in alio absolutè non existit, & strictè loquendo dicendum non est, res existit in alio tempore,sed rem extituram esse in tempore venturo,vel extitisse in præterito.

5 Obiicit secundò Thomista: Homo moritur in hoc instanti in quo non est:ergo potest operari in instanti in quo non est. Quàm bellè! egregia operatio mors est. Argumentum explico;mori hominem in hoc instanti, est fuisse in antecedenti, & non esse in hoc: ergo idem est dicere, homo potest mori in hoc instanti, in quo non est,ac si diceres,homo qui in instanti antecedenti fuit, potest non esse in hoc instanti, in quo non est: vide ergo quomodo

ex hoc antecedenti inferatur : ergo potest operari.

6 Obiic. tertiò : Dispositiones ad formam in instanti in quo non sunt, influunt in illam : ergo potest causa operari in instanti in quo non est. Nego antecedens, & illo admisso possem distinguere consequens : ergo potest causa operari in instanti in quo non est: per influxum physicum, nego consequentiam : per influxum moralem, concedo consequentiam : influxus enim dispositionum in formam non est physicus, sed moralis.

7 Obiic. quartò : Sacramenta agunt in instanti in quo non sunt : ergo: distinguo antecedens ; physicè nego : moraliter, concedo.

8 Maior est difficultas, quomodo existentia causæ requiratur ad effectum, an videlicet requiratur, vt ratio formalis productiua effectus, vel an requiratur vt conditio tenẽs se ex parte actus primi, an tantùm vt conditio ad actum primum. Suppono, quid sit requiri tantùm ad actum primum, & quid requiri ex parte actus primi, quod explicui Puncto 2. n.8. Recole ibi dicta. In mea sententia quæ essentiam ab existentia non distinguit, res est extra totam controuersiam, existentiam non se habere vt conditionem sed vt rationem formalem ad effectum producendum, eodem enim modo supponitur ad calefactionem substantia ignis, & existentia cum illa identificata: sed substantia ignis supponitur vt virtus formaliter productiua : ergo existentia eodem modo supponitur. In opinione quæ essentiam ab existentia distinguit, statutum est apud illius sectatores existentiam se habere tanquam conditionẽ, quia existentia est modus, qui in sua virtute non continet substantiam aliam eiusdem rationis cum illa, quæ producitur, v.g. existentia ignis *A*, qui est modus quidam imperfectior substantiâ ignis, cuius est modus, non potest in virtute continere substantiã ignis *B*, æquè perfectam cum substãtia ignis *A*; & consequenter perfectiorem modo existentiali ignis *A*, imperfectiore igne *A*, cuius est modus.

9 Cæterùm ego duplicem opinionem inuenio distinguentem essentiam ab existentia ; quædam asserit essentias esse ab æterno, & per productionem, seu generationem rei produci tantùm existentiam afficientem essentiam, quæ iam ab æterno supponebatur. Dura sanè cogitatio, quæ meâ sententiâ toto cœlo à veritate aberrat, illius tamen authores dabo in Metaph. Controu. 1. & 2. Alij mitiùs philosophantur asserentes essentiam, & existentiam inter se distinctas simul produci, & per eandem actionem essentiam recipere suum esse actuale, quod tunc incipit esse, adhuc vt distinctum ab existentia, & quatenus ab illa distinctum habet esse actuale, quod per existentiam distinctam sine qua esse non potest constituitur formaliter existens, iuxta hanc duplicem sententiam, duplicem modum philosophandi exponam. Secundùm priorem dicendi modum ex his, quos modò retuli, rationem non inuenio cur existentia ignis producentis non sit tota ratio productiua caloris, vel ignis ab alio igne producto, imò verisimilius videtur ab illa tantùm procedere actionem terminatam ad effectum, quod sic suadeo. Cùm producitur ignis *B*, tantũ producitur secundùm illum dicendi modum existentia illius: ergo poterit produci ab existentia ignis *A*, quin ignis *A*, qui dicitur producens concurrat per suam essentiam ad producendam existentiam ignis *B*, qui dicitur productus; rectè enim intelligitur existentia ignis *B*, producta ab existentia ignis *A*, & necessarium non est hanc ab essentia ignis *B*, immediatè produci, neque necessarius est influxus procedens ab essentia ignis *A*, ad producendam essentiam ignis *B*, quæ secundum hanc sententiam iam præcessit ab æterno, & non existit in tempore : ergo ex nullo capite necessarius est influxus procedens ab essentia ignis *A*, nec requiritur, vt producatur essentia ignis *B*, quæ iam supponitur, sed vt producatur existentia, quæ sufficienter ab alia existentia procedit. Rursus in omnium sententia productio ignis ab alio igne est à causa vniuoca, sed illius terminus est existentia ignis producti & non essentia : ergo principium quod debet esse eiusdem speciei cum termino producto debet esse existentia, & non essentia aliùs ignis; existentia enim huiusignis eiusdem speciei est cum alia existentia, & non cum essentia aliùs ignis. Concludo iuxta principia huius sententiæ maiori consequentiâ dictum iri existentiam esse rationem formalem producendi quàm esse conditionem; & essentiam ignis tantùm conducere ad producendum alium ignem tanquã quid prærequisitũ, vt sit illius existentia, quæ est tota ratio formalis producendi. Existimo tamen melius esse consequentiam ad principia adeò difficilia non seruare, quàm id asserere, quapropter hæc dicta sint, non vt probem existentiam esse virtutem formaliter operatiuam, sed vt ad hoc absurdum traham illos, qui modum illum dicendi amplectuntur, & ex illo incipiat impugnatio huius sententiæ, quam latiùs loco citato exhibebo.

Iuxta alium dicendi modum asserentem essentiam produci simul cum existentia censeo hanc conditionem dicendam esse, & non rationem formalem propter rationẽ, quam tetigi, esse tamen conditionem, certum est, quia sine existentia non potest dari essentia, seu esse actuale, à quo tanquam à potentia formali dependeat effectus. Sed adhuc quæstio, An sit conditio se tenens ex parte actus primi. Sentio satis consequenter dici posse, non esse conditionem tenentem se ex parte actus primi, sed tantùm requiri vt detur illud esse actuale, & tantùm dependere effectum ab existentia causæ quatenus essentia dependet ab existentia, sine qua esse non potest, & sicuti essentia non dependet à priori ab existentia, ita neque effectus dependet à priori ab existentia causæ, neque tanquam ab aliquo quod se teneat ex parte actus primi ; neque necessum est dici effectum dependere ab esse actuali, quod essentia dicitur, quatenus existenti, sed dependere ab illo, quod sine existentia esse non potest. Neque rationem aliquam reperio, quæ suadeat existentiam requiri ex parte actus primi, adhuc vt conditionem ad effectum. Hæc dixisse sufficiat iuxta principia omnino à veritate aliena, iuxta quæ dum consequentiùs loquemur, in maiora incidemus absurda. 10

Acriter contra me insurgit nouus Complutensis Thomista, quia Thomistæ nomine retuli celebre illud argumentum, homo in instanti, in quo non est moritur : *Ergo in instanti, in quo non est operatur*, asseritque debuisse referre Thomistam, in quo fictionem hanc legerim, & cùm nullum possem, debuissem à lectionibus abstinere, & non argumentum fingere, quod irrideant. Fictionis calumniam facillimè à me excutiam, & obligationi satisfaciam, quam in me agnoscit modernus iste designandi Thomistam, in quo prædictum argumentum legerim. Cauezudo tom.1. in 3.parte quæst.6. art.1.pag.80. colum.1.vbi docet Sacramenta in instanti, in quo primo non sunt causare gratiam, respondens ad argumenta opposita apponit exempla ad solutionem confirmandam, primò in dispositionibus antecedentibus introductionem formæ, deinde subiungit ; *est etiam appositum exemplum in morte viuentium, res enim certa est, quod non moriuntur, nisi viuentia ; tamen in instanti mortis iam viuens non est, non viuit, sed sufficit, quòd vixerit toto tempore antecedenti, vnde in illo instanti dicitur esse sufficienter, cùm verè dicatur mori, cùm tamen in alio instanti non verè dicatur mori, licèt fuerit viuens ; mori autem mutatio physica est realis.* En argumentum quod Thomistæ nomine retuli apud Cauezudum expressum. Quis ergo finget, ego, qui argumentum refero ea ratione, quâ apud Cauezudum inuenio, vel qui dicit me hoc argumentum finxisse vt illud crederent? sciunt omnes argumenta ista longè illustriora apud Cauezudum reperiri, & referunt adolescentes, qui vix prima scholarum limina salutarunt. Hoc vnum Thomistam in hac Complutensi Vniuersitate Theologiæ Cathedræ moderatorem ignorare quis credet? Difficiliùs tamen mihi persuasum erit ipsum scientem hoc argumentum apud Cauezudum reperiri illius fictionem mihi imposuisse. Hoc vnum scio, quod si Cauezudum in hac parte non legerat, legisse debuerat, ne temere aliis fictionem imponeret. 11 *Prad.1.part. Controu.3. art.1.n.15.*

Subdit immediatè contra illos inferri hominem in instanti, in quo moritur, posse videre, sentire, & peccare. Respondit; hoc argumentum contra illos non procedere, quia ipsi non loquuntur de causis intrinsecis, nec de actionibus immanẽtibus, dum asserunt causam posse operari in instanti, in quo non est. Eandem solutionem pro Thomistis dedi immediatè antequam argumentum Cauezudi referrem, ex quo posset Recentior iste agnoscere, quàm longè absim ab argumentis fingendis, quæ Thomistis imputem, cùm solutionem adducam argumentis contra illos adductis in eadem materia, in qua ille mihi fictionem imponit. Nec debuisset iste argumentum, quod pro Thomistis dissoluo, & reiicio immediatè post me citatum referre vt omnes, qui apud illum tale argumentum relatum legerint absque hæsitatione sibi persuadeant, me eo argumento contra Thomistas vti. 12

PVNCTVM

PVNCTVM V.

An causa remota, sit vera & propria causa.

1 CAusam remotam vocamus illam à qua medio effectu, quem ipsa proximè produxit, effectus alius procedit v. g. produxit ignis calorem in se, hic calor calorem alium producit, ad quem immediatè ignis non concurrit, calor à calore productus effectus remotus dicitur ignis producentis calorem in se. Ex quo inferes Deum, qui aliàs est causa proxima omnium creaturarum, in quas immediatè influit, esse simul causam remotam illarum, quæ ab aliqua causa creata producuntur, quatenus influit in creaturam producentem aliquem effectum, exempli gratia: Producit Deus ignem, ignis producit calorem: quatenus Deus immediatè cum igne concurrit ad producendum calorem, est causa proxima illius; quatenus produxit ignem, à quo calor producitur dicitur causa remota caloris.

2 Communis loquendi modus causas remotas simpliciter causas appellat, neque de hac re distinctè antiqui quæstionem instituêre. Hurtad. disput. 8. sect. 4. multis intendit probare causam remotam non esse propriè causam, neque dicendam esse causam per se. Arriaga disp. 7. sect. 4. asserit quæstionem hanc de nomine, in re enim siue dicatur causam remotam esse veram causam & per se influere, siue dicatur non esse propriè causam, & influere per accidens, idem omnino influxus illi est concedendus, neque noua causalitas conceditur, aut negatur, omnes enim admittunt causam remotam influere immediatè, & per se in proximam, & hanc in effectum, & nullus causæ remotæ influxum aliquem præbet præter illum, quem præstat circa suum proximum effectum influentem in alium, cuius causa dicitur. Fateor rem ita se habere, neque in hoc posse aliquod esse discrimen in re, existimo tamen in præsenti multùm curandum esse de modo loquendi, tum quia debemus loqui nominibus rebus accommodatis, si enim quis diceret Petrum esse equum, & postea diceret Petrum esse animal rationale, & nullo modo esse animal hinnibile tantùm in nomine à reliquis Philosophis dissentiret, tamè hoc modo nominibus abutens ab scholis explodendus esset, omnes enim scientias, illarumque terminos perturbaret, tum etiam quia ex modo loquendi in hac re dependet solutio quæstionis non contemnendæ in Philosophia: an videlicet effectus suam causam remotâ producere possit, quod si modò assero causam remotâ tantùm esse causam per accidens, magnum robur tribuo sententiæ, affirmanti; si verò causam remotam propriam, & per se causam appellem, vires sumet negatiua sententia quæstionis iam propositæ, quia quod est per se causa, est per se prius, ac proinde non poterit esse posterius, nihil enim potest esse prius & posterius respectu eiusdem.

3 Dupliciter potest influere causa remota, primò eo modo, quo meus auus in me influxit, qui produxit meum patrem, quem postea non conseruauit, & ita, quando meus pater in me influxit, iam non dependebat à meo auo. Alio modo potest influere causa remota, actu producens, vel conseruans causam proximam, à qua illius remotus effectus proximè dependet, sicuti ignis, qui actu conseruat caloré in se, qui calorem producit in ligno. Assero causam remotam propriè, & per se physicè influere quando influit posteriori modo assignato in effectum actu influentem in aliū. Rationem huius conclusionis pro multis quæstionibus Theologicis atque Philosophicis obserua. Quotiescumque effectus dependet ab aliqua causa, ita vt non possit subsistere, illâ deficiente, quin alia suppleat vices illius, dependet ab illa tanquam à causa propriè, & per se influente. Ratio est manifesta: illud, quod ab alio, per accidens dependet, eodem modo subsistit, siue absit, siue adsit nullo vices illius supplente, vt patet in ædificio, quod per accidens pendet ab habitu Musicæ, quem habet artifex, & ita eodé modo subsistet, siue adsit habitus, siue absit, etiamsi nullus loco illius subrogetur. Deinde quia quotiescumque effectus perseuerat deficiente aliqua illius causâ, loco cuius alia substituitur, non potest inferri causam illam non esse causam propriè & per se. Aliàs ignis non esset causa propria caloris, neque Petrus generans Ioannis geniti, quia deficiente igne, qui calorem producit, & deficiente Petro, qui Ioannem genuit, remanent calor productus, & Ioannes genitus, quia Deus vt causa prima substituitur loco loco causarum primò producentium ad hos effectus conseruandos. Ex hoc principio infero ignem prodecentê calorem in se esse propriè causam respectu caloris producti in aqua à calore in igne producto, quod sic probo: deficiéte igne, qui calorem in se produxit, si alia causa loco illius non substitueretur, deficeret calor productus ab igne, quia non potest permanere sine conseruante: ergo si deficeret antiquum conseruans, & aliud non succederet, deficeret calor conseruandus, qui fuerat ab igne productus. Rursus deficiente calore producto ab igne, si non substitueretur alia causa loco illius, deficeret calor productus in ligno propter eamdem rationem: ergo de primo ad vltimum deficiente igne si alia causa non sustineretur loco illius non permaneret calor in ligno ex vi eiusdem influxus, quo ante erat productus: ergo dependebat tanquam à causa per se ab igne, sine quo, vel sine alio loco illius non potest conseruari ex vi eiusdem influxus.

Effectum, qui primo modo dependet à causa remota 4
actu non influente in proximam existimo non dependere ab illa physicè tanquam à causa propria, & per se, neque respectu huius effectus causa remota propriè potest dici causa per se, quod sic probo. Causa remota non influit physicè adhuc remotè in instanti in quo producit proximum effectum, non in instanti in quo effectus remotus producitur: ergo numquam: primam partem antecedentis sic probo: in instanti in quo causa hæc producit suum proximum effectum non existit effectus remotus, vt supponimus: ergo non potest causa in illum influere, influxus enim dicit dependentiam vnius ab alio, illud autem quod non est neque proximè, neque remotè est dependens, ego enim non poteram dici dependens, à meo auo in instanti, quo meus parens genitus fuit, in quo & multis postea annis, nondum existebam, & eram æquè indifferens ad existentiam cum multis indiuiduis, quæ ab eodem parente potuerunt procreari, & procreata non fuêre, neque maior erat ratio cur ego dicerer tunc dependens à meo auo, quàm illa indiuidua, quæ potuerunt produci à meo parente, & producta non fuêre: ratum ergo sit effectum non dependerere physicè à causa remota in instanti, in quo effectus non producitur, sed à causa proxima, à qua producendus est. Secundam partem antecedentis probo. In instanti in quo ego genitus fui à meo parente per eamdem omnino actionem, & omnino eodem modo essem productus, siue meus auus in illo instanti existeret, & numquam ex eo quod non existat, necessum est aliquam aliam causam in me influere, quæ non influeret si existeret meus auus: ergo existentia mei aui in instanti, in quo fui productus, omnino per accidens se habet ad meam productionem: ergo in illo instanti in me non influit, neque poterit dici causa per se meæ entitatis, neque proxima, neque remota, quia potest non existere, id autem quod non existit, neque remotè influit in effectum; quod si existat æquè per accidens est illius existentia ad mei productionem, ac si non esset: ergo numquam potest esse causa per se. Vna hæc est ratio conclusionis huius: effectus remotus hic & nunc æquè producetur existente, & non existente causa remota, à qua proxima hic & nunc non dependet: ergo talis causa remota omnino per accidens se habet respectu effectus.

Dixi physicè non dependere hunc effectum à causa re- 5
mota, quia sentio moraliter dependere ab illa tanquam à vera causa morali, non quatenus existente in instanti, in quo producitur effectus remotus, sed ab illa quatenus existenti in instanti, in quo causa proxima fuit producta. Rem probo, & explico: ego in hoc instanti, in quo producor, dependeo à mea causa immediata, & ab omni illo, à quo mea causa immediata in eodem instanti dependet: sed meus parens in instanti generationis, in quo ego depéndeo ab illo, depêdet moraliter ab existentia præterita mei aui, ergo eâdé dependentia, qua meus parens dependet immediatè in hoc instanti generationis, ego mediatè ab eodé dependeo. Minor tantùm indiget probatione: meus parens hic & nunc conseruatur ex eo quod fuerit antea productus à meo auo existéte, & si tunc illa productio non præcessisset, hic & nunc non conseruaretur, quia Deus hunc influxum, ex vi cuius meus parens conseruatur, substituit loco actionis præteritæ à meo auo exhibitæ: ergo si illa actio non præcessisset, non esset modò hæc conseruatio,

neque

neque meus parens existeret : ergo hic & nunc meus parens in instanti meæ generationis dependet ab actione, quæ processit à meo auo existente : non physicè, quia nihil physicè dependet ab illo, quod non est : ergo moraliter : ergo eádem dependentia, qua meus parens proximè dependet, dependeo ego remotè iuxta doctrinam traditã. Ex hoc inferes me modò physicè dependentem tantùm à Deo conseruante, moraliter dependere ab omnibus meis progenitoribus, quia quod Deus hic & nunc me conseruet, dependet ex eo quod illi præcesserint, & altero eorũ deficiente, non me conseruaret ex hac numero prouidẽtia, & serie decretorum, ex qua hic & nunc mea conseruatio dependet. Quod si Deus modò modò me conseruaret per decretum, quo decerneret hic & nunc meam existentiam non præuisa actione, quâ fui primò productus à meo parente, ita vt ex vi eiusdem decreti modò existerem, etiamsi nullus ex meis progenitoribus præcessisset, neque physicè neque morariter ab illis dependerem, quod ex doctrina tradita clarè constat.

6 Vno hausto totam doctrinam traditam solido, vniuersalique principio probaui, & fundamentum Hurtadi destruxi, & quod magis mirabile est non aliam impugnationem contra Hurtadum adduxi, quam ipsi debere non possem, sic ait ibidem sect. 9. §. 175. nescio an sanè sibi constans: *Causa per se est, quæ per se necessaria est ad effectum, ita vt sine illa effectus esse non possit.* Subdit ipse immediatè; *sic ignis, & aqua, aliæque causæ remotæ sunt per se causæ calefactionis in ligno procedente à calore in ipsis existente, quia licet calefactio adæquate dependeat à calore, ignis tamen, & aqua sunt necessaria ad existentiam caloris*: quomodo autem hæc componenda sint cum sententia, quam ipse tradit sect. 4. non calleo : illum arguentem audiamus, sic insurgit : Primò, deficiente causâ remotâ eodem modo remanet effectus: ergo effectus nõ pendet à causa remota. Distinguo antecedens deficiente causâ remotâ, & supplente aliâ locum illius, concedo: deficiente alia & nulla vices illius supplente remanet effectus, nego. Sed posses instare : Demus modò Deũ producere ignem, & ignem producere calorem in se, & calorem productum in igne producere calorem in ligno approximato, & calorem productum in ligno, sensationem in viuente; dummodo Deus conseruaret calorem in ligno permaneret sensatio: sed conseruans calorem in ligno tantùm suppleret concursum, quem præstabat calor productus in igne; ergo destructo igne, qui erat causa remota sensationis, & nullâ alia causa subrogata, loco ignis permanet sensatio : ergo & ex vi eiusdem actionis : ergo ignis qui erat causa remota sensationis non influebat per se in sensationem. Resp. Deum conseruantem calorem productum in ligno non solùm supplere in ordine ad illum calorem vices causæ proximæ, à qua producebatur talis calor, sed etiam omnium causarum remotarum, quia subrogat suum influxum loco aliûs, qui dependebat ab aliis causis, & immediatè, & per se Deus præstat calori, quem modò conseruat, totum illud, quod præstabant omnes causæ remotę à quibus dependebat, ac proinde vices omnium supplere dicitur. Ex hac doctrina Minor illa: *Sed Deus conseruans calorem in ligno tantùm suppleret concursum, quem præstabat calor in igne*: vt sonat, concedenda est; sed negandum quod intendit arguens videlicet hoc tantùm esse supplere vices principij proximi illius conseruationis : qui enim supplet concursum dependentem à pluribus causis remotis, & ab vna proxima, in ordine ad effectum conseruatum ex vi illius influxus, qui loco præcedentis subrogatur, supplet non tantùm vices causæ proximæ; à qua ille influxus dependebat, sed etiam omnium remotarum.

7 Obiic. secundò Hurtad. Eodem modo influit causa proxima in remotam, media proxima, quo potentia visiua videt subiectum albedinis, media albedine: sed qui videt albedinem, non videt subiectum media albedine; ergo qui influit in effectum remotum, mediâ illius causâ proximâ, non influit in illum effectum. Respondeo negando antecedens, est enim longè diuersissima ratio, ego enim non dicor remotè videns subiectum albedinis, quia albedo quam ego video, videat subiectum cui inhæret, sicuti dicor influere remotè in motum localem, quia immediatè influit in hunc impulsus, in quem ego influo; albedo enim subiectum non videt, imò etiamsi albedo parietem videret, non dicerer ego videns parietem media albedine, sicuti ex eo quod videam Petrum Solem videntem, non dicor Solem videre, quia visio, qua Petrus videt Solem, & visio, qua ego Petrum video, omnino disparatè se habent, & etiamsi vna ab alia dependeat, visio Petri non potest me videntem constituere, quia videre formaliter dicit immanentiam, visionemque in me receptam; causare autem non dicit hanc immanentiam, & ideo etiam causa proxima dicitur actu causans per effectũ ab illa adæquatè distinctum, & nullo modo vnitum, & materialis causa etiam præcisâ vnione causa materialis formæ in actu secundo constituitur.

Obiic. tertiò opinionẽ Durandi asserentis effectus productos à causis secundis tantùm mediatè pendere à Deo, quam omnes Theologi damnant, quia ex illa sequeretur Deum non esse causam per se illorum: ego sentiunt Theologi causam remotã non esse causam per se. Resp. Theologos non damnare hanc sententiam, quia ex illa inferatur Deum non esse causam per se effectuũ, quos producit mediis causis secundis, sed quia asserit, Deum non esse causam proximam illorum, quod per se absurdum est, quia cùm causa remota non influat in effectum nisi quatenus influit in causam proximam illius, sequeretur semel producto Angelo Deum non posse impedire illius operationem quod absurdissimum est. 8

PVNCTVM VI.

An idem effectus possit dependere diuisim à duplici causa.

IN hanc quæstionem non cadunt intrinsecæ causæ. Certum enim est duplicem causam intrinsecam numero distinctam, non posse causare eumdem numero effectum. Ratio est manifesta : Causa intrinseca identificatur cum effectu, & compositum hoc nihil aliud est, quàm hæc materia, hæc forma, & hæc vnio; ergo nequit dari hoc compositum sine hac materia, hac forma & hac vnione: ergo si loco huius materiæ alia poneretur, aliud esset compositum. Neque effectus negatiui maiorẽ locum inueniunt in hac quæstione, licèt ratione opposita, quia nullus dubitat eamdem expulsionẽ, seu carentiam frigiditatis in hoc subiecto posse ab hoc vel illo calore procedere, quicumq; enim calor adueniens expellit eamdem frigiditatem, quã inuenit in subiecto, & ita eamdem carentiam eiusdem frigiditatis inducit. Relego etiam ab hac quæstione finalem causam, quæ nimis impropriè causa dicitur, non enim dubium est me posse idem iter agere causâ inuisendi amicũ, aliudve negotium tractandi, licet non defuerint, qui dixerint actionem diuersam ex diuersa intentione procedere. Ita P. Arrub. 1. p. disp. 58. c. 4. & 5. quem sequutus est P. Hurt. tr. 2. disp. 117. c. 2. n. 11. quorum fundamentum hoc est. Actio procedens à principio diuerso, diuersa esse debet, quia per se ipsam illud attingit : sed intentio est principium actionũ; ergo ex diuersa intentione diuersa actio procedet; Distinguo maiorem: posito diuerso principio physico, à quo actio per se ipsam depẽdet, actio est diuersa, concedo maiorem: posito principio distincto morali, à quo actio per se ipsam non dependet, nego maiorem: sed intentio est principium actionis, distinguo eodem modo : est principium physicum, à quo actio per se ipsam dependeat, nego minorem : est principium morale, à quo actio non dependet per seipsam, concedo minorem; deinde nego consequentiam. I

Restat difficultas hæc de causa materiali respectu formæ, & de causa efficiente, leuis vtraque, & leuissima, vel nulla respectu causæ materialis; eadem enim forma, quæ educitur ex hac materia potuit ex alia educi, omnes enim materiæ de facto existentes sunt eiusdem rationis, & quælibet capacitatem habet ad recipiendam quamcumque formam, & ita hæc materia potuit antecedenter recipere formam, quam de facto recipit alia materia, & forma ab hac & illa materia, diuisim dependere. Trahitur tota difficultas ad duplicem causam efficientem vtramque creatam, quia de vna creata, & altera increata dubium esse non potest, certum enim est Deum posse se solo producere effectum, quem causa secunda producit. 2

Negant Capreolus, & Marsil. relati à P. Soar. in Metaph. disp. 26. sect. 5. in quam partem propendet D. Thom. quodlibet. 5. existimant enim hi Doctores quamlibet causam sub se habere classem quaudam effectuum adæquatè distinctam, ita vt nullus effectus contentus in virtute huius causæ in illius virtute cõtineatur. Affirmat P. Suar. iam 3

relatus

relatus cum Scot. in 2. dist. 20. q. 2. quam sententiam maior pars Scholasticorum defendit.

Dico primò. Possibiles sunt duæ virtutes actiuæ vniuocæ eiusdem speciei quarum neutra sub propriæ actiuitatis sphæra habeat aliquem effectum, ex his, quos potest alia producere. Sit ratio: virtutes hæ non repugnant ex aliquo capite: ergo possunt à Deo produci. Assigna implicationem, vel totum concede. Confirmatur: Non repugnat duplex ignis productiuus caloris immediatè nullâ actione interiectâ: sed nullus calor ita ab hoc igne productus posset ab alio dependere, quia dependeret per se ipsum ab hoc sicuti modò dependet actio interiecta: ergo possibilis est duplex causa vniuoca, quarum neutra possit producere effectum, quem alia producere valet. 4

Dico secundò. Possibilis est duplex actiua virtus, quarum vtraque eosdem numero effectus producere possit, ita vt nulla illarum valeat effectum edere, ad quem producendum altera per modum actus primi virtutem non habeat. Probanda est hæc conclusio ex non repugnantia harum causarum, nulla enim poterit assignari, ex qua liceat afferere virtutes has inter se repugnare. Secundò ex parte effectuum repugnare non possunt tales virtutes, quia effectus non dependent immediatè per se ipsos, sed mediis actionibus: ergo ex se indifferentes sunt, vt dependeant ab hac vel illa causa. Neque repugnantia ex parte principiorum, seu virtutum potest inueniri, quia nulla excogitari potest in eo quod multiplicentur distinctæ numero virtutes in actu primo, quarum quælibet adæquate possit effectum producere, in se enim quælibet sine respectu ad aliam repugnantiam non habet, aliàs vtraque repugnaret; ex respectu aliquo inter vtramque intercedente repugnãtia oriri nequit, quia cum hæ virtutes subiectum commune non habeant, oppositionem contrariam habere nequeunt, neque alia potest inter has virtutes probabiliter excogitari: Confirmatur: non repugnat hunc effectum, qui potest adæquatè à causa prima produci, posse à causa secunda eodem modo produci: ergo non repugnabit hunc effectum, qui potest, & de facto producitur ab hac causa, potuisse antecedenter produci ab alia: si id de aliquo effectu concedis, quod sine fundamento negabis, posse contingere respectu omnium, dummodo hæc virtus aliam virtutem intra suæ actionis sphæram tanquam effectum non contineat perspicuum est. 5

Dico tertiò. Ex potentiis actiuis de facto existentibus non quælibet habet sub se seriem effectuum adæquatè distinctam ab illa, intra quam alia suam potest extendere actionem, neque quælibet potest producere omnes effectus, quos alia producere valet. Hæc conclusio nullâ potest efficaci ratione ostendi, est enim de facto, quod nullo certo fundamento nobis constat; probabiliter tamen ita suadetur pars, quæ affirmat non quamlibet causam habere sub se omnes effectus, quos habet alia. Probatur ex D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. ad 1. vbi docet causam vniuocam non posse habere pro obiecto adæquato totam speciem, aliàs se ipsam tanquam obiectum respiceret, & posset se ipsam producere, quam rationem expendit Soar. suprà, & nos adducemus Controu. 9. puncto 10. ad probandum idem non posse esse causam sui ipsius. Confirmatur, & declaratur. Experientia compertum est hunc ignem producere illum; v. g. ignem *A* ignem *B*: ergo ignis *B* continetur in virtute ignis *A*: sed idem ignis *B* non continetur intra propriam virtutem actiuam: ergo aliquis ignis potest produci ab igne *A*, qui produci non possit ab igne *B*. 6

Partem aliam asserentem plures effectus, qui possunt ab hac causa produci, posse etiam produci ab aliis ratione Theologicâ non contemnendâ probo: Ex Scriptura, & historiis Ecclesiasticis constat multos homines datos esse suis parentibus ex meritis Christi, quos non haberent sine Christo cuius meritis eorum sterilitas fuit fœcunda, vt patet in Anna matre Samuelis, 1. *Reg.* 1. Sarâ matre Isaac *Genes.* 18. Elisabeth matre Baptistæ, *Lucæ* 1. & in Matre S. Bonauenturæ, & aliis plurimis, quod confirmat totius Ecclesiæ consensus, fideles enim preces fundunt, vt ex meritis Christi, ex his parentibus filij procreentur: ergo ex meritis Christi hi homines ex his parentibus nati sunt: sed aliàs erant nascituri independenter à meritis Christi: ergo poterant ab aliis parentibus nasci. Consequentia est legitima, quia si independenter à meritis Christi erant nascituri, & non poterant ex aliis parentibus nasci, independenter à meritis Christi, ex his nascerentur, & merita Christi in hoc negotio nullam possent vtilitatem habere. Maior Scripturæ testimonijs firmiter est stabilita. Sola Minor, seu secundum Antecedens indiget probatione: videlicet illos homines independenter à meritis Christi esse nascituros, quod confirmat communis Theologorum opinio, quæ asserit Deum non meruisse existentiam hominum, sed redemptionem illorum, & posset multis rationibus probari ‖ desumptis ex decretorum ordine, quibus supersedeo, quia nimis Theologicæ sunt, tantùm in medium adduco celebre Augustini testimonium Epist. 105. *Et enim (Christus non pro nullis*, hoc est non pro non existentibus,) *vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur.* Infero ergo Petrum procreatum à Ioanne potuisse à Francisco procreari, ac proinde posse effectum ab hac causa dependentem diuisim ab alia dependere. 7

Obiic. primo. Determinatio productionis huius indiuidui prouenit à causa producente: ergo causa producens non potest esse indifferens ad producendos plures effectus, quos sub se habeat. Respondeo certum esse causam quamlibet esse indifferentem ad producendos plures effectus, quos virtualiter continet, ex quibus determinatur ad producendum hunc potiùs, quàm illum cuius determinationis fundamentum inquirendum est, siue possit producere effectus, quos alia, siue non possit, ac proinde argumentum prædictum contra nostram sententiam nihil probat, quia principium determinans causam ad hunc numero effectum, inter plures, quos potest illa producere valebit determinare eamdem causam inter effectus quos eadem, & alia causa pariter producere possunt. 8

Obiic. secundò. Effectus, qui modò dependet ab hac causa, potuit ab illa dependere: ergo non dependet essentialiter ab hac. In omnium sententia hoc argumentum locum inueniet, quia certum est effectum dependentem ab hac causa potuisse dependere à Deo. Respondeo effectum potentem ab hac, & illa causa diuisim dependere, à nulla determinata essentialiter dependere, dependere tamen per se, hoc est, tanquam à vera causa, non per accidens influente ab illa à qua recipit esse, quia ita dependet ab illa, vt non posset subsistere ablatâ illâ causâ, si alia loco illius non substitueretur, quod est dependere per se. 9

Obiicit quidam contra id, quod dixi effectum moraliter dependere à causa remota, mediâ causâ proximâ, quæ actu non conseruatur à primo producente, me id sine causa dixisse, illudque probare non posse, & per accidens omnino esse, vt me Deus modò conseruet, fuisse priùs productum, à talibus hominibus vsque ad Adamum. Respondeo: neminem posse negare me Deum modò conseruare, quia priùs fui productus, & ad hoc, quod fuerim productus à meo parente per se conduxisse existentiam mei parentis, & ad hanc per se conduxisse actionem, qua meus parens fuit productus à meo auo, & sic in aliis progenitoribus. Nam etsi meus parens eodem modo produceret me, etsi immediatè ipse à Deo fuisset productus, hoc probat causas remotas non esse causas essentialiter requisitas, non verò suadet non esse causas per se, in eo oppositum manifestè probatur, si enim meus auus, vel alius loco illius meum patrem non produxisset, neque meus Pater, neque ego ab eo fuissemus producti. 10 *Prad. 2. part. Controu. 1. art. 4. n. 77.*

Obiicit insuper me contra omnem vsum, & rationem transferre causalitatem moralem ad esse physicum, quod est in causis omni cognitione, & ratione, & moralitate carentibus. Respondeo causam moralem debere causare media aliâ ratione prædictâ, quia causat mouendi voluntatem alius, id verò, quod voluntatem mouet potest esse quid Physicum, & ratione destitutum, vt per se notum est, ex eo enim quòd videt Deus causas naturales applicatas ad agendum, suoque indigere concursu, vt agant, mouetur ad concurrendum cum illis, & quando videt duo agentia contraria intendentia producere effectus inter se incompossibiles, mouetur ad concurrendum cum hoc potius, quàm cum illo, quia est fortius illo. Hæc sunt omnibus nota, videat ista iuxta quorum vsum, & qua ratione dixerit esse contra omnem vsum & rationem. 11

PVNCTVM VII.

An duplex causa possit in eũdem effectũ totaliter influere.

QVidquid dicatur de dependentia eiusdem effectus à duplici causa diuisim sumptâ huius difficultatis disputatio 1

tatio integra perseuerat,cùm enim certum sit eumdē effectum posse diuisim à Deo,& à creatura adæquatè dependere, disputandum supereſt,an possit simul à causa creata per influxum totalem, & per alium adæquatè distinctum à causa increata dependere , etiamsi adhuc diuisim non possit à duplici causa creata idem effectus dependere. Addo respectu eiusdem causæ creatæ posse hanc exagitari quæstionem ; eadem enim causa potest diuisim per diuersas actiones adæquatas eumdem producere effectum , & de illa insurgit difficultas , an simul possit diuinâ intercedente potentia per duas illas actiones , quæ diuisim possunt ad eumdem effectum terminari, illum producere , ita vt qualibet ablatâ ex vi alterius superstitis integer effectus perseueret. Neque aliud est inquirere an idem effectus possit dependere à duplici causa adæquata, nisi inquirere an possit dependere per duplicem influxum adæquatum, certum enim est naturaliter posse procedere per vnicum influxum à duplicatiuo principio , quorum quodlibet virtutem habeat adæquatam actiuam ad illum effectum adæquatè ponendum extra causas.

2 Eadem ratione,quâ Puncto præcedenti causas intrinsecas à quæstione relegaui , illas respectu compositi ad hanc difficultatem non voco , vnicum enim compositum vnicâ formâ circumscribitur ; cui si aliam adiungas compositum aliud saltem inadæquatè distinctum illa constituet.

3 De causa finali insurgit difficultas respectu intentionis efficacis,electionis mediorum , & aliarum actionum voluntatis , & respectu operationum aliarum potentiarum, leuis tamen de vtrisque. Affirmo nullum actum internum voluntatis posse dependere à duplici fine adæquato. Ratio est obuia : Actus internus voluntatis intrinsecè,& per suā entitatem respicit suum obiectum, quod se tenet ex parte finis , & per se ipsum ab alio dependet, ita vt non possit non dependere ab illo , à quo semel dependet : ergo actus,qui dependet à duplici obiecto, ita à quolibet illorum dependet vt non possit non dependere : ergo à neutro dependet adæquatè. Patet consequentia,eo ipso quod non possit non ab vtroque dependere , neutrum seorsim sumptum sufficiens est, vt alio ablato actus perseueret;ergo neutrum influit adæquatè , influere enim hanc causam adæquatè in hunc effectum dicit , vt ex vi illius omni aliâ ablatâ effectus subsistere possit.

4 De actibus externis aliarum potentiarum longè aliter dicendum est, certum enim puto posse quālibet actionem externam à duplici causa finali dependere mediâ duplici intentione efficaci duorum finium , quod sic probo. In primis est certum posse reperiri in voluntate duplicem actum quemlibet ex se sufficientem ad determinandam potentiam externam ad aliquam actionem,v. g. duplicem volitionem deambulandi ex duplici fine,quarum quælibet illarum seorsim sumpta efficaciter imperaret deambulationem,in quo casu probo in actu secundo deambulationem procedere adæquatè à qualibet illarum volitionum simul existentium. Illa deambulatio, ita procederet vt qualibet illarum intentionum ablatâ,aliâ superstite,eadem permaneret sine alio nouo influxu procedente ab hac intentione permanente;ergo intentio permanens antea adæquatè influebat in deambulationem : Consequentia est legitima, quia modo adæquatè dependet deambulatio ab intentione,quæ vnicè existit:& non per dependentiam, quam antea non haberet : ergo sicuti modò dependet adæquatè, ita dependebat antea,siquidem eamdem dependentiā habebat. Antecedens duplicem partem continet , vtramque seorsim probo. Pars vna dicit ablatâ vnâ intentione, aliâ superstite deambulationem permansuram,quod perspicuū est,quia cùm supponamus illam intentionem ex se in actu primo habere virtutem imperandi adequatè deambulationem,eo ipso quod existat in subiecto suam virtutem exercet , positâ enim volitione in actu primo efficaciter imperante actionem externam,non supereſt iam libertas ex parte voluntatis ne ab hac intentione , quæ iam supponitur procedat deambulatio. Alterum in Antecedenti contentum est , volitionem illam non aliter influxuram quàm antea influebat,quod sic ostendo : Influxus volitionis in actionem externam non est actio aliqua physica intermedia mediâ quâ hæc ab illa dependeat , sed tantùm coexistentia virtutis potentis imperare cum actione externa imperata,quæ per sympathiam resultat positâ volitione : sed coexistentia est eadem:ergo influxus est idem. Influxum volitionis in actionem externam consistere in coexistentia volitionis potentis influere , & ipsius actionis externæ,probo latè in Controu.8. de Anima,vbi latè de imperio voluntatis disputo:coexistentiam esse eamdem notum est,quia coexistentia non distinguitur ab existentia extremorum : sed extrema existentia sunt eadem : ergo coexistentia est eadem.

De causa materiali, & efficienti eadem est omnino ratio,cum idem sit vtriusque influxus, & idem est rem produci per duplicem actionem eductiuam adæquatam,ac recipi per duplicem passionem, sic tota iam difficultas vertitur ad principium efficiens, seu ad causalitatem actiuam, an videlicet duplex principium actiuum possit simul adæquatè influere in effectum , vel quod idem est an duplex causalitas actiua,seu duplex actio adæquata possit simul ad eumdem effectum terminari. Quidquid enim de causalitate actiua dixerimus,de passiua eodem modo intelligendum est. 5

Negat Pater Vasquez tom.1. part.3. disp. 29. cap. 4. affirmat Pater Soarez in Metaph. disput. 26. sect. 5. n. 13. vterque suos habet assecias.Ego in hac re Soarium sequor, cuius sententiam iam probo. Nulla est repugnantia in eo, quod idem terminus duplicem causalitatem actiuam simul terminet ; ergo poterit illam terminare diuinâ omnipotentiâ intercedente : antecedens mihi firmum erit,donec aliquis repugnantiam assignet,quam illico soluam, vt illud inconcussum conseruem , sed adhuc illud suadeo. Repugnantia ex parte virtutis actiuæ præcisè sumptæ nulla existit,idem enim effectus simul continetur sub pluribus principiis actiuis,quod saltem respectu creati , & increati negari non potest,neque ex eo quod principium suam virtutem exerceat alterius actiuam virtutem intrinsecè euacuat : respectu actionum si aliqua est incompossibilitas, est formalis similis incompossibilitati duarum formarum in eodem subiecto , quæ potest vinci à Deo cui integrum est,quantumuis hæc actio seu hæc forma exigat negationem aliùs cum qua est incompossibilis;illam contrà talem exigentiam conseruare:repugnantia ex parte termini nulla est , quia terminus nullam virtutem exercet circa actionem , neque ex parte illius magis requiritur ad terminandum simul actiones,quàm ad easdem successiuè terminandas,quam rationem de termino vnionis latiùs expendam Controu.8. Puncto 1. ergo ex nullo capite aliqua potest esse repugnantia,in eo quod effectus supernaturaliter dependeat à principio effectiuo per duplicem causalitatem adæquatam. 6

Puto hanc conclusionem iuxta propria principia adeò efficaciter probasse , vt illius ratio difficilem reddat tradendam aliam propter quam idem effectus non possit à duplici causa adæquata etiam naturaliter dependere ; non etiā possumus recurrere ad incapacitatem subiecti actionis, neque ad incapacitatem termini , si enim ex hoc capite naturaliter non posset effectus duplicem causalitatem terminare, etiam supernaturaliter repugnaret , vt efficaciter probo Controuers. 8. Punct. 1. Neque incompossibilitas formalis actionum sufficiens videtur ratio , quia incompossibilitas formalis sumitur in ordine ad subiectū, seu actio creatiua nullum habet subiectū:ergo actio creatiua cum nulla alia entitate potest habere incompossibilitatem formalem : ergo ratione huius incompossibilitatis nullum est impedimentum, ne possit idem effectus terminare duplicem actionem creatiuam , vel vnam creatiuam,& aliam eductiuam. Dices terminum,qui potest terminare actionem generatiuam,nō posse naturaliter actionem creatiuam terminare , esto non creetur naturaliter, suppositâ creatione,siue naturali,siue supernaturali quoad modum,inquiro an generatio naturaliter possit terminari ad effectum creatum,quem posset respicere,si creatio non terminaretur ad illum , & an harum actionum coexistentia specialem dicat repugnantiam naturalem distinctam ab illa,quam diceret quælibet illarum seorsim sumpta. Secundò in duplici ratione creatiua clariùs vrget nostra difficultas,quælibet enim illarum naturaliter potest eumdem attingere terminum. Vltimo adhuc respectu duplicis actionis generatiuæ respicientis ideā subiectum argumentum conficio. Actiones non repugnant nisi ratione terminorum, ita actio productiua dulcedinis, & actio productiua albedinis non repugnant , & repugnant actio productiua caloris, & productiua frigiditatis , quia non repugnant albedo,& dulcedo,& repugnant frigiditas , & calor : sed 7

duplex

duplex actio terminata ad eumdem effectum non repugnant in subiecto ratione termini cùm eumdem vtraque respiceret: ergo ex nullo capite repugnaret.

8 Respondet Arriaga disp. 7. sect. 10. non posse eumdem effectum terminare duplicem actionem, quia earum altera esset superflua, natura autem nihil superfluum admittit. Non acquiescit animus, quia vtraque actio secundùm se est possibilis: ergo si agens sit in actu primo ad illam, & passum in potentia principium actiuum suam exercebit actionem, etiam si per accidens hìc & nunc necessaria non sit; agenti enim naturali, & actioni dimanaturæ omnino extrinseca est existentia aliùs actionis, ac proinde eodem modo se habent principium, & actio illius, siue alia existat, siue non existat, nisi dicat Arriaga agens naturale moneri, ne actionem eliciat, & ipsi actioni notum fieri ne in mediũ prosiliat, quia modò non est necessaria, sed vt expectet, quovsque alia nõ existat, & terminus illâ indigeat.

9 Nihilominus dicendum existimo terminum naturaliter produci non posse per duplicem actionem. De duplici actione generatiua respectu eiusdem subiecti facilè potest reddi ratio petita ex incompossibilitate actionum, quæ illis competere potest ratione sui, etsi ratione terminorum incompossibilium non illam participent, licet enim bene inferatur, termini non possunt esse in eodem subiecto: ergo neque actiones, non ideo licet inferri, actiones per se ipsas formaliter aliam incompossibilitatem non habere ratione cuius, si per impossibile separarentur à terminis adhuc inter se mutua esset formalis oppositio. Hanc ergo habent duæ actiones terminatæ ad eumdem terminum, etiamsi nulla sit in vtriusque termino oppositio, non enim rectè infertur, albedo potest esse in subiecto: ergo in eodem poterunt naturaliter coëxistere plures actiones ad eamdem albedinem terminatæ. Neque potest esse multiplex actio respectu eiusdem termini existens quælibet in subiecto distincto, quia cùm distincta subiecta distinctum occupent locum, si terminus per actiones existentes in distinctis subiectis poneretur, in eisdem subiectis constitueretur naturaliter, & existeret naturaliter in duplici loco, quod contingere non potest. Inquires: quid, si subiecta naturaliter, vel supernaturaliter idem spatium occuparent? Respondeo in hoc casu assignandam esse repugnantiam in his duabus generationibus, quam in duabus creationibus iam assigno.

10 Affirmo nullum terminum posse terminare duplicem actionem, siue vtramque generatiuam, siue creatiuam, siue vnam generatiuam, & creatiuam alteram propter eamdem rationem, propter quam non potest effectus iam corruptus iterum produci, quia sicut numquam determinatur principium ad actionem terminatam ad effectum, qui semel fuit productus, & iam est corruptus, sed semper determinatur circa nouum effectum, ita non determinatur circa effectum, qui iam per aliam actionem, siue ab eodem, siue ab alio principio procedentem existit. Hæc ratio generalis est pro omnibus effectibus quam etiam suo modo accommoda pro effectibus creatis, licet enim Deus liberè determinet omnes causas ad productionẽ effectuum secundùm rationem indiuiduam, numquam tamẽ aliquam determinat ad productionem effectus, iam corrupti, sed ad nouum effectum, & potiori ratione, neque ad productionem effectus iam producti, & existentis, neque se ipsum determinat ad duplicem creationem respectu eiusdẽ termini, quia cognoscit vnam esse sufficientem, & alteram, esse superfluam, hæc enim ratio, quam contra Arriagam impugnaui respectu agentis liberi circa vltimas effectuum indiuiduationes optima est.

11 Ex hoc capite, si Deus crearet Angelum per duplicem creationem, etiamsi illa simultas creationũ non esset iuxta legem ordinariam, tamen nihil importaret contra exigentiam actionum, neque contra termini exigentiam, quia reproductio eiusdẽ effectus tantùm repugnat ex lege Dei non verò ex aliqua ratione physica; quapropter si alia repugnantia non inueniatur in simultate harum actionum, non posse eumdem effectum terminare duplicem actionem creatiuam, vel vnam actiuam, vel aliam generatiuam, tantùm erit ex lege Dei, non verò ex aliqua ratione physica. Multum in hanc sententiam propendebam, verumtamen, quia nimis singularis videtur, etsi non in re magni momenti, aliud caput assigno, ex quo desumatur incompossibilitas actionum. Dici potest actiones ipsas etsi subiecto carentes, incompossibilitatem habere, ex eo præcisè, quod in eumdem terminum feruntur, ratione cuius quælibet exigit alterius non esse, neque cum altera naturaliter componi potest, quæ oppositio differt ab illa, quæ est inter alias formas, quia oppositio inter formas est in ordine ad subiectum commune, oppositio verò inter actiones creatiuas, vel inter generatiuam, & creatiuam non est in ordine ad subiectum commune, sed in ordine ad terminum communem. An verò hæc oppositio propriè sit dicenda formalis, vel tantùm impropriè, quia non est inter formas eiusdem subiecti, quæstio est tantùm de nomine. Aliam rationẽ adducit Soar. quam tribuit Caietano, respectu agentium creatorum, videlicet non posse duo eodem modo applicari ad productionem eiusdem effectus, illam vide apud eumdem loco citato, non enim vacat omnia examinare. Vnum te moneo, rationem hanc adæquatam non esse ad præsentem difficultatem, non enim ex illa poteris respondere, cur idem effectus non dependeat ab eodem numero principio per duplicem actionem totalem.

Obiic. contra cõclusionem, qua diximus posse supernaturaliter eumdem effectum procedere à dupliçi principio adæquato, seu per duplicem actionem adæquatam. Eo ipso quod effectus recipiat esse ab hoc principio, habet existẽtiam: ergo nõ habet iam quid recipiat ab alio, neque vllum potest præstare effectum formalem alia actio. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, effectus enim iam habens existentiam eamdem, iterum ab alio principio recipere potest, & eadem existentia, quæ erat ex vi prioris actionis licèt secundum se non aliud nouum recipiat esse, incipit tamen idem habere ex vi aliùs actionis præcedentis. Ad illud de effectu formali respondeo, quod si nomine effectus formalis intelligatur illud, quod ex vi actionis extra causas ponitur, idem est formalis effectus vtriusque actionis, si verò nomine formalis effectus intelligatur complexum ex termino, & actione, diuersus formalis effectus est quem constituunt diuersæ actiones sicut diuersum compositum, quod diuersæ formæ constituunt. 12

Obiic. secundò. Effectus dependet à causa, quia illâ indiget, & si causâ non indigeret, dependere non posset adhuc de potentia Dei absoluta: sed nullus effectus potest duplici causâ indigere, adhuc de potentia absoluta, ergo nec dependere. Respondeo effectum indigere causa nihil aliud esse, quàm non esse ens infinitum, & à se, eo enim ipso quod tale nõ sit, causa aliqua indiget à qua recipiat esse, & consequenter à qua dependeat. Hæc indigentia seu hoc non esse infinitum, & à se, fundamentum est, ex quo necessariò resultat effectum existentẽ ab vna causa hac, vel illa necessariò dependere. Similiter est fundamentum quo deficiente non posset à duplici causa dependere, quia si entitas esset à se, vel si esset repugnans, quod est non esse entitatem, sed figmentum, neque ab vna neque multiplici causa dependere posset, & ita necessariò requiritur, vt effectus indigeat dependere ab aliqua causa, vt ab vna & multiplici dependere possit, quia positâ naturâ effectus etiamsi ex illa non necessariò inferatur duplex dependentia, infertur posse illam supernaturaliter terminare, quia non omnis dependentia debet esse orta ex indigentia, quam habeat effectus respectu illius, sufficit enim indigere aliquâ dependentiâ, vt possit plures terminare. Ita concedendum est, quod si effectus nullâ dependentiâ indigeret non posset illam habere, quia tunc vel esset à se vel esset figmentum, de ratione enim entis possibilis creati est indigere dependentiâ. Ad illud, quod dicitur, ideo dependet ab vna causa, quia indiget vna dependentia, concedo, dependet à pluribus quia indiget pluribus dependentiis, nego. Sufficit enim vnicâ dependentiâ indigere, vt possit plures terminare. 13

Obiic. tertiò. Causa, quæ influit in consortio alterius non est tota causa effectus: ergo non est causa totalis: ergo implicat dari duplicem causam totalem respectu effectus, eo enim ipso, quod influat duplex causa, quælibet influit in consortio alterius. Respondeo distinguendo primum antecedens. Causa quæ influit in consortio alterius, non est tota causa, vltra quã non sit alia, concedo antecedens: non est tota virtus, quæ præstat influxum aliquẽ exvi cuius, quocumque alio secluso subsistat effectus, nego antecedens; deinde nego consequentiam, quia causa totalis non est, quæ influit sine consortio alterius, sed quæ ita influit, vt ex vi illius influxus, ablata quacumque alia causa subsistat effectus. 14

15 Rubius, qui docuit lib.2.tract.7. *de comparatione causarum*, quæst. 1. posse eumdem effectum simul produci à duplici causa totali, negat ibidem n.69. effectum productum tempore antecedenti ab alia causa, & conseruatum in hoc, posse denuo dependere ab alia causa, ait enim se non posse intelligere eumdem effectum iam productum, & permanentem in esse recepto iterum produci, quia productio dicit nouitatem effectus: ergo si non est nouus effectus, non potest esse noua productio. Ratio debilis, quia actio terminata ad effectum, qui præcessit in tempore immediato non dat nouum esse rei, sed conseruat, quod immediatè antea habuit, & ita sicuti, si vtraque causa ab instanti præcedenti dedisset nouum esse rei, vtraque in hoc instanti idem esse conseruaret, ita similiter postquàm altera tantùm dedit nouum esse rei in instanti præcedenti, potest vtraque idem esse conseruare in hoc instanti, per actiones distinctas, quarum vtraque dicetur conseruatio, quia licet altera modò incipiat esse illius terminus, non modò incipit, sed immediatè antea fuit, & actio non dicitur prima productio ex eo quod primò incipiat, sed ex eo quòd primò incipiat existere illius terminus. His soluitur Rubij ratio, & simul impugnatur conclusio ratione adductâ. Effectus enim, qui in hoc instanti potest terminare duplicem actionem, si primò inciperet esse, vel si cum primò incipit esse eadem terminasset, eodem modo poterit illas terminare etiamsi in instanti præcedenti alterum tantùm terminauerit, vnica enim terminatio, quæ præcessit in instanti præcedenti neque ratione sui, neque ratione negationis aliùs terminationis, quæ simul cum illa præcessit opponitur cum duplici terminatione, seu duplici actione existenti in hoc instanti, aliàs in illo possibili.

PVNCTVM VIII.

An duplici entitati possit conuenire mutua causalitas in eodem genere.

1 INquirimus an calor productus ab alio calore in genere causæ efficientis possit in eodem genere eundem producere: exempli gratiâ an calor *A* productus à calore *B*, possit eumdemmet calorem *B* producere. Similiter posset quæstio procedere de causa materali, quæ non sit primum subiectum, hoc enim nullam aliam habet materialem causam, sed de alio secundo subiecto. An videlicet calor receptus in quantitate ex eo præcisè, quod in illa recipiatur impeditus maneret ad quantitatem recipiendam, si aliàs ad illius receptionem haberet virtutem, in qua hypothesi locum inuenit hæc difficultas de causa materiali, & non in sensu absoluto, quia nulla datur materialis causa recipiens formam, in qua antecedenter ad receptionem illius eadem posset recipi. De causis formalibus nulla est dubitandi ratio, quia cùm huius causalitas nihil aliud sit, quàm vnio inter formam, & materiam, implicat hoc extremum, quod alteri vnitur tanquam formæ, eidem tanquam materiæ vniri, quia ratio materiæ, & formæ non desumitur ex diuersitate vnionis, sed ex diuersitate intrinseca earum entitatũ, quæ vniuntur: de causis finalibus non recusabo concedere posse duas entitates sibi mutuò esse finales causas in eodem genere per diuersas intentiones, quia ex vi huius intentionis possum ego intendere deambulationem propter sanitatem, & ex vi illius sanitatem propter deambulationem, quarum prima respicit sanitatem tanquam finem, & sanitatem tanquam medium. Ratio est, quia vt finis moueat non debet supponi exercitium, & quousque ita supponatur potest illius assequutio efficaciter intendi, & postquam semel est ita intentus potest efficaciter amari propter alium finem tanquam medium vtile ad illud.

2 Deuoluitur tota difficultas ad principium effectiuum, de materiali enim in hypothesi facta eodem modo philosophandum est. Nullam causam posse quoad primum sui esse produci ab effectu, quem ipsa producit certum est inter omnes cuius rationem dabo num. 3. causam remotam sentiebat doctus quidam Magister non esse causam per se sed per accidens, cui principio ita fidebat, vt non dubitauerit absolutè concedere causam remotam posse dependere quoad primum esse ab effectu ab illa producto in eodem genere: ita vt si calor *A* calorem *B* produxerat, & hic calorem *L*: posset calor *E*, calorem *A*, producere, quia cùm ab hoc remotè tantùm dependeat, quod non est dependere per se, sed per accidens, strictè loquendo non est illo naturâ posterior, & ita absolutè potest esse prior. Hanc sententiam ita absolutè prolatam puto nullatenus sustinendam esse omnique probabilitate carere. Si enim sine vlla distinctione admittamus effectum posse producere causam remotam in eodem genere quo ab illa procedit, poterit hoc modo defendi omnes creaturas esse sibi mutuò causas in genere causæ efficientis, & necessarium non erit aliquam primam causam increatam assignare à qua omnes dependeant.

Dicendum est effectum non posse producere suam causam mediatam, neque immediatam, à qua actu dependendet: in eodem genere in quo ab illa dependet, de causa immediata conclusionem probo. Effectus supponit suam causam existentem: ergo antequam intelligatur existens effectus, & potens influere, intelligitur existentia causæ: ergo supponitur existens ex vi alicuius actionis: consequens primæ illationis realiter ab antecedenti non differt. Secundam consequẽtiam probo: nihil creatum potest supponi existens quin supponatur dependens: ergo debet supponi terminans aliquam dependentiam: ergo aliquam actionem, in qua consistit dependentia: ergo est posterior hac dependentia, seu hac actione: ergo non potest esse prior hac actione, neque actio ab illo per se dependere, cùm supponatur absolutè existens, antequam adueniat effectus, ita vt si hic deficeret, non deficeret saltem per locum intrinsecum talis actio. Confirmatur, nulla actio potest intelligi ante virtutem causatiuam, à qua dependet: sed actio ex vi cuius producitur hæc causa intelligitur antequam existat effectus productus ab eadem causa: ergo non potest dependere ab hoc effectu tanquam à virtute causatiua: ergo effectus non potest influere in causam per illam primam actionem, per quàm primò existit causa. 3

De causis remotis à quibus actu dependet effectus eodem modo traditam conclusionem probo. Ad effectum supponitur actio productiua suæ causæ, vt nuper probaui: ergo supponitur existens principium, à quo procedit talis causa: sed hoc principium est causa remota: ergo ad hunc effectum supponitur existentia causæ remotæ. Hæc causa remota vel est creata, vel increata: si est increata erit à se, & in illa sistet series causarum huius effectus: si creata: ergo debet supponi existens ex vi alicuius actionis existentis: ergo supponitur alia actio ad effectum remotum: ergo non potest dependere ab illo, eodémque modo arguo donec deueniam ad causam increatam, quæ supponitur existens à se, vltra quam non potest causarum series procedere. 4

Dixi effectum non posse producere causam mediatam, neque immediatam, à quibus actu procedit, quasi primò fuit ab illis productus, etiam ab aliis conseruetur, poterit eodem modo illas iterum producere vel conseruare, ac si ab illis numquam dependisset. Exempli gratiâ, Ignis *A* produxit calorem *B* & hic calorem *C*, qui iam non conseruatur à calore *B*, neque à calore *A*, proximè vel remotè, calor *C*, poterit modò vtrumque calorem *A*, & *B*, producere, ac si numquam ab illis fuisset productus. Ratio est, quia effectus constituitur posterior principio effectiuo per dependentiam, quam habet ab illo, & ita dum hanc dependentiam habet posterior est, qua ablata non remanet posterior: ergo si aliàs habeat virtutem per modum actus primi potest esse prior, & influere in illam entitatem à qua olim dependebat, & iam non dependet. Dixi posse influere effectum in principium à quo dependendebat, & iam non dependet, ac si numquam ab illo dependisset, quod intelligo, siue per nouam illius principij iam corrupti reproductionem, siue eiusdem existentis conseruationem, neutra enim ex his repugnabit ab hac entitate procedere ex dependentia tam præterita, si aliunde non repugnet, quod si repugnet reproductio effectus, vel noua eiusdem existentis conseruatio, effectum, qui antea ab entitate reproducenda, vel conseruanda dependebat, non posse hanc reproductionem seu conseruationem exercere, non procedet ex dependentia præterita, sed ex alio capite de quo non curo. 5

Contra hanc conclusionem sic explicatam nulla obiectio alicuius momenti excogitari potest; non enim requiritur idem esse prius, & posterius respectu eiusdem in eodem tempore, sed in diuersis, quia entitas tantùm est prior 6

dum

dum ab illa dependet alia, & tantùm est posterior dum ipsa dependet, & cùm non concedamus eamdem entitatem simul influere, & dependere, non concedimus simul esse priorem, & posteriorem, id autẽ respectu diuersorum temporum concedere nullum est inconueniens. Tantùm posses obiicere: effectus, qui modò conseruatur à Deo adhuc moraliter dependet ab illa causa, à qua primò fuit productus, quia ideo conseruatur à Deo in hoc instanti, quia antea ab illa causa fuit productus: ergo saltem moraliter est modò effectus posterior causâ, à qua non actu depẽdet sed dependit. Respondeo effectũ conseruatum à solo Deo moraliter esse posteriorem causa primo producente relatè ad illius existentiam præteritam, ex vi actionis, quam terminabat, quod non impedit prioritatem respectu eiusdem causæ, non vt iam præteritæ, sed vt actu præsentis ex vi actionis actu ad illam terminatæ.

7 Iam de causa quoad secundam actionẽ ex vi cuius adæquatè existat suppositâ aliâ actione, similiter adæquatâ mihi dubium non est posse dependere ab effectu, quem ex vi primæ actionis producit etiam in eodem genere, quo illum produxit. Supponit hæc cõclusio entitatem posse dependere à duplici causa totali per causalitates adæquatas adæquatè distinctas, quod iam probaui Punct. 7. Quâ suppositione facta, sentio ignem *B*, dependenrem ab igne *A*, & producentem ignem *C* posse iterum ab eodem igne *C*, dependere per aliam actionem distinctam ab illa per quam dependet ab igne *A*. Ratio est, quia ad productionem ignis *C*, tantùm supponitur existentia ignis *B*, dependens ab igne *A*, & non alia: sed postquam habet hanc dependentiam potest habere aliam, siquidem potens est duplicem adæquatam terminare: ergo poterit illa alia dependentia procedere ab effectu eiusdem ignis, quia nullo modo illam supponit. Confirmatur: ideo effectus non potest esse principium primæ, seu vnicæ actionis, quâ virtus illum producens dependet, quia illa actio vnica seu prima supponitur ad effectum: ergo poterit procedere ab ipso effectu. Neque in hoc maior est difficultas, quàm illa, quæ reperitur in eo quod effectus duplicem dependentiam habeat adæquatam.

8 Obiicies: Eadem entitas non potest esse prior, & posterior respectu eiusdem: sed si causa dependeret ab effectu quoad secundam actionem, esset prior & posterior respectu effectus: ergo non potest habere hanc dependentiam. Respondeo non posse idem esse prius & posterius respectu eiusdem, ex vi vnius causalitatis, seu dependentiæ, bene tamen posse, si duplicem dependentiam habeat, esse prius ex vi huius, & posterius ex vi illius, sicuti si quis duplicem haberet præsentiam, posset ex vi huius præsentiæ esse prior in ordine ad locum respectu Petri, & ex vi alius esse posterior. Sic contingeret in prædicto casu: ignis *B*, quatenus productus ab igne *A*, prior esset igne *C*, quatenus verò suppositâ productione ab igne *A*, ex vi cuius est prior effectu, terminaret aliam actionem ab igne *C*, dimanans esset illo posterior.

9 Inquires an illa secunda actio semper dicenda sit conseruatio, vel etiam possit dici productio, vt à conseruatione distincta? Respondeo hanc secundam actionem dicendam esse productionem vt à conseruatione distinctam, si incipiat esse in eodem instanti temporis, in quo incepit prima actio, quia in illo instanti terminaretur ad effectum qui in mensura præcedenti temporis existentiam non habuit, quod autem effectus supponatur productus prioritate naturæ per aliam actionem, non reddit illam actionem conseruatiuam, quia conseruatio non dicitur in ordine ad prioritatem naturæ, sed ad prioritatem temporis, quam supponit in termino.

Punctum IX.

An duplici entitati possit conuenire mutua causalitas in diuerso genere.

1 Mvtua causarum dependentia potest sumi respectu causarum secundùm entitatem, vel respectu causalitatum, quibus causæ suos producunt effectus, vtroque modo sumptam illam explicabo. Mutua dependentia respectu causalitatum non ita intelligenda est, vt causalitas huius causæ dependeat à causalitate illius, & rursus illius causalitas à causalitate huius, hæc enim dependentia eamdem habet difficultatem respectu causalitatum, & respectu causarum: dependentia ergo causalitatum, quam communis admittit sententia, nihil aliud dicit quàm non posse dari causalitatem huius causæ, sine causalitate alterius, neque posse causalitatem huius principij non dependere ab illo: in hoc sensu datur mutua causalitatum dependentia, non enim potest dari causalitas principij passiui sine causalitate principij actiui, neque non dependens simul à principio actiuo, & passiuo. Ratio manifesta sumitur ex identitate causalitatum, cùm enim actio quæ est causalitas agentis, & passio, quæ est causalitas passi realiter non distinguantur, mirum non est non posse separari, neque non posse aliquam illarum non dependere à principio, à quo alia dependet. Idem dico de causalitate intrinseca materiæ, & formæ respectu compositi, quæ consistit in eadem vnione, per quam constituitur vtraque pars essentialis, actu totum componens, seu actu causans, quæ non distinguuntur, idem enim est causam intrinsecè causare effectum, & illum intrinsecè componere. Stat ergo causas mutuò dependere quoad causalitates, hoc est non posse vnam sine alia causare.

2 De dependentia causarum secundùm suas entitates mutua inter ipsas in diuerso genere procedit difficultas, meâ quidem sententiâ omnino eadem cum illa, quam Puncto præcedenti exagitaui de mutua dependentia causarum in eodem genere, verumtamen multitudo terminorum, & maior illorum obscuritas respectu causarum in diuerso genere probabilem reddit hanc mutuam dependentiam in diuerso genere causæ, quam in eodem genere nullus audet defendere. Procedit difficultas de causis, quæ verè causæ sunt, quia de finali causa controuersia non est posse esse causam in genere causæ finalis, & effectum in genere causæ efficientis, medicina enim est principium efficiens sanitatis, & sanitas est causa finalis medicinæ. De causis propriis, quæ verum influxum habent, affirmo non posse mutuò inter se dependere (loquor quoad primum esse) quod per singulas discurrens sic probo. In primis forma, quæ formaliter totum componit in nullo genere potest ab eodem toto dependere, non in genere causæ formalis, quia forma nullam causam formalem habet, non in genere efficientis, neque materialis, quod sic probo. Forma debet supponere principium à quo procedit iam existens: ergo vt forma dependeat à toto debet supponere existens totum: sed non potest supponi totum existens ante existentiam formæ: ergo non potest existentia formæ supponere totum tanquam principium. Non posse supponi totum existens ante existentiam formæ sic probo: Totum formaliter includit formam identificatam cum ipso: ergo implicat in aliquo priori existere totum, in quo non existat forma: ergo implicat totum esse priùs formâ: ergo implicat totum esse causam formæ. Confirmatur: Nullus concedet idem posse esse causam sui ipsius adhuc in diuerso genere; sed si forma in aliquo genere dependeret à toto tanquam à principio, dependeret à se ipsa, ergo non potest à toto dependere. Minorem probo: implicat formam dependere à toto quin dependeat ab illo, quod est identificatum cum toto, & per quod totum constituitur: sed totum est identificatum cum forma, & per illam constituitur: ergo implicat formam dependere à toto, quin à se ipsa dependeat. Quod si dicas formam dependere à toto non quatenus hoc est identificatum cum forma, sed præcisè quatenus est identificatum cum materia, est dicere dependere tantùm à materia, hoc ego non nego, neque ad rem facit, cùm materia non dependeat à forma.

3 Aliter fieri potest comparatio inter materiam & formam, quarum formam dependere à materia fatentur omnes, materiam verò non dependere à forma, facilè euincam, vt hanc mutuam dependentiam relegem. Materiam non posse dependere à forma tanquam à causa materiali dabunt aduersarij, quia materia prima nullam habet materialem causam, & quia ipsi mutuam hanc dependentiam in eodem genere causæ non admittunt: non dependere tanquam à causa formali certum est, quia materia prima nullam habet formalem causam per quam constituatur, quod si illam haberet sicuti de materia secunda, seu toto aliqua accidentia recipiente fas est dici, adhuc non posset forma, quæ ab illa materia secunda dependeret, seu ab illo toto esse causam formalem constitutiuam

tutiuam illius secundæ materiæ, seu totius habentis se per modum causæ materialis ad illam propter rationes, quibus nuper probaui non posse formam dependere in aliquo genere causæ à toto, quod formaliter constituit. Restat dici formam dependentem in genere materialis à subiecto in illud influere in genere causæ efficientis, quod in forma substantiali respectu materiæ primæ facilè potest impugnari ex eo quod materia prima creetur, & nihil per creationem productum potest dependere à principio creato, quia nullum ens creatum creandi virtutem habet: tradenda manet vniuersalior ratio pro subiectis secundis, quæ per eductionem sicuti formæ in ipsis receptæ producuntur, quam iam pro omnibus causis quomodocumque productis explico.

4 Sit vniuersalior CONCLVSIO, quæ omnia hucvsque dicta amplectatur. Nullæ entitates possunt sibi mutuò esse causæ propriâ causalitatis ratione etiam in diuerso genere. Conclusionem hanc tradunt Suarez in Metaphysic. disput. 15. sect. 8. n. 20. & alij ex antiquis, quos ipse refert, quibus adde Hurtadum disput. 8. sect. 8. Arriagam disp. 7. sect. 8. subsect. 2. Effectus, in quocumque genere dependeat ab aliquo principio, supponit illud iam existens, (pono dependere in genere causæ materialis) ergo supponit illud iam productum: ergo non potest illud primò producere. Fefellit plurimos distinctio in diuerso causarum genere, qui ita respondent: forma dependens in genere causæ materialis supponit subiectum existens in genere causæ materialis, concedo; in genere causæ efficientis, nego: ergo non potest illud efficere, negant consequentiam: Et si inferas: ergo non potest illud causare, distinguunt consequens: non potest illud causare in genere causæ materialis, in quo dependet, & in quo illud supponit, concedo consequentiam: in genere causæ efficientis in quo non dependet, neque illud supponit: nego consequentiam. Quanta in his verbis æquiuocatio! Inquiro illud *in genere causæ efficientis, & in genere causæ materialis*, ex parte cuius se teneat? ex parte modi, quo principium supponitur, quod debet esse existens, seu ex parte modi quo principium, quod est existens, est prius effectu, quod est idem, vel ex parte modi, quo illud principipium est existens? hoc secundum ineptè dicetur, quia subiectum neque dicitur existere in genere causæ efficientis, neque in genere causæ materialis, quia per se ipsum existit: quod si in aliquo genere diceretur existere, diceretur existere in genere causæ formalis, id enim quod alicui entitati per se conuenit, dicimus formaliter illi conuenire, seu per propriam formalitatẽ quod posset aliquo modo dici in genere causæ formalis illis cõuenire. Si membra, distinctionis non ipsum modum, quo subiectum existit, sed modum, quo subiectum est prius, vt necessum est afficiant, integra manet difficultas, quam iterum propono: forma, quæ in genere causæ materialis est posterior principio passiuo supponit tanquam causam influxuram in genere causæ materialis (viam præcludo omni distinctioni) existentiam principij passiui: ergo illam supponit iam productam: ergo non potest illam producere.

5 Respondent aduersarij formam supponentem existentiam principij passiui priorem in genere causæ materialis non supponere illam existentiam vt productam, neque productionem principij passiui, quia ad hoc vt principium passiuum causet in genere causæ materialis tantùm per se requiritur existentia passiui principij, non verò illius productio, quia passio non dependet à productione existentiæ principij passiui, sed ab existentia passiui principij secundùm se. Contra: Passio formæ supponit immediatè existentiam passi secundùm se ipsam, sed hæc passi existentia supponit actionem productiuam illius: ergo de primo ad vltimum passio formæ remotè supponit productionem existentiæ principij passiui, quam proximè supponit. Confirmatur: calor dependens ab igne per se, & immediatè tantùm supponit existentiam ignis, ita vt si per impossibile ignis existeret absque aliqua dependentia, calor eodem modo dependeret ab illo, & ex eo quod ad existentiam ignis requiratur productio ipsius ignis, calor supponens existentiam ignis supponit illius productionem: ergo passio, quæ supponit existentiam passi debet supponere productionem passi essentialiter requisitam ad existentiam eiusdem, quam supponit. Dices diuersam esse rationem, quia productio ignis requiritur ad ignem tanquam quid requisitum in eodem genere, in quo ignis supponitur ad calorem, productio verò passi supponitur ad passum tanquam quid requisitum in diuerso genere, ab illo in quo passio seu forma recepta supponit existentiam passi. Contra: productio caloris ab igne supponens tanquam immediatum principium existentiam ignis, ex eo præcisè supponit productionem ignis, quia implicat dari existentiam ignis sine actione: ergo quotiescumque supponitur aliqua existentia debet supponi, quidquid essentialiter ad illam requiritur, & sine quo implicat dari talem existentiam quomodocumque illud requiratur. Secundò: calor supponens vt principium efficiens ignem productũ, illiusque productionem: ergo supponit illũ iam receptũ, & illius receptionem: ergo non potest esse principium suæ receptionis. Probo consequentiam: calor supponit productionem ignis, non productionem abstrahentem à creatione, & eductione, quia id supponit, quod requiritur ad ignem, & ex vi cuius ignis existit, sed non existit ex vi actionis in communi: ergo non supponit actionem in communi, sed in particulari: ergo vel actionem creatiuam, vel eductiuam: si eductiuam supponitur iam ignis in subiecto receptus, & ex illo eductus: ergo non poterit educi postea ex effectu, qui in illo priori, in quo est ignis eductus non supponitur; si supponit actionem creatiuam, ergo ignis vt recipiatur in termino producto in genere causæ efficientis debet supponi aliunde creatus: ergo non datur hæc mutua causalitas quoad primum esse vtriusque causæ. Neque hoc dici fas est, quia si terminus postea recipiendus est per passionem non potest prius naturaliter supponi per creationem productus, quia naturaliter non potest idem terminus terminare eductionem, & creationem. Breuiùs rem totam cingo. Actio & passio sunt idem: ergo terminus supponẽs actionem supponit passionem: ergo sicuti effectus dependens in genere causæ efficientis non potest esse principiũ actionis, per quam causa producitur, quia illam supponit neque poterit esse principium passionis, quia supponit eamdem.

Demum vt omnem æquiuocationem in hac materia 6
effugias, cautè aduerte, aliud esse rem poni in aliquo signo quasi exercitam in illo, aliud rem exercitam in alio signo poni in hoc vt conditionem ad illud, quod in hoc signo peragendum est. Cùm dicitur creationem materiæ poni in illo priori seu illo signo causæ materialis in quo materia supponitur ad formam, non dicitur creatio materiæ fieri in illo signo, seu in genere causæ materialis, sed creationem exercitam in genere causæ efficientis, supponi tanquam conditionem prærequisitam ad virtutem, quæ in genere causæ materialis in illo signo supponitur. Eodem modo applicatio agentis ad passum, quæ fit in genere causæ formalis supponitur in signo, in quo virtus actiua supponitur in genere causæ efficientis, & alia innumera huiusmodi exempla. Hæc doctrina apprimè notanda est contra illos, qui cùm argumentis suprà factis opprimuntur rem confundunt dicentes arguentem genera causarum confundere, cùm dicit materiam in illo priori in quo supponitur tanquam virtus materialis ad formam supponere actionem prærequisitam ad sui existentiam, quibus verbis ita se protegunt, vt viam disputationi præcludant semel & iterum reclamantes causarum genera confundi, vt rem confundant, ne ipsi argumentorum vi confundantur.

De dispositionibus eodem modo philosophandum est, 7
dum in actu secundo ad formam disponunt, ac de reliquis aliis causis, dum enim in aliquo genere dispositiones influunt in formam, non possunt ab hac in alio genere dependere propter eamdem rationem, quia non minus supponitur existentia dispositionum, vt determinent productionem formæ, quàm existentia causæ materialis, vt illam recipiant: ergo sicuti causa materialis non potest in aliquo genere dependere à forma, quam recipit, ita neque dispositiones ab eadem forma ad quam disponunt.

Obiicies: Actus contritionis est posterior habitu gra- 8
tiæ in genere causæ efficientis, & prior illo in genere causæ materialis, vt dispositio ad illum: ergo potest aliquid esse prius, & posteriùs saltem vt dispositio. Vt rem hanc componeret docuit P. Vasquez 1.2. disp. 212. n. 8. dispositiones posse dependere à forma ad quam disponunt, quam doctrinam tradidit Rubius lib. de generatione ſcapit. 4. tit. 2. quæst. 5. verumtamen plures suppetunt modi, quibus

res

res aliter sine hac mutua dependentia possit componi: non enim adeo certum est vt oppositum defendi non possit, habitum charitatis, à quo procedit charitatis actus, non distingui ab habitu gratiæ. Deinde etiamsi dicatur hos habitus non distingui multi censent primum actum non produci ab habitu, nec certum est, actum contritionis supponere ex parte subiecti habitum tamquam propriam dispositionem, quibus omnibus dicendi modis tota res sine hac mutua dependentia agitur, qui verò tenendus sit alibi definiendum.

9 Alij obiiciunt expulsionem formæ esse priorem, in genere causæ materialis introductione contrariæ, & posteriorem in genere causæ formalis, quibus negandum est expulsionem in aliquo genere esse priorem, de quo latè Controu. 8 Punct. 3.

CONTROVERSIA VIII.

De causa materiali & formali.

EGI lib. 1. Controuers. 2. de materia, & Controu 3. de forma, vbi dum essentias harum entitatum explicui, non pauca dixi de virtute causatiua illarum, & de causalitate materiæ respectu formæ, dum explicabam, quomodo formæ præexistant in materiæ potentia, & de causalitate vtriusque respectu compositi, multa scripsi Controuers. 4. dum naturam modi vnionis explicabam, absoluam in præsenti quidquid pertinet ad perfectam cognitionem harum causarum, ex quibus materialis causa se extendit, non solùm ad materiam primam, sed etiam ad quodcumque subiectum ex quo educitur forma realis, vel modalis, substantialis, vel accidentalis.

Punctum Primum.

Quid vtraque causa, & vtriusque causalitas.

1 MATERIALEM causam definit Aristoteles in hoc lib. capit. 3. his verbis: *Ex qua cùm insit, aliquid fit*; definitionem hanc meritò recipiunt omnes Philosophi, contra quam frustra recentiores multa congerunt, quæ simplici definitionis explicatione euanescunt, hanc exhibeo, quâ prolixa argumenta vito, & dirimo, festinè enim interficit, qui nasci prohibet. Definierat Aristoteles materiam primam lib. 1. cap. 9. *Primum cuiuscumque subiectum, è quo quidpiam eo fit pacto vt non per accidens insit.* Intendit modò non solùm materiam primam describere, sed etiam omnem causam materialem, quæ latiùs patet, quàm materia prima, ideo omisit particulam illam, *primum subiectum*, cuius ratio formæ potest competere, quæ etsi sit formalis causa compositi, est causa materialis plurium proprietatum, quæ ex illa educuntur, omisit etiam illam particulam, *eo pacto vt non per accidens insit*, quæ tantùm potest conuenire subiecto respectu substantialis formæ & materiaiis causa non solùm ad hanc se extendit, sed etiam ad formas accidentales, quæ ex illa educuntur. His demptis particulis, quod superest in definitione omni materiali causæ conuenit & non alij, quod sic ostendo. Do verbum *ex* commune esse omnibus causis, imò etiam omni principio, quod latiùs causa patet. Definit enim Aristoteles prima principia, *quæ non fiunt ex alijs neque ex alterutris, sed omnia fiunt ex ipsis*, & hac ratione forma potest dici, ex qua fit totum, ita fert communis loquendi modus, quo dicimus totum constare seu componi ex materia, & forma; componi autem idem est, quod intrinsecè causari, causæ enim intrintrinsecæ non alio modo, quàm componendo, causant. Neque audiendi sunt, qui dicunt hac, & similibus loquutionibus verbum *ex* sumi impropriè, si enim frequenter sumitur hoc verbum in acceptione, quam volunt impropriam esse, ex quo capite potemus cognoscere an hîc & nunc verbum *ex* propriè, & non impropriè sumatur? Sentio definitionem hanc causæ materiali præcisè competere ratione illius particulæ *cum insit*, quæ referenda est ad ly *aliquid*, ita vt faciat hunc sensum, *causa materialis est ex quo aliquid fit, quod illi insit*, in hoc sensu definitio omni causæ materiali conuenit, quia omne, quod fit ex causa materiali illi inest mediâ passione, & non potest alij principio, seu causæ competere, licet enim ex forma fiat compositum, & illa insit materiæ, & sit in composito, compositum autem factum ex forma non inest ipsi formæ, & ideo non potest ad illam tanquam ad causam materialem referri, cui debet inesse illud, quod fit ex illa. Hoc intendit Philosophus per illam particulam, *cùm insit.*

Cæterùm est valde notandum materiam dici in ordine 2
ad duplicem terminum causam materialem, in ordine ad formam, & vnionem, quæ ex illa educuntur, & illi insunt, & in ordine ad compositum, quod componit, quod non potest dici in esse materiæ, potius materia dicitur esse in composito, tanquam inclusum in includente, & pars in toto. Compositum causat materia seipsam communicando tamquam aliquid illi intrinsecum, ex quo componitur, & cum quo inadæquatè identificatur, formam verò, & vnionem causat tamquam effectus adæquate ab ipsa materia distinctos, quos totos ponit extra se entitatiuè, ita vt nihil illorum constituat formaliter neque componat, sed tantùm illis det esse per receptionem, quod agens tribuit per actionem. Respectu horum effectuum materialis causa propria causa dicitur, sicuti de materia prima respectu formarum substantialium probaui Controuers. 3, Punct. 4 in ordine ad quos causam materialem definit Aristoteles definitione adductâ non in ordine ad totum quod non inest materiæ, neque propriè est illius effectus vt postea ostendam. Ex hoc inferes illam particulam *cum insit* non esse intelligendam de inhæsione mediâ vnione, sed mediâ passione, per quam causa materialis constituitur in actu secundo causans, ad cuius conceptum formalem non spectat ordo ad vnionem, quia ad hoc vt materia causet formam necessum non est illi vniri, etsi semper vnio illius causalitatem comitetur, vt probaui punct. citato, vbi ostendi causalitatem materialis causæ esse passionem, seu receptionem accidentalem & non vnionem. Neque diminutè processit Aristot. ex eo quod non definierit causam materialem in ordine ad totum, quia vt exactè res definiatur non debet definiri in ordine ad omnia extrema, ad quæ dicit ordinem, neque causa in ordine ad omnes effectus est necessariò explicanda, sed sufficiet illam explicari per ordinem ad aliquem effectum per quem possimus totam naturam definiti perfectè cognoscere.

Conceptus causæ materialis, & formalis in ordine ad 3
totum componendum nullam dicunt receptionem accidétalem, aut potentiam ad illam ex parte materialis causæ recipientis, aut formæ receptæ vt probaui Controuers. 2. Punct. 3. & Controuers. 3. Punct. 3. vbi de conceptu materiæ, quæ essentialiter est causa materialis totius & de conceptu formæ quæ eiusdem est formalis causa disputaui. Neque alius est conceptus causæ materialis totius, quã conceptus potentis componere per modum partis materialis, & conceptus formalis causæ quam conceptus potentis componere per modum partis formalis quos conceptus explicui punctis citatis, vbi accuratè tractaui, quomodo inter se differant pars materialis, & formalis; & materialem partem perfectibilem per aliam compartem formalem perficientem appellaui, & explicui, quid sit partem esse perfectibilem per formam substantialem, & accidentalem, & quid sit partem substantialem, & accidétalem aliam compartem perficere, recognosce ibi latè tradita, nihil enim præter ibi dicta desiderandum inuenio ad cognoscendas naturas causæ materialis, & formalis totius, quæ formaliter non differunt à partibus materiali, & formali eiusdem, quia conceptus causæ intrinsecæ à conceptu partis non distinguitur, & per easdem differentias per quas differunt pars materialis, & formalis differunt causa materialis, & formalis, & per eosdem conceptus per quos constituuntur pars materialis, & pars formalis constituuntur formaliter causa materialis, & formalis eiusdem totius.

Causalitatem materialis, & formalis causæ totius in or- 4
dine ad ipsum totũ ex parte materiæ esse vnionẽ, per quam materia vnitur formæ, & ex parte formæ esse vnionem,

per quam forma vnitur materiæ extra totam controuersiam esse debet; id breuiter ratione ostendo. Causa materialis, & formalis totius in actu primo dicunt potentiam componendi totum: ergo reducuntur ad actum secundum per compositionem, per quam formaliter dicuntur totum componere: sed hæc est vnio: ergo reducuntur ad actum secundum per vnionem: ergo vnio est causalitas vtriusque, quia causalitas nihil aliud est, quàm id per quod causa in actu primo reducitur ad actum secundum: potentiam cõponendi reduci ad actum secundum per vnionem tanquã per compositionem, negbit nemo, est enim per se notum partes actu componere totum, nihil aliud esse, quam actu habere vnionem, per quam ex illis constituitur vnitum, quod formaliter est totum constans partibus. Circa hanc causalitatem, seu vnionem plures quæstiones nonnulli hoc loco exagitant, an videlicet vnio, seu causalitas causarum intrinsecarum, ab ipsis distinguatur, an ex suppositione, quod distinguatur eadem sit cum eductione, seu passione, an per simplicem, vel duplicem vnionem annectantur materia, & forma, quas quæstiones exagitaui Controuers. 4. vbi probaui Punct. 1. vnionem esse modum substantialem distinctum ab extraneis, & ab eductione, & Punct. 2. esse modum simplicem, eamdémque vnionem dici materializationem, quatenus se tenet ex parte materiæ, & informationem quatenus se tenet ex parte formæ; sicuti eadem entitas actio dicitur, & est agentis causalitas quatenus respicit principium, à quo fluit, & dicitur passio, & est causalitas causæ materialis formæ quatenus se tenet ex parte subiecti. Ex quibus ratum est, eamdem esse causalitatem materialis, & formalis causæ in ordine ad totum, quod componunt, & hanc distingui ab vtraque causa, in compositis, quorum partium vnio ab ipsis distinguitur. In totis, quorum altera pars per se ipsam vnitur subiecto, sicuti in hoc concreto *præsens*, cuius pars formalis, videlicet præsentia per se ipsam subiecto vnitur, causalitas partis formalis ab ipsa parte formali non distinguitur, & causalitas materialis causæ, quæ eadem est cum causalitate causæ formalis distinguitur à causa materiali, & identificatur cum causa formali: vnde ex duabus concausis, quæ confluunt in hoc concretum, *præsens*, subiectum habent rationem materialis causæ illud componentis, forma verò, quæ est præsentia est causa formalis componens compositum, & est causalitas sui ipsius, & aliûs concausæ, quia per ipsam præsentiam eadem vnitur subiecto, & subiectum eidem est vnitum.

5 Contra hanc doctrinam præsto adest obiectio. De ratione causæ est prioritas naturæ, sed hæc non potest conuenire causalitati: ergo neque entitati identificatæ cum causalitate: ergo non potest esse causa formalis identificata cum causalitate: ergo causa formalis huius concreti *præsens* distinguitur à causalitate per quam constituitur actu causans. Respondeo verum esse causalitatem non esse priorem natura, vt probaui Contr. 7. Punct. 3. ex quo rectè infertur non posse habere hanc prioritatem aliquid identificatum cum causalitate, & causam formalem huius concreti *præsens* non esse priorem naturâ, in quo nullum est inconueniens, nam etiamsi concedamus prioritatem naturæ esse de ratione cuiuscumque causæ, & non solùm illarum, quæ adæquatè ab effectu distinguuntur, nihil absurdi contra nos poterit inferri cum sentiamus causam intrinsecè componentem effectum, propriè, & strictè causam non esse quod statim probabo.

6 Obiicies ad probandum vnionem non posse esse causalitatem materiæ & formæ. Causalitas per se ipsam dependet à causa in eo genere, in quo est causalitas: sed vnio per se ipsam non dependet à materia, neque à forma in genere causæ materialis, aut formalis: ergo nõ est causalitas materiæ in genere causæ materialis, aut formæ in genere causæ formalis. Resp. antecedens esse verum in causis quarum effectus ab ipsis distinguuntur, non in illis, quæ causant cõponendo, quia causa à qua dependet effectus adæquatè distinctus potest effectum, & causalitatem causare, materialis enim causa potest subesse passioni, & formæ, quæ media passione recipitur, & ab eodem principio effectiuo possunt effectus, & ipsa effectio procedere; materia verò, quæ totum tanquam effectum componit, non potest simul causalitatem, seu vnionem, & effectum, seu totum compositum componere, quia vnio non constat materiâ, & formâ ex quibus componatur, & ita non possunt materia, & forma, quarum est causalitas illam componere; sicuti actio, quæ constat principio effectiuo, & subiecto, potest à causis, quarum est causalitas, tanquam à principio effectiuo, & à materia dependere.

Materiam, & formam componentes totum causas intrinsecas vulgus appellat, quibus iam causalitatem assignauimus, sed adhuc sciendum superest: an illis propria ratio causæ conueniat. Non est quæstio de materia quatenus in se respicit formam, & vnionem; hac enim ratione iam probaui Puncto citato, materiam propriè exercere causalitatem per receptionem respectu formæ, & vnionis, quas recipit, quæ causalitas non solùm est mediata, & remota circa totum, vt multi censent, sed proxima, & immediata, quod sic probo. Principium effectiuum causans vnionem mediâ actione dicitur immediatè causare totum compositum, ergo principium passiuum causans vnionem mediâ passione eodem modo dicetur causare totum: vtrũque enim principium est verè causa respectu termini quê attingit, & terminus, quem vtrumque respicit est omnino idem: ergo non est maior ratio vt dicatur principium efficiens causa immediata compositi per actionem terminatam ad vnionem, quàm vt principium passiuum dicatur similiter causa immediata per passionem terminatã ad eamdem vnionem, ex vi huius causalitatis materia prima dicitur causa immediata totius non componens, sed patiens vniõnem, per quam vltimo constituitur cõpositum. Vnum in hac re verum est de principio effectiuo vnionis dici esse principium efficiens totum compositum, & illud generãs, etiamsi tantùm attingat per causalitatem vnionem; de principio verò passiuo vnionis non posse dici pati totum compositum, vel totum compositum recipere, quia etiamsi ratione vnionis tantùm genitæ totum compositum denominetur genitum, ratione vnionis receptæ compositum receptum non denominatur, non alia de causa, nisi quia inualuit vsus, denominationem geniti, etsi tantùm vnioni conuenientem toti communicari, & non ita cõmunicari denominationem recepti, quæ tantùm tribuitur entitati indiuisibili, quæ formaliter ratione sui recipitur. Materia quatenus recipit formam potest dici totum mediatè, seu remotè causare, sicuti de producente formam dicitur, si tamen per eamdem passionem formam, & vnionem sustentet, causalitas terminata ad formam erit causalitas immediata, non formaliter quatenus ad formam, sed quatenus ad vnionem terminatur. Hoc causalitatis genus non est materiæ vt componentis, de quo procedit difficultas, quam iam soluo. 7

Sentio, materiam, & formam quatenus sunt causæ intrinsecè componentes compositum mediâ vnione propriè non esse causas, sed tantùm partes compositi, quod sic probo: forma (idem intellige de materia) quatenus in actu secundo componit totum non est causa materiæ, neque est causa vnionis, quam tantùm terminat præcisè ex eo, quod sit pars componens totum, neque est causa sui ipsius: ergo non est causa alicuius quod includat compositum: antecedens admittit communis sententia: consequentia est vndique firma, quia totum nihil includit præter materiam, formam, & vnionem: ergo quod non est causa materiæ, formæ, & vnionis, non est causa alicuius, quod includat compositum. Pergo vlterius: forma non est causa alicuius, quod includat compositum: ergo neque ipsius compositi. Probo consequentiam: totum eatenus est causatum, & existens extra causas, quatenus illa, quæ formaliter dicit sunt causata & existentia extra causas: ergo eatenus recipit esse à causa quatenus illud recipiunt, illa, quæ dicit formaliter: ergo non potest recipere esse ab aliqua causa, à qua illud non recipiat aliquid, quod dicat formaliter: sed nihil, quod dicat formaliter totum recipit esse à forma: ergo neque ipsum totum ab illa suum esse recipit. 8

Secundò forma, ex eo quod totum componat tantùm præstat hoc, quod est terminare vnionem, sed esse terminum vnionis non est propriè esse causam: ergo forma ex eo quod componat compositum non est propriè causa: terminare vnionem non esse propriè esse causam, probo à paritate reliquorum terminorum actuum vitalium, relationum, & quorumcumque respectuum, tum etiam à paritate vnionis integralis, & ratione. Quia terminus, vt terminus nullum genus causalitatis ex quatupr assignatis à Philosophis dicit, vt cuicumque singula percurrenti patebit. Deinde si forma mediâ vnione aliquid causaret id deberet esse, quod mediâ vnione 9

immediatè

immediatè attingit : sed quod attingit immediatè media vnione est materia : ergo causaret immediatè materiam : hanc non causat : ergo nihil. Ad hæc facit illud argumentum quod efformabam num. 6. Vnio non dependet tanquam à causa à forma : ergo non est propria causalitas respectu illius. Demum si forma esset vera causa quatenus componit, materia quæ similem causalitatem haberet etiam quatenus componens, haberet duplex genus causandi, vnum media passione per modum recipientis, aliud mediâ vnione per modum componentis, quæ causarum genera maximoperè ex causalitatibus differunt, & ita multiplicarentur causarum genera respectu causarum, quibus propriè, & strictè ratio causæ conueniret, quod nullus hucusque conceſſit. Neque poteris eadem vi argumentum retorquere in meam sententiam, ex qua non infertur minui numerum generum causarum propriarum, si forma non sit vera causa, quia forma potest dici causa propria respectu expulsionis aliûs formæ, etsi non dicatur causa compositi, quod autem vna forma aliam non expellat physicè, sed moraliter, inconueniens non est, quia finalis causa intra numerum, quatuor causarum continetur, & non physicè sed moraliter influit. Accedit plurimos negare causæ finalis propriam rationem causæ, quapropter nouum non esset asserere non dari quatuor genera causarum propriarum; asserere autem materiam pertinere ad duplex genus causæ, & dari quinque causarum, genera, etiam exceptâ exemplari causâ, est contra communem omnium sententiam. Contra hunc dicendi modum nihil momenti adduci posse existimo, neque in re differt à communi sententia, cùm non negetur materiam, & formam intrinsecè totum componere, & esse partes illius essentiales mediâ vnione totum constituentes.

Pvnctvm II.

An eadem materia possit duplicem formam incompossibilem diuinitus recipere.

1 Hæc difficultas in præsenti propriè locum sibi vendicat, vbi de causa materiali, & formali simul sermonem instituimus, est enim vtrique communis : Inquirimus, an eadem materialis causa possit simul subesse diuinâ intercedente potentiâ duabus formis ex se incompossibilibus, quod est idem ac inquirere an duæ causæ formales, possint materiam habere communem, & illi inesse, eodémque iure pertinet hæc difficultas ad tractatum de causa materiali, & formali.

§. I.

Nonnulla præmittuntur.

2 Dvplicem respectum dicit materia ad formam, quemdam media passione, alium media vnione. De vtroque sub præfixo titulo venit disputatio : an videlicet materia possit media receptione duplicem formam ex se incompossibilem pati, seu recipere, & an possit eidem duplici formæ, siue receptæ in materia, siue non receptæ, sed per creationem productæ vniri, ita vt cum qualibet illarum vnum compositum constituat, quod à composito, quod cum altera componit differat ratione formæ, & in materia communicet. Quæstiones hæ inter se sunt valde affines, quæ promiscuè absque distinctione vulgò agitantur, de illis tamen ego diuersum feram iudicium, quapropter multum refert præ oculis semper habere hanc distinctionem receptionis, & vnionis, mediis quibus forma diuerso modo subiectum respicit.

3 Oportet etiam animaduertere ex diuersis capitibus posse dimanare incompossibilitatem naturalem, seu naturaliter non posse esse duplicem formam in eadem materia media vnione, vel receptione. Primo potest procedere ex lucta quam inter se habent hæ formæ, quarum vna semper aliam expugnat propter inimicitias, quas cum illa gerit, etiamsi alias subiectum in suo gremio ex se vtramque simul amplecti non renueret, quia non esset supra suam virtutem, causalitatem, vel vnionem vtriusque terminare, si ipsæ formæ inter se non mutuò digladiarentur, ita vt tota ratio, propter quam formæ simul esse non possunt sumatur ex mutua exigentia, quam quælibet habet, vt illa posita corrumpatur altera, nulla habita ratione ad defectum virtutis, seu capacitatis, quem habeat subiectum ad vtramque formam simul fouendam. Posset secundò dimanare incompossibilitas formarum ex incompossibilitate dispositionum, quas vtraque supponit, quæ cùm non possint simul eidem subiecto coaptari extrinsecè reddent formas ad quas disponunt incompossibiles, etiamsi quælibet ratione sui posset alteram absque vlla violentia comitari. Tertiò potest incompossibilitas procedere ex incapacitate materiæ quæ ex se impotens sit ad recipiendas simul duas formas, quia ita est potens vtramque successiuè recipere, vt illas simul capere non possit. Potest quartò materia non posse naturaliter aliquam formam recipere ex defectu agentis naturalis, quia nullum non supernaturale poterit illam producere. Hæc incapacitas præcisè ex defectu orta agentis non est respectu simultatis formarum, sed respectu alicuius, quæ non possit neque simul, neque successiuè ab agenti produci, quia si agens posset successiuè vtramque producere, & subiectum posset vtramque simul fouere, & vna non propulsaret alteram, duo agentia numero distincta possent duplicem hanc formam in eodem subiecto producere, vel vnum, postquam vnam produxisset, posset cessare ab illius conseruatione, & producere alteram in eodem subiecto, si vtramque simul producere non posset, & ita naturaliter esset duplex forma in eodem subiecto.

Statuo primò : Si repugnantia recipiendi mediâ inhæsione, vel terminandi mediâ vnione duplicem formam, proueniat ex incapacitate subiecti, de potentia Dei absoluta non poterit suppleri à Deo, neque subiectum duplicem amplecti formam. Rationem reddo à priori desumptam ex P. Vasquez, quem postea dabo. Capacitas, & incapacitas respiciendi formas non distinguitur à subiecto capaci, & incapaci : ergo permanente eodem subiecto permanet eadem capacitas, vel incapacitas : ergo si hoc subiectum est incapax recipiendi duplicem formam siue mediâ inhæsione, siue mediâ vnione, vel informatione, non potest fieri adhuc supernaturaliter capax, quia quidquid Deus miraculosè operetur, permanet idem subiectum : ergo eadem incapacitas; permanente verò incapacitate non potest recipere duplicem formam, quia si illas recipieret, esset capax, valet enim consequentia de actu ad potentiam : ergo esset capax, & esset incapax; capax quia reciperet, incapax quia esset idem subiectum, quod per suam entitatem incapax erat. 4

Secundò probatur eadem conclusio : Subiectum recipit in genere causæ materialis, sed in hoc genere nulla potest esse eleuatio : ergo si subiectum ex se non est capax, non potest capax fieri à Deo : idem dices de effectu causæ formalis, siue intrinsecæ, siue extrinsecæ, qui non potest suppleri à Deo, propter rationem, quam iam trado. Deus tantùm operatur in genere causæ efficientis : ergo non potest per se ipsum supplere defectum causæ materialis, vel formalis. Probo consequentiam : hæc causarum genera sunt inter se valde differentia. ergo per influxum, quem præstat causa in hoc genere non potest suppleri defectus influxus præstandi in alio genere diuerso. Confirmatur : agere non est pati : ergo per nullam actionem Dei potest adiuuari materia, vt patiatur formam, quam ipsa ex se non potest pati, neque vt terminet vnionem formæ, quam subiectum ex se non potest terminare, actio enim producens formam, vel vnionem, tantùm producit id, quod est recipendum, vel terminandum, capacitas autem ad determinandum debet supponi ex vi actionis, quâ subiectum, quod præsupponitur fuit productum identificatum cum ipsa capacitate. 5

Dices : Deum in genere causæ efficientis supplere defectum causæ materialis : Contrà : vel Deus suppler hunc defectum causæ materialis præstando similem influxum illi quem præstat, seu præstaret causa materialis, & hoc implicat, quia Deus non potest pati formam, neque illi se vnire tamquam subiectum informationis : vel supplet defectum causæ materialis talem influxum actiuum præstando, vt necessarius non sit influxus causæ materialis, & hoc modo materia non recipiet formam, neque erit subiectum illius, sed Deus per creationem conseruabit formam independenter à materia, per quam creationem materia non erit eleuata ad receptionem sed potiûs ab illa remota, de quo non est quæstio, sed an Deus possit facere vt duplex forma dependenter à materia tanquam à subiecto inhæsionis conseruetur in eadem materia recepta. Quod dixi 6

de subiecto inhæsionis eodem modo intellige de subiecto informationis, eadem enim est ratio de vtroque.

7 Dices materiam primam esse capacem recipiendi duplicem formam simul, & terminandi vtriusque vnionem supernaturaliter, non verò naturaliter. Contrà: illud naturaliter vel supernaturaliter, vel se tenet intrinsecè ex parte potentiæ materiæ, vel tantùm extrinsecè, quia licet potentia ad simultatem horum actuum ex se naturalis est, dicitur extrinsecè supernaturalis, quia illorum simultas propter contrarietatem, seu oppositionem actuum erit supernaturalis. Primum dici nequit, quia naturalitas, & supernaturalitas non potest eidem entitati intrinsecè euenire: sed materia prima est vna entitas simplex, & indiuisibilis: ergo non potest illi naturalitas & supernaturalitas conuenire, neque potest habere potentiam intrinsecè supernaturalem recipiendi formas, cùm hæc debeat esse identificata cum sua naturali entitate, & nihil supernaturale possit identificari cum entitate naturali. Si dicas illam supernaturalitatem esse extrinsecam materiæ, tecum sentio: sed in hoc sensu cùm dicitur materia non potest recipere duplicem formam naturaliter, quam poterit supernaturaliter recipere, impotentia recipiendi naturaliter illas formas non est intrinseca materiæ, sed extrinseca, quia tantùm dicit nullum agens naturale posse illas simul conseruare in eadem materia propter incompossibilitatem, quam ex se habent formæ, non quia ipsa materia ex se virtutem non habeat, quia si agenti naturali virtus actiua superueniret ad conseruandam simul vtramque formam in eadem materia non obstante oppositione ipsarum, materia prima intrinsecè inuariata absque vlla eleuatione naturaliter vtramque formam reciperet, ac proinde in hoc sensu idem est dicere materiam primam non posse recipere duas formas simul, ac dicere me non posse ditari ab homine paupere, quod non est me habere aliquam incapacitatem recipiendi diuitias, sed pauperem non habere facultatem illas mihi tribuendi.

8 Iuxta hanc doctrinam intelliges hanc esse optimam consequentiam, materia prima non potest recipere hanc formam, vel simul duplicem aliam naturaliter: ergo neque supernaturaliter, si illud *non potest* se teneat ex parte materiæ, & non ex parte agentis connotati per illam particulam *naturaliter*. Vnde cùm dicimus animus rationalis non potest naturaliter recipere gratiam, tantùm intendimus significare nullum esse agens naturale, quod possit gratiam habitualem in animo rationali producere, ex quo prouenit animum rationalem non posse ab agente naturali gratiam recipere, sed necessariò illam recepturum (casu quo illam recipiat) ab agenti supernaturali per receptionem supernaturalem ratione agentis, à quo procedit, non verò intendimus significare animum rationalem ex se habere aliquam incapacitatem intrinsecam, vel aliquem defectum circa id, quod præcisè ex parte subiecti requiritur, quod debeat suppleri à Deo ad receptionem gratiæ supernaturalis, quia animus rationalis etsi ex se gratiam supernaturalem non exigat, illam poterit recipere per suammet entitatem, & virtutem intrinsecè naturalem, si Deus velit gratiam aliàs indebitam supernaturaliter illi infundere. Semper tamen dicitur animum rationalem supernaturaliter gratiam recipere, & numquam naturaliter, quia semper illius receptio connotat agens supernaturale, & ratione termini intrinsecè est supernaturalis, etiamsi ex parte subiecti, in quo recipitur nullam supponat virtutem supernaturalem, ad hoc enim vt receptio absolutè sit supernaturalis non requiritur terminum recipere per potentiam passiuam supernaturalem, sed sufficiet ab agenti supernaturali procedere.

9 Statuo secundò. Si repugnantia naturalis, propter quam idem subiectum non possit recipere simul duplicem formam, vel vtráque simul informari, procedat tantùm ex mutua vtriusque pugna, vel ex contrarietate dispositionum, quas supponunt, poterit Deus supernaturaliter vtrãque formam in eodem subiecto informationis, & receptionis copulare. Ratio est facilis. Vna forma tantùm expellit aliam quatenus petit, vt Deus subtrahat concursum, quo illam conseruabat, sed supposita quacumque exigentia subtractionis concursus, potest Deus illum non subtrahere: ergo supposita forma exigente corruptionem alterius poterit Deus alterum, cuius hæc corruptionem exigebat conseruare: exigentia enim causæ naturalis non potest cogere Deum ad illud, quod exigitur præstandum, ita vt non possit causæ exigenti non annuere: ergo quando repugnantia oritur præcisè ex pugna formarum poterit vinci à Deo: quando oritur ex incompossibilitate dispositionum facilius res componi poterit, quia sicuti Deus formas substantiales inter se pugnantes potest in eodem subiecto continere, eodem modo poterit formas accidentales, seu dispositiones ad duplicem formam inter se incompossibilem in eodem subiecto conseruare, sicuti conseruat plures præsentias, quas habet Christus Dominus in Eucharistia, quarum quælibet cum altera habet naturalem incompossibilitatem: ergo simul conseruatis dispositionibus ad vtramque formam iam ex hoc capite formarum simultas non repugnaret. Demum potest Deus formam substantialem absque vlla dispositione saltem supernaturaliter conseruare: ergo etiamsi in eodem subiecto non possent componi dispositiones ad duplicem formam (quod facilè posses defendere, si diceres quamlibet formam substantialem supponere tamquam propriam dispositionem carentiam dispositionum ad aliam, de quo modò nihil trado) ex hoc capite non repugnaret respectu omnipotentiæ simultas formarum in eodem subiecto.

Obiic. Vna forma expellit aliam per informationem; ergo posità informatione non potest illam non expellere. 10
sicuti posità actione, per quam effectus producitur implicat non produci. Distinguo antecedens: vna forma expellit aliam per informationem in actu primo, concedo: in actu secundo, nego. hoc est forma alterius expultrix per informationem exigit à Deo, vt Deus subtrahat concursum, quo subtracto non erit inimica forma, cuius non esse machinatur, & hoc voco expellere in actu primo, hoc est intendere in expulsionem, seu in non vsse formæ expellendæ; expulsio tamen tantùm contingit quando Deus ad exigentiam formæ informantis subtrahit concursum, quo formam antiquam conseruabat, quæ subtractio est causalitas non esse formæ antiquæ, & dicitur expulsio, quando contingit ad exigentiam formæ introductæ, quæ non expellitur physicè, sed moraliter media voluntate Dei per subtractionem concursus, quo Deus antiquam formam conseruabat, de quo latè punct. 3 §. 2.

Obiic. secundò. Deus non potest facere vt forma, quæ ex se est naturaliter incompossibilis cum alia, compossibilis fiat supernaturaliter, quia compossibilitas, & incompossibilitas identificantur cum entitate formarum, & eisdem permanentibus semper remanent cum eadem compossibilitate, vel incompossibilitate. Respondeo de compossibilitate intrinseca rectè probare argumentum, me tamen non asserere Deum posse facere compossibiles intrinsecè duas formas ex se incompossibiles, quia etiamsi Deus illas conseruet in eodem subiecto adhuc remanent incompossibiles, quia vtraque remanet cum exigentia ad corruptionem alterius, in qua incompossibilitas consistit, non enim requiritur ad hoc vt formæ sint incompossibiles, vt non coniungantur, neque vt non possint absolutè coniungi, sed ne possint coniungi absque repugnantia vtriusque, contra quam agens vtramque conseruabit, quia etiam quando sunt simul mutuò, illarum quælibet exigit non esse alterius in eodem subiecto. 11

Statuo vltimò: Quando materiam non posse recipere naturaliter hanc formam, vel duplicem illam simul, tantùm prouenit ex defectu virtutis agentis, supernaturaliter poterit vnicam, vel duplicem formam recipere, quia nullus effectus repugnat produci à Deo ex defectu virtutis Dei, ergo effectus in quo producendo nulla potest inueniri repugnantia præter defectum virtutis productiuæ poterit produci à Deo, cuius virtus est infinita, & se extendit ad omnia, quæ ex alio capite non implicant. 12

§. II.

De formis substantialibus iudicium fero.

PAter Vasquez 3 part. disput. 29. cap. 4. num. 23. cum Capreol. in 1. distinct. 17. quæst. 2. & aliis Thomistis negat posse materiam adhuc supernaturaliter plures formas substantiales recipere. Affirmat P. Suarez in Metaph. disp. 15. sect. 10. num. 6. P. Fonseca 5. Metaph. cap. 4. quæst. 4. sect. 5. ad 3. P. Rub. 2. Physic. tractat. de forma, P. Hurt. disp. 4. sect. 3. num. 39. Præmissa semper distinctione subiecti inhæsionis, & informationis aliquibus conclusionibus meam sententiam aperiam. 13

PRIMA CONCLVSIO. Possibilis est materia ex se capax recipiendi 14

recipiendi duplicem formam ſubſtantialem media inhæſione, & media informatione, etiamſi formæ ſecundùm ſe ſint incompoſſibiles. Ex hoc infertur conſequenter ad dicta §. præcedenti, præcipuè num. 7. poſſe de potentia Dei abſoluta duplicem formam informare ſimul talem materiam, & recipi in illa de potentia Dei abſoluta. Hanc concluſionem rectè probant rationes à Suar. adductæ pro ſua ſententia, quarum præcipua eſt, nullam ſequi contradictionem ex exigentia talis materiæ, & ex ſimultate receptionum, & informationum in illa; non enim vna forma eſſet de eſſentia alterius, neque vna forma pertineret ad eſſentiam compoſiti, quod altera conſtitueret, quod ſic oſtendo. Demus vnam eſſe formam ligni, alteram formam auri, neque aurum eſſet lignum, neque lignum aurum, quia neutrum alterius formam includeret: lignum enim, etſi materiam auri includeret, aurum non eſſet, quia aurum non tantùm dicit materiam, ſed eſſentialiter includit formam. Idem dico de auro, quod materiam ligni includeret, non tamen eſſet lignum. Verum eſt illa duo compoſita non diſtinguenda adæquatè, quia haberent eamdem numero materiam, quod nullum eſt inconueniens, quia ſicut compoſita accidentalia album, & dulce diſtinguuntur formaliter, & ſunt idem ex parte ſubiecti, ſic accideret in illo caſu, in quo eadem eſſet in re diſtinctio, quæ nunc eſt in compoſitis accidentalibus, quorum ſubiectum eſt idem, & maior in modo ſignificandi, quia compoſita accidentalia cùm tantùm dicant in recto ſubiectum, & non formam, ſi ſubiectum eſt idem, totum quod dicunt in recto eſt idem, & ideo poſſunt prædicari, & dici, *album eſt dulce*, compoſita verò ſubſtantialiter cùm dicant æquè in recto materiam, & formam, etiamſi haberent eamdem materiam communem, non haberent commune totum id, quod dicunt in recto, & ita non poſſent mutuò prædicari, neque dici *aurum eſt lignum*, vel *lignum eſt aurum*, ratione ſubiecti communis.

15 Secvnda conclvsio. Materia illa, de qua loquuti ſumus concluſione præcedenti, duplicem illam formam reciperet per potentiam naturalem, & ratione illius potentia non diceretur ſupernaturalis. Hæc concluſio conſtat ex dictis ſupra, vbi probaui hanc illationem eſſe legitimam: materia ex ſe non poteſt recipere duplicem formam ſubſtantialem naturaliter: ergo neque ſupernaturaliter poterit illas recipere: ergo ab oppoſito conſequentis valebit ad oppoſitum antecedentis: materia prima recipit ſupernaturaliter duplicem formam: ergo quatenus eſt ex ſe per potentiam naturalem, & per ſuam entitatem poteſt vtramque recipere. Extrinſecè materia dicetur ſupernaturalirer recipere formas, quia receptio ſupernaturalis erit non ratione materiæ, ſed ratione formarum incompoſſibilium, quas nullum agens naturale poteſt ſimul in eadem materia conſeruare, & non poſſet dici materiam naturaliter recipere tales formas, quia vt ita diceretur illas recipere neceſſum erat receptionem ex omni capite eſſe naturalem, & non ſufficit, illam exerceri per potentiam paſſiuam naturalem, & ex hac non eſſe ſupernaturalem, ſicuti dici nequit animum rationalem naturaliter gratiam recipere, etiamſi receptio ſupernaturalis non ſit ratione ſubiecti recipientis, & hoc ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam virtutem receptiuam cum illo identificatam intrinſecè ſit naturale.

16 Tertia conclvsio. Poteſt dari materia potens ex ſe terminare duplicem vnionem, ex cuius potentia non poſſint ſimul educi formæ illæ, quæ eidem poſſunt vniri. Prior pars concluſionis in concluſione 1. continetur. Poſterior probatur: poſſe terminare vnionem ad formam, & poſſe illam recipere, in aliqua materia poſſunt realiter ſeparari, ſicuti de facto ſeparantur in materia, quæ modo eſt reſpectu animæ rationalis, cuius vnionem poteſt terminare, etſi non poſſit illam recipere: ergo ex eo quod materia poſſit vniri ſimul duplici formæ non infertur poſſe vtramque recipere: ergo poteſt dari materia, quæ poſſit vnire ſibi formam, quam recipere non poteſt. Deinde nulla eſt repugnantia in eo, quod detur talis materia: ergo poterit dari. Idem dico de modis vnionum qui poſſunt eſſe informationes materiæ, & non educi ex illa, ſed ex forma, vel creari à Deo, modus enim vnionis non eſſentialiter dependet à materia tanquam à ſubiecto inhæſionis, imò ſi hic, qui de facto datur dependeret per ſe ipſum, non implicaret dari modum alium, qui poſſet creari ſine dependentia à materia tanquam à ſubiecto inhæſionis.

Qvarta conclvsio. Materia, quæ de facto datur non poteſt eſſe ſubiectum inhæſionis, ſeu cauſa materialis duplicis formæ ſubſtantialis, neque duplicis modi vnionis adhuc de potentia Dei abſoluta. Adhæreo P. Vaſquez in hac concluſione, quam ratione euidenti probare non præſumo, ſed tantùm probabili coniectura, quam expono: Materia prima non habet capacitatem ſuſtentandi duas formas ſimul. ergo neque ſupernaturaliter poterit illas recipere. Conſequentia ex iam dictis legitima eſt, antecedens probo: nullum eſt fundamentum ad tribuendam materiæ hanc virtutem recipiendi duas formas ſimul: ergo non eſt tribuenda. Probo antecedens: ex eo quod materia poſſit ſucceſſiuè recipere, non infertur poſſe ſimul, quia maior virtus requiritur ad ſuſtentandam ſimul duplicem formam, quam ſucceſſiuè, ſicuti ex parte efficientis maior virtus requiritur ad producendum ſimul duplicem effectum, quàm ſucceſſiuè: ergo nullum eſt fundamentum quod hanc virtutem in materia ſuadeat, quia ſi aliquod eſſet, deberet ſumi ex virtute, quam habet ad recipiendas ſucceſſiuè plures formas. Conſequentiam prioris enthymematis probo: quia ſicut iuxta bonam Philoſophiam non ſunt multiplicandæ entitates ſine fundamento, ſic in eadē entitate non ſunt virtutes multiplicandæ, neque eadem eſt extendenda ſine poſitiuo fundamēto circa effectus, qui maiorem virtutem exigunt, aliàs poſſum ego dicere muſcam habere virtutē inchoatam ad producēdum Angelum, & alia ſimilia ſine fundamento confingere. 17

Obiic. Plures eſſe virtutes ad cuius cognitionem fundamentum non habemus: ergo ex eo quod non inueniamus fundamentum, non debemus negare virtutem occultam, cuius fundamentum forſan nos ignoramus. Reſp. admiſſo antecedenti negando conſequentiam, quia licet hæc regula: non apparet fundamentum, ex quo hæc virtus nobis innoteſcat: ergo non eſt, non ſit infallibilis, imò certum ſit aliquando deficere, tamen vt plurimùm eſt vera, & hic, & nunc moraliter certa; nos autem vbi demonſtrationem non habemus prudenter iudicamus iuxta communiter accidentia, quia iuxta hunc modum eſt minus errandi periculum, quàm ſi abſolutè virtutes ſine fundamento concederemus, neque quia aliquando deficiat illa regula, cùm vt plurimùm vera exiſtat, debemus iudicium ſuſpendere, aliàs plurimas quæſtiones indeciſæ remanerent, ſed prudentia cenſetur, hic & nunc contingere, quod communiter accidere ſolet, & non quod rarò euenit, licèt poſſe aliter rem ſe habere aliquam formidinem pariat aſſenſui, ſine qua non ego concluſionem præcedentem trado.

Qvinta conclvsio. Materia prima quæ de facto datur poteſt vniri duplici formæ, dummodo non vltra vnicam formam, & vnicum modum vnionis ex illo educatur. Poſit iuum huius concluſionis docuit Soar. cum aliis, quos cum illo retuli, qui ſine diſtinctione inter vnionem, & inhæſionem docent materiam primam poſſe habere multiplicem formam. Negatiuum docet Vaſquez, & probatum eſt concl. præcedenti; vtrumque & præcipuè poſitiuum quod probatum non eſt oſtendo ex principiis Patris Vaſquez diſp. 29. citata num. 25. & ex doctrina Caiet. ibi relati, quam ipſe Vaſquez approbat. Refert citato loco ſapientiſſimus Pater Caietanum concedentem Scoto effectum non poſſe dependere à duplici cauſa totali, & aſſerentem inde non ſequi eandem naturam non poſſe à pluribus perſonis terminari, eo quod diuerſo modo dependeat natura à ſuppoſitis alienis, quàm effectus à cauſa efficienti, natura enim à ſuppoſito, à quo terminatur, potius pendet inſtar relatiui, quàm ſicut effectus ab efficienti, quare ſicut relatio poteſt eſſe ad plures terminos, ita etiam eadem natura poſſet à pluribus perſonis terminari. Hæc ſunt Caietani verba ex Vaſquez tranſlata. Deinde in confirmationem huius doctrinæ ſic ſcribit Vaſquez: *Natura ita terminatur ab vna perſona aliena vt ſolum terminetur tanquam à totali termino ſecundùm entitatem, hoc eſt, ita terminatur ab vna perſona vt in ſola illa poſſit eſſe, & ab ea ſuſtentari, & hac ſola ratione tanquam à termino totali terminatur; at verò quia non terminatur omni modo, quo terminari poſſet, ſiquidem ipſa terminari poteſt diuerſo quodam modo à qualibet perſona diuina ſeorſim, ideo dum terminatur ab vna non habet expletam capacitatem, qua poſſet ab alia terminari.* Poſtea latè tradit rationem, propter quam effectus non poſſit dependere à duplici efficiente, videlicet quia ab hoc accipit eſſe, & iſto accepto, non habet quid ab alio accipiat, at verò terminata ab vna ſubſiſtentia non accipit 18

eſſe

esse ab illa, sed quamdam terminationem, propter quod potest terminari, ab alia, & aliam accipere terminationem. Ex his principiis sic arguo. Casu quo forma, & modus vnionis creentur, materia prima tantùm se habet per modum puri termini respectu formæ, & modi vnionis, ergo poterit terminare multiplicem vnionem. Probo ex doctrina, quam supra ex Vasquio retuli: tunc materia prima non acciperet esse à forma neque illi daret esse; quia supponimus creari formam, & modum vnionis: ergo posset aliam vnionem ad formam aliam terminare. Probo consequentiam: natura potest terminari pluribus suppositis, seu subsistentiis, quia tantum se habet vt terminus subsistentiarum, non vt causa, neque vt effectus: sed si vniones, & formæ creentur, materia tantum se habebit, vt terminus vnionum ad formas, non vt causa, neque vt effectus illarũ: ergo poterit pluribus vnionibus terminari.

20 Rationem à priori huius conclusionis accipe. Non maior, sed eadem omnino virtus requiritur ad terminandam duplicem vnionem ad formas distinctas simul, & ad terminandas easdem vniones successiuè: ergo materia, quæ potest terminare successiuè potest vtramque simul terminare. Antecedens probo: terminus vt terminus non est causa, sed tantùm per suam entitatem terminat vniones productas ab aliis causis. Vnde terminare vnicam vnionem dicit suam entitatem & vnionem productam ab alia causa, terminare duplicem vnionem, dicit eandem omnino entitatem ex parte materiæ, & duplicem vnionem productam aliunde: ergo vnio, quæ additur quando materia terminat vnionem non oritur ex ipsa materia: ergo siue materia terminet vnicam vnionem, siue duplicem, nihil additur ex parte materiæ, neque illi intrinsecum, neque extrinsecum ortum ab ipsa materia, neque nouum exercet influxum, sed tantùm supponitur ex parte materiæ entitas capax terminandi quamlibet ex illis vnionibus sine aliquo influxu orto ab illa: ergo non maior virtus requiritur ad terminandam duplicem vnionem simul, quàm successiuè: ergo materia, quæ potest terminare successiuè duplicem vnionem, poterit simul vtramque terminare. Hinc clarè deprehendes distinctionem inter terminationem duplicis vnionis ad duplicem formam, & duplicem receptionem earumdem vnionum, vel formarum. Quando recipitur duplex forma, vel duplex vnio in materia datur duplex receptio, vtraque orta ex materiæ visceribus & ex virtute illius tanquam ex causa, quapropter maior virtus requiritur ex parte materiæ, sicuti ex parte cuiuslibet causæ, vt simul duplicem edat causalitatem, circa quas conatum adhibet, & exercitium virtutis causatiuæ; quando vero materia terminat duplicem vnionem, creatam ad duplicem formam etiam creatam, nihil reperitur ortum ex visceribus materiæ, in quo causando suam exerceat virtutem, ac proinde non maior virtus requiritur ad terminandam simul illam duplicem vnionem, quàm illa quæ requiritur ad successiuè vtramque terminandam.

21 Obiic. Potest Deus creare materiam, quæ sit potens terminare successiuè duplicem vnionem, & non simul: ergo maior virtus requiritur ad terminandam duplicem vnionem simul, quàm ad eamdem successiuè terminandam. Resp. negando antecedens propter rationem iam datam, quia terminus per puram terminationem, nihil præstat, in quo possit suam insumere virtutem, neque materia dum terminat ponit aliquem conatum, neque influxum, vt actu terminet, sicut ponit efficiens, vel ipsa poneret ad recipiendam vnionem. Et sicut Deus non potest producere albedinem potentem terminare successiuè visionem hominis, & equi, & impotentem vtramque simul terminare, ita neque materiam quæ possit successiuè, & non simul duplicem terminare vnionem, non enim maiorem influxum præstat materia in vniones præcisè quatenus illas terminat, quàm albedo in visiones, tam enim materia, quàm albedo se habent respectu vnionum, & visionum, vt purè terminos in nullo genere causæ influentes in vniones, & visiones, quas terminant, neque refert materiam esse terminum intrinsecum vnionis, & albedinem terminum extrinsecum visionis, quia ratio intrinseci, vel extrinseci nullam dicit causalitatem, nullúmque influxum.

22 Sexta conclvsio. In tota latitudine formarum possibilium nonnullæ erunt formæ substantiales, quæ absque aliqua ipsarum repugnantia possint informare eandem materiam quin vna petat expulsionem alterius. Hanc conclusionem tradidit recens quidam de formis diuersæ speciei, quam impugnat in formis eiusdem speciei: ego verò de omnibus idem fero iudicium. Ratio est: de conceptu quidditatiuo formæ substantialis abstrahentis ab existentibus, & possibilibus non est incompossibilitas cum aliis formis eiusdem, vel diuersæ speciei, neque prædicatum aliquod, quod per locum intrinsecum connexionem habeat cum hac incompossibilitate: ergo possibiles sunt formæ, quæ illa careant. Secundò nulla inuenitur repugnantia in his formis, imò neque ratio aliqua, quæ suadeat formas omnes esse incompossibiles, cùm illam incompossibilitatem solùm nos docuerit experientia, quam de formis purè possibilibus non habuimus. Possent hæ formæ ex se immediatè non compossibiles præcipuè si specie differrent, esse incompossibiles ratione dispositionum, quas supponerent, possent etiam dispositiones non incompossibiles secum afferre, & in hoc casu simultanea informatio, & receptio plurium formarum in eadem materia ex omni capite esset naturalis, quia ex parte materiæ supernaturalis non esset, quia iam probaui concl. 1. posse dari materiam ex se naturaliter potentem pluras formas sibi vnire, & recipere, neque ex parte formarum, neque dispositionum, quæ amico fœdere possent in idem subiectum conuenire, neque ratione agentium, quia vt dicebam num. 12. simultas formarum, quarum quælibet potest ab agenti naturali produci ratione agentium præcisè supernaturalis non euaderet; in reliquis autem euentibus quando ex aliquo capite simultas non potest naturaliter contingere etsi ex aliis capitibus naturaliter non repugnaret: verbi gratia, cùm materia ex se potens terminare vnionem duplicis formæ incompossibilis, vtramque de facto simul terminaret, illa simultas absolutè supernaturalis dicenda esset non ratione materiæ; sed ratione formarum ex se incompossibilium.

Obiic. Materia prima semper est sufficienter informata vniuocâ formâ adæquatâ: ergo non indiget aliâ formâ: ergo superflua erit illi informatio illius formæ. Confirmatur: materia prima ideo recipit formam, quia indiget illa, sed non potest indigere duplici formâ: ergo non potest illam recipere. Resp. materiam primam sufficienter informari vnica forma, ex quo infertur aliam non esse illi necessariam, non tamen infertur esse superfluam, plura enim, quæ necessaria non sunt, valde vtilia existunt, lux enim aëri non est necessaria, non tamen illi superflua est. Secundò etiamsi secunda forma nullam materiæ vtilitatem afferret, esset necessaria compositio, quod constituit, & ex hoc capite non inutilis esset, neque superflua, neque ex hoc capite repugnaret, id enim inutile, & superfluum dicitur absolutè quod omni vtilitate caret, non quod vni, vel alteri entitati non vtile est. Ad confirmationem Respondeo dato materiam vnam recipere formam, quiâ illa indigeat, & concesso, quod aliâ non indigeat, negando, non posse recipere aliam, non enim rectè infertur, materia recipit hanc formam, quia indiget illâ: ergo non potest recipere aliam, quâ non indiget, potest enim recipere vnam formam propter indigentiam, & aliam propter potentiam, seu indifferentiam, quam habet ad illam, sicuti aër recipit proprias qualitates, quia indiget illis, & recipit lucem, qua non indiget, quia capax est recipiendi illam. 23

§. III.

De formis accidentalibus iudicium fertur.

PLures formas accidentales inter se disparatas posse simul reperiri in eodem subiecto media inhæsione & media informatione sensibus percipimus, sentimus enim albedinem, dulcedinem, & præsentiam in eodem subiecto. Formas contrarias, verbi gratia calorem, & frigiditatem esse incompossibiles, & mutuò se expellere suadet experientia. Hanc incompossibilitatem in naturam formarum ferè omnes reducunt, ex eo enim quod disponant ad formas inter se immediatè oppositas, talem naturam fortiuntur, vt eandem incompossibilitatem inter se æmulentur, quam formæ, ad quas disponunt, fortiuntur. Formas adæquatas eiusdem speciei, & eiusdem omnino rationis esse etiam incompossibiles monstrat experientia, non enim possum ego habere duplicem præsentiam, duplicem quantitatem, aliáve huiusmodi accidentia. Nonnulli renuunt concedere has formas ex natura sua esse incompossibiles per oppositionem aliquam, quam inter se habeant, & asserunt totam illarum incompossibilitatem oriri ex 24

incapacitate subiecti, quod non potest duplicem formam accidentalem eiusdem omnino rationis sustinere. Censeo incompossibilitatem formarum accidentalium non oriri ex incapacitate subiecti, quia si ex hac oriretur, neque diuinitus possent in eodem subiecto reperiri, vt probaui suprà, sed fide certum est in Eucharistia habere corpus Christi plures præsentias definitiuas eiusdem speciei: ergo naturalis ipsarum repugnantia non oritur ex repugnantia subiecti. Ex præsentiis definitiuis gradum facio ad præsentias circunscriptiuas, etiamsi specie distinguantur, quod ego non censeo, quas etiam posse in eodem subiecto reperiri fert communis sententia. Neque hæc repugnantia præcisè ex defectu virtutis agentium potest oriri, quia cùm ego virtutem habeam ad acquirendam per motum progressiuum præsentiam in hoc spatio, & extrinsecum agens virtutem habet ad imprimendum mihi impulsum, quo in alio spatio præsentiam distinctam acquiram, si termini ratione sui, vel ratione subiecti non repugnarent, simul à diuersis virtutibus producerentur. Ex hoc infero: repugnantiam horum accidentium oriri ex incompossibilitate, quam inter se habent, ratione cuius in genere causæ formalis ad inuicem se expellunt.

25 Censeo similiter incompossibilitatem accidentium contrariorum caloris, & frigiditatis oriri tantum ex oppositione ipsorum, & nullo modo ex incapacitate subiecti. Probo hanc conclusionem à paritate accidentium eiusdé speciei, quæ tantùm opponuntur ratione sui, & non ratione subiecti, & à paritate accidentium disparatorum albedinis, & caloris, in quibus, quia deficit formalis oppositio, nulla reperitur, quod est signum tantùm incompossibilitatem accidentium oriri ex oppositione formali ipsorum. Ratione etiam eándem paritatem confirmo. Non maior virtus requiritur ex parte subiecti ad recipiendam nigredinem simul cum albedine, quàm ad recipiendum calorem simul cum eadem albedine cùm supposita iam recep tione albedinis ex parte subiecti non requiritur maior virtus ad effectum, qui perfectior non est, sed suppositâ iam albedine, nigredo neque illius receptio, quæ esset eadem si albedo non supponeretur, non est perfectior calore, & receptione illius: ergo suppositâ iam albedine in subiecto, ex parte subiecti, non maior virtus requiritur per se loquendo independenter ab incompossibilitate formarum, ad coniungendam nigredinem per receptionem cum albedine quàm ad coniungendum calorem cum eadem albedine: sed potest coniungere calorem cum albedine: ergo præcisè si aliud non sit impedimentum poterit subiectum ex se coniungere nigredinem cum albedine, sicuti componit calorem, & albedinem. Dices formam arguendi non esse bonam, quia maior virtus requiritur ad producendam muscam, quàm ad producendum hominem, nihilominus valet homo hominem producere, & muscam producere non poterit. Respondeo me non arguere: potest subiectum recipere calorem: ergo poterit recipere albedinem, ad quam non requiritur maior virtus, sed suppositâ iam ex parte subiecti virtute ad vtramque qualitatem recipiendam, inferre ex eo quod non maiorem conatum impendat virtus passiua in receptione huius qualitatis, quàm illius, posse componere quatenus est ex se receptionem huius in qua maiorem conatum non impendit cum receptione, cum qua componit aliam, in qua maiorem vel saltem æqualem virtutem in actu secundo exercet.

26 Ex hoc infero: posse reperiri in eodem subiecto duplicem formam accidentalem, siue eiusdem speciei, siue contrariam, quia quoties incompossibilitas tantùm oritur ex mutua ipsarum oppugnatione, & non ex incapacitate subiecti, illa non obstante de potentia Dei absoluta possunt formæ in eodem dari subiecto. Hæc de formis, quæ opponuntur tantùm ratione subiecti, sunt tamen aliæ formæ accidentales, quæ obiecta opposita respiciunt sicuti amor, & odium, assensus, & dissensus, quarum oppositionem explico Controu. 5. de anima Punct. 3.

Punctum III.

De effectibus causæ formalis.

Duplex formalis effectus vulgò circumfertur, primarius, & secundarius; hic negatiuus, ille positiuus, de vtroque sigillatim disputabo.

§. I.

De effectu primario.

Dixi sæpe effectum formalem primarium formæ nihil aliud esse, quàm totum compositum, quod dicitur effectus formæ, ex qua tanquam ex causa formali intrinseca componitur. Causalitas, quam formæ assignauimus totum suum esse effectum suadet, quia cùm hæc sit vnio, & quod ex vnione resultat sit totum compositum, hoc effectum dicimus, in quem fertur causalitas formæ, vnio videlicet. Deinde causa intrinseca causat, semetipsam exhibendo effectui quem componit: sed quod componit forma, & cui seipsam exhibet est totum: ergo totum est effectus formalis formæ. Hoc effectu formali assignato optimè subsistit illud tritum proloquium, quo dicitur incompossibile esse dari formam in subiecto sine formali effectu, quia cùm totum nihil aliud sit, quàm materia, forma, & vnio, eo ipso, quod detur forma vnita subiecto, datur materia, forma, & vnio, & necessariò datur totum, quod ab his entitatibus simul sumptis non distinguitur. Neque quidquam aliud potest inueniri quod possit esse effectus, cùm sit positiuus, & forma nihil aliud positiuum causet per vnionem ad materiam, nihil enim inuenitur postquam forma est vnita materiæ præter compositum, materiam, formam, & vnionem, sed forma non est causa materiæ seorsim sumptæ, neque vnionis seorsim, neque materiæ, & vnionis, neque ipsius formæ seorsim sumptæ, quia nullam ex his entitatibus intrinsecè componit, neque extrinseçè causat; ergo tantùm potest esse causa totius, seu materiæ, formæ, & vnionis simul sumptarum, quæ à toto non distinguuntur: ergo nullus effectus positiuus formæ potest dari præter totum: ergo effectus formalis, qui positiuus est, non distinguitur à toto composito. 1

Ex his inferes contra recentiores, quibus patrocinatur Rub. materiam vt informatam non esse effectum formalem formæ, quia materia vt informata non est totum, sed tantùm dicit materiam cum informatione, seu materiam habentem formam, forma autem neque est causa materiæ, neque informationis, seu habitionis formæ, vt modò expendebam. Si hoc teneas, videbis sæpe multos vanè terreri vanis difficultatibus, quas rem non percallentes petunt ex negatione effectus formalis posita forma in subiecto, sæpe enim anguntur quomodo visio inhærens lapidi, non illum constitueret videntem, ex quo inferri existimãt non illi tribuere effectum formalem, & quomodo gratia habitualis in purè homine filium adoptiuum constituat, & hunc effectum Christo Domino non tribuat. Semper enim forma suum effectum formalem tribuit, quod est compositum, sed quia eadem forma cum diuersis subiectis diuersa composita constituit, hinc est, quod diuersos fortiatur effectus formales. Hac ratione visio, etsi lapidi posset vniri non illum constitueret videntem, quia videns dicit cõpositum ex visione, & natura animalis, & non quodcumque compositum constitutum ex visione, & alio quocumque subiecto. Similiter filius adoptiuus dicit compositum ex gatia habituali, & subiecto, quod non sit filius naturalis, & gratia habitualis vnita Christo Domino non componit concretum, cuius subiectum quod est hoc suppositum Christus, filius naturalis non sit, & ita non constituit filium adoptiuum quando vnitur Christo: quando verò vnitur homini puro constituit quoddam concretum sanctum, cuius subiectum non est filius naturalis & ita illius effectus formalis, seu totum, quod resultat ex homine & gratia est filius adoptiuus. Si verò eadem gratia lapidi vniretur illius effectus formalis, non esset totum, quod sanctum diceretur, quia sanctum dicit concretum constans ex gratia habituali, & natura intellectuali. 2

Inferes, ex his nihil aliud esse formam suum effectum formalem tribuere subiecto, quàm cum illo totum constituere, in quo sensu posset etiam dici, si ita ferret vsus, materiam suum effectum materialem tribuere formæ, quia sicut forma cum materia componit totum, ita materia cum forma idem componit, & vtraque est de essentia totius. Est tamen specialis ratio, propter quam præualuit vsus, vt totum potius diceretur effectus formalis formæ, quàm effectus materialis materiæ, etsi vtroque modo dici posset. Hæc est indifferentia, quam habet materia, quæ 3

de

de facto datur ad totum huius, vel illius speciei constituendum, & determinatio, quam habet forma, ex quo prouenit, vt totum hoc, quod ratione formæ ab illo specie differt, & non ratione materiæ, iuxta vulgarem loquendi modum non dicatur effectus materiæ, sed formæ. Hæc ratio communis est compositis substantialibus, & pluribus accidentalibus. In accidentalibus occurrit etiam alia, videlicet subiectum, seu materiam significare in recto, formam in obliquo, & ita subiecta significantur per modum habentis, & denominata per formam, ex quo prouenit, vt dicamus formas subiectis tribuere suum formalem effectum, & non dicamus materiam tribuere suum materiale effectum formæ, quia hæc non significatur per modum habentis materiam. Nihilominus potuit dici albedo parietata per subiectum sicuti paries dicirur dealbatus per albedinem, si ita ferret vsus, vt ex Hurtado dixi Controu. 2. puncto 3.

§. II.

De effectu secundario.

4 VNus est negatiuus effectus formalis causæ qui est expulsio formæ in qua expulsione examinandum est, quid se teneat ex parte effectus negatiui, quid huius sit per se, quid per accidens, respectu principij expellentis, quid se teneat formaliter ex parte principij, & quid sit causalitas. In expulsione animæ rationalis est subtractio concursus, quo cõseruabatur vnio, & non esse ipsius vnionis, quæ antea conseruabatur, in expulsione aliarum formarum corruptibilium inuenitur eadem subtractio concursus, & idem non esse vnionis, insuper reperitur subtractio concursus, quo conseruabatur forma, & non esse formæ prius conseruatæ. Idem contingit in expulsione formæ accidentalis.

5 Principium expellens quodcumque illud sit, per se non opponitur cum substantia formæ substantialis, neque intendit non esse illius secundum substantiam: patet hoc in corruptione hominis, in qua anima rationalis, quia suum esse habet independenter à subiecto, quacumque forma introducta, quâ è subiecto abigitur, remanet; idem contingeret in qualibet forma ex his, quæ generantur si per actionem creatiuam conseruarentur. Ratio est manifesta: forma non expellitur per aliam formam à natura rerum, sed à subiecto: ergo si non habeat hæc forma subiectum, quod alia acquirat nullam habebit oppositionem cum illa: ergo id, quod hæc forma intendit est pellere aliam à subiecto: ergo si alia abeat, etiamsi postea conseruetur, non erit contra exigentiam formæ introductæ illius conseruatio, sicuti non esset si antea non præcessisset in subiecto, à quo expellitur.

6 Principium expellens, quod non opponitur cum forma secundum se, poterit opponi cum forma vt inhærente mediâ passione, vel informante mediâ vnione, vel vtroque modo. In primis certum est opponi cum forma vt informante independenter ab inhærentia, patet in anima rationali, quæ non inhæret, cum qua opponitur forma cadaueris, & non cum illa secundùm se: ergo cum illa vt informante. Sed adhuc poterit subesse difficultas, an forma cadaueris opponatur cum anima rationali vt informante præcisè, vel cum illa vt informante per informationem inhærentem ita vt immediata oppositio non sit cum forma vt vnita ratione formæ, neque ratione vnionis, sed ratione inhæsionis, quam habet vnio in materia, ita vt si hæc non inhæreret forma cadaueris relinqueret vnitam subiecto rationalem animam quia modò directè, & per se opponitur cum inhæsione vnionis quâ destructâ definit esse vnio, & anima rationalis non informat: vel an forma cadaueris opponatur immediatè cum vnione secundùm se, cuius non esse intenderet, etiamsi vnio crearetur. Iuxta aliquorum principia, qui religiosè obseruant nihil creatum posse definere ad exigentiam aliûs entitatis creatæ ex hoc principio sic posset argui. Positâ formâ, & positâ vnione creatâ, quidquid est in composito est creatum: ergo neque forma, neque vnio potest corrumpi ab entitate creata: ergo forma informans tantùm opponitur cum alia forma, & cum alia vnione, quatenus forma, vel vnio est dependens à subiecto, tanquam à causâ materiali: si enim opponeretur cum forma vel vnione secundùm se opponeretur cum forma, & vnione etiamsi nulla intercederet inhærentia. Nihilominus omnino certum puto formam opponi cum alia forma, vt informante, siue per informationem creatam, siue eductam, ita vt vnio secundùm suam entitatem sit ratio formalis terminandi oppositionem, quam habet forma expellens cum expulsa. Ratio est, quia etiamsi vnio crearetur, anima rationalis vt vnita opponeretur cum forma cadaueris, neque naturaliter possent duæ formæ informare idem subiectum, etiamsi vtraque forma, & vtraque vnio crearetur, oppositio enim est inter formas vt informantes, & æquè informant per vnionem creatam siue eductam. Neque ratio opposita quidquam probat, rectè enim entitas creata potest exigere annihilationem aliûs entitatis creatæ, neque quidquam contra hanc conclusionem obiici potest. Eamdem conclusionem stabiliet ratio num. 9. adducenda ad probandum formam vt informantem esse terminum expulsionis.

Opponitur etiam forma cum alia forma præcisè vt inhærente seclusâ informatione. Hanc conclusionem tradidi Controuers. 2. punct. 2. n. 17. vbi dixi animam rationalem non solum opponi tantùm cum forma Embryonis, seu cuiusuis aliûs compositi, quam expellit tantùm vt vnita, sed etiam vt inhærente, alias anima rationalis informans tantùm destrueret vnionem formæ præcedentis, & illam inhærentem relinqueret in eodem subiecto, quia inhærentia, vt ibi dicam, bene posset sine vnione subsistere, si hæc ex aliquo capite non impediretur, neque ex non esse vnionis à priori, aut à posteriori sequeretur non esse inhæsionis. Ex hoc infero formam opponi non solùm cum vnione secundùm se, sed etiam immediatè cum ipsa inhærentia vnionis, ita vt inhærentia, & vnio per se immediatè terminent oppositionem, quia etiamsi forma cum illa forma secundùm se sumpta non opponatur, opponitur immediatè cum illius inhærentia: ergo potiori ratione opponetur cum inhærentia vnionis per suam entitatem oppositæ cum alia forma. 7

Concludo ex his in corruptione cuiuscumque compositi vnionem inter mareriam, & formam immediatè & per se corrumpi ab alia forma, illiusque non esse per se intendi à principio expellente. Similiter inhærentiam vnionis, & formæ eodem modo definere esse, tanquam entitates quarum non esse intenditur à principio expellente; formam verò non per se corrumpi, neque illius non esse per se intendi, sed tantùm prouenire ex eo quod forma sine inhærentia non possit subsistere & ita hac ablata definit esse, succeditque illius non esse: quod si forma posset sine inhærentia permanere, posito principio expellente adhuc permaneret, sicuti de facto contingit in expulsione animi rationalis. Hæc de expulsionis termino, illius principium modò explicabo. 8

Dixi quid desinat esse ratione formæ informantis, oportet modò scire quid sit principium illius non esse, quod in expulsione reperitur. Duplex est principium, in actu primo, & in actu secundo: in actu primo est illud, quod potest ponere effectum, siue de facto illud ponat, siue non; in actu secundo est, quod potest ponere effectum, & illud ponit de facto. Vtrumque respectu non esse quod in expulsione reperitur explicabo. Forma secundùm se principium non est expulsionis, vt per se patet, quia secundùm se non potest aliud expellere, expulsio enim semper est in ordine ad idem subiectum informationis, seu inhæsionis. Forma vt vnita seclusâ omni inhærentiâ siue formæ, siue vnionis principium est expellens aliam formam, seu potens inducere non esse quod in expulsione reperitur. Formæ opponuntur, quatenus constituunt diuersa tota; forma enim cadauerica, & rationalis opponuntur quatenus constituunt cadauer, & hominem: sed constituunt hæc composita præcisè vt informantes: ergo vt informantes opponuntur: ergo vt informans forma cadaueris esset principium non esse formæ hominis, vt informantis: ergo sicuti forma hominis vt informans est terminus expulsionis; ita forma cadaueris, vt informans erit principium illius per modum actus primi. Clariùs patet eadem conclusio in formis accidentalibus, in quibus sic arguo. Calidum vt octo, & frigidum vt octo formaliter vt calidum, & vt frigidum opponuntur, sed per vnionem intelligitur vnum formaliter calidum, & alterum formaliter frigidum, etiam inhærentiâ seclusâ: ergo etiam inhærentiâ seclusâ intelliguntur opposita: ergo intelligitur repugnantia ipsorum tam ex parte termini, quàm ex parte principij. 9

Opponitur etiam forma vt inhærens, seclusâ etiam vnione 10

vnione ex parte principij cum alia forma independenter ab vnione, & vt vnita independenter ab inhærentia. Priorem partem probo: duæ vniones formarum oppositarum per se immediatè opponuntur respectu eiusdem subiecti: ergo duæ inhærentiæ etiam per se immediatè respiciunt subiectum per semetipsas inhærentiæ, & vnionis, & æquè respiciunt formas oppositas quarum sunt inhærentiæ: ergo forma ligni vt inhærens opponitur cum forma ignis vt inhærente. Alteram partem videlicet formam vt inhærentem opponi cum alia forma vt informante sic probo: Oppositio inter extrema semper est mutua, implicat enim hoc esse incompossibile cum illo quin illud sit etiam incompossibile cum isto, sed probaui num. 7. animam rationalem præcisè vt vnitam omni inhærentiâ seclusâ opponi cum forma embryonis vt recepta independenter ab vnione inter materiam, & formam embryonis: ergo forma embryonis vt recepta opponitur cum anima rationali vt vnita: ergo illa vt recepta exigit non esse animæ rationalis vt vnitæ: ergo est principium per modum actus primi non esse formæ rationalis vt vnitæ, quo posito forma rationalis vt vnita non permanebit, sed illius destruetur vnio.

11 Est etiam aliud principium in actu primo illius non esse, quod dicit expulsio, hoc est, principium in actu primo potens producere formam expultricem formæ præexistentis, quod non tantùm petit productionem formæ, quam continet in sua virtute, sed non esse oppositæ illi, quam intendit producere, eo enim ipso quod agens in actu primo exigit producere formam ignis in hoc subiecto exigit non esse totius formæ incompossibilis cum illa, quam intendit producere, ac proinde exigit vt subtrahatur concursus formæ oppositæ, quæ in subiecto reperitur, & ne detur nouus concursus ad formam incompossibilem cum illa, quam intendit producere. Clarè rem cernes in formis accidentalibus: datur subiectum frigidum, cuius frigiditas conseruatur ab aqua, seu ab alio agente calido approximato: applicatur agens calidum in actu primo potens producere calorem vt tria, incompossibilem cum frigiditate vt sex: hoc agens calidum in actu primo, antequam calorem vt tria producat, exigit immediatè non solùm productionem trium graduum caloris, sed etiam subtractionem concursus caloris vt sex, & non esse illius: quod latè, clarè, & efficaciter inuenies Controuers. 6. de generatione, Punct. 1. vbi resistentiam actiuam qualitatum explico. Idem contingit in formis substantialibus, in quibus eadem est oppositio, agens enim in actu primo exigens productionem formæ ignis in hoc subiecto exigit non esse formæ ligni in subiecto eodem. Ex quo infero virtutem productiuam ignis in actu primo proximè constitutam, esse in actu primo per se etiam principium non esse formæ ligni in eodem subiecto.

12 Aliud principium in actu primo non esse formæ in subiecto iuxta communem doctrinam posset assignari, videlicet non esse dispositionum requisitarum ad formam, ex quo immediatè sequitur non esse formæ in subiecto in opinione, quæ asserit formam dependere in conseruari à dispositionibus, quibus ablatis secundùm hanc sententiam, quolibet alio principio corruptionis secluso deficeret forma. In mea sententia, in qua forma non dependet in conseruari à dispositionibus: non esse dispositionum, neque in actu primo principium est expulsionis formarum, illis enim ablatis, & oppositis introductis forma naturaliter conseruaretur in materia, dummodo non esset aliud principium, à quo corrumperetur. Ex his inferes agens producens formam ignis in subiecto multipliciter esse principium in actu primo respectu expulsionis formæ ligni primò, immediatè, & per suam entitatem, quatenus exigit subtractionem concursus, quo conseruatur forma ligni in subiecto modo explicato num. 11. Secundò mediatè, quatenus producit formam inhærentem subiecto. Tertiò etiam immediatè quatenus producit vnionem inter materiam, & formam, siue inhærentem subiecto, siue non inhærentem, sed per actionem creatiuam, qui duo posteriores modi non distinguuntur, si agens per eamdem actionem producit formam, & vnionem in subiecto. Hæc de principiis in actu primo corruptionis, seu non esse formæ in subiecto. Explico modò, quæ ex his principiis, quæ in actu primo possunt influere, de facto in actu secundo influant.

13 Censent multi ex principiis in actu primo potentibus expellere formam, illud tantum, quod est prius aliis de facto expellere formam, quia posteriora iam inueniũt formam expulsam ab illo, quod illa præcesserit, & ita illam de facto expellere nequeunt. Ita philosophantur multi Theologi, qui asserunt actum contritionis esse expulsiuum peccati, de facto tamen illud non expellere, quia iam illud inuenit expulsum ab habitu, qui ad actum contritionis supponitur. Sic in nostro casu posset dici formã ignis ad huc vt in formãtem non expellere formam ligni, quia iam illam inuenit expulsam à principio producente formam ignis, quod necessariò supponit, quodque diximus exigere non esse formæ ligni in illo ligno, in quo exigit productionem formæ ignis priùs naturâ, quod illã producat, & hac ratione defenderet non nemo vnam formam in actu secundo aliam non expellere. Cæterùm licet exemplum à Theologis adductum forsan improbari non possit, propter peculiarem illius materiam, in qua diuersa est ratio, ac in aliis, vt postea explicabo, qui ita in aliis causis philosopharetur, non rectè prioritatem naturæ percalluisse præsumerem. Aliud enim est supponi prius naturâ principium expulsiuum, aliud supponi expulsionem, sicuti aliud est dependere à principio expulsiuo tanquam à causa, aliud dependere ab ipsa expulsione. Forma vt informãs supponit tanquam principium actum primum ad illam quod est ex se potens expellere contrariam, non tamen supponit ipsam expulsionem potentem procedere à tali principio, neque supponit actum primum quatenus de facto expellentem, sed actum primum secũdùm suam entitatem, cuius forma non poterit esse principium, quia est illo posterior; expulsionis verò, quâ posterior non est, & quam non supponit, rectè potest esse principium ex hoc capite, si aliàs sit potens illam inducere, & simul cum actu primo, à quo dependet, illam inferere, ita vt forma vt informans, quæ secundùm se est posterior naturâ principio illam producente, simul cum eodem principio in ordine ad alium effectum constituat vnicum principium adæquatum, quod sit prius naturâ suo effectu, & in ordine ad illum sint simul naturâ illa quæ inter se habent ordinem prioris, & posterioris. Hanc doctrinam in Sole & luce clarè cernes: Sol producit lucem in seipso, quæ est illo posterior, & quâ prior est Sol, postea verò lux & Sol, quorum quoduis alterum poterat producere primum gradum lucis in aëre, simul constituunt vnum principium adæquatum respectu primi gradus lucis existentis in aëre, in ordine ad quem lux recepta in Sole, & Sol quæ inter se habent ordinem prioris, & posterioris, sunt simul naturâ, & vtrumque eâdem prioritate prius luce receptâ in aëre.

Ex hac doctrina facilè meam conclusionem depromo. 14
Assero: omnia principia à me assignata expulsiua formæ in actu primo illam de facto expellere. Rationem suprà exposui, quam nunc cingo: omnia illa principia virtutem habent formæ expultricem; nullum illorum supponit expulsionem: ergo omnia per modum vnius formam expellent. Maiorem suppono ex dictis à num 9. vsque ad 12. inclusiuè, neque illa indiget probatione: tantùm enim assero in presenti conclusione illa principia, quæ possunt formam expellere, illam de facto expellere, ac proinde illorum virtus supponenda est non probanda. Minorem probo: forma ignis vt informans, etiamsi supponat negationem dispositionum ad formam ligni non supponit effectum huius negationis, videlicet negationem formæ ligni, & etiamsi dependeat à negatione dispositionum ad formam ignis, & ab actu primo productiuo ipsius, quæ possunt inducere non esse formam ligni, non dependet à priori à non esse formæ ligni, quia illa quæ per se supponit, verbi gratiâ, suum actum primum, & negationem dispositionum ad formam ligni, realiter distinguuntur à non esse formæ ligni vt informantis, & etiamsi hæc principia ex se non possent expellere formam ligni, forma ignis, quæ per se ipsam potest illam expellere posset produci: ergo forma ignis, vt informans non supponit non esse formæ ligni vt informantis, quia tantùm supponit id, à quo dependet: ergo cùm aliàs sit ex se potens hanc inducere expulsionem, illam de facto inducet. De reliquis principiis videlicet de actu primo potente producere formam ignis, & de carentia dispositionum, si ex se virtutem habet inducẽdi non esse formæ in subiecto, certum est non supponere formam expulsam, quia nullum principium supponunt prius illis potens

formam expellere, ni aliud mediteris principium expulsionis formæ ligni, videlicet dispositiones ad formam ignis, quas dicas immediatè exigere non esse formæ ligni, sicuti principium productiuum formæ ignis non tam petit immediatè productionem formæ ignis, sed etiam non esse formæ ligni. Quod si ita sentias philosophandum est de non esse dispositionum formæ ligni supponente dispositiones formæ ignis cum virtute ad inducendum non esse formæ ligni, quod potest etiam inducere non esse dispositionum, sicuti de forma vt informante, quæ oppositum expellit, etiamsi supponat suum actum primum cum virtute ad expulsionem, quam ipsa præstat.

15 Hanc doctrinam non inglorius in lucem Compluti dedit noster Doctor Complutensis Hurtadus quam edidit tom. de Incarnat. disput. 1. diff. 10. vbi docuit actum contritionis de facto expellere peccatum, etsi procedat ab habitu gratiæ potente peccatum expellere, illúmque supponat natura priorem. Cæterùm etsi illus doctrina iure multis sit commendata, in præsenti materia non leuem habet difficultatem præcipuè in doctrina ipsius Hurtadi, propter quam dixi forsan non posse improbari exemplum, quod adducunt aduersarij pro opposita sententia, de actu contritionis non expellente peccatum, ex eo quod supponat habitus, quam hîc explicandam reliqui. Expulsio, potest esse formæ positiuæ, quæ propriè est expulsio, & formæ negatiuæ, quæ impropriè dicitur expulsio, sicuti expulsio tenebrarum lucis: expulsio formæ positiuæ distinguitur ab informatione formæ expellentis, ac proinde non valet consequentia, supponitur informatio caloris ergo supponitur expulsio frigiditatis. Expulsio negationis non distnguitur ab informatione habitus, ac proinde valet, supponitur lux informans; ergo supponitur expulsio tenebrarum. Hinc fit in opinione asserente peccatum dicere priuationem gratiæ, gratiam ipsam esse nõ esse peccati: ac proinde eo ipso quod supponatur gratia in subiecto supponitur non esse peccati; & actus contritionis, qui supponit habitum gratiæ priorem naturâ supponit non esse peccati prius naturâ, ac proinde non esse peccati identificatum cum gratia informante, quod est prius actu contritionis, & non potest esse posterius illo. Multi tamen rem componunt asserentes peccatum dicere priuationem gratiæ informantis, quæ auferenda est, per gratiam vt informantem, quam non supponit actus contritionis, qui non procedit ab habitu vt informante mediâ vnione, sed vt inhærente mediâ passione. Hoc dicendi modo optimè sententia Hurtadi defendi posset: verumtamen Hurtadus non solùm non defendit, verùm ægrè fert hanc distinctionem inter inhærentiam, & vnionem ab aliis defendi, & ita difficilè in hac materia doctrina aliàs semper laudanda potest adduci, quæ rectè in eadem constat apud illos, qui inter peccatum, & gratiam oppositionem contrariam inter extrema positiua, & non priuatiua agnoscunt, vel etiam apud illos, qui distinguentes inhærentiam formæ ab illius informatione asserunt habitum gratiæ supponi ad actum contritionis vt inhærentem, & non vt informantem, ac proinde non supponi ad actum contritionis non esse peccati, quod consistit in habitu gratiæ vt informant, iuxta quorum principia dicendum esset actum contritionis procedentem ab habitu gratiæ peccatum de facto expellere, si illius habet virtutem expultricem per suam entitatem, tanquam per formam formaliter sanctificatam.

16 Circa modum, quo vna forma aliam expellit, dico breuiter nullam formam aliam expellere producendo aliquid in forma expellenda, neque in subiecto: non in forma expellenda, quia illud quod in forma produceretur potiùs supponeret formam tanquam subiectum, causámque materialem, quàm illam destrueret, nihil enim potest esse destructiuum causæ immediatæ, quam supponit: non in subiecto, quia de illo quod produceretur inquirerem, an per aliam productionem expelleret formam, & si affirmatiuè respõdeatur in infinitum abibimus: si per se ipsum cur non poterit præstare forma per se ipsam illud, quod præstat effectus ille, quem tu fingis productum à forma? Neque forma potest aliam physicè immediatè corrumpere, quia corrumpi formam nihil aliud est, quàm subtrahi concursum, quo antea conseruabatur, sed vna forma non conseruat aliam: ergo non potest alius concursum subtrahere, neque illa forma deficiet ex eo quod hæc illã non conseruet, nihilo enim minùs indiget forma ligni, quàm cõcursu præstito à forma ignis vt conseruetur. Non restat alius modus, quo vna forma aliam expellat, nisi moraliter exigendo à Deo, vt concursum suspendat, quo formam antiquam conseruabat, quæ exigentia effectum sortietur, quando Deus ex vi illius moueatur ad suspendendum concursum, quem erga formam antiquam exigebat; quod si Deus in instãti, in quo introduceretur forma ignis in hac materia destrueret formam ligni præexistentem nullo habito respectu ad formam ignis introductam, non diceretur hæc in actu secundo aliam expulisse. Ex hoc inferes formam vt inhærentem, & vt informantem non dicere causalitatem expulsionis, sed tantùm actum primum illam exigentem. Hic actus primus primò respicit actum diuinæ voluntatis, quo vult subtrahere concursum, non tanquam effectum, quia actus diuinæ voluntatis nullius virtutis effectus esse potest, aliquo modo tamen dicitur hic actus dependens ab illa exigentia, sine qua non esset. Hanc dependentiam impropriam habet actus diuinæ voluntatis per suammet entitatem, nullâ aliâ causalitate interiectâ, quia omnis actus eodem modo, quo pendet immediatè dependet à motiuo, quod respicit. Ex hoc actu tanquam ex causa sequitur non esse formæ vt inhærentis, & non esse formæ vt informantis. Non esse formæ vt inhærentis habet causalitatem negatiuam, videlicet non esse actionis terminatæ ad formam vt informantem. Non esse formæ vt inhærentis dicit non esse ipsius inhæsionis, ad quod nulla datur causalitas interiecta adhuc negatiua, quia sicut forma vt inhærens, quæ formaliter dicit inhæsionem non dicit causalitatem interiectam, quia inhæsio per se ipsam dependet, ita non esse ejusdem non potest dicere negationem causalitatis, seu subtractionem concursus terminati ad formam vt inhærẽtem; sed sicuti forma vt inhærens per se ipsam dependebat ab agente, ita non esse formæ vt inhærentis per se ipsam desinit conseruari ab agente, & in se ipsa inuoluit desitionem sui.

Actus primus producens formam destruit oppositam mediatè, & immediatè; mediatè quatenus producit formam, quæ aliam expellit modo dicto, & ita illius causalitas remota erit causalitas, quâ producit formam vt inhærentem, & vt informantem: immediatè destruit aliam formam exigendo eamdem suspensionem concursus, quam exigit forma vt inhærens, & vt informans, & ita per eamdem causalitatem, per quam forma informans aliam expellit, per eamdem actus primus formæ expellentis immediatè destruit formam, quæ expellitur: dicitur tamen forma expellere aliam formaliter, & non actus primus etsi eadem sit vtriusque causalitas, oritur à forma exigenti illius, quia per suam informationem, & est actus primus huius causalitatis, & forma formaliter vt informans; actus verò primus, quem eadem supponit ex parte principij actiui formæ expellentis nullam dicit informationem formaliter, neque incõpossibilitatem ipsius cum forma, quam intendit destruere in ordine ad subiectum aliquod commune, sed tantùm virtutem actiuam, & ita actus primus ad formam ignis dicitur actiuè destruere formam ligni, & ipsa forma ignis dicitur illam destruere formaliter per eamdem causalitatem, sicuti principium actiuum, & passiuum per eamdem causalitatem in diuerso genere causæ eumdem exhiberet effectum. 17

Negatio dispositionum si esset actus primus ad destructionem formæ influerent tanquam motiuum, à quo dependebat conseruatio formæ, ad quam disponebant dispositiones, quarum negatio succesit. Si dispositiones ad formam immediatè exigerent non esse contrarias, eamdem causalitatem in illud haberent, ac reliqua principia medio eodem actu voluntatis diuinæ modo suprà explicato de aliis principiis. 18

CONROVERSIA IX.

De causa efficiente creata.

EXplicvi causas intrinsecas entis naturalis, accedo iam ad causas extrinsecas explicandas, quarũ præcipua est efficiens. Hæc primò diuiditur in creatã, & increatam: disputabo modò de causa efficienti

effieienti creatâ disputaturus Controuersiâ sequenti de causa increata.

Punctum Primum.

Quid sit causa efficiens.

1 Aristoteles hoc 2. lib. cap. 2. & 3. & 5. Metaphysic. causam efficientem definit, vnde primum principium est mutationis, & quietis, & in text. 31. huius 2. lib. verba definitionis repetens, ita ait: *Semen autem, & medicus, & consulto omnino ipsum faciens omnia sunt principium mutationis: aut status, aut motus.* In hac definitione aliam virtute contentam inueniunt Suarez disp. 17. Metaphysic. sect. 1. & Rub. tract. de causa efficienti, num. 1. quam sic tradunt: *causa efficiens est principium per se à quo primo est, aut fit mutatio* quam definitionem postea propugnabo.

2 Recentiores quidam ita verbis Aristotelis adhæsêre, vt existiment causam efficientem non esse principium mutationis, sed id vnde procedit ipsum mutationis principium, neque adeo peregrinæ cogitationis fundamentum aliquod adducunt, præter verba Aristotelis suprà relata, quæ si cum aliis, quibus frequenter Philosophus suam mêtem explicat, contulissent, non ita illorum materiali sono deciperentur. Eodem lib. 5. Metaphysic. cap. 2. post prædicta verba ita discrimen inter materiam, & efficiens assignat: *Hoc quidem vt materia, illud verò vt vnde motus.* Et statim postquam dixerat exercitium esse causam bonæ habitudinis & è contra bonam habitudinem esse causam exercitij, discrimen addit inter efficiens, & finem his verbis: *Non tamen eodem modo, sed hæc quidem vt finis, illud verò vt principium motus*, ex quibus manifestè concluditur in phrasi Aristotelis idem esse id, vnde principium est motus, ac id, quod est principium motus, & inter peritos Latinæ linguæ optimè dicitur effectum trahere originem, & principium ab efficiente.

3 Hurtadus disput. 9. sect. 1. causam efficientem definit: *Principium per se influens in aliud, præcisa mutatione sui, ex præcisa ratione influxus.* Non probo definitionem hanc, quia conuenit causæ formali, & quia non conuenit omni efficienti. Conuenit causæ formali, quia hæc est causa totius ex doctrina communi, quam Hurtadus amplectitur, & in illud influit seclusâ mutatione sui ex præcisâ ratione influxus causæ formalis, qui tantùm est vnio, ex vi cuius forma non mutatur. Dices non mutari per terminationem vnionis, mutari tamen per illius receptionem, quia forma patitur vnionem in opinione Hurtadi constituentis duplicem vnionem, quamdam receptam in materia, aliam in forma. Contra: etiamsi forma mutetur per receptionam vnionis non mutatur ex præcisa ratione influxus, quem exhibet in totum, quia forma non influit in totum recipiendo vnionem, sed illam terminando, & illius influxus adæquatus est vnio, ex vi cuius præcisè non mutatur forma: ergo causa formalis influit sine mutatione sui ex præcisa ratione influxus, etsi ex alio capite mutetur, quatenus causa materialis vnionis: ergo illi conuenit prædicta definitio. Vrgeo ad hominem: In opinione Hurtadi principio immanenter operanti rectè quadrat hæc definitio, etsi quatenus subiectum actionis per illam immutetur: ergo rectè etiam conueniet principio formali totius, etsi quatenus est principium materiale vnionis mutetur, cùm non mutetur per eamdem vnionem sicuti principium immanenter operans non immutatur per actionem, sed per inhæsionem vnionis ab illa distinctam. Vltimò vnio in opinione Hurtadi potest creari: pono ergo creari vnionem & formam compositi, de forma enim nullus negat posse creari, tunc sic argumentor: Illud compositum ex materia, forma, & vnione esset verè compositum ex materia, & forma: ergo vtraque totum componeret: ergo vtraque in actu secundo esset causa illius, vna formalis, materialis altera: sed neutra mutaretur: ergo neque causa materialis, neque formalis totius mutantur ex præcisa ratione influxus, quem exhibent in totum.

4 Secundò argumentor contra eamdem definitionem. Principium immanenter producens immutatur præcisè ex vi actionis immanentis: ergo principium effectiuum immutatur ratione influxus. Distinguit Hurtadus §. 5. Actio immanens immutat agens intrinsecè: in denominatione actionis, nego: in denominatione passionis, concedo. In hac re Hurtadi consequentiam non laudo, latè probat disput 16. Metaphysic. section. 4. à num. 29. actionem eductiuam formaliter non distingui à passione, neque habere diuersa connotata: ergo actio eductiua vt eductiua est formaliter immutat agens. Probo: vt eductiua formalissimè est passio iuxta sententiam Hurtadi: vt est passio immutat: ergo vt eductiua immutat: sed actio vt immanens est eductiua: ergo vt actio immanens, & vt eductiua est causalitas agentis, quod non constituitur solùm agens per actionem, sed tale agens per talem actionem videlicet immanentem, vel transeuntem; actio enim intra lineam actionis diuiditur in transeuntem, & immanentem.

Arriaga disput. 9. sect. 1. ita causam definit: *Principium per se influens in aliud præcisa mutatione sui ex præcisa ratione causæ efficientis.* Vitium huius definitionis vel recentem Dialecticum non latebit, includit enim definitum eodem modo significatum in illa particula *efficientis*, ac ante definitionem definiendum proponebatur. Patitur etiam easdem difficultates, quas contra definitionem Hurtadi expendimus, à qua tantùm differt per vltimam particulam. 5

Sto definitioni, quam ex Aristotele tradunt Suar. & Rub. suprà: *Principium per se, à quo primo est, aut fit mutatio.* Principium loco generis ponitur, per reliquas particulas differre à causa formali & finali nullus dubitat, non enim effectus dicitur esse à fine, sed propter finem, neque à forma, sed per formam, per quam totum constituitur. Est difficultas tantùm de materia respectu formæ, per quam particulam excludatur ab hac definitione. Volunt nonnulli excludi ex eo quod effectus non dicatur fieri à materia, sed ex materia, illa enim particula denotat principium extrinsecum, quod Aristoteles significauit per particulam *vnde*, quæ semper denotat terminum extrinsecum, neque enim locus, vbi ergo sum, dicitur vnde sum, sed locus à quo discedo dicitur vnde venio. Non omnino acquiesco, quia etiamsi particula *vnde*, dicat rationem extrinsecam, materia respectu formæ, cuius est causa, extrinseca dici potest, quatenus extrinsecum sumitur pro re adæquatè ab illo distincta, cui extrinseca dicitur, in quo sensu sufficit, vt dicamus particulam *vnde*, rationem extrinsecam importare in forma, quæ concipitur quatenus nascitur, seu educitur ex materia proficiscens ex illo esse virtuali, quod in materia habebat ad esse formale, quod in se continet. Magis placet materiam excludi per particulam illam, *primo*, quæ non conuenit effectui, seu causalitati respectu subiecti, seu causæ materalis, sed respectu principij effectiui; nam licèt materia sit primum subiectum in ratione subiecti, non tamen est primum à quo est motus seu causalitas, quæ dependet à materia tanquam à principio passiuo, & ab alia entitate tanquam à principio effectiuo quod probo, & explico. Primum mouens iuxta Aristotelem dicitur illud, quod determinat motum, & ab illo tantùm dicitur primo esse motum, à quo depêdet, ob hanc rationem dixit Aristoteles viuentia à se moueri, quia illa sibi motum determinant, neque indigent alio extrinseco determinante, vt moueantur, & non dicuntur moueri à generante, quia postquam sunt producta à generante, pro sua libertate si sint rationalia, vel pro sua indifferentia sicut cognoscitiua, vel si tantùm vegetatiua sint secundùm illorum diuersum statum à principio intrinseco modò determinantur ad tantam nutritionem, modò ad tantam, ita vt magis nutriantur antequam perueniant ad perfectum statum, minúsque postquam illum expleuerint. Non viuentia dixit Aristoteles moueri à generante, quia postquam generans talem illis indidit formam semper sunt eodem modo ex se determinata ad talem motum, & ita dicuntur determinationem illam in actu primo traxisse à generante, licet in actu secundo à se determinentur, vt patet in motu lapidis deorsum, qui ab ipsa natura lapidis determinatur. 6

In hoc sensu affirmo, illam particulam *primo*, tantùm conuenire causæ efficienti, quæ est determinatiua motus, & quæ materiam determinat ad illum; ita vt si motus verè procedat ab efficiente, & materia non ab hac, sed ab alio tanquam à determinante procedat, semper enim actus primus actiuus motum determinat, quem non potest passiuus determinare, ob quam rationem dicam Controuerf. 12. de anima. Punct. 3. cum communi ferè omnium sentêtia principiũ passiuum vt passiuũ non posse esse liberũ, quia passiuum vt passiuũ non valet se determinare. 7

Aristoteles numquam actionem sine motu cognouit, ideo definitionem causæ efficientis dedit per motum, & quietem, nos autem, qui actionem creatiuam, & plures alias actiones, præcipuè ad accidentia terminatas, quibus non competit ratio motus, agnouimus, per principium motus, principium totius actionis debemus intelligere, quid verò significetur nomine quietis explicui Controuers. 6. Punct. 1. inter exponendam naturæ definitionem.

9 Causalitatem principij effectiui in illius definitione explicuit Aristoteles, motum videlicet, per quem principium effectiuum actu mouet, seu efficit, cum verò dixerimus principium effectiuum debere sumi in ordine ad plures actiones, quæ motus non sunt debemus effectiuo principio tanquam veram causalitatem non solùm motum, sed etiam actionem assignare, quam etiam designauit Aristoteles dum definiuit actionem: *actus agentis vt agens est.* De natura actionis dicam Controu. 12. Puncto 1.

10 Causa efficiens diuiditur in primam & secundam; causa prima est à qua omnes dependent effectus, cùm ipsa à nulla alia causa dependeat; secunda dicitur, quæ dependet ab alia causa, & à qua dependent aliqui effectus. Rursus secunda diuiditur in moralem, & physicam; physica dicitur, à qua effectus per verum influxum dependet; moralis, quæ physicè non attingit effectum, sed in causa est, vt alia causa illum attingat, sicuti consulens, rogans, vel mandans; Physica diuiditur in principalem, & instrumentalem; quomodo hæc membra inter se differant, non omnium eadem sententia, varias explico Punct. 5. Principalis iterum subdiuiditur in vniuersalem, & particularem. Vniuersalis quæ cum pluribus causis inter se specie diuersis ad plures concurrit effectus specie diuersos. Particularis, quæ cum aliis concausis determinatis certos sibi præscribit effectus. Deinde causa principalis alia vniuoca, alia æquiuoca; vniuoca dicitur respectu effectuum eiusdem speciei cum principio; æquiuoca respectu effectuum diuersæ speciei. Demum alia est causa libera, alia necessaria; causa libera est quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari; necessaria dicitur, quæ positis requisitis ad operandum, non potest non operari.

Operationes aliorum brutorum effectiuè ab ipsis procedere manifestè ostenditur, si enim motus non procederet 2
ab ipso animali, quomodo equus bello instructus commoueretur? quomodo asinus ad sonitum huius vocis agitaretur, & ad illius sonitum quiesceret? numquid determinatur Deus vocis sonitu, vt motū, quietémve animalis producat? quis amens hæc dicet? Secundò animalia motu defatigantur: ergo illum producunt, non enim defatigarentur si nihil agerent, neque cum homine congruè actum esset, si defatigaretur actione à Deo exhibitâ; & virtutem operandi Deus sibi præriperet, hominique laborem, & defatigationem tantùm fuisset impertitus.

De aliis effectibus vulgo eadem conclusio probatur, 3
quia si ignis non esset productiuus caloris, non esset maior ratio cur Deus ad præsentiam ignis calorem produceret, quàm frigiditatem. Non vrget hæc ratio, quia sicuti tenemur recurrere ad naturam agentis, cum à nobis quæritur cur ignis sit productiuus caloris, & non frigiditatis; sic qui dicunt agentia naturalia per se non esse operatiua ad eamdem naturam recurrerent, & dicerent ex natura ignis prouenire, vt Deus ad præsentiam illius debeat vt auctor naturæ potius calorem, quàm frigiditatem producere. Potest tamen vrgeri hæc ratio, quia si tota virtus actiua existeret penès Deum nihil operante causa secunda, cur Deus ita decreuisset certos effectus producere, plantas, verbi graria non nisi post tam laboriosam hominis culturam, post pluuiam de cælo missam, quæ omnia in cassum Deus decreuisset ad effectum à se producendum præire, cum illis non expectatis æquè bene effectus posset à Deo produci.

Vltimò eamdem conclusionem probo. Effectus potest 4
dependere a principio passiuo creato: ergo ab effectiuo. Respondebis Deum non posse pati effectum, & ita virtutem passiuam dandam esse necessariò in creaturis, posse tamen illum efficere, quapropter virtus actiua necessaria non est in alio præter Deum. Contrà: virtus actiua Dei non opponitur cum virtute actiua creaturarum: ergo ex eo quod Deus actiuè possit operari, non infertur creaturam hac virtute actiua carere, statuo ergo virtutem actiuam Dei non esse fundamentum ad negandam virtutem actiuam creaturæ, & hoc posito, arguo à paritate prædicta. Vrgeo: in creatura inuenitur tota proportio, quæ potest excogitari requisita ad aliam producendam: neque fundamentum est ad negandum hanc illi productiuam inesse, aliàs tota Philosophia clamitat illam in creaturis concedendam esse, perpetua sensuum experientia idem demonstrat: elimináda ergo est sententia, quæ virtutem hanc creaturis denegat, vel tota euertenda Philosophiæ disciplina.

Demum, vt doctè meditatur Soar. disp. 18. Metaphys. 5
sect. 1. virtus hæc ex sacra Pagina haud obscurè colligi videtur, Genes. 1. num. 11. *Germinet terra herbam virentem*, & num. 24. *Producat animam viuentem*, *&c.* Ex quibus verbis colligit Basil. hom. 9. res virtutem productiuam accepisse. Et Matth. 4. ait Christus: *Aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum.* Et infrà: *vltrò terra fructificat primùm herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum, &c.*

PVNCTVM II.

Statuitur virtus actiua in causis secundis.

1 AVdiendi non sunt auctores, qui dicunt in causis secundis non esse virtutem operatiuam, sed Deum ad præsentiam illarum effectus producere, quæ sententia ex Trident. efficaciter reiicitur. Damnat Trident. sess. 6. can. 4. illum, qui dixerit nostrum arbitrium nihil operari; sed habere se veluti quoddam inane instrumentum: ergo constat, ex Trident. nos effectiuè operari actus spectantes ad nostram iustificationem, & non nos habere merè passiuè: ergo ex Concilio constat nobis inesse actiuam virtutem ad actus nostræ voluntatis. Secundò, eamdem conclusionem traditam à Concilio, quam modo propugno, ratione ostendo: Homini inest liberum arbitrium, & se liberè determinat ad hanc operationem laude, & illam vituperio dignam: ergo homo effectiuè elicit suam operationem, alias non esset liber, neque se determinaret, sed illum determinaret Deus, qui operationem produceret, neque illi posset dari laudi, vel vituperio operatio, quæ ab illo non efficitur, sed à Deo, qui pro sua libertate illam produceret nullo habito respectu ad libertatem hominis, quæ illi non inesset, si non effectiuè actus voluntatis produceret. Dices hominem esse dignum laude vel vituperio, quia Deus ad præsentiam illius producit hanc, vel illam actionem. Contrà: homo ex se indifferens ad actionem bonam vel malam, vel producit aliquid, ex vi cuius determinetur Deus ad producendam hanc actionem bonam, vel nihil producit, sed Deus ad præsentiam hominis indifferentis ad vtramque actionem pro sua libertate, producit, quam vult. Si primum dicas, iam concedis homini virtutem actiuam: si secundum, conuinceris hominem non esse laude dignum hìc & nunc ex eo, quod Deus producat actionem honestam, quia præsentia hominis non magis determinabat Deum ad actionem honestam, quàm inhonestam producendam.

PVNCTVM III.

De virtute operatiua accidentium.

PRIMA CONCLVSIO. Substantia habet virtu- 1
tem intrinsecam, & immediatam productiuam accitium in seipsa: ita Soar. disp. 18. Metaph. sect. 3. Hurtad. disp. 9. sect. 1. subsect. 2. & alij plurimi. Probo hanc conclusionem experientia, qua videmus aquam remoto quolibet alio agente extrinseco reducere se in pristinam frigiditatem, ergo producit frigiditatem in se ipsa. Responderi solet ex Iauello aquam frigiditatem in se producere, propter qualitatem quamdam occultam productiuam frigiditatis distinctam à substantia aquæ, quam recipit à generante. Inquiro, vnde hæc qualitas occulta fuit nota? certè ex nullo capite, ac proinde adeo mihi est occulta, vt illam non agnoscam, quam neque Iauellus cognouisse debuerat, cùm verò substantiam aquæ nouæ, ipsi efficientiam frigiditatis tribuo, & non ignotæ qualitati, & sine fundamento fictæ committo. Secundò in actibus vitalibus

libus specialiter probatur hæc conclusio, quo (adhuc potentiis superadditis) immediatè ab anima procedere ostendo Controu. 3. de anima punct. 1.

2 Secvnda conclvsio. Substantia virtutem habet producendi immediatè in alio subiecto extraneo plura accidentia, quæ in se ipsa producit, ingnis v. g. potest producere immediatè per suam substantiam calorem in ligno eiusdem rationis cum calore in se ipso producto. Probo hanc conclusionem: calor productus in ligno, & igne, est eiusdem rationis: ergo continetur vterque calor secundùm suam entitatem in virtute intrinseca ignis, aliàs calor contentus in virtute intrinseca ignis non petit ex se immanenter produci cum saltem ab alio calore posset produci trâseunter, neque modus transeunter operâdi excedit virtutem intrinsecam ignis: ergo poterit ignis non solum immanenter, sed etiam transeunter calorem producere, præcipuè cum nullum sit fundamentum ad negandum igni hanc virtutem transeuntem producendi calorem, quem potest immanenter producere.

3 Tertia conclvsio. Ignis, qui virtutem habet producendi calorem in ligno non impeditur calore, quem in se habet vt talem calorê producat in subiecto extraneo. Hanc conclusionem exprimo contra Arrag. asserentem disp. 11. sect. 2. subsect. 1. n. 14. ignem habere virtutem producendi calorem in subiecto extraneo, nihilominus naturaliter non posse illum producere, quia impeditur proprio calore. Meam conclusionem probo, & Arriagam impugno principio illis satis familiari. Quoties duæ causæ, quarum quælibet virtutem habet ad effectum producendum approximantur passo, in quo effectus est producendus, vtraque attemperat suum concursum, & effectus ab vtraque procedit, sed calor, & ignis habent virtutem ad producendum calorem in subiecto extraneo, & æquè vterque applicatur subiecto: ergo effectus ab vtroque procedit, per concursum attemperatum, qui inadæquatè procedat ab igne, & inadæquatè à calore, & ab vtroque adæquatè. Respondet Arriag. calorem esse causam magis proportionatam ad producendum alium calorem. Contra: Hæc maior proportio gratis confingitur ab Arriag. non enim ex eo quod calor sit magis similis alteri calori, est magis proportionatus ad productionem illius, cum proportio inter causam, & effectum non consistat in similitudine, vt patet in omnibus agentibus æquiuocis, sed in virtute ad agendum, quæ excellentior est in agentibus æquiuocis: ergo maior proportio admittenda non est. Sed esto maiorem proportionem habeat calor, quàm ignis ad producendum calorem transeunter, nihilominus ignis habet proportionem ex se sufficientem ad illum producendum, quia si non impediretur proprio calore illum produceret, vt fatetur Arriag. ergo etiamsi calor ignis maiorem proportionem habeat, calor magis proportionatus & ignis minus proportionatus calorem producent. Probo consequentiam: causam esse proportionam ad effectum producendum nihil aliud est, quàm habere virtutem ad illius productionê exhibendam: ergo esse magis proportionatum erit habere maiorem virtutem: sed non ex eo quod hæc causa habeat maiorem virtutem quàm illa, impeditur causa, quæ habet maiorem virtutem, ne effectum producat quem aliàs potest producere, imò causa quæ ex se non habet virtutem adæquatam, audita aliâ, quæ virtutem adæquatam habeat, concurrit ad effectum, quem se sola præstare non poterat: ergo causa minus proportionata, quæ aliàs sufficientem proportionem habet ad effectum producendum non impeditur causa magis proportionata, ne effectum producat, potius illa adiuta facilius, & celerius illum producet. Vrgeo: absente calore proprio ignis produceret calorê in ligno: ergo etiam præsente calore. Probo consequentiam: virtus actiua ignis, neque capacitas passi non minuitur per præsentiam caloris, quia vtraque virtus non distinguitur à substantia ignis, & passi, quæ absente, & præsente calore eadem est: neque calor potest impedire actionem ignis: ergo. Calorem non posse impedire actionem ignis sic probo: vnum agens tantum potest impedire actionem alterius, quatenus producit, vel intendit producere effectum incompossibilem cum effectu producendo ab alio, vel quatenus præocupat actionem alterius: sed calor non potest impedire influxum ignis primo modo, quia vterque intendit eumdem effectum producere, non præocupando actionem alterius, seu subiectum per effectum à se productum, quia hæc actio procedens à calore, & non ab igne in illo instanti temporis applicato debet supponere ex parte actus primi aliquid, ratione cuius Deus cum suo principio ad hanc actionem concurrat, & non ad aliam cum alio comprincipio applicato, cum enim in priori naturæ antequam intelligatur aliqua actio procedens ab hoc agente præoccupante, seu impediente actionem alterius, supponatur vtrumque principium actiuum exigens actionem, ad hoc vt Deus cum hoc principio actiuo, & non cum illo concurrisse dicatur, assignandum est ex parte huius principij aliquid ratione cuius illi debita sit actio adæquatè ab illo procedens, impediens actionem processuram ab alio principio, vel ab vtroque, in quam alterum principium propendebat, quod assignari non poterit, quia maior virtus ex parte caloris, etiamsi admittatur, non exigit vt minori virtuti ignis penitus denegetur influxus, quia minor virtus non alia maiori absorbetur, sed potius adiuuatur, vt nuper dicebam.

Qvarta conclvsio. Plura accidentia transeunter producta indiuisibiliter producuntur de facto ab alio accidenti, & substantia, v. g. calor in aqua ab igne, & à calore existente in igne. Hæc conclusio ex præcedêtibus manifestè infertur, probaui enim ignem, & calorem existentem in ipso virtutem habere ad producendum calorem in aqua, & ostendi vnum non posse impedire actiuitatem alterius, ex quo manifestè infertur vtrumque in actionem prodire, quotiescumque calor simul cum igne applicantur subiecto capaci recipiendi calorem. 4

Obiic. contra hanc conclusionem. Si accidens haberet virtutem producendi accidentia in subiecto extraneo, sequeretur aquam nimis calidam productura frigiditatem in manu, quia etiamsi frigiditate careret, ipsa per se posset frigiditatem producere; consequens autem est contra manifestam experientiam, quâ constat quodlibet passum aqua calida calefieri. Diceret aliquis aquam calidam non posse producere frigiditatem in subiecto extraneo, quia prius debet propriam frigiditatem amissam recuperare, quàm extraneam producere, cum magis propendeat in frigiditatem intrinsecam producendam quàm in extrinsecam aliam, & ipsa sibi propinquior sit, quàm cuicumque extraneo passo. Non placet hæc solutio, quia agens potest agere in passum distans qualitatem intensam, dummodo aliquam in propinquius, etsi remissiorem ratione maioris contrarij producat; sed aqua calida semper aliquam frigiditatem in se habet, quam producit, seu conseruat: ergo media illa poterit frigiditatem producere in passo sibi propinquo. Respondeo aquam non producere frigiditatem in manu, quia impeditur calore, quem in se habet, qui calorem in eadem manu producit, & cum hæc non possit simul moueri duplici motu contrario non potest recipere frigiditatem ab aqua, quia recipit calorem ab alio calore aquæ inhærente. Neque solutio hæc displicere debet ex eo, quod accidens, v. g. calorem inhærentem in aqua actiuitati substantiæ præferamus, docemur enim experientia calorem inhærentem ferro, vel lapidi aquam calefacere, & hanc remouere à conseruatione frigiditatis innatæ, præualeréque contra illius virtutem actiuam. 5

Qvinta conclvsio. Accidens existens absque consortio aliûs substantiæ valet aliud accidens producere. Patet hæc conclusio in aqua calefacta, cuius calor calorem producit aquâ non adiutus, quæ caloris productiua non est, neque alio agente extrinseco, quia omni alio semoto calefit passum applicatum calori in aqua recepto. 6

Ex hac conclusione contra præcedentê argumentum desumunt nonnulli; calor ex se absque substantia sufficiens est producere calorem in subiecto extraneo: ergo necessum non esset substantiam habere virtutem producendi calorem in extraneo subiecto. Euinceret hoc argumentum si probaret non posse esse duplicê causam productiuâ eorumdem effectuum in specie; illud retorqueo: calor sufficiens est producere calorem: ergo necessum non est lucem habere virtutem productiuam caloris, & sic in omnibus effectibus posita vna causa, à qua possunt produci, superfluunt reliquæ, & ita exterminandæ erunt. Respondeo posito calore potente calorem producere in rerum natura, non esse necessarium substantiam ignis habere virtutem productiuam caloris, vt sit calor in rerum natura, esse tamen valide vtile ignem talem virtutem habere vt calor possit à pluribus causis produci, quod sufficit vt virtus illa productiua caloris in subiecto extraneo superflua non sit.

PVNCTVM IV.

De virtute operatiua substantiæ.

1 PRIMA CONCLVSIO. Substantia potest immediatè aliam substantiam producere. Hæc conclusio est contra omnes Thomistas, qui pugnacissimè defendunt vnam substantiam creatam non posse aliam substantiam immediatè, neque adæquatè producere. Thomistas sequuti sunt ex nostris Vasquez 1.part. disput.195.cap.1. num.10. Pereira in Physicis lib.8. à cap.11. Rub. tract. de causa efficiente, quæst. 6. num 58. in commentariis excusis Compluti anno 1613. in excusis Valentiæ oppositum sequutus. Nostram sententiam defendunt Scotus cum suis,& Ochamus cum Nominalibus adducti à P.Suar.Durand.in 1.dist.1. quæst.4. num.13. P. Suar. in Metaphysic. disput.18. sect.2. num.21. Conimbr. 2. Physic. quæst.16. art.2. & 6. Hurtad. disput.9. sect.3. Arriag. disput.1. sect 2. subsect 4. Primum huius sententiæ fundamentum pando. Quotiescumque possumus causas naturales assignare effectibus, quos videmus in natura produci, non licet ad causas supernaturales,neque ad Deum recurrere:ergo debemus assignare causas materiales formis substantialibus,quas per crebras corruptiones,& generationes produci experimur. Pergo:sed nulla causa naturalis vnius formæ substantialis potest assignari præter aliam substantiam:ergo hæc debet assignari. Non posse aliam assignari constabit ex conclusione secunda,qua probabo accidens non posse esse causam adæquatè productiuâ substantiæ,hanc rectè assignari sic probo:nulla maior potest desiderari proportio inter causam & effectũ, quàm illa, quæ est inter substantiam, & substantiam, neque in substantia potest excogitari ratio aliqua, propter quam illi pugnet posse immediatè producere hanc substantiam, & ab illa produci: ergo virtus hæc productiua substantiæ,quæ accidenti concedi non potest,non est absque vlla ratione ipsi substantiæ deneganda, vt teneamur recurrere ad Deum pro quolibet substantiali effectu producendo.

2 Sed age videamus quid prohibeat, vnam substantiam esse productiuam alterius,vnum ignem aliùs ignis eiusdem speciei,in quo nullum prædicatum relucet quod in altero non appareat. Dicunt Thomistæ non esse concedendum substantiæ creatæ.quod proprium est Dei,& esse proprium Dei posse immediatè substantiam producere, & ita nefas est hanc virtutẽ creaturæ tribuere. Rectè quidem:ne substantia sibi diuinam perfectionem arroget,nolunt Thomistæ esse immediatè productiuam substantiæ,& eamdẽ virtutem conferunt accidenti,quasi in hoc aliquid esset diuinum,quod sibi posset afferre prædicatum illud, quod prohibet pientissima Thomistarum religio substantiæ dari,ne illi diuinitatis aliquid impingamus. Fingat Thomista igné esse immediatè productiuum aliùs ignis:in illo aliquid diuinitatis reuerebitur?Absit. Nolo recensere modo innumera capita, ex quibus virtus substãtiæ immediatè operatiuæ aliùs substantiæ differret à virtute diuina, sufficiat dicere hanc esse increatam independentẽ ab omni alia secundùm se,& in ordine ad effectus producendos, & illam creatam dependentem à Deo secundum suam existentiam,& in ordine ad suas operationes, quas sine concursu Dei exerere non potest. Argumenti forma inefficax est: Deus immediatè potest producere substantiam: ergo creatura id præstare non poterit: retorqueo modum inferendi: Deus immediatè potest producere accidens: ergo creatura id efficere nequibit. Deus est in se ipso sine subiecto inhæsionis:ergo Angelus non poterit esse in se ipso sine subiecto inhæsionis. Pessimus inferendi modus,plurima enim, quæ conueniunt creaturis, etiam conueniunt Deo, omnia tamen longo discrimine dissita, quidquid enim habet creatura est dependens à Deo,& quidquid habet Deus est independens ab omni alio.

3 SECVNDA CONCLVSIO. Accidens non potest esse causa adæquata productiua substantiæ. Conclusionẽ hanc defendunt omnes, qui præcedentem propugnant. Scoti ratio magni momenti semper est. Accidens est imperfectius substantiâ:ergo non potest esse causa adæquata illius: nullus in dubium vertit antecedens. Probo consequentiam: effectus secundùm se totum dependet à principio adæquato efficienti:ergo totus continetur in virtute adæquata efficientis:sed entitas perfectior non potest virtualiter contineri in alia imperfectiori:ergo substantia non potest contineri in virtute accidentis. Respondent Thomistæ accidens operari in virtute substantiæ,& ita posse producere substantiam illo perfectiorem, & æquè perfectam cum alia substantia, in virtute cuius accidens operatur. Contra:operari accidens in virtute substantiæ est operari simul cum substantia immediatè operante,vel tantùm per suam entitatem:non primum,quia iam substantia esset immediatè operatiua, & accidens non esset principium adæquatũ substantiæ:ergo quidquid sit operari in virtute substantiæ,accidens quod ita operatur, operatur præcisè per suam entitatem,à qua tota procedit operatio:sed hæc semper remanet imperfectior substantia: ergo non potest illa in sua virtute contineri. Instо:sæpè substantia, à qua sunt producta accidentia in virtute cuius dicuntur operari, est corrupta,vel absens, dum accidentia operantur quid ergo prodest accidenti operari in virtute substãtiæ,quæ non est? quo modo poterit talis substãtia accidens eleuare ad effectum producendum perfectiorem ipso accidenti,ad quem accidens per suam entitatem est improportionatum?

Vrgeo: Quando animalia ex putrefactione terræ generantur,nulla est substantia,in virtute cuius accidentia producant illa animalia:ergo illa accidentia non concurrunt in virtute alius substãtiæ. Antecedens probo:nulla est substantia,quæ sit productiua muris,neque quæ ex se intendat producere omnia accidentia requisita ad substantiam muris:si enim aliqua esset,debebat esse alius mus:sed mus murem non producit: ergo illa accidentia non habent substantiam in virtute cuius concurrant:ergo in hoc & aliis similibus casibus,in quibus Thomistæ recurrunt ad naturam accidentis operantis in virtute substantiæ illorum doctrina subsistere non potest. Dices concurrere in virtute speciei. Vacua verba:species nullam habent virtutem præter illam,quam habent indiuidua,& repugnat reperiri in specie virtutem in aliquo indiuiduo non repertam,sed nullum ex indiuiduis specierum,de quibus agimus,habet virtutem producendi aliud: ergo neque in specie eorumdem talis virtus potest agnosci. 4

Aliter respondent alij,substantiam in virtute cuius operatur accidens deriuare virtutem aliquam accidenti,ratione cuius possit eliuari ad producendum substantialẽ effectum. Sed neque hi difficiliùs impugnantur. Mitto in productionibus, de quibus modò agebam non reperiri substãtiam,in virtute cuius accidens operetur, quæ in illud virtutem hanc deriuet, & argumentor sic:virtus illa deriuata vel est substantia,vel accidens:si est accidẽs de illa eadem est difficultas,ac de accidenti,in quod deriuatur:si est substantia vel immediatè attingit productionem substantiæ, vel non:si immediatè attingit,iam effectus immediatè dependebit à substantia & non adæquatè ab accidenti,quod nos intendimus: si non attingit, nihil magis præstat illa virtus deriuata accidenti,in quod fuit deriuata,quàm præstabat substantia,à qua fuit deriuata, cum totum effectum producendum relinquat accidenti ex se improportionato. Totam impugnationem huius dicendi modi, accidẽs concurrere in virtute substantiæ, & ita posse producere effectum illo perfectionem,his cingo:Accidens per suam entitatem est imperfectius substantia & improportionatum ad producendum substantiam, sed quidquid sit producere in virtute substantiæ nihil addit supra suam entitatẽ: ergo semper remanet accidens imperfectius substantiâ, & cum eadem improportione:ergo numquam poterit substantiam producere. Si scire desideres quid nos doceat Angelicus Doctor cum dicit accidens operari in virtute substantiæ. Respondeo: Angelicum Doctorem docere accidens esse virtutem quamdam datam substantiæ,vt media illa operetur, & ita dici operari in virtute substantiæ quia tota sua entitas,quæ à sua virtute non distinguitur, substantiæ fuit data, propter quam est accidens quod nõ tam dicitur ens, quàm entis ens, hoc est ens substantiæ, & eadem ratione, quâ dicitur accidens ens substantiæ,seu illius affectio, dicitur virtus substantiæ,quod non illi præstat excellentiam aliquam supra suam entitatem,ratione cuius possit attingere effectum, ad quem ex se est improportionatum. Hanc esse mentem Angelici Doctoris ostendo ex Caietano Contr. 2. de anima,punct.1. ad finem. 5

TERTIA CONCLVSIO. Accidentia non habent virtutem adhuc inadæquatã ad producendam substantiam, neque cum hac cõcurrunt ad aliam substantiã producendam. Probo hanc conclusionem ex eo præcisè, quod nullum 6

sit

sit fundamentum, quod suadeat accidentibus inesse virtutem inadæquatam ad accidentia producenda, neque ratio aliqua, quæ suadeat vnum ignem non esse causam adæquatam aliûs ignis, & quia neque virtutes sine fundamento entitatibus sunt concedendæ, neque sine illo sunt multiplicandæ partiales causæ pro aliquo effectu. Neque vtilitatem aliquam reperio in hac virtute in accidentibus reperta, quia quando accidentia sunt separata à substantiis, cùm illa non sufficiant adæquatè substantiam producere, recurrendum est ad Deum vt suppleat defectum substantiæ: ergo etiamsi accidentia talem virtutem non haberent, possemus etiam recurrere ad Deum vt suppleret influxum causæ adæquatæ. Quando accidentia substantiam comitantur, potest tota virtus actiua tribui substantiæ: ergo nihil mouet ad hanc virtutem accidentibus tribuendam: non ergo illis sine fundamento danda est. Dicunt nonnulli hanc virtutem dari in accidentibus, vt substantiæ mediis accidétibus cum quibus vnum principium effectiuum adæquatum efficiant, possint aliam substantiam producere in passo distanti: v.g. vt Sol possit aurum effectiuè producere medio calore approximatus, quia simul cum illo vnum principium adæquatum constituit, quod si non constitueret non posset ratione distantiæ aurum producere. Respondeo sine hac virtute productiua substantiæ in accidentibus reperta, rem aliter esse componendam, vel hanc virtutem denegandam.

7 Quarta conclvsio. Non repugnat dari accidens, quod possit simul cum substantia aliam substantiam producere per virtutem inadæquatam, quam habeat ad illam producendam. Hanc conclusionem probo ex eo quod præcedens altiores non habeat radices, præter illas, quas ad illam persuadendam ostendi, quæ non probant, non posse dari accidens, quod talem virtutem non habeat, sed tantum non esse fundamentum, vt hæc virtus accidentibus, quæ modò existunt concederetur. Cæterùm dupliciter potest habere accidens virtutem inadæquatam ad substantiam producendam. Primò potest habere virtutem productiuam ad producendam substantiam cum alia substantia quæ per se solam possit substantiam producere, non tamen renuat adiuuari virtute accidentis ad effectum quem sine illius consortio posset producere. Secundò potest dari accidens habens virtutem inadæquatam producendi substantiam, cum alio principio substantiali, quod similiter ex se sit principium inadæquatum non potens sine illo accidenti substantiam producere. Affirmo vtroque modo posse conuenire accidenti possibili hanc inadæquatam virtutem: Esto ratio: nullam implicationem inuoluere naruram talis accidentis, neque esse de ratione substantiæ non posse produci ab accidenti tanquam à principio inadæquato, neque non posse cum accidenti constituere principium adæquatum alius substantiæ, cùm enim sint plures substantiæ, quæ non possint aliam, etsi similem producere, neque inadæquatè, cur non poterit esse aliqua, quæ tantum possit inadæquatè, & non adæquatè? neque est contra rationem accidentis esse productiuum substantiæ per virtutem inadæquatam, & cum principio alio substantiali ex se adæquato, siue inadæquato, hîc & nunc vnum principium adæquatum constituere huius effectus ex vi huius causalitatis. Hæc omnia constabunt ex argumentorum solutione.

8 Obiic. Accidens ex se est improportionatum ad producendam substantiam: ergo nequibit simul cum substantia substantiam producere. Distinguo antecedens: accidens, quod modò existit, concedo: accidens præcisè ex prædicato accidentis, subdistinguo: est improportionatum ad producendam substantiam per modum principij adæquati, concedo: per modum principij inadæquati concurrentis cum alio comprincipio substantiali, nego. Instant; nullum est prædicatum, quod possit correspondere in effectu substantiali principio accidentali: ergo non potest neque inadæquatè substantia ab accidenti procedere. De hac correspondentia prædicatorum inter effectum & causam dicam punct. 9. interim dico, omnia prædicata effectus substantialis posse correspondere prædicato specifico principij accidentalis, non formaliter, sed eminenter, quia omnia possunt in virtute illius contineri, non tanquã in virtute seu principio adæquato, sed tanquam in principio inadæquato, neque alia prædicatorum correspondentia necessaria est inter causam, & principium inadæquatum, præter correspondentiam virtutis continentis eminenter, & effectus eminenter contenti, quæ nullam dicit correspondentiam formalem prædicatorum eiusdem rationis inter effectum & principium inadæquatum, neque omnium, sed aliquorum quæ postea assignabo inter effectum & adæquatum principium. Rursus constat: omnia prædicata, quæ sunt in effectu substantiali sufficienter correspondere principio substantiali: ergo non possunt correspondere principio accidentali. Distinguo antecedens; correspondent formaliter, transeat; correspondentia enim formalis non arguit virtutem adæquatam, neque inadæquatam, Angelus enim secundùm omnia prædicata correspondet Angelo quem non potest producere: correspondent eminenter, subdistinguo: in substantiis possibilibus, quæ tantùm habent virtutem inadæquatam ad producendum effectum, correspondent eminenter tanquam principio adæquato, nego: tanquam principio inadæquato, concedo; In aliis, quæ sine accidenti possent producere substantiam, correspondent omnia prædicata effectus ex vi causalitatis, per quam possent sine accidenti effectum producere, concedo; ex vi aliûs causalitatis, per quam possunt cum accidenti effectum eum producere correspondent omnia prædicata effectus tanquam principio adæquato, nego: tanquam principio inadæquato, concedo, quia principium ex se potens sine aliûs consortio ex vi huius causalitatis effectum adæquatè producere, ex vi illius, quæ per se dependet ab illo principio, & ab alio, non potest non esse principium inadæquetum effectus, neque mediâ illâ potest effectum adæquatè producere, neque illum adæquatè continet, sed tantùm inadæquatè per ordinem ad talem causalitatem.

Obiic. D. Thom. 1.p. q.5. art.4. asserentem substantiam 9
non esse immediatè operatiuam substantiæ. Interpretor D. Thomam dicentem substantiam non esse immediatè operatiuam aliûs substantiæ, quia priûs producit accidens & medio illo disponit subiectum, quâ dispositione præmissâ substantia productionem attingit aliûs substantiæ medio accidenti tamquam dispositione, non verò medio illo tamquam virtute effectiuâ.

Obiic. nullam posse assignari causam præter accidentia 10
multis substantiis, quæ producuntur naturaliter, ex quo infertur necessariò accidentibus virtutem effectiuam illarum concedendam esse. Respondeo: omnia esse componenda absque virtute effectiua accidentium respectu substantiæ. De quibus dicam Controu....

Pvnctvm V.

De natura instrumenti, seu causæ instrumentalis.

PRolixas disputationes vidi apud aliquos de natura, 1
seu ratione constitutiua causæ instrumentalis. Ego verò in hac re nihil speciale notatu, nedum disputatu dignũ inuenio. P. Vasquez 1. part. disp. 43. & sæpè alibi causam principalem appellat illam, cui correspondet aliquod prædicatum in effectu; causam verò instrumentalem illam, cui nullum prædicatum correspondet: v. g. lumen gloriæ & potentia visiua efficienter concurrunt ad visionem beatificam vitalem, & supernaturalem, qua supernaturalis est indiget lumine supernaturali, qua vitalis indiget potentia vitali, & ita vtrique causæ suum prædicatum correspondet in effectu, ratione cuius, causæ principalis rationem vtraque habet; accidens verò concurrens ad productionem substantiæ, in qua nullum illi prædicatum correspondet non dicitur principalis, sed instrumentalis causa. Non ego in meis principiis hæc compono, sentio enim omni virtuti productiuæ correspondere effectum tanquam virtuti, in qua eminenter continetur, & omnem aliam correspondẽtiam non requiri ad rationem causæ. Statui insuper accidentia non posse concurrere ad substantiam producendam; & ita teneor aliam instrumenti rationem assignare.

Sentiunt alij instrumenta dici accidentia, quæ subiectũ 2
disponunt ad formam recipiendam, mediis quibus agens operatur, & in hoc sensu existimo accidentia propriùs dici instrumenta quacũque alia causa immediatè attingente substantiam, quia sicut artifex mediis instrumentis statuam conficit, sic substantia mediis accidentibus tanquam dispositionibus substantiã producit, licèt similitudo non teneat in omnibus, nam, vt postea dicam, instrumenta artis propriè non sunt instrumenta, quia effectiuè concurrunt.

3 Dici etiam solet maximè inter Thomistas causa instrumentalis illa, quæ per aliam concausam altioris ordinis eleuatur ad producendum effectum, quem non potest producere sine alia concausa alterius ordinis. Verbi gratia, intellectus dici solet instrumentum luminis gloriæ supernaturalis, quatenus cum illo concurrit ad visionem supernaturalem producendam, quo sensu phrasis est Thomistarum lumen gloriæ esse totam virtutem ad producendam visionem, & intellectum esse instrumentum. Cùm his multùm contendendum non est, si concedant visionem effectiuè dependere à lumine, & ab intellectu, & ab vtroque immediatè, & per se: hoc enim admisso quæstio est purè de nomine, an intellectus dicendus sit causa instrumentalis, vel principalis, quæ cùm tantùm dependeat ex modo loquendi, nulla potest efficaci ratione definiri.

4 Deinde causa instrumentalis non immeritò diceretur illa, quæ sine alia concausa per concursum in debitum eleuaretur à Deo modo postea explicando de potentia obedientiali ad producendum effectum, quem naturaliter non potest producere, quia tunc licèt effectus dependeret à causa non exigeret illius productionem, & ita potiùs Deo tribueretur effectus tanquam causæ principali, quàm creaturæ, quæ velut instrumentum Dei volentis talem effectum producere concurreret.

5 Alij latiùs hanc rationem instrumenti, extendunt asserúntque quamlibet causam partialem, quæ cum alia concausa perfectiori effectum producit, dici instrumentum perfectioris concausæ. Sic speciem impressam respectu potentiæ vitalis, cum qua ad actum concurrit, instrumentum appellant, quia est longè imperfectior potentiâ vitali. Ab hoc loquendi modo non longè abest D. Thomas, qui asserit phantasma concurrere cum intellectu tanquam illius instrumentum ad speciem impressam producendam, quapropter illum improbare non audeo, asséro tamen illum non esse communem, quia cum causa particularis non excedatur ab alia concausa in prædicatis vniuersalioribus, supernaturalis videlicet respectu naturalis, spiritualis respectu materialis eiusdem rationis computatur in ordine ad denominationem instrumenti, vel causæ principalis. Exemplum adductum à Sancto Thoma tantùm posset probare de hoc notabili excessu, quia phantasma, vt pote materiale excedit ab intellectu spirituali in prædicato valde vniuersali spiritualitatis. Lege Patrem Soar. disput. 28. sectione secunda.

PVNCTVM VI.

De potentia actiua obedientiali respectu actuum vitalium.

1 POtentia naturalis dicitur comparata illis effectibus, quos potest causare cum concursu generali sibi debito, vel præcisè sumpta, vel quatenus coniuncta cum aliis comprincipiis, quæ naturaliter illi possunt adiungi. Potentia obedientialis dicitur virtus causatiua in ordine ad effectus, quos non potest producere per concursum debitum potentiæ secundùm se, neque illi cum aliis comprincipiis, quæ naturaliter illi possunt coniungi, exempli gratia. Potentia ignis ad calorem producendum, & intellectiuæ animæ ad intellectionem, naturales dicuntur, quia igni debetur concursus ad calorem producendum in se, quocumque alio soluto, & in passo suppositа applicatione, quæ naturaliter potest contingere, & animæ intellectiuæ licet secundùm se sumptæ absque omni specie non debeatur concursus ad cognitionem, illi tamen debetur suppositа specie impressa, quæ naturaliter illi potest adiungi. Potentia, quam habet anima ad actum amoris Dei fidei diuinæ, & visionis intuitiuæ circa Deum obedientialis est, quia animæ secundùm se sumptæ, neque quatenus coniunctæ cum alio comprincipio, quod illi potest naturaliter coniungi non debetur concursus ad hos actus, sed tantùm quatenus coniunctæ cum habitibus supernaturalibus animæ indebitis, quos ipsa naturaliter consequi non poterit.

2 Potentia obedientialis dicitur quatenus concurrit ad hos actus, quibus illi non debetur concursus, nisi quatenus coniunctæ cum principiis indebitis, & altioris ordinis, quia secundùm effectus, quos hac ratione producit, cum ipsa illorum productionem quatenus ex se non intendat, sed determinata à Deo immediatè vel medio principio altioris ordinis, quod Deus infundit potentiæ, obedire dicitur creatori, quatenus subditur illius determinationi circa effectum, quem ipsa non intendebat. Dicitur potentia hæc eleuari ad actus producendos, in ordine ad quos obedientialis dicitur, quia per comprincipium illi præstitum, vel specialem omnipotentiæ assistentiam ad concursum indebitum constituitur iam magis potens in actu primo, quàm erat antea ad effectus alterius ordinis, & quasi effertur & extollitur ad actum primum circa hos effectus, ac proinde eleuari nihil aliud est, quam virtute extrinseca sursum tolli.

Intellectum & voluntatem eleuari ad actus supernaturales conducentes ad nostram iustificationem efficiendos. 3
Catholicum est, quod absque temeritate, negabit nemo. Extant de hac re plurima testimonia Scripturæ, & Patrum quibus dicitur liberum hominis arbitrium cooperari gratiæ Dei, & quæ hominibus hæc opera suadent, quæ suasiones inutiles essent, si homines nihil in hos actus efficerent. Videri possunt de hac re Bellarm. lib. 6. de gratia & libero arbitrio. Vega in Trid. lib. 6. cap. 2.

Potentiam passiuam animæ intrinsecè naturalem eleuari ad actus supernaturales certum est apud omnes, quia 4
si actus dispositiones alias requirerent ex parte passi, de his inquirerem an essent naturales an supernaturales: si supernaturales, iam potentia passiua eleuaretur ad formam supernaturalem disponentem ad alios actus supernaturales recipiendam: si naturales, potentia passiua intrinsecè naturalis nulla dispositione supernaturali præmissâ reciperet actus supernaturales, ac proinde immediatè ad illorum receptionem eleuaretur, quia per aliquid naturale eleuari non posset. Potentiam actiuam animæ eleuari ad eosdem actus producendos tenet communis sententia Theologorum. Ita tenent quatuor primæ nostræ Societatis fulgentissima lumina P. Mol. 1. part. q. 12. art. 5. disp. 2. §. *Quidquid autem sit.* P. Vasquez 1. part. disput. 43. cap. 4. num. 1. & 12. vbi oppositam improbabilem censet, & disput. 126. c. 5. P. Soar. 1. part. lib. 2. de visione Dei cap. 9. n. 13. & cap. 10. num. 8. & sæpè alibi, P. Val. 1. part. disp. 1. q. 12. quos nullo dempto sequuti sunt omnes Doctores nostræ Societatis, quorum longum syllabum inuenies apud Ripal. tract. de super. disp. 30, sect. 2. In oppositam sententiam eunt Thomistæ negantes immediatam actiuitatem animæ etiam inadæquatam respectu actuum supernaturalium, quam totam tribuunt habitibus supernaturalibus, quos dicunt concurrere tanquam totam virtutem, media qua anima operatur, sicuti multi potentias superadditas admittunt, qui totum concursum deferunt intellectui respectu intellectionis naturalis, ita vt anima immediatè non concurrat ad illam; ita nonnulli Thomistæ totum influxum actiuum in actus supernaturales habitibus supernaturalibus tribuunt, asseruntque hos concurrere ad actus, non solum vt spirituales, sed vt vitales, quia concurrunt loco animæ tanquam potentiam supernaturalem illi infusam. Huius sententiæ primus inuentor fuit Sotus in 4. dist. 49. quæst. 4. art. 2. quem sequuti sunt Aladeaux. disput. 64. concl. 2. & disp. 35. art. 3. Cabr. 1. in 3. part. quæst. 1. art. 2. disp. 4. §. 4. Maior 1. part. quæst. 12. art. 5. contr. 2. §. *Tertio aduertendum.* Hos voce tenus sequuntur alij plurimi Thomistæ asserentes habitus supernaturales concurrere ad actus tanquam totam virtutem illorum, qui postea concedunt intellectum, & voluntatem immediatè effectiuè attingere hos actus non tanquam virtutem, sed tanquam instrumentum ad illos: horum vidi plurimos publicis disputationibus, ita sententiam suam interpretantes, cum quibus multum non esse contendendum monui punct. præcedenti num. 3. Refertur etiam tertia sententia asserentium potentias naturales vitales effectiuè concurrere ad vitalitatem actuum non verò ad illorum supernaturalitatem.

Primo loco reiicienda sententia, quæ asserit potentias 5
vitales concurrere ad vitalitatem actuum, & non ad supernaturalitatem illorum, Contra quam sic insurgo. Vitalitas, & spiritualitas actus amoris Dei, verbi gratia, non distinguuntur inter se: ergo implicat produci vitalitatem huius actus ab hac causa, quin supernaturalitas producatur ab eadem causa, & ex vi eiusdem actionis, aliàs eadem entitas produceretur, & non produceretur ab hac causa, & produceretur, & non produceretur ex vi eiusdé actionis. Secundò habitus, & potentia vel influunt in actú per eundem influxum, vel per diuersum: si per eundem influxum: ergo totum id, quod attingit ille influxus dependet ab vtraque causa, à quo procedit influxus: sed influxus

attingit

attingit vitalitatem, & supernaturalitatem: ergo vitalitas, & supernaturalitas procedunt indiuisibiliter ab vtraque causa, siquidem procedunt per influxum indiuisibiliter ab vtraque procedentem. Si causæ influunt per influxus realiter distinctos, vel influxus respiciunt eumdem terminum, vel diuersum: si eundem, idem terminus, qui dependet à potentia dependebit ab habitu, & è contra: si diuersum videlicet influxus potentiæ vitalitatem, & influxus habitus supernaturalitatem, sequitur potentiam non eleuari per habitum ad effectum, quem producit, siquidem ad producendam vitalitatem distinctam à supernaturalitate non indigebat habitu, neque habitus aliquo modo in illam influit, sed tantùm in suam supernaturalitatem. Mitto paradoxum esse defendere in actu reperiri supernaturalitatem, & vitalitatem tenentem se ex parte effectus distinctas realiter, quod nullus hucvsque commentus est.

6 Retentâ ergo omnium Doctorum sententiâ, quæ in actu non distinguit realiter supernaturalitatem, & vitalitatem, tenentem se ex parte termini, dicendum implicari produci à diuersis causis hæc prædicata, & vnum non dependere à causa, à qua dependet aliud, & ex vi vtriusque causalitatis, sicuti implicat produci ab hac causa ex vi huius causalitatis rationale, quin ab eadem causa, & ex vi eiusdem causalitatis producatur animal. Argumentum suprapositum de duabus contradictoriis, quæ darentur, si ex duobus identificatis vnum produceretur ab hac causa, & non aliud, latè prosequar in Metaphysic. respectu cognitionis realis, quam defendo non posse attingere vnum prædicatum, quin attingat omnia cum ipso realiter identificata.

7 Tenenda est sententia, quam defendunt nostræ Societatis Doctores asserentes potentiam vitalem physicè immediatè attingere totum actum supernaturalem. Attingere effectiuè omnia identificata cum actu, si aliquid illius effectiuè tangit, probatum est iam contra tertiam sententiam. Probo modò contra secundam potentiam vitalem immediatè attingere actum. Efficacissimè probatur nostra sententia ex Trid. sess. 6. cap. 5. vbi aduersus Lutherum & Caluin. sic statuit: hominem gratiæ excitanti, atque adiuuanti liberè assentiendo, & cooperando disponi: verba sunt Concilij: *Per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad ipsorum iustificationem, eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens.* Vbi expendendum est illud, *cooperando disponi*, vbi cooperatio simul cum Deo operante tribuitur homini: ergo homo ex mente Concilij operatur; aliàs non posset dici operari simul cum Deo. Secundò homo excitatur per Spiritus sancti illuminationem: ergo excitatur ad operandum, ad quid enim esset excitandus homo si non operaretur? ergo operatur homo, & non solùm habitus illi infusus. Eamdem veritatem clarius expressit idem Concil. Can. 4. *Si quis dixerit* (verba sunt Concilij) *liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque possit dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passiue se habere, anathema sit.* Quibus verbis expressè definit Concil. liberum arbitrium non se habere passiuè, sed agere: ergo operatur, influit actiuè: ergo non solùm influit habitus, quia habitus infusus non est liberum arbitrium, & quia si hic tantùm operaretur voluntas purè passiuè se haberet, quia respectu habitus infusi tantùm se habet passiuè, physicè enim in illum non influit, & si in actus ab hoc procedentes non influeret actiuè, neque immediatè, neque mediis habitibus aliquid efficeret, id enim quod habitus non producit, non potest dici mediis aliis producere effectus, qui tantùm ab habitibus efficienter procedunt.

8 Rationibus purè Philosophicis eadem veritas efficacissimè euincitur. Prima sit: actus supernaturalis intellectionis, & volitionis est vitalis: ergo procedit à principio vitali: ergo procedit à potentia vitali: ergo non solùm procedit ab habitu, qui vitalis non est. Respondet Thomista: actum vitalem debere dependere à vita proximè vel remotè, & ita actum supernaturalem vitalem procedere à vita medio habitu. Contrà: prædicatum vitalis relucens in effectu deberet esse in causa, à qua proximè recipit esse: ergo actus vitalis debet dependere à principio proximè & immediatè in se ipso vitali. Antecedens constabit ex dicendis Contr. 2. de anima Punct. 2. De conceptu actus vitalis, & ex multis capitibus efficacissimè probatur: omnis causa proxima adæquata dat effectui totum esse, quod habet: ergo debet continere illud per se formaliter, vel eminenter: ergo principium proximum actus vitalitatis debet continere vitalitatem actus formaliter, aut eminenter: sed non continet illam formaliter, quia non est vita in actu secundo, sicut est actus; non eminenter, quia non est vita in actu primo: ergo non potest esse principium adæquatè productiuum illius. Secundò demus habitum posse adæquatè actum vitalem producere: natura non diceretur producere habitum medio habitu, quia natura non producit habitum, neque actionem vitalem exerceret quatenus produceret habitum, quia actio, ex vi cuius producitur habitus vitalis non est.

Eadem conclusio ex libertate voluntatis ad actum supernaturalem manifestè ostenditur. Actus supernaturalis amoris Dei est liber respectu voluntatis: ergo voluntas se determinat ad talem actum: ergo voluntas efficienter illum producit, nequit enim determinatio ad actum, neque libertas ad illum subsistere, neque dari determinatio ad actum liberum in actu secundo sine influxu actiuo ex parte principij liberi & liberè se determinantis, vt latè probabo Controuers. 11. de anima, Punct. 2. vbi de natura principij liberi disputabo. Dices habitum esse principium proximè, & formaliter indifferens; & naturam radicaliter, & remotè. Contrà: ergo tota libertas proximè, & formaliter cõuenit habitui, & non animæ neque volitiuæ potentiæ: ergo ratio formalis liberi arbitrij respectu actuum supernaturalium conuenit habitui, & habitus primariò & formaliter est liber, & voluntas si aliquo modo est libera tantùm est radicaliter & remotè libertate deriuata ex illa, quam formaliter exercet habitus: ergo voluntati non primariò & per se, sed deriuatiuè ratione habitus conuenit libertas: ergo voluntas vt distincta ab habitu non esset potentia libera respectu actuum supernaturalium, quod sine temeritate nullus concedet. Demum ratione habitus non posse dici voluntatem esse liberam probandum est rationibus, quibus ostendam animam non posse dici liberam, neque esse dignam odio, vel amore per libertatem, quam tantùm exercet potentia superaddita, ex quo capite probabo adhuc admissâ potentiâ volitiua superadditâ, animam immediatè ad volitiones liberas effectiuè concurrere. Quod si anima non potest dici libera mediâ potentiâ illi innata & propriâ illius, neque libera dici potetit medio habitu quem ipsa non producit, neque illi naturaliter inest. Vide quæ de hac re scribo Controuersia tertia de anima, puncto primo. 9

Item habitum non posse primariò determinare existentiam actus, neque indifferentiam illius determinare probo. Habitus charitatis non est principium cognoscitiuum sed determinatio ad actum indifferentem in causa non potest procedere à principio non cognoscitiuo: ergo non potest procedere ab habitu. Probo minorem: determinatio effectus, quæ non est per modum naturæ debet esse per propositionem obiecti, in quo appareat ratio inclinans ad hanc determinationem, & ab eâdem remouens, ex vi cuius propositionis principium se determinaturum constituatur potens se cum indifferentia determinare: ergo principium, cui non potest obiectum proponi per cognitionem, non potest constitui potens se cum indifferentia determinare: ergo principium non cognoscens non potest se determinare. Vrgebo hanc rationem Controuers. 3. De anima punct. 1. Vbi probabo principium actiuè influens in amorem liberum debere esse formaliter cognoscens, ex principio probo adhuc admissis potentiis superadditis animam immediatè præstituram concursum ad actus intellectus & voluntatis, qui debent procedere ab vno principio effectiuo communi, quod non contingeret si tantùm effectiuè ab habitibus producerentur, quia habitus infusi ad actus voluntatis & ad actus intellectus distinctionem realem sortiuntur. 10

Obiic. Thomista: Potentia volitiua siue distincta ab anima siue cum illa identificata est entitas naturalis & naturalis virtus, sed virtute naturali non possunt fieri actus supernaturales: ergo non possunt procedere actiuè à potentia volitiua. Concedo maiorem, & distinguo minorem: virtute naturali non adiuta habitu supernaturali, & auxilio 11

auxilio gratiæ supernaturalis non possunt fieri actus supernaturales, concedo minorem : adiutâ habitu supernaturali,& auxilio gratiæ,nego minorem : ergo actus supernaturales non possunt produci à potentia volitiua, distinguo consequens:tanquam à principio adæquato, concedo consequentiam : tanquam à principio inadæquato adiuto habitu supernaturali,& auxilio gratiæ indebito,nego consequentiam.

12 Obiicies secundò. Omne principium inadæquatum & partiale exigit aliud comprincipium,quo indiget ad operandum : ergo si voluntas esset principium partiale actuũ supernaturalium, exigeret aliud comprincipiũ, videlicet habitũ : ergo habitus supernaturalis illi esset debitus,quod est absurdum.Antecedens probant, quia omne principium partiale essentialiter ordinatur ad aliud comprincipium, sicut omnis pars ordinatur ad aliam compartem. Nego primum antecedens,vel illud distinguo, vt omnem æquiuocationis occasionem adimam Thomistis. Omne principium inadæquatum ex suppositione, quod sit operaturũ exigit aliud comprincipium,sine quo operari non potest, concedo. Omne principium inadæquatum ex se absolutè exigit aliud comprincipiũ, nego antecedens, principium enim,quod obedientiale dicimus est inadæquatum,& non exigit aliud comprincipiũ, quia illi secundùm se debitum non est, & licèt ex suppositione, quod esset operaturum, illud debebat operari , cùm illi principio inadæquato ex se non debeatur operatio,non illi debetur habitus ad operationem requisitus. Ad confirmationem Respondeo non omne principiũ partiale ordinari ad aliud comprincipium partiale,neque omnem partem ordinari ad aliam compartem tanquam aliquid debitum , & connexum cum comparte,seu comprincipio,quod à Thomista extorquebo necessariò hac ratione.In omni opinione voluntas informata habitu charitatis , seu anima informata gratia constituit totum quoddam concretum accidentale constans ex subiecto , quod est anima tanquam ex parte materiali,& ex gratia tanquam ex parte formali,& anima est compars gratiæ in ordine ad hoc totum concretum *gratum*,nihilominus animæ secundùm se non debetur gratia : ergo non cuilibet parti cuiusvis totius debita est alia compars ad componendum totum. Dices hoc concretum *gratum* constitutum ex anima , & gratia esse totum quiddam accidentale, ac proinde partes inter se non esse connexas,neque vnam habere connexionem cum alia. Rectè quidem eodem modo Resp. totum illud principium adæquatum similiter esse totum quoddam accidentale, & ita illius partes non esse connexas. Dices secundò animam, quæ est pars huius concreti *gratum*, non exigere cõpartem necessariam ad hoc concretum *gratum* cõstituendum, quia potest cum alia comparte aliud concretum accidentale constituere.Resp.eadem ratione potentiam volitiuam nõ exigere comprincipium inadæquatum requisitum ad constituendum principium adæquatum actus charitatis , quia eadem potentia potest cum alio comprincipio naturali componere aliud principium naturale adæquatum ad alium actum naturalem producendum.

13 Obiic.tertiò.Si actus procederet ab habitu supernaturali,& à potentia naturali,euaderet naturalis,quia effectus sequitur debiliorem partem principij,vel saltem actus minus haberet supernaturalitatis , quam habitus, quia habitus procederet à principio adæquato supernaturali , & actus tantùm à principio partim naturali, partim supernaturali.Respondeo prædicatum supernaturalitatis in aliqua entitate non accipere magis , nec minus , ac proinde non posse vnam entitatem esse magis supernaturalem alia supernaturali;posseque simpliciter supernaturalem esse ex principio inadæquato supernaturali, quod sufficiens est ad effectum supernaturalem producendum,sicuti principium inadæquatum spirituale cum alio principio inadæquato materiali potest effectum simpliciter spiritualem producere , vt patet secundùm Thomistarum opinionem in intellectu agente simul cum phantasmate producente speciem impressam intellectus simpliciter spiritualem procedentem à principio inadæquato spirituali , & ab alio inadæquato materiali , videlicet phantasmate.

* * *

PVNCTVM VII.

An quælibet creatura habeat potentiam obedientialem actiuam ad omnes effectus.

§. I.

Aliorum sententiis propositis nonnulla præmittuntur.

CVilibet creaturæ inesse potentiam obedientialem ad quemlibet effectum quantumuis perfectum per actionem eductiuam producendum , si ad illius productionem eleuetur à Deo, Defendunt plures, & grauissimi Doctores ex nostris & ex externis. Ex nostris P. Suar.tr. in 3. part. disp.3.sect. 5.& tract.3.disp.9. sect.1.& 2.& apud Ripald.tom.3. de supern.disp.40. sect.2. P.Molina, P. Val. P.Did.Ruiz,P.Arrub.P.Gran. P.Ioan. Præpositi. P.Alba.P. Tan.P.Henr.P.Becan.P.Sair.quos sequitur idem Ripal.& P. Hurt.disp.9 sect.14.subsect.2.& P.Arriag.disp.11. sect.4. Ex externis Palud.Capr.Hærv. Ferrar. Caiet. Sot. Aluarr. Nauarr.Ledesm.Nazar.Aluelda & alij plurimi. 1

Oppositam sententiam defendunt ex nostris P.Vasquez 1.part.disp.176.c.3.& 3.part.disp.57. cap.5.& disp.132. c.3 P.Ragusa tom.1.in 3.p.disp.9.n.11.P.Conink. 3.p. q. 62. art.4.dub.vnic.P.Alarcon tract.6.de Angel. disp.9. cap.9. P.Gaspar Hurtad.tom.de Incarn.disp.9.diff.4.& alij plurimi sapientissimi recentiores. 2

Statuo primò pro quæstionis decisione id, quod propugnatores potentiæ obedientialis etiam ad suam sententiam supponunt , in creatura eleuanda ad effectum producendum debere reperiri quamdam virtutem innatam & inchoatam, quam sect.5. citatâ ad finem,remotam vocauit P. Suar. non quia immediatè ad effectum non concurrat , sed quia non est simpliciter proximè potens, neque in actu primo ad effectum producendum. Rationem huius eleganter tetigit P. Vasquez disp 176. citatâ n.9. vbi sic argumentatur.Quando res assumitur à Deo vt instrumentum ad aliquem effectum producendum, non tantùm est ordo efficientis & effecti inter effectum ipsum,& causam principalem : sed etiam inter effectum & instrumentum ipsum , quia effectus non tantùm exit à causa principali,sed re ipsa exit à causa per instrumentum, & instrumentum re ipsa agit id , quod non agebat antequam eleuaretur, ex quo infertur manifestè in re ipsa eleuata,quam multi vocant instrumentum principij eleuantis iuxta quorum phrasim loquutus est Vasq. debere esse virtutem innatam,& inchoatam ad talem effectum , vt ex illa immediatè & non tantùm ex principio eleuante oriatur effectus, quia id quod per se & immediatè formaliter attingit actionem per se immediatè & formaliter debet habere virtutem intrinsecam attingendi actionem , saltem tanquam principium inadæquatum illius. Ita expressè Suar.disp.31.citata,sect.6.in fine , & Ripal. disputat.41. sect.6.num.4.vbi seipsum refert sect.3 eiusdem disputationis,& disp.4.sect.2.& eadem ratione existimo teneri philosophari omnes quamcumque sententiam tenentes,& ob hanc rationem fassus est Arriag. posse dari , & forsan esse creaturam aliquam quæ ex defectu huius virtutis inchoatæ,& inadæquatæ non possit eleuari à Deo ad producendum effectum ad quem ex natura sua hanc inchoatam virtutem non habeat. 3

Suppono secundò , creaturam non habentem virtutem inchoatam , & intrinsecè & per suam entitatem non potentem inadæquatè, & remotè in sensu, quo Suar. potentiam hanc remotam vocauit, quem exposui n.3. non posse eleuari à Deo ad effectum producẽdum ad quem virtutem hanc non habet,& creaturam omnem habẽtem hanc virtutem posse à Deo eleuari ad producendum omnem effectum,respectu cuius habet hanc virtutem inchoatam.Prima pars huius asserti infertur euidenter ex illo quod primò suppositi,& probaui,quia si requiritur potẽtia inchoata,& innata vt Deus possit eleuare creaturam,rectè infertur non posse eleuare creaturam non habentem hanc virtutem inchoatam. Secundam Doctores oppositæ sentẽtiæ grato animo admittent , quæ facilè probari potest. Deus absque vlla causa creata potest producere omnẽ effectũ in se non repugnantem,qui per suam entitatem essentialiter non dependet ab aliqua causa , sicuti actus intentionales vitales : ergo poterit eumdem producere cum causa habente aliquã inchoatã,seu partialem virtutem ad eumdem 4

effectum

effectum producendum. Secundò omne principium partiale, & inadæquatum productiuum alicuius effectus potest compleri per aliquod comprincipium ad eumdem effectum: ergo Deus poterit complere principium inadæquatum, quod habeat creatura ad producendum effectum, quem ipsa sine eleuatione aliùs comprincipij altioris ordinis non potest producere, omnipotentia enim est virtus infinita continens eminenter omnes effectus possibiles, per quam poterit Deus supplere defectum cuiusuis principij, & quæcumque alia virtus creata requisita vt constituatur principium adæquatum effectus producendi, poterit à Deo produci, & applicari virtuti innatæ obedientiali creaturæ, vt simul cum illa vnum principium adæquatum constituat ad effectum producendum, ad quem potentia obedientialis tantum est principium inadæquatum, & inchoatum.

5 Ex his infertur ad hanc quæstionem dirimendam priùs examinandum esse, an creaturæ ex se habeant hanc virtutem innatam, & inchoatam, quâ quæstione definitâ, fixum erit quid dicendum sit de modo, quo Deus se possit gerere cum creaturis in ordine ad effectus producendos per supernaturalem eleuationem quos creatura naturaliter producere non potest, qui enim dixerit creaturas potiri hac innatâ, & inchoatâ virtute tenebitur asserere Deum posse illas eleuare ad effectus producendos ad quos habent hanc virtutem inchoatam; & qui dixerit creaturas hac virtute carere dicere cogetur Deum non posse creaturas eleuare; & vterque eodem modo de omnipotentia philosophatur, & qui affirmat nihil defert omnipotentiæ, quod ab illa auferat qui negat; neque è contrà: omnes enim concedunt omnipotentiæ virtutæ ad eleuandum creaturam ad producendum effectum ad quem habet virtutem inchoatam, & innatam, omnésque omnipotentiæ negant virtutem ad eleuandam creaturam ad effectum ad quem non habet virtutem innatam & inchoatam, & tantùm differunt in hac virtute innata, seu inchoata concedenda vel neganda creaturis, de quibus est quæstio an possint vel non possint eleuari. Ex his inferes malè se specie cultus omnipotentiæ protegere, qui defendunt creaturas posse eleuari ab omnipotentia ad effectum producendum, æquè enim sunt de omnipotentia benè meriti, qui oppositam sententiam defendunt, cum illi concedant virtutem ad eleuandam creaturam, quæ habuerint virtutem inchoatam, & defectui omnipotentiæ non tribuant non posse eleuare creaturas quæ de facto existunt, sed defectui creaturarum non habentium hanc virtutem, ratione cuius eleuari possint. Ex hac doctrina ruit fundamentum Arriagæ ad sententiam affirmatiuam defendendam, contra quam sic ille argumentatur num. 78. non repugnat vna creatura, quæ nec diuinitus possit eleuari ad omnes effectus: ergo non est vniuersaliter verum dari in omnibus eam potentiam obedientialem ad omnes effectus. Quam obiectionem fatetur difficilem esse, & ita ad illam respondere præsumit: ait hic esse quasi dicas contradictorias partes, quarum vna dicit: *Non sequuntur duo contradictoria ex eo quod Deus non possit eleuare.* Altera dicit: *Non sequuntur duo contradictoria ex eo, quod Deus possit*: affirmátque in hac controuersia, quamdiu nobis non constiterit de repugnantia tenemur inclinare ad partem, quæ auget omipotentiam Dei. Hæc solutio facilè ex dictis impugnatur, quia quando obiicitur: *non repugnat creatura, quæ non possit eleuare*, non dicimus non repugnare aliquem defectum in omnipotentia, sed non repugnat existere de facto creaturam non habentem in se virtutem intrinsecam inchoatam ad effectum producendum supernaturaliter, quem naturaliter non potest. Vnde contradictoriæ partes, de quibus est quæstio, non sunt circa naturam omnipotentiæ, sed circa naturam creaturarum, de quibus quæritur an possit eleuari. His positis, quæ altè tene ad similes quæstiones, quæ de potentia absoluta procedunt, rem totam clarò definiam.

§. II.

Propria sententia.

6 Dico primò, creaturas existentes non habere virtutem innatam, aut inchoatam, ad producendum quemcumque effectum, sed tantùm intellectum, & voluntatem habere hanc potentiam ad actus supernaturales. Probo hanc conclusionem ratione in his quæstionibus, quæ de facto procedunt, sæpè à me repetita, & sæpius repetenda. Nullum est fundamentum ad concedendam aquæ virtutem inchoatam, & innatam ad producendum Angelum: ergo virtus hæc illi concedenda non est, non enim debemus sine fundamento positiuo virtutes rerum multiplicare, & illa quæ nescimus tanquam verè existentia propugnare. Nullum esse fundamentum probo ex eo quod nullum sit prædicatum in effectibus ita producendis, ratione cuius exigant contineri in virtute obedientiali cuiuslibet creaturæ, sicuti est in actu vitali supernaturali, qui ratione vitalitatis exigit dependere à vita in actu primo, quæ cùm sit entitas naturalis non potest sine alio comprincipio supernaturali eleuante hunc actum producere. Quapropter actus amoris Dei quatenus supernaturalis dependet à principio supernaturali, & à principio vitali naturali tanquam à principio eleuato per aliud altioris ordinis. Hæc est disparitas quam adducit P. Vasquez inter animam habentem potentiam obedientialem ad actus supernaturales, & non ad alios effectus cùm dicit, animæ correspondere prædicatum quoddam, quod non correspondet in aliis effectibus, quam ego non adduco ad probandum præcisè ablatâ hac correspondentiâ ex parte principij non posse esse potentiam obedientialem, sed ad probandam non esse fundamentum ad dandam potentiam obedientialem in anima, seu in aliis entitatibus respectu aliorum effectuum, quod est ad concedendam potentiam obedientialem in anima respectu actuum vitalium, in quibus prædicatû vitalitatis arguit potentiam ad illos in substantia viuenti, & prædicatû supernaturalitatis arguit hanc potentiam indigere eleuatione vt reducatur ad actum, quia principium naturale non eleuatum non potest supernaturalem actum producere. Vnde vitalitas actus arguit potentiam obedientialem ratione prædicati vitalis, quod necessariò debet correspondere principio vitali, reliqui tamen effectus, etsi supernaturales sint, dum vitales non sunt exigunt hanc correspondentiam, ac proinde in nulla entitate arguunt potentiam obedientialem. Neque aliud est caput ex quo possit inferri hæc potentia obedientialis, vt constabit ex solutione argumentorum, quæ contra illam adduci possunt.

Dico secundò. Non repugnat creatura, quæ habeat potentiam obedientialem, & inchoatam ad producendum quemlibet effectum supernaturalem, & naturalem, qui non possit produci à causis naturalibus & qui per se & immediatè non dependeat ab his numero causis. Ratio est, quæ semper in quæstionibus, quæ de possibili procedunt, vnicè semper rem probat. Nulla est repugnantia in eo quod detur talis creatura: ergo poterit dari. Antecedens probo: ex eo, quod effectus producendus sit perfectissimus non potest sumi repugnantia, quia potentia, quæ non est principium adæquatum effectus non debet esse æquè perfecta cum illo: omnis enim inæqualitas quæ sit inter effectum producendum, & principium productiuum suppleri poterit ratione aliùs comprincipij æquè perfecti cum effectu producendo, vel ratione omnipotentiæ specialiter concurrentis cum illa entitate dummodo illa habeat innatam inchoatámque virtutem ad effectum producendum. 7

Dico tertiò, potest dari entitas habens virtutê inchoatam ad producendum aliquos ex his effectibus, quos dixi in conclusione præcedenti, & non alios etiam imperfectiores. Probo: non ex eo quod hæc entitas habeat virtutem naturalem ad hunc effectum producendum infertur habere similem virtutem ad producendum alium etiam imperfectiorem illo, quem potest producere; homo enim potest producere hominê, & non potest producere equum homine imperfectiorem: ergo ex eo quod hæc entitas habeat virtutem inchoatam, & obedientialem ad producendum hunc effectum. v. g. hominem non infertur illam habere ad producendum alium effectum etiam imperfectiorem. Deinde probatur, quia nulla est repugnantia in eo quod Deus producat entitatem cum virtute inchoata, & obedientiali ad hos effectus, & non ad alios etiam imperfectiores. 8

Dico quartò. Non potest dari creatura habens potentiam obedientialem, & innatam ad producendum effectû, qui de facto producitur à causis naturalibus eo modo, quo ab ipsis producitur. Rem explico: ignis producitur ab alio igne præcisè per applicationem agentis ad passum, non potest aliqua alia creatura habere potentiam inchoatam, & obedientialé ad ignem hoc modo producedum. Equus producitur ab alio equo per commixtionem maris, & fœminæ 9

minæ decisò à mare semine, quod fouet equa, non possunt dari alia duo animalia mas & fœmina quæ virtutem habeant non naturalem, sed obedientialem ad alium fœtum simili modo producendum. Non negat hæc conclusio posse dari entitatem habentem potentiam obedientialem ad producendum equum speciali Dei concursu eo modo quo ignis ignem producit sine hac seminum commixtione, quæ intercedit in naturali generatione equi, neque negat conclusio posse dari lignum habens virtutem inadæquatam ad producendum ignem, sed tantùm negat posse dari huiusmodi virtutem obedientialem, quæ naturaliter possit reduci ad actum. Hanc mentem mihi iniecit sapientissimus P. Vasq. disp. 176. cit. c. 4. vbi sic argumentatur contra ponentes potentiam obedientialem in quacunque creatura ad quemlibet effectum. Si aliqua virtus inadæquata, & innata tribueretur creaturæ, posset illi coniungi causa alia secunda creata naturalis, quæ compleret efficaciam eius ad quemlibet effectum non supernaturalem secundum substantiam, quia effectus est naturalis, & rectè procederet à virtute illa inadæquata, & ab alia concausa naturali, quæ illius actiuitatem suppleret. Rationem illustrat exemplo virtutis inchoatæ ad effectum supernaturalem, quæ completur per virtutem supernaturalem ad illum effectũ producendum: ergo similiter virtus illa naturalis compleri posset per virtutem aliam naturalem ad effectum naturalem producendum: ergo talis virtus inadæquata non esset dicenda obedientialis, sed naturalis, siquidem posset compleri per aliam virtutem naturalem, quæ illi posset naturaliter coniungi. Hæc ratio magni momenti mihi visa est vt pote à tanto magistro excogitata, quam sic expẽdo: Demus in ligno virtutem inchoatam, seu inadæquatam, quãtumuis minimam & exilem ad ignem producendum, hæc virtus posset compleri & inadæquari virtute alius ignis potentis adæquatè producere ignem, ad quem lignum habet illam virtutem inadæquatam: ergo virtus illa inadæquata naturaliter potest reduci ad actum: ergo virtus illa non est dicenda obedientialis, sed naturalis, & inadæquata. Virtutem illam inadæquatam, & imperfectam posse compleri per virtutem ignis, sic probo: Ignis nulla alia virtute adiutus potest producere ignem ad quem lignum habet virtutem inadæquatam: ergo poterit eumdem producere adiutus virtute quantumuis minima, & exili dummodo sit proportionata ad effectum producendum: ergo ex igne aliàs potente adæquatè producere effectum, & ex illa virtute inadæquata ligni potest constitui vnum agens adæquatum producens igem, qui inadæquatè continebatur in virtute ligni, & adæquatè in virtute ignis.

10 Dices virtutem illam inadæquatam ligni esse talis naturæ vt non possit compleri per aliam causam naturalem, quia numquam illi debetur concursus ad concurrendum cum alia causa naturali, sed tantùm potest concurrere cõcursu sibi indebito, supernaturaliter collato. Non latuit hæc solutio sapientissimum Vasquez, quam solidè refutat ibid. n. 22. rationem ab illo adductam expendo. Omni creaturæ aliàs habenti virtutem ad producẽdum effectum debetur concursus causæ primæ, quia causa prima debet concurrere cum omni entitate habente ex se omnia requisita ad producendum effectum hoc concursu secluso: sed virtus illa inadæquata ligni applicata igni, & illud concretum seu adiunctum per accidens *lignum, & ignis*, haberet omnem virtutem requisitam ad producendum ignem & concursu generali causæ primæ secluso nihil illi deest ad producendum effectũ: ergo nihil illi deest vt talis concursus sit debitus, non enim est aliquid in causa secunda exigentia concursus Dei, quàm virtus ex se iam secundum id, quod requiritur ex parte creaturæ, cum omnibus requisitis ad producendum effectum, quem producet per aduentum concursus: sed lignum & ignis haberent omnia requisita ad producendum ignem distincta à concursu generali causæ primæ, quo superueniente effectum producerent: ergo haberent exigentiam ad talem concursum generalem: exigitur enim concursus generalis quotiescunque res ita se habent vt præcisè ex defectu illius deficiat effectus, qui, illo posito absque vllo speciali influxu, sed tantùm secundum rationem generalem causæ primæ superueniret. Robur accipit hæc ratio ex his, quæ dixi Contr. 6. Punct. 4. creaturæ non deberi concursum generalem ratione exigentiæ, quam habeat ad illum, sed ratione indigentiæ, atqui lignum & ignis illo indigerent concursu, & non alio speciali ad producendum alium ignem: ergo illis est debitus. Confirmatur, munus causæ primæ est ita adesse causis secundis, vt ratione ipsius nullus effectus non producatur, sed ita præsto adesse omnibus vt in omnibus casibus, in quibus causa secunda operaretur, si non indigeret concursu causæ primæ, hunc exibeat causa prima, vt operetur secunda: sed lignum ex se inadæquatè potens, & ignis adæquatè potens producere alium ignem, illum producerent, si non indigerent concursu causæ primæ, quem si non producant tantum erit ex defectu huius generalis concursus: ergo causa prima debet illis præsto adesse ad concurrendum, illisque debet hunc concutsum generalem exhibere: ergo naturaliter poterunt in actum secundum se reducere: ergo virtus inadæquata ligni non est dicenda obedientialis, sed naturalis.

Aduerto non quamcumque virtutem inadæquatam posse compleri per virtutem inadæquatam ad eundem effectum, quia effectus aliquando indiget principiis inadæquatis diuersæ rationis, ad quem producendum nunquam sufficiant innumera inadæquata eiusdem rationis, sicuti infinitæ species impressæ visionis, quarum quælibet est causa inadæquata illius, non possunt constituere principium adæquatum visionis: alia verò principia inadæquata esse possunt quorum nullum ex se est adæquatum, & aliquando eiusdem, & aliquando diuersæ rationis constituere possunt vnum principium adæquatum ex principiis verò, quorum vnum ex se est inadæquatum, & alterum adæquatum respectu eiusdem numero effectus semper potest effici vnum efficiens adæquatum, ideo dixi non esse potentiam obedientialem, quæ est principium entitatis, quæ eodem modo potest dependere adæquatè ab alia causa naturali, quod eodem modo intelligendum est si possit inadæquatè dependere ab alio principio inadæquato, quod possit complere aliud, & cum illo naturaliter coniungi, ad vnum principium adæquatum constituendum. 11

De aliis entitatibus habentibus virtutem inadæquatam ad producendum effectum naturalem, quem alia causa naturalis nullo modo producere potest, vel saltem non eodem modo, est longè diuersa ratio, quia illarum virtutes compleri naturaliter non possunt; verbi gratia, demus entitatem habentem virtutem inadæquatam ad producendam formam solis; hæc virtus naturaliter non potest compleri, quia nulla est alia causa naturalis potens producere eamdem formam, per quam illius virtus compleatur. Idem dico de virtute productiua formæ equi sine naturali seminũ commixtione, sed eodem modo, quo ignis ignem producit; hæc virtus compleri non potest per virtutem, quam habet equus producendi equum, quia equus non habet virtutem adæquatam, neque inadæquatam ad producendum alium equum sine seminum commixtione præcisè per iuxtapositionem agentis ad passum, & ita ex virtute, quam habet equus, & virtute, quam haberet illa entitas non posset fieri vnum principium adæquatum, quia virtutes illæ haberent longè diuersum modum operandi. 12

Concludo ex his Deum posse eleuare intellectum & voluntatem ad actus supernaturales, & non posse eleuare creaturas existentes ad quoslibet alios effectus, possibilémque esse creaturam quam possit eleuare ad omnes seu tantùm ad aliquos effectus supernaturales vel naturales ex his, quos non potest alia causa naturalis producere eodem modo, quo illos producere posset alia entitas, quæ haberet virtutem inadæquatam. Hæc omnia ex conclusionibus præcedentibus, & ex his quæ præmisi num. 2. & 3. clarè inferuntur, omnia enim hoc vnico principio continentur: Deus potest eleuare omnem creaturam habentem virtutem inchoatam, & obedientialem, & non potest eleuare creaturam non habentem virtutem inchoatam, & obedientialem. Ex his facile erit argumenta aduersariorum dissoluere quæ iam subdo. 13

§. III.

Argumenta soluta.

OBiiciunt aduersarij primò auctoritatem D. Augustini & D. Thomæ: Augustin. enim de Genesi ad lit. cap. 17. postquam præmiserat conuenire rebus creatis virtutem agendi iuxta naturæ cursum, ita subdit: *Super hunc autem motum, cursumque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se, posse de his omnibus facere aliud, quàm earum seminales rationes habent, non tamen id quod in iis posuit, vt de his fieri, vel abs-* 14

que

que alio possit. Quibus verbis Aug. tradidit creaturis virtutem ad producendos effectus, quos naturâ sua non possunt producere, quam doctrinam ita certam existimauit, vt ad fidei dogmata spectare censeat. Subdit Augustinus: *Dicam quid mihi videatur sine affirmandi temeritate, quod tamen cum dixero, fortasse prudenter ita considerantes, quos iam Christiana fides imbuit, etiamsi nunc primitus ita cognosco, nen esse dubitandum iudicabunt*: ergo censet Augustin. Christianis extra dubium esse debere Deum posse cum creaturis effectus supra suas naturas producere. Et D.Thom. de potentia Dei q.6. art.2. ad 12. ita ait: *Quando aliqua virtus actiua est altior tanto potest eamdem rem producere in effectum altiorem, vnde natura potest ex terra facere aurum alijs elementis commixtis quod ars facere non potest; & inde est, quod res aliqua est in potentia ad diuersa secundum habitudinem ad diuersos agentes, vnde nihil prohibet, quin natura creata sit in potentia ad aliqua fienda per diuinam potentiam, quæ inferior potentia facere non potest, & ista vocatur potentia obedientiæ, secundum quam quælibet creatura obedit Creatori.* His verbis existimant propugnatores potentiarum obedientialium statui in qualibet creatura ad omnes effectus.

15 Respond. Magnum Ecclesiæ Patrem Augustinum & Angelicum Doctorem non docuisse testimoniis citatis inesse cuicumque rei virtutem ad quoscumque effectus producendos, sed ad multa facienda supernaturaliter, quæ naturaliter non possunt facere. Quod verum est in intellectu, & voluntate, quæ per habitus supernaturales eleuantur ad producendos effectus, quos naturaliter non possunt producere, & in quocumque alio agente, quod supernaturaliter producet effectus, quos naturaliter ex defectu aliûs concausæ, dispositionis, seu conditionis requisitæ producere non potest. Sic Beatissima Virgo potuit sine virili semine sanctissimam Christi humanitatem speciali Dei concursu producere, quam naturaliter non posset sine viri semine procreare. Sic Elisabeth sterilis, & nimia senectute confecta speciali Dei concursu Christi Præcursorem genuit, quem & defectu accidentium, seu dispositionum, quæ ad fœcunditatem requiruntur, ratione cuius sterilis erat, & ex defectu caloris, & aliarum qualitatum, quæ præ senectute defecerant concipere non posset. Sic etiam terra, quæ naturaliter nonnisi verno tempore potest se variis variegare floribus mediâ brumâ in eosdem flores, aliosque quoscumque præmaturos fructus poterit ferax erumpere. Mitto potentiam passiuam, qua poterunt flumina retrogrado ferri cursu, omniáque elementa propria deserere loca, terram sursum ferri ignémque deorsum. Possunt item virtutes omnium creaturarum supernaturaliter compesci, ita vt ignis non calefaciat, neque ingens mons humeris teneri infantis superpositus illi impulsum imprimat. In quibus mirè elucet obedientia creaturæ in suum creatorem, & dominium, quod in omnes creaturas habeat vnum omnium principium Deus optimus maximus, quin absque fundamento in quacumque entitula confingamus inadæquatam virtutem illi intrinsecam ad producendum quemcumque perfectissimum effectum.

16 Obiic. secundò: Nulla est implicatio in eo, quod Deus eleuet quamcumque creaturam ad quemcumque effectum: ergo poterit Deus illam eleuare. Respond. maximam esse implicationem, quam iam assigno. Si Deus eleuaret aquam de facto existentem ad producendum equum, sequeretur aquam ex se habere virtutem innatam, & inadæquatam, & illam non habere, quia aqua eadem existens secundum intrinsecam entitatem eamdem virtutem intrinsecam secum identificatam haberet, sed modò non habet virtutem identificatam: ergoetiamsi eleuaretur illam non haberet, quod est vnum ex duobus contradictoriis. Insuper virtutem haberet, quia de actu ad potentiam valet consequentia: ergo si produceret per suam entitatem, per suam entitatem haberet virtutem: ergo haberet, & non haberet virtutem.

17 Obiic. tertiò: Intellectus potest eleuari ad producendam visionem intuitiuam Dei: ergo alia entitas naturalis poterit eleuari ad quemcumque effectum supernaturalem. Nego consequentiam, disparitatem assigno, tum ex parte effectus tum ex parte causæ; ex parte effectus, quia visio Dei cum sit entitas vitalis essentialiter petit dependere à potentia vitali, & non potest produci ab alia causa supernaturali, neque etiam à Deo sine concursu huius potentiæ vitalis, & ita vt detur visio necessum est eleuari potentiam vitalem naturalem per comprincipium supernaturale ad visionem hanc producendam, debet enim intercedere correspondentia inter visionem, & principium immediatè illam producens, ad quam correspondentiam non sufficit quodcumque viuens se tenens ex parte actus primi, sed requiritur viuens in actu primo, quod constituatur viuens in actu secundo per visionem ipsam productam. Ex parte causæ disparitas est quod intellectus habet potentiam inchoatam ad certos effectus supernaturales quam non habet ad alios, neque aliæ entitates habent ad aliquem effectum supernaturalem. Intellectum hanc virtutem habere constat nobis ex principiis fidei; reliquas entitates non habere virtutem inchoatam ad omnes effectus ex eo negamus, quia nullum habemus fundamentum ad tales virtutes illis concedendas. Neque à paritate fundamentum desumi potest. Sicut enim hæc est inepta consequentia: hæc entitas habet hanc virtutem naturalem: ergo alia distincta specie similem virtutem habebit; sic ineptè arguitur: hæc entitas habet hanc virtutem obedientialem ad hunc effectum: ergo eadem habet virtutem obedientialè ad alios effectus specie distinctos, & alia specie distincta habebit virtutè inchoatam ad hos effectus, vel ad alios, neutrum enim infertur.

Obiic. quartò: Creaturæ habent potentiam obedientialem passiuam ad omnes effectus: ergo actiuam. Negant multi consequentiam, & non immerito, quia potentia passiua adæquata effectus potest esse longè imperfectior illo, non autem principium adæquatum actiuum, quod semper debet esse saltem æquè perfectum cum effectu, ex quo infertur maiorem proportionem requiri inter principium actiuum, & effectum, quàm inter hunc & principium passiuum. Respondeo negando antecedens, non enim quælibet potentia passiua virtutem habet, vt ex illa quæcumque forma educatur, vt Controu. ✠ Punct. 2. dictum est, vbi probaui materiam primam non posse recipere simul plures formas adhuc de potentia Dei absoluta. 18

Obiic. quintò: Accidens simul cum substâtia potest concurrere ad producendam substantiam: ergo quælibet entitas naturalis potest cum alia supernaturali effectum supernaturalem producere. De accidentibus, quæ de facto existunt antecedens ego negaui, sed verum esto. Rogo quis hanc arguendi formam docuerit, in qua consequens vniuersalius ad plures species longè inter se distinctas se extendit quàm antecedens. Rursus demus paritatem inter res adeò dispares. Sic argumentor: Accidens potest cum substantia non per potentiam obedientialem, sed naturalem substantiam producere: ergo entitas naturalis non solùm per potentiam obedientialem, sed etiam naturalem poterit aliam entitatem supernaturalem producere. Dices disparem esse rationem, quia accidens naturaliter potest coniungi cum substantia. & res naturalis non potest coniungi naturaliter cum illa supernaturali. Vera est disparitas, sed illam tibi sume, ex illa enim dico substantiam habere tanquam proprium instrumentum accidens, cum quo naturaliter coniungitur, & rem naturalem non esse instrumentum rei supernaturalis, neque è contrà, quia non sunt mutuò connexa, sicut substantia, & accidés. Rursus argumentum retorquo: licèt accidens coniunctum cum substantia possit aliquas substantias producere, non tamen omnes valet efficere, nullum enim accidens cum quacumque substantia coniungatur valet formam solis producere: ergo non omnis entitas naturalis potest eleuari ad quemcumque effectum. Respondeo quidquid sit de antecedenti negando consequentiam: disparitas sumenda est ex ratione, quâ mouentur auctores ad concedendam actiuitatem accidentibus respectu substantiæ, quæ non inuenietur, quæcumque illa sit, ad concedendam virtutem inchoatam creaturæ respectu cuiuscumque effectus. 19

Obiic. sextò: Deum habere perfectissimum dominium creaturarum, & hoc non ita futurum, si non possit illis vti ad quoscumque effectus producendos. Simul opponût perfectionem summam omnipotentiæ Dei, ob quam poterit vti imperfectissimis instrumentis ad quæcumque perfectissima opera, quia in omniû artium genere, quo agens principale perfectius, eo imperfectiori, & ineptiori instrumento vti potest ad opus perficiendum, rectius enim scribit, aut depingit excellens pictor, aut scriptor calamo, aut penicillo inerti, quàm improbus pictor aut scriptor optimo calamo aut penicillo. Non ad angustias formæ syllogisticæ his rationibus trahemur. Respondeo dominiû quod Deus habet in creturas esse perfectissimum omnium possibilium, quæ possunt excogitari, non enim esset perfectius dominiû, quo posset vti creaturis de facto existêtibus 20

ad producendos effectus, quorum non habent virtutem inchoatam, quia illud esset chimæricum, sicut esset chimæricum dominium, quo Deus posset vti gratiâ habituali ad constituendum hominem formaliter nigrum, & nigredine ad constituendum hominem formaliter sanctum, quod dominium vt pote fictitium, & chimæricum à Deo est relegandum. Ad illud quod dicitur de perfectione omnipotentiæ. Respondeo omnipotentiam esse summè, & infinitè perfectam, ad cuius perfectionem non attinet posse facere illa, quæ ex se implicant. Ad comparationem ex artifice adductam. Respondeo, excellentiorem artificem melius vti quocumque instrumento cæteris paribus, alio imperitiori artifice, nullum tamen posse vti tanquam instrumento, re omnino inepta ad opus faciendum, neque enim probus, aut improbus pictor poterunt tanquam in tabula in substantia Angeli depingere, vel illa vti tanquam penicillo, quia substantia Angeli omnino inepta est ad hæc munera, ita neque Deus potest vti quacumque creatura ad quemcumque effectum producendum, quia plures illarum omnino ineptæ sunt, neque aliquam virtutem habent inchoatam ad plures effectus producendos.

21 Obiic. septimò: Sacramenta causant gratiam supernaturalem, & humanitas Christi multa miracula est operata, & effectus produxit, qui naturaliter produci non poterant: ergo potest Deus eleuare entitates naturales ad effectus supernaturales, ad aliaque quamplurima, quæ sine miraculo fieri non possunt. Respondet P. Vasquez locis suprà citatis, gratiam supernaturalem dependere à sacramentis, & miracula fieri ab humanitate Christi moraliter, & non physicè, quod in sacramentis specialiter probatur. quia sacramentum Baptismi operatur recedente fictione, dum non existit, nihilque potest physicè, dum non existit effectum sortiri, & reliqua sacramenta effectum sortiuntur in vltimo instanti, in quo conficiuntur, in quo vix minutula particula illorum perseuerat, quando enim profertur vltima syllaba verborum consecrationis, tantùm illa superest, à qua posset physicè gratia produci, reliqua enim verba iam non existunt, ac proinde nihil possunt producere: & quando alter sponsus vltimò exprimit consensum, iam præcessit consensus, & expressio alterius sponsi, & nihil potest operari. Addo secundùm hanc sententiam defendi posse plura miracula sanctissimam Christi humanitatem non solùm moraliter, sed etiam physicè perpetrasse, quia quando Petrum supra mare tuto pede ambulare iussit, tantùm necessum fuit Petro Christum imprimere impulsum, vt non submergeretur, quem quoad substantiam naturaliter imprimere poterat, quod autem illum imprimeret absque vllo contactu, & distans à Petro, hoc erat supplere Deum miraculosè conditionem requisitam ad operandum, non verò eleuare Christi humanitatem ad aliquem effectum secundùm substantiam altioris ordinis ab illis, quos naturaliter potuit producere. Similiter quando cæcis visum restituebat effectus secundùm substantiam productus, tantùm erat temperamentum qualitatum, & motus localis organorum vt situm, & locum haberent requisitum ad proprias functiones obeundas, qui motus localis secundùm substantiam non excedit virtutem naturalem humanitatis, neque in temperamento qualitatum erat aliqua, quæ secundùm substantiam non posset produci à Christo. Neque ideò sine maximo miraculo hæc fiebant; non enim sine miraculo potest moueri, & ad proprium restitui locum exiguus neruus in cerebro absconditus ac alio supposito loco distante ab homine, cuius organa ad proprium locum restituuntur, neque in tam exiguis partibus quantitatis inter se propinquis potest tanta, & non maior, neque minor intensio qualitatis, diuersa in diuersis partibus ab agente loco distante, & supposito distincto produci. Difficiliùs hæc doctrina poterit defendi in aliis miraculis, videlicet in conuersione aquæ in vinum facta in nuptiis, & præcipuè in mortuorum resurrectione, de quibus Theologi disputabunt. Sufficiat modò dicere cum P. Vasquez, hæc miracula moraliter, & non physicè à sanctissima Christi humanitate esse perpetrata.

§. IV.

Nonnulla corollaria.

22 EX his, quæ dixi multa sunt notanda, quæ facilè ex doctrina deducuntur, quæ inpræsentiarum exprimam, vt plenam de hac re notitiam meo lectori reddam.

Noto, duplicem esse potentiam obedientialem: quædam absoluta est naturalis in ordine ad substantiam effectus, & obedientialis in ordine ad modum, quo illum producit: alia obedientialis est in ordine ad substantiam effectus. Exemplum prioris esto ignis quatenus potest agere in passum distans, quin agat in propinquum, vel quatenus potest introducere formam ignis in materiam vltimò dispositam ad aliam formam, & carentem dispositionibus ad formam ignis. Posterioris enemplum est potentia intellectiua, quæ ad substantiam visionis intuitiuæ obedientialis est, quia ex ipsa substantia visionis fieri nequit ab intellectu non eleuato per lumen gloriæ, vel per concursum specialem Dei supplentis vice luminis. 23

Ex hac potentiarum obedientialium differentia alia suboritur eisdem intrinseca, videlicet potentiam obedientialem tantùm secundùm modum, & non secundùm substantiam esse virtutem completam, vel quæ naturaliter potest compleri secundùm id, quod requiritur ex parte virtutis influentis in effectum, & tantùm dici obedientialem, quia illi deficit conditio requisita ad agendum, sicuti in igne agente in distans, quia dicit totam virtutem adæquatam effectus producendi, & quatenus distinctus ab eleuatione dicit totum id quod se tenet ex parte virtutis productiuæ, vel saltem principium inadæquatum, quod naturaliter posset compleri, & tantùm eleuatur, quia suppletur conditio quædam, quæ etiam naturaliter posset accidere virtuti. Vnde illa eleuatio est quasi accidentaliter contingens causæ ad effectum producendum, quia naturaliter poterat contingere virtutem esse completam, & cum omnibus prærequisitis ad effectum eumdem producendum absque aliqua eleuatione: ignis enim, qui calorem producit in passo distanti potuit esse applicatus ad eumdem calorem in eodem passo producendum. Potentia obedientialis respectu substantiæ effectus semper est principium inadæquatum, non solùm ex defectu conditionis, sed etiam ex defectu virtutis requisitæ ad effectum producendum, non enim potest dari virtus adæquatè actiua obedientialis respectu alicuius effectus. In effectu supernaturali producendo à potentia obedientiali naturali, & in quocumque effectu perfectiori potentia obedientiali certum est, quia nequit entitas imperfectior esse adæquatè virtus productiua effectus illa perfectioris. In aliis quibuscumque potentiis probo ex dictis suprà, vbi statui debere concursum causæ primæ omni virtuti, quæ ex se habet omnia requisita ac effectu, ita vt superueniente concursu illum produceret: ergo si daretur virtus adæquatè actiua respectu alicuius effectus illi naturaliter deberetur concursus: ergo ex omni capite esset virtus naturalis & non obedientialis. 24

Alia ex his differentia deprehenditur inter potentiam obedientialem actiuam, & inter potentiam obedientialem passiuam ad effectus substantiam. Quod potentia obedientialis actiua vtpote inadæquata in ratione virtutis actiuæ semper eleuatur, seu completur per aliud comprincipium actiuum siue illi inhærens, sicuti lumen gloriæ eleuans intellectum ad visionem beatam, siue illi tantùm extrinsecè assistens, sicuti omnipotentia cùm præsto adest intellectui ad producendum cum illo visionem beatam per specialem concursum, quem loco luminis præstet omnipotentia. Potentia obedientialis passiua non necessariò eleuatur per aliud comprincipium tenens se ex parte passi, neque per omnipotentiam supplentem vices principij passiui, sed tanùm per eleuationem tenentem se ex parte principij actiui, eo enim ipso quòd intellectus sit potens producere actiuè visionem, est potens illam recipere, quia principium passiuum non indiget alia eleuatione præter illam, quam dicit principium actiuum, ita vt si per impossibile intellectus posset absque vlla eleuatione visionem producere, etiam absque illa eamdem visionem naturaliter recipere posset. Non nego posse dari aliquam potentiam passiuam indigétem eleuatione facienda per aliud comprincipium passiuum respectu effectus recipiendi, potest enim dari principium passiuum naturale secundùm substantiam inadæquatum respectu alicuius formæ substantialis, quæ non possit compleri nisi per aliud comprincipium supernaturale, cùm quo componat vnum adæquatum principium passium formæ supernaturalis recipiendæ, sicut enim intellectus, & lumen gloriæ constituunt vnum principium actiuum adæquatum visionis supernaturalis, sic intellectus iste, vel alius specie distinctus posset cùm alio habitu constituere vnum principium adæquatũ passiuũ respectu 25

respectu alicuius actus, quem non posset adæquatè intellectus recipere. Hoc tamen non est proprium omnis principij passiui, respectu omnis effectus recipiendi, quia intellectus necessariò recipit aliquem habitum, vel actum supernaturalem immediatè sine consortio alicuius principij supernaturalis passiui, quasi hoc comprincipium reciperetur in intellectu, vel reciperetur tantùm in principio passiuo naturali secundùm substantiam, vel in infinitum esset abeundum, vel deberet esse creatum, & hoc nullum potest de facto excogitari respectu intellectus de facto existentis.

26 Posses contra hanc doctrinam non abs re obiicere: Potest dari potentia passiua naturalis secundùm suam entitatem adæquata respectu effectus recipiendi in ratione principij passiui, quæ obedientialis dicitur in ordine ad talem effectum, quia connotat principium actiuum supernaturale & indebitum, sine quo non potest materialiter effectum causare, quæ præcisè eleuatur per aduentum principij actiui supernaturalis: ergo poterit dari virtus actiua naturalis secundùm substantiam, quæ sit adæquata in ratione virtutis actiuæ naturalis, & obedientialis dicatur, quia connotat passum supernaturale, & indebitum, quod illi nõ potest naturaliter coniungi, sine quo non poterit effectum producere. Respondeo negando consequentiam, rationemque disparitatis assigno. Principium actiuum adæquatè secundùm se totum naturale non potest esse principium actionis supernaturalis, & ita non potest agere circa subiectum supernaturale, quia omnis passio subiecti supernaturalis, quæ est eadem cum actione est supernaturalis, ex quo fit principium actiuum adæquatè naturale non posse eleuari à passo supernaturali, cùm non possit agere circa illud. Principium verò passiuum adæquatè naturale potest esse principium passionis supernaturalis, ac proinde potest pati ab agente supernaturali, & ab illo eleuari.

27 Noto etiam non solùm dari eleuationem & potentiam obedientialem principij naturalis ad effectum supernaturalem, & principij imperfectioris ad effectum perfectiorem; sed etiam principij supernaturalis ad effectum supernaturalem, & principij supernaturalis ad effectum naturalem, & absolutè principij perfectioris ad effectum imperfectiorem, & principij perfecti ad effectum æquè perfectum. Ratio à priori est, quia in his omnibus entitatibus potest dari ad hos omnes effectus ratio potentiæ inchoatæ, quæ non possit compleri naturaliter per aliam potentiam. Potest enim dari Angelus habens virtutem inchoatam, & inadæquatam ad producendam formam cuiusdam astri materialis, quæ tantùm possit compleri per omnipotentiam, vel saltem per aliam concausam supernaturalem, & tunc Angelus spiritualis perfectior forma astri habebit virtutem obedientialem respectu effectus materialis, & imperfectioris. De aliis potentiis annumeratis exempla sunt obuia.

Punctvm VIII.

Quid sit potentia obedientialis.

1 Quam grauiter in hac re offendunt graues auctores sapientissimique recentiores, qui non distinguentes inter potentiam obedientialem, & eleuationem eiusdem potentiæ, pleraque confundunt, & doctores, quorum sententiam amplectuntur abs re impugnant, & contra asserentes eleuationem fieri per qualitatem inhærentem, motúmve transeuntem, probant potentiam innatam esse intrinsecam, & indistinctam à creatura, & contra illos, qui dicunt virtutem obedientialem esse indistinctam à creatura probant creaturam eleuari per aliud comprincipium, seu auxilium extrinsecum, & ita Doctores inter se non dissentientes concertationes fingunt, prolixásque excitant quæstiones, in quibus si distinctè procederent, clarè apparerent, illáque rerum distinctarum confusione omnibus tenebrescunt. Non vacat omnium Doctorum mentes explicare, quos pro mea adducam sententia fideliter referam, moneóque ab aliis relatos legendos esse, plures enim inueni quos finistrè etiam doctissimi viri interpretantur. Claritate & distinctione, quam semper affecto rem tractabo.

§. I.

Exploditur sententia Ripaldæ.

NOster Ripalda tom. 1. de supern. quæst. 41. sect. 9. & 6. 2 duplicem actiuitatem in potentia obedientiali distinguit, conditionalem vnam, & aliam absolutam. Virtus conditionata est, qua entitas non est absolutè adhuc inadæquatè potens, sed tantùm sub conditione si illi adsint reliqua comprincipia supernaturalia requisita ad effectum, cum quibus entitas nullam habet connexionem, quia illa sunt supernaturalia, & entitas, quæ virtus obedientialis denominatur est naturalis, nihilque naturale connexionem habet cum re supernaturali. Alia est virtus absoluta, etsi inadæquata, qua absolutè intellectus inadæquatè est potens producere visionem. Virtutem illam conditionatam asserit non distingui ab entitate rei, virtutem verò absolutam asserit distingui inadæquatè adhuc vt virtus partialis est ab entitate, quæ dicit in recto entitatem rei, & in obliquo adiutorium Dei, seu auxilium intrinsecum, quo virtus illa conditionata transit in absolutam, & formaliter constituitur virtus inadæquata partialis effectus. Itaque virtus absoluta partialis, quam habet intellectus ad visionem beatam dicit in recto ipsum intellectum, & in obliquo lumen gloriæ, & possibilitatem visionis, cum quibus illa conditionata cum intellectu identificata connexionem non habet, quia nihil naturale connexionem potest habere cum entitate supernaturali.

Rationem huius distinctionis inadæquatæ virtutis 3 absolutæ partialis desumit ex natura eiusdem entitatis habentis potentiam obedientialem, quæ absoluta debet esse ab aliis comprincipiis supernaturalibus, quibus indiget ad suum effectum producendum, & sine quibus impotens est illos producere. Ex hoc capite infert distinctionem inter potentiam partialem, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, & ad supernaturalem. Quia intellectus in opinione Ripaldæ connexionem habet cum possibilitate omnium cognitionum naturalium, quas potest efficere, & omnium principiorum, quæ per se requiruntur ad has cognitiones efficiendas, ac proinde per se ipsum est cum omni, quod requirit ad cognitiones producendas, & ita per se ipsum potest dici virtus partialis absoluta effectus: idem verò intellectus connexionem non habet cum possibilitate visionis beatæ, neque luminis gloriæ requisiti ad visionem, quia etiamsi vtrumque repugnaret, permaneret idem intellectus, & ita indiget non non repugnantia horum, vt absolutè sit potens, adhuc partialiter producere effectum, & cum non habeat connexionem cum tali non repugnantia, quovsque ipsa, intelligatur non intelligitur intellectus adhuc partialis absoluta virtus ad producendum effectum. Ex hoc infert absolutam virtutem tantùm dicere entitatem intellectus, sed etiam importare in obliquo alia comprincipia, cum quibus ex se posset intellectus non coniungi, & sine quibus non esset absolutè adhuc partialiter potens. Idem dicit de omnipotentia quatenus virtus adæquata productiua ignis, quæ nõ est virtus productiua absoluta quovsque intelligatur possibilitas ignis. quia hac deficiente omnipotentia nõ poterit absolutè ignem producere, & nullam connexionem habet cum illa, ratione cuius non possit deficere. Eamdem doctrinam tradit de potentia obedientiali passiua disp. 25. sect. 3. asserit enim potentiam obedientialem intellectus ad recipiendam visionem, seu quamlibet formam substantialem duplicem esse, conditionatam, & absolutam, illam non distinguit ab intellectu; hanc asserit distingui inadæquatè, quia supra entitatem intellectus dicit possibilitatem formæ supernaturalis recipiendæ, & principij actiui requisiti ad producendam talem formam supernaturalem, cum quibus non habet connexionem propter rationem iam dictam, videlicet, nullam entitatem naturalem per se esse coniunctam cum entitate supernaturali adhuc vt possibili.

Multa mihi in hac sententia displicent, nonnulla attingam. Nec verè supponit hic auctor, nec bene infert: non verè supponit, quia falsum est intellectum habere connexionem cum cognitionibus naturalibus, quas potest producere, & cum illarum principiis per se requisitis, & illã non habere cum cognitionibus supernaturalibus, vt ostendam Controuers. 10. Metaphysic. vbi probabo intellectum non habere connexionem cum cognitionibus naturalibus, & casu, quo illam haberet eamdem habiturum cum cognitionibus etiã supernaturalibus. Non verè infert, quia 4

admissã

admissâ hac differentiâ inter causam in ordine ad effectus naturales, & supernaturales, quos potest producere, eodem modo philosophandum est de virtute partiali illius in ordine ad omnes effectus, quod sic probo. Non minus dependet intellectus à comprincipio naturali ad cognitionem naturalem eliciendam, quam dependet à comprincipio supernaturali ad eliciendam cognitionem supernaturalem, etiamsi cum isto non habeat connexionem quam habet cum illo, quia intellectus non potest sine specie naturali, vel aliquo supplente vices illius adhuc supernaturaliter elicere cognitionem naturalem, si enim velit Deus intellectum elicere cognitionem naturalem sine specie impressa tenebitur supplere concursum, quem præstitura erat naturalis species, & in opinione, quam ego cum hoc Magistro defendo, hæc cognitio secundùm speciem essentialiter dependet ab specie impressa, quia per se ipsam nullâ interiectâ actione distinctâ dependet à principio: (suppono modò cum communi sententia cognitionem dependere ab specie impressa, idem enim erit si immediatè dependeat à phantasmate) ergo sicut intellectus ex eo, quod non possit sine lumine gloriæ elicere visionem beatam, non est adhuc partialiter absolutè potens donec intelligatur in obliquo lumen gloriæ, & possibilitas eiusdem visionis, quæ si absit nullo modo poterit visionem producere, ita intellectus ex eo quod non possit adhuc supernaturaliter sine aliquo comprincipio, & in omnium sententia, hanc actionem in specie, siue distinctam, siue indistinctam à termino sine specie impressa producere, & sine non repugnantia eiusdem actionis adhuc vt partialis, absoluta potentia dicet in obliquo speciem impressam; & possibilitatem visionis: ergo adhuc vt partialis virtus dicet aliquid distinctum à se ipso videlicet, speciem impressam naturalem, & possibilitatem visionis: ergo: sicuti virtus partialis absoluta, quam habet intellectus ad visionem beatam dicit in recto & in obliquo comprincipia ad visionem, & huius possibilitatem ita virtus partialis absoluta ad cognitionem naturalem dicet in recto entitatem intellectus, & in obliquo comprincipia essentialiter requisita ad talem cognitionem, & illius possibilitatem: ergo vtraque virtus absoluta inadæquatè distinguetur ab intellectu.

5 Respondet Ripalda intellectum habere connexionem cum principiis requisitis ad intellectionem naturalem & cum possibilitate huius, & non habere connexionem cum comprincipiis requisitis ad cognitionem supernaturalem, neque cum possibilitate talis cognitionis supernaturalis. Bene: sed non satis. Admitto hanc connexionem cum illis extremis, & non cum istis, & arguo: Connexio quam habet intellectus cum comprincipiis requisitis ad cognitionem naturalem, & cum possibilitate eiusdem, potest considerari quatenus dicit vtrumque extremum connexionis in recto, vel quatenus dicit vnum in recto, & aliud in obliquo, vel præcisè quatenus dicit entitatem intellectus præcisam, & adæquatè distinctam ab alio extremo, cum quo habet connexionem, quæ talis est, vt ipsa non esset, si non esset alterum extremum, cum quo esset connexa: duobus prioribus modis inadæquatè distinguitur ab intellectu, saltem illo modo, quo potentia partialis ad visionem beatam distinguitur ab intellectu; posteriori modo non potest intellectus etiamsi in se imbibat illam connexionem intelligi virtus partialis effectus, quod sic probo. Non potest intelligi partialis virtus secundùm doctinam huius auctoris, quin dicat formaliter vt virtus absoluta partialis saltem in obliquo illud, sine quo implicat poni effectus: sed non potest poni effectus sine aliquo distincto ab intellectu vt connexo sumpta connexione posteriori modo: ergo non potest intelligi intellectus partialis virtus effectus, seu cognitionis naturalis, quin intelligatur in obliquo aliquid distinctum ab intellectu vt connexo sumptâ connexione posteriori modo præcisè quatenus dicit alterum extremum, videlicet intellectum. Maiorem probo: ex eo non potest intellectus intelligi vt partialis virtus visionis beatæ, quin intelligantur in obliquo comprincipium intellectus ad visionem, & possibilitas visionis, quia sine hoc comprincipio, & sine hac possibilitate repugnat visionem fieri ab intellectu: ergo intelligenda sunt omnia, sine quibus repugnat effectus saltem in obliquo, vt aliqua virtus illius, quæ per suam entitatem est virtus conditionata, sit absoluta virtus, etiam partialis talis effectus productiua. Minorem ostendo: sumpto intellectu quatenus præcisè dicit vnum extremum connexionis, quin in recto, aut in obliquo dicat formaliter alia comprincipia ad cognitionem naturalem, & possibilitatem cognitionis non dicit hæc comprincipia, neque hanc possibilitatem, sed sine his comprincipiis, & sine hac possibilitate repugnat fieri cognitionem: ergo intellectus quatenus præcisè dicit vnum extremum non dicit omnia, sine quibus repugnat cognitio.

Dices non posse sumi intellectum vt connexum, quin 6
formaliter vt tale dicat in obliquo aliquod extremum gnitionis. Non verè, quia etsi vnum extremum vt relatum non possit cognosci sine alio, benè tamen adæquatam distinctionem ego apprehendo inter vtrumque. Sed esto: Intellectus est partialis virtus effectus naturalis vt connexus cum comprincipiis & cum possibilitate effectus, sed vt connexus dicit in obliquo extrema à se distincta: ergo vt partialis absoluta virtus dicit in obliquo extrema à se distincta: ergo virtus partialis, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, dicit in obliquo aliquid distinctum ab ipso intellectu: ergo eodem modo completur per aliquid distinctum ab intellectu inclusum in obliquo virtus partialis, quam habet intellectus ad cognitionem naturalem, & virtus, quam dicit idem intellectus ad cognitionem supernaturalem. Vnum iuxta principia Ripaldæ inferrem ego, videlicet virtutem partialem ad visionem supernaturalem compleri per aliquid distinctum ab intellectu, cum quo intellectus habet connexionem, & ita ex parte intellectus non repugnare non compleri in ratione virtutis partialis per illud extrinsecum; virtutem tamen partialem intellectus ad cognitionem naturalem compleri per aliquid distinctum ab intellectu, cum quo intellectus essentialem connexionem habet, & ita repugnare ex parte intellectus ipsum non compleri in ratione virtutis partialis, licèt per aliquid distinctum compleatur, sicuti dicam ergo de veritate formali cognitionis, quam habet Deus de obiecto creato, quæ formaliter dicit aliquid inadæquatè distinctum à cognitione creata, licet præcisè ratione cognitionis implicet, illa existente, non coniungi cum illo extrinseco, per quod complenda est formalis virtus cognitionis.

Vrgeo: aliud est formaliter connexio formalis huius 7
extremi ad illud, aliud formalis coëxistentia vtriusque: connexio huius extremi ad illud, formaliter tantùm dicit entitatem huius extremi, neque aliud connotat tanquam formale constitutiuum connexionis, sed tanquam terminum quem respicit connexio adæquata cum hoc extremo adæquatè distincta à termino; verbi gratia connexio, quam habet virtus productiua caloris igni identificata cum calore possibili iuxta communem sententiam dicit tantùm entitatem ignis adæquatè distinctam ab omni alio, quia entitas ignis quocumque alio secluso talis est vt præcisè ex suis prædicatis intrinsecis existere non possit sine possibilitate caloris, quod est formaliter ignem esse connexum cum possibilitate caloris. Coëxistentia formalis vtriusque extremi connexi formaliter dicit existentiam huius extremi illi extrinsecam, & existentiam illius extrinsecam huic. Et etiamsi formaliter velis præscindere hoc extremum vt illi formaliter coëxistens ab illo, vt huic coëxistenti, quæ impræscindibilia sunt, adhuc quando meditaris hoc extremum illi formaliter coëxistens formalider pertinet ad hanc coëxistentiam, alterius existentia in obliquo importata; sed nulla virtus partialis indiget præcisè connexione ipsius cum alio comprincipio ad producendum effectum, sed coëxistentia: ergo si virtus ex se conditionatè potens per aliquid aliud constituenda est virtus partialis absoluta, non est per connexionem, quam ipsa dicat formaliter, sed per coëxistentiam: ergo si aliquam formalitatem importat partialis absoluta virtus præter illam, quam vocat Ripalda virtutem conditionatam, est coëxistentia, & connexio: ergo virtus absoluta partialis si aliquid addit suprà illam, quam conditionatam vocat Ripalda, non est connexio, sed coëxistentia ipsius cum aliis comprincipiis, & cum possibilitate effectus, ergo semper importat aliquid extraneum. Probo minorem, videlicet, nullam virtutem partialem indigere connexione cum aliis comprincipiis, neque cum possibilitate effectus sed coëxistentia ad producendum effectum. Finge tibi, quod mihi verum est, potentiam visiuam non habere connexionem cum specie impressa,

neque

neque cum possibilitate visionis naturalis, & habere coexistentiam cum his extremis sine aliqua connexione ex parte vnius cũ alio:in hoc casu potentia visiua absoluta ab omni connexione produceret tanquam causa partialis visionem essentialiter dependentem à potentia & ab specie impressa, eodem modo, ac si comprincipia ipsius inter se essent connexa, & vtrumque cum possibilitate: ergo connexio comprincipiorum formaliter nihil conducit ad productionem,sed tantùm remote, seu causaliter; quatenus connexio infert coëxistentiam. Patet in intellectu instructo lumine gloriæ qui visionem producit, etiamsi intellectus connexionem non habeat cum lumine gloriæ, neque cum possibilitate visionis in opinione huius auctoris, quæ illi non accrescit ex coëxistentia, non enim eo ipso quod duo coëxistant sunt connexa, quotiescumque enim hoc extremum illi coëxistit eodem modo extiturum, si alterum non existeret, coëxistentiam habet cum illo, non tamen connexionem: ergo ad hoc vt virtus partialis absoluta sit,numquam indiget connexione, sed coëxistentiâ cum altero extremo, quæ semper dicit aliquid extrinsecum extremo coëxistenti. Quod si virtus absoluta actiua desideraret connexionẽ entitatiuam causæ cum effectu vt docet Ripald. sect. 9. num. 67. numquam intellectus,quantumvis instructus lumine gloriæ esset causa absoluta visionis intuitiuæ Dei, quia numquam habet connexionem cum illa, cum ita illi coëxistat, vt visione non existente & repugnante, existeret eodem modo. Dices: intellectum vt instructum lumine gloriæ habere hanc connexionem, sed hoc est dicere, lumen gloriæ illam habere, & non intellectum, sed adhuc efficacius arguo. Demus intellectum adiutum speciali concursu Dei absque lumine gloriæ visionem producere; tunc intellectus neque ratione sui, neque ratione omnipotentiæ connexionem haberet cum effectu,neque cum possibilitate illius: ergo non desideratur ad virtutem absolutam connexio entitatiua inter causam,& possibilitatem effectus,sed tantùm coëxistentia. Patet hoc omnibus effectibus qui tantùm dependent à Deo, qui nullam connexionem habet cum possibilitate illorum.

8 Vltimò,id quo indiget virtus partialis naturalis ad effectum producendum,non est possibilitas tantùm alius comprincipij, non enim voluntas potest amare proximè, & formaliter ex eo quod sit possibilis cognitio repræsentans obiectum, neque potentia visiua potest videre,quia possibilis est species impressa,sed quia actu illam habet: ergo si potentia visiua formaliter vt causa partialis visionis diceret connexionem cum alio comprincipio videlicet cum specie,non haberet hanc connexionem cum specie,vt possibili,sed vt existenti,sed hanc non habet,cùm naturaliter sit potentia visiua sine hac & illa specie essentialiter requisitis ad certas visiones,vel saltem ad actiones productiuas illarum,si producuntur per actiones interiectas:ergo nullam connexionem dicit formaliter ex conceptu absolutæ partialis potentiæ creatæ. 7

9 Displicet etiam in hac sententia possibilitatem effectus pertinere formaliter vt connotatum ad rationem potentiæ absolutæ partialis, & totalis. Quod sic impugno:conceptus virtutis, seu potentiæ absolutæ, est conceptus illius, à quo actio existens fluit, atque dependet: sed actio existens numquã fluit neque dependet à possibilitate ipsius neque sumpta in recto, neque in obliquo:ergo possibilitas potentiæ nullo modo spectat ad conceptum quidditatiuum potentiæ. Dices ex hoc inferri non spectare in recto, sed spectare in obliquo. Explicemus terminos,& non demus verba: illa possibilitas effectu in obliquo, vel est formaliter constitutiua potentiæ, ita vt quidquid intelligatur adæquatè distinctum ab illa etiamsi cum ordine ad ipsum non habeat totam rationem constitutiuam potentis influere per modum causæ totalis, neque partialis absolutæ,vel tantùm est terminus sine ordine ad quem non potest intelligi conceptus causæ partialis, aut totalis. Hoc non dices, ne totam sententiam retractes: primum dici non potest,quia actio essentialiter dependet ab adæquata ratione constitutiua potentiæ,quia potentia tantùm dicit formaliter id,à quo per se dependet actio: sed actio non potest dependere à sua possibilitate physicè, sed tantùm obiectiuè, modo explicato Controu.7. puncto.2. num.10. ergo possibilitas actionis nullo modo potest pertinere ad rationem constitutiuam principij absoluti productiui. Vide quæ ibi dixi contra hunc dicendi modum, vbi probaui possibilitatem actionis,seu effectus non pertinere ad actum primum, & explicui quomodo etiamsi implicante actione effectus non possit produci,actionis non repugnantia non spectet ad conceptus actus primi potentis producere effectum. Hæc omnia in potentia receptiua clariùs patent, quis enim dicit possibilitatem formæ tenere se ex parte conceptus quidditatiui principij passiui absolutè potentis recipere formam? Non vacat latiùs hæc expendere, quæ ex traditis principiis non difficilè latiùs quisquè impugnabit.

Ex eadem doctrina impugnandum est id, quod asserit 10
de omnipotentia intrinsecè absoluta à possibilitate effectuum, videlicet, non esse intrinsecè per suam entitatem virtutem productiuam illorum, sed tantùm conditionatam, quæ sit absoluta supposita possibilitate effectuum,quod falsum est. Quia id, quod est tantùm conditionatum & non absolutum, non est, sed esset: si autem Deus intrinsecè non est absolutè potens, simpliciter non est intrinsecè potens. Secundò quia purificatio conditionis vel expectanda est vt conditio omnino extrinseca ad potentiam absolutam sicuti expectatur conditio in hoc conditionato, si petieris dabo, cuius conditionatus euentus adæquatè distinguitur à conditione, ita vt purificata conditione euentus iam absolutè existens formaliter non constituitur per conditionem, & ab illa dependet, vel expectatur vt conditio non extrinseca, sed intrinseca, cuius purificatio est de ratione constitutiua euentus modo conditionati, purificata conditione futuri absolutè; sicuti in hac conditionali: si anima rationalis vnita fuerit materiæ, erit totum. Non primo modo, quia purificatâ conditione creaturarum possibilium nihil ponitur adæquatè distinctum ab hac conditione, ratione cuius omnipotentia, quæ antea non erat absoluta formaliter absoluta constituatur, quia purificatio conditionis extrinsecæ non constituit, neque inadæquatè formaliter absolutum euentum, quia antea erat conditionatus. Quod si dicas aduenire Deo aliquid non realiter, sed virtualiter distinctum, nolo tecum de hac virtuali distinctione contendere, sed infero contra te, per hoc prædicatum constitui omnipotentiam absolutam,& non formaliter per purificationem conditionis, & ita possibilitatem creaturarum non pertinere ad conceptum omnipotentiæ. Si dicas possibilitatem esse conditionem intrinsecam constitutiuam omnipotentiæ, constituis Deum omnipotentem formaliter per possibilitatem effectuum,& illius virtutem actiuam fingis partim creatam, partim increatam:increatam dicit entitatem Dei,creatam quatenus dicit possibilitatem effectuum; partim existentem; partim non existentem: non existentem quatenus dicit possibilitatem creaturarum, quæ simpliciter non existit, sed tantum obiectiuè quousque de facto sit existens. Constituis insuper omnipotentiam totum quoddam per accidens dicens formaliter, & intrinsecè entitates distinctas non vnitas, neque mutuò connexas, quia entitas Dei neque vnitur,neque connectitur cum possibilitate creaturarum.

Dices: Ex his duobus pertinentibus formaliter ad con- 11
ceptum omnipotentiæ, vnum tantùm includi in obliquo: sed hæc verba iam abegi num. 9. quidquid enim pertinet formaliter ad essentiam alicuius, si non pertinet vt quid extrinsecum, sed formaliter vt quid constitutiuum, est de illius essentia, & verè dicitur essentia constat ex hoc obliquo & illo recto æquè essentialiter, in his enim quæ essentialia sunt non est vnum essentialius alio. Nota nonnullos fœdè terminos contradictorios replicare, respondentes possibilitatem esse constitutiuum formale extrinsecum omnipotentiæ, constitutiuum enim essentiale, & extrinsecum manifestam inuoluunt implicationem; quidquid enim est constitutiuum alicuius est de essentia illius, & nihil rei magis intrinsecum, quàm propria essentia, cuius nihil potest esse extrinsecum. Deberent dicere, qui ita omnipotentiam Dei constituunt, possibilitatem creaturarum esse extrinsecam Deo, intrinsecam tamen omnipotentiæ, sicuti priuatio præcedens actionem eductiuam, extrinseca est eductioni, intrinseca tamen mutationi, quæ formaliter dicit ipsam eductionem, & priuationem præcedentem. Quomodo omnipotentia in ratione virtutis productiuæ sit absoluta,& intrinseca Deo,& esset eodem modo etiamsi omnes creaturæ repugnarent, & ita sit de facto respectu illarum,

quæ repugnant dixi Controu.7. punct.2. citato, & latiùs dicam in Metaph.Punct.4.Controu.10. Omitto alia argumenta, quæ in hanc sententiam adducit ipse Ripal.sect.9. quorum solutiones expendere non vacat.

§. II.

Propria sententia.

12 LOngum sanè esset omnium sententias impugnare, quapropter ad propriam accingor, inter quam explicandum obiter insinuabo, quid alij etiam à quibus dissentimus,sentiant,quos doctè,& solidè impugnant nostri.Lege si placet Soar, Vasquez, Ripal. locis citatis, Ruisium de voluntate Dei disp.1. num.7.& disp.46.num.15.& Alarcon tract. 1.de vis.disp.2. cap.11. & apud quos iunumeros alios reperies.

13 Affirmo potentiam obediẽtialem esse intrinsecam entitatem, quæ potest eleuari ad effectum, ita vt in intellectu ratio potentiæ obedientialis,neque inadæquatè distinguatur ab ipso intellectu, qui per suammet entitatem intrinsecam est virtus, seu potentia inadæquata ad visionem intuitiuam Dei,talis tamen conditionis, vt non possit reduci ad actum ex defectu alius comprincipij quousque illud coniungatur intellectui, quod cum supernaturale esse debeat non potest naturaliter coniungi, & ita neque virtus illa inadæquata intellectus potest naturaliter reduci ad actum:ita tenent vterque Societatis Magister,Vasq.& Soar locis citatis puncto 3. quos sequuntur P. Didac. Ruiz. Arrub.Gran.Albert. vterque Hurtadus,Salmant. & Complut.aliique quàm plurimi doctores. Neque in hac re dissentiunt P. Soar & P. Vasquez, vt falso nonnullus existimauit, vterque enim concedet virtutem obedientialem esse intrinsecam rei, quæ illa gaudet, dissentiunt tamen ex eo quod Soar hanc virtutem obedientialem omnibus entitatibus impertitur,& ad omnes effectus accommodat, Vasquez vero tantùm certis entitatibus ad certos effectus, & non alios producendos, virtutem hanc lagitur, quod benè notauit P. Alarc.suprà n.42.& dubitauit nemo. Eadem tantùm est dissensio inter vtrumque Hurtadum, aliósque quàm plurimos,quorum aliqui sententiam Soarij propugnant, alij opinionem Vasquez amplectuntur, omnes tamen vno ore fatentur potentiam obedientialem esse intrinsecam, & identificatam cum entitatibus, in quibus reperitur. Conclusionem probo ex his quæ statuebam punct.7. Entitas quæ dicitur potentia obedientialis vt distincta ab omni alia, verbi gratia, intellectus vt distinctus à lumine gloriæ influit in visionem intuitiuam Dei,& per suam entitatem tangit causalitatem,siue distinctam,siue identificatam, per quam producitur visio : ergo per suam entitatem vt distinctam à lumine gloriæ habet potentiam non quæ possit reduci ad actum naturaliter:ergo non naturalem : ergo obedientialem. Confirmatur: æquè essentialiter dependet visio intuitiua Dei à meo intellectu tanquam à principio effectiuo, quo non influente fieri repugnat : & quælibet alia naturalis cognitio : ergo visio intuitiua Dei dependet tanquam à principio effectiuo ab intellectu, non tanquam à principio adæquato, & naturali : ergo tanquam à principio inadæquato & obedientiali : ergo intellectus est principium inadæquatum, & obedientiale visionis. Dices esse principium inadæquatum, non tamen per suam entitatem. Contrà : nihil superadditum dat intellectui actiuitas extrinseca, quam ipse non habeat, sed adiuuat vt faciat id quod non posset facere;quia tantùm habebat actiuitatem intrinsecam obedientialem:sed intellectus etiamsi producat visionem supernaturalem Dei adiutus lumine gloriæ illam producit per propriam actiuitatem:ergo per propriam actiuitatem, quam habet à se & non ab alio,quia antequam illi adiungatur lumen gloriæ vt adiuuet intellectum ad visionem, debet supponi intellectus cum actiuitate inchoatâ, & inadæquatâ ad videndum, aliàs æquè posset lumen gloriæ adiuuare lapidem & intellectum ad producendam visionem,& ad videndum Deum.

14 Dico secundò. Potentia obedientialis semper indiget, vt reducatur ad actum concursu indebito,aliàs esset naturalis,& potentia,quæ simpliciter est obedientialis respectu substantiæ effectus,semper connotat aliud comprincipium indebitum, quod necessariò debet esse principium supernaturale,si effectus producendus sit supernaturalis,& potentia obedientialis. Hoc sibi volunt multi, qui dicunt potentiam obedientialem rei naturalis ad producendum effectum supernaturalem dicere intellectum connotantem lumen gloriæ, aliudve principium supernaturale. Ratio est : omnis potentia inadæquata connotat aliud comprincipium, quo indiget ad effectum producendum, non tanquam sibi debitum, sed tanquam aliquid sine quo effectum ad quem non habet virtutem adæquatam,producere non poterit: sed omnis potentia obedientialis ad substantiam effectus, præcipuè naturalis ad effectum supernaturalem non potest efficere effectum sine alio comprincipio indebito:ergo illud connotat non tanquam debitum, sed tanquam aliquid,sine quo non potest producere effectum. Duo ergo connotat obedientialis potentia, effectum indebitum, commune enim est omnipotentiæ connotare effectum, & proprium potentiæ obedientialis, hunc effectum ab illa connotatum illi esse indebitum, connotat etiam comprincipium similiter illi indebitum,si sit potentia obedientialis ad substantiam effectus, quia de ratione talis potentiæ est esse principium inadæquatum, & omne principium inadæquatum connotat aliud comprincipium inadæquatum, per quod compleatur. Quod si principium inadæquatum obedientiale sit, necessariò alterum comprincipium connotatum erit indebitum, in hoc enim differt potentia obedientialis à naturali, quod huic debetur alterum comprincipium, & non illi. Quod si potentia tantùm sit obedientialis respectu modi, quo effectus producitur, non connotat alterum comprincipium indebitum sed concursum generalem secundum substantiam datum cum non debetur,per eamdem enim actionem ignis aget supernaturaliter in distans,qua ageret naturaliter in idem passum propinquum. Neque ratione harum connotationum addit potentia obedientialis suprà entitatem aliquid distinctum formaliter pertinens ad constitutiuum potentiæ obedientialis, quia in intellectu, qui est principium partiale intellectionis naturalis, & supernaturalis non distinguitur realiter connotatio ad effectum, & ad alterum comprincipium, quia termini connotati non pertinent ad constitutiuum intellectus illos connotantis, sed tantùm ab illo respiciuntur vnus tanquam effectus,& alter tanquã comprincipium,quod cum altero constituit vnum principium adæquatum, sicut de conceptu partis est ordo, seu respectus ad alteram compartem, non tamen vna pars pertinet ad rationem formalem constitutiuam alterius & de conceptu causæ est ordo ad effectum, non tamen effectus est ratio constitutiua causæ, neque refert extrema non esse connexa vt hinc ordinem habeant, quia in omnium opinione etiamsi lumen gloriæ indebitum sit intellectui, habet hic innatam virtutem ad videndum adiutus lumine gloriæ, quam non habet lapis, ac proinde maiorem aliquem ordinem habet intellectus ad lumen gloriæ, & ad visionem beatam, quàm lapis.

Dicò tertiò, Potentia obedientialis ad substantiam effectus eleuatur per alterum comprincipium, quod illi adiungitur ad effectum producendum, siue sit creatum, & illi intrinsecè inhærens, sicuti lumen gloriæ intellectui, quod illum constituit potens simpliciter adæquatè, & proximè videre Deum, siue specialis modus, quo applicatur per decretum Dei ad concurrendum speciali concursu cum potentia obedientiali, non solùm per modum causæ primæ, sed quasi speciale comprincipium effectus, qua ratione eleuatur voluntas, qnando absque vllo habitu Deo supplente vices huius producit actus supernaturales, eademque ratione eleuaretur aqua ad producendam gratiam, si de facto ad hunc effectum eleuaretur. Neque huic conclusioni quatenus asserit intellectum eleuari per lumen gloriæ, quod est qualitas illi superaddita refragatur Vasquez 1.& 3.p.& Soar 3. locis citatis, vt putauit doctus quidam : numquam enim negant hi Doctores, potentiam obedientialem posse eleuari per qualitatem superadditam, sed asserunt potentiam obedientialem non consistere in qualitate superaddita,& hanc esse horum Doctorum mentem est luce clarius, millies vtrumque legi de hac re in locis citatis, & vbicumque de hac materia disputant, & nihil clarius apud hos Doctores, in quibus nihil non clarissimum reperio. Totus enim est Vasq. vt probet non posse entitatem aliàs in se non habentem virtutem, constitui potentem per qualitatem superadditam, numquam tamen negat, rem habentem virtutem obedientialem intrinsecam secum identificatam,posse eleuari per qualitatem superadditam, imò inter Scholasticos nihil 15

nihil communius est,quàm intellectum eleuari per lumen gloriæ ad videndum. Itaque pro hac conclusione refero plures, quos citat Ripalda disp.41. sect.3.cui etiam fauent quatenus asserunt potentiam posse eleuari per specialem modum, quo applicatur omnipotentia ad concurrendum cum potentia obedientiali speciali concursu distincto, quoad substantiam à concursu causæ primæ, plerique ex Doctoribus, quos refert Ripald. expresè P. Vasquez 1. p. tom.1.disp. 46. cap. 2. P. Soar. lib.2. de attributis negatiuis cap. 16. num. 5. P. Mol.1. p. q. 12. art. 5. disp. 1. §. *contraria tamen sententia.* Valent. ibid. punct. 3. §. *nec tamen negandum est*, P. Arrub. 1.p. tom.1. disp. 20. cap. 5. Salas 1. 2. tom. 1. quæst. 3. tract. 2. disp. 5. sect. 4. Her. tract. 4. disp. 67. cap. 2. Vbi hi Doctores supponunt primam partem conclusionis, videlicet intellectum eleuari lumine gloriæ, & inquirunt an possit eleuari auxilio extrinseco Dei, videlicet omnipotentia concurrente loco hominis, aliûsve habitus supernaturalis ad quemlibet actum supernaturalem. In hanc sententiam interpretor eminentissimum,& venerabilissimum nostrum Card. Bellarm. tom. 2. lib. 2. de effectibus Sacramentorum cap. 11. §. *tertio igitur*, & P. Val. tom.4. disp.3. puncto 1. §. *est igitur*, §. *vereor igitur*, & puncto 2. §. *hæc sententia*, asserentes potentias obedientiales eleuari per modum quemdam, quem Deus imprimit creaturæ, quæ per potentiam obedientialem concurrit, qui modus in horum Doctorum sententia intelligendus de auxilio exrrinseco, seu decreto speciali Dei, quo Deus decernit concurrere cum creaturis, Verbi gratia: cùm aqua in sacramento Baptismi ad producendam gratiam, quia per illud decretum determinat aquam ad efficientiam gratiæ, ad quam ipsa non valebat se determinare,causa verò quæ aliam determinat determinatam mouere dicitur. Sunt alij Thomistæ asserentes potentiam obedientialem eleuari per motionem quamdam virtuosam,de qua plura dicunt,quæ non possunt intelligi de hoc speciali decreto concurrendi,neque paucis explicari,illos non parcè,& satis solidè impugnant nostri,præcipuè Soar. Valentia, Alarc.& Ripald. locis citatis.

16 Conclusionem probo:eleuare potentiam nihil aliud est, quàm constituere potentiam proximè in actu primo potentem èlicere actus supernaturales, aliósve effectus,quos potentia ex se non poterat efficere ex defectu virtutis adæquatæ ad illos efficiendos: ergo per illud eleuatur virtus obedientialis,per quod constituitur in ordine ad effectus, respectu quorum obedientialis potentia dicitur eodem modo disposita, ac est ad alios effectus, quos naturaliter producit: sed per lumen gloriæ eodem modo est intellectus in ordine ad visionem intuitiuam Dei,ac mea potentia visiua,per speciem coloris ad colorem videndum:ergo per lumen gloriæ eleuatur, quia posito lumine gloriæ in intellectu,debitus est concursus ad visionem Dei eodem modo ac est debitus concursus ad visionem albi positâ specie albedinis in potentia visiua: ergo per illud lumen gloriæ eleuatur intellectus ad visionem supernaturalem. Similiter quando Deus supplet vices luminis gloriæ, id præstat omnipotentia applicata per decretum, quo Deus vult concurrere loco luminis: ergo si lumen eleuabit potentiam ad visionem, quando Deus specialiter concurrit loco illius, omnipotentia per illud decretum applicata potentiam eleuabit.Idem dico de aqua,qua Deus concurreret ad producendam gratiam in Sacramento Baptismi, si aqua physicè gratiam produceret,quæ eleuaretur per decretum, quo Deus applicaret omnipotentiam ad talem concursum, vel omnipotentiam applicatam ex vi illius decreti ad concurrendum simul cum aqua. Confirmatur eadem conclusio. Intellectus potentia obedientialis dicitur ad visionem (idem dico de qualibet entitate similem potentiam habente ad quemcumque effectum) quia potest eleuari ad visionem, ad quam non habet virtutem adæquatè proportionatam,neque potentiam adæquatè proportionari per aliud comprincipium illi naturaliter coniunctum: ergo eleuatio potentiæ obedientialis debet distingui ab ipsa potentia obedientiali,aliàs potentia obedientialis per se ipsam esset eleuata ad effectum,& intellectus per se ipsum diceretur eleuatus ad visionem beatam, quod est hæreticum, sed hæc eleuatio non potest consistere in ipso effectu,quia antequàm sit effectus, & actio, ex vi cuius producitur, debet supponi eleuatio, quia potentia eleuatur vt producat effectum, ad quem ipsa est improportionata, & vt constituatur proportionata ad illam, & antequam sit productio debet supponi potentia ex parte actus primi proportionata ad illam: ergo eleuatio debet se tenere ex parte actus primi: aliàs debet esse indebita, & distincta à potentia obedientiali: ergo debet consistere in illo quod se tenet ex parte actus primi distinctum à potentia obedientiali, & illi indebitum: ergo respectu intellectus videntis Deum est lumen gloriæ, quia respectu visionis Dei lumen gloriæ est quod se tenet ex parte actus primi, vt indebitum intellectui & distinctum ab illo:ergo quando intellectus visionem producit supplente Deo vices luminis eleuantis eodem modo, quo illas supplet, eleuat intellectum. Dico omnipotentiam eleuare intellectum,vel aliam potentiam,quando supplet vices habitus iuxta sententiam asserentem, posse potentias naturales actus supernaturales elicere ex vi huius extrinseci auxilij,de cuius veritate non curo. Tantùm enim assero supposita hac opinione, omnipotentiam esse principium formaliter eleuans potentiam: quod si hæc opinio falsa esset,& non possit intellectus sine lumine gloriæ Deum videre, semper lumen gloriæ eleuabit potentiam ad visionem. Idem dico de quocumque alio habitu supernaturali respectu suorum habituum.

Vnum in hac re nota, numquam esse potentiam adæ- 17
quatè eleuatam, etiamsi habeat aliquod comprincipium indebitum quousque habeat omnia illa requisita ad actum, quibus positis reliqua omnia naturaliter illi possent coniungi. Rem explico:indiget potentia obedientialis, quam habet voluntas ad amandum Deum amore supernaturali, habitu charitatis,& cogitatione supernaturali:etiamsi habeat habitum charitatis non est adæquatè eleuata, si non habeat cogitationem supernaturalem inclinantem ad amorem Dei, quia adhuc deficit voluntati ad illum amorem eliciendum quoddam comprincipium, sine quo non potest amare Deum, quod non potest naturaliter acquirere, neque illi debitum est. Si tamen voluntas habeat habitum supernaturalem, & cogitationem supernaturalem ad actum,etiamsi non intelligatur omnipotentia applicata ad præstandum concursum generalem causæ primæ, potentia intelligitur adæquatè eleuata, quia hic concursus generalis causæ primæ debetur potentiæ volitiuæ pro sua libertate supposito habitu, & cogitatione supernaturali inclinante ad actum. Si dicas etiam suppositio habitu deberi voluntati saltem aliquam cogitationem sufficientem ex vi habitus ad actum supernaturalem ad quem datur habitus,ac proinde suppositio tantùm habitu voluntatem esse sufficienter eleuatam ad actum, quia reliqua ad illum requisita naturaliter habitum supernaturalem comitantur. Respondeo non esse huius loci antecedens examinare, quod si verum esset, rectè procedit illatio facta, id enim tantùm ego affirmo, potentiam non esse eleuatam adæquatè quousque habeat omnia requisita ad effectum, quibus positis,reliqua,quæ ad illum efficiendum deficiunt naturali sequelâ coniungantur.

Dico quintò & vltimò, potentiam obedientialem quo- 18
ad modum tantùm effectus; verbi gratia, ignem respectu caloris producti in passo distanti, quem posset producere in eodem subiecto approximato, eleuari per decretum, quo Deus vult præstare concursum illum suppositis distantia passi non debitum,sed per omnipotentiam applicatam ex vi talis decreti,quod est idem. Idem dico de eleuatione, qua potest eleuari ignis ad producendâ formam ignis in materia habente dispositiones ad formam ligni, & non ad formam ignis, seu in materia, in qua Deus decreuerat conseruare formam præexistentem. In quibus casibus, id tantùm esset supernaturale, ad quod idem concursus, qui cum aliis circunstantiis debitus esse possit,cum his sit indebitus. Hæc conclusio eodem modo probanda est ac præcedens, quia ex vi talis decreti applicantis omnipotentiam, seu ex vi omnipotentiæ applicatæ per tale decretum, est ignis in actu primo ad producendum effectum, quem cum illis circunstantiis non posset naturaliter producere: ergo ex vi omnipotentiæ sic applicatæ eleuatur supra proprias vires ad producendum effectum cum his circumstantiis, quibus naturaliter illum producere non posset.

Ex hoc infero potentiam vt eleuatam dicere in recto 19
potentiam obedientialem,& in obliquo habitum supernaturalem, vel aliud comprincipium indebitum, siue intrinsecum, siue extrinsecum, sicuti omnipotentiam applicatam modo suppradicto ad effectum producendum. Verbi gratia: intellectus vt eleuatus ad visionem dicit intellectum vt habentem lumen gloriæ, qui sic acceptus non est idem

ac intellectus, & lumen gloriæ, quia intellectus habens lumen gloriæ tantùm dicit in recto intellectum, & intellectus, & lumen gloriæ dicit vtrumque in recto, ratione cuius distinctionis diuersa possunt prædicari de illis, hæc est enim vera prædicatio: *Intellectus habens lumen gloriæ est causa partialis visionis.* Et hæc est falsa: *Intellectus, & lumen gloriæ sunt causa partialis visionis.* Similiter hæc est vera prædicatio: *Intellectus, & lumen gloriæ sunt principium adæquatum visionis.* (loquor de principio adæquato creato) & hæc est falsa: *Intellectus habens lumen gloriæ est principium adæquatum visionis.* De his dixi Controuers. 5. puncto 1. num. 6. Vbi dixi totum non distingui à partibus, & vnione simul sumptis, distingui autem à partibus virtutis simul sumptis, aliud enim est partes & vnio, aliud partes vnitæ. Secundum hanc doctrinam facilè intelliges quomodo potentia obedientialis vt eleuata, verbi gratia, intellectus vt eleuatus per lumen gloriæ, non sit principium adæquatum visionis, etiamsi intellectus, & lumen gloriæ sint principium adæquatum illius. Vide dicta de his significatis in recto, & in obliquo Controu. 5. Punct. 4. citato.

Punctum IX.

Vnde agnoscenda sit causa adæquatè sufficiens.

1 HVic quæstioni occasionem dedit P. Vasquez 1. part. tom. 1. disput. 4. cap. 2. & 4. vbi negat præter lumen gloriæ requiri in intellectu beati aliud comprincipium ad visionem intuitiuam Dei, vel concursum alium præter generalem omnium causarum, ex eo quod visioni correspondent ex parte luminis gloriæ, & intellectus omnia prædicata quæ sunt in ipsa, visio enim habet vitalitatem, quæ intellectui tribuitur, habet supernaturalitatem, & esse circa tale obiectum, quæ correspondent lumini gloriæ. Doctrinam hanc infert Vasquez ex principio valde sibi familiari, videlicet causam adæquatam esse illam, cui correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu. Ne putes correspondentiam hanc inter prædicata effectus, & causæ ita esse intelligendam, vt hoc prædicatum dependeat realiter ab hac causa, & non ab alia, & illud ab illa, & non ab hac, aduertere oportet nostrum Vasquez, non asseruisse vitalitatem actus dependere ab intellectu, & non à lumine, & supernaturalitatem à lumine, & non ab intellectu, quia vitalitas, & supernaturalitas sunt in visione omnino idem, & implicat vnum ex his prædicatis dependere ab aliquo principio, à quo physicè, & realiter alterum non dependeat. Quia tamen nihil vitale potest produci, nisi principium saltem inadæquatum sit vitale; neque supernaturale, quin principium actiuum saltem partiale sit etiam supernaturale, ideo supernaturalitas effectus tribuitur principio partiali, quod est supernaturale, & vitalitas alij comprincipio, in quo ratio vitalis reperitur, licet effectus secundùm se totum à qualibet causa partiali inadæquatè, & ab omnibus adæquatè physicè eodem modo dependeat. Ex quo infertur hanc attributionem formaliter esse per rationem cum fundamento tamen in aliquo reali, videlicet non posse produci quid supernaturale à principio adæquato iure naturali, neque quid vitale à principio adæquato non vitali.

2 Doctrinam hanc approbat, & explicat Hurtad. disput. 9. sect. 5. quam multi ita firmiter amplectuntur vt virtutem actiuam pluribus entitatibus respectu aliarum negent ex eo præcisè, quod nullum prædicatum agnoscant in effectu, quod illis correspondeat. Existimo tamen non ita vniuersaliter esse admittendam, sunt enim plures effectus, quorum causas non possumus hac prædicatorum correspondentia metiri, quòd facilè ostendo. In causis vniuocis mater habet omnia prædicata, quæ habet filius, & nulla potest formalitas assignari in prole, quæ non reluceat in matre, & tamen iuxta communem sententiam, mater est causa inadæquata filij: ergo non est bona consequentia, omnia prædicata, quæ sunt in effectu relucent in hac causa illius: ergo hæc est causa adæquata. Dices hoc prouenire ex modo speciali, quo producuntur animalia per transmissionem seminis, quæ nisi inter marem, & fœminam esse non potest. Bene est; modus, quo producuntur animalia sufficiens est, vt causa, cui correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu non sit adæquata: ergo non rectè infertur in animalibus, huic causæ correspondent omnia prædicata, quæ sunt in effectu: ergo est causa adæquata. Deinde sicut ratione huiusmodi, quo animalia producuntur, deficit consequutio prædicta in hac materia, sic ratione aliùs specialis modi, quo alia entitas producatur, vel ratione aliùs intrinseci prædicati, quod habet effectus, poterit in alia materia deficere. Dices hanc correspondentiam non futuram formaliter, sed eminenter. Sed hanc solutionem efficaciter statim reiiciam.

Accedo ad causas æquiuocas, in quibus correspondentia formalis non reperitur, quia effectus est diuersæ rationis à causa & prædicatum specificum illius in causa non reperitur. Prædicata effectus eminenter correspondere causæ æquiuocæ, nihil aliud est, quàm eminenter contineri effectum in causa, & contineri effectum in causa, nihil aliud importat, quàm causam habere virtutem ad effectum producendum: ergo idem est formaliter prædicata effectus correspondere causæ, & causam eminenter continere effectum, & causam posse producere effectum; & si velis hæc mente præscindere, notius omnibus erit causam posse effectum producere, quia debent à posteriori cognosci ex productione, & hæc quod primò, & clarius infert, est potentia ad ipsam, hæc enim consequentia: effectus producitur à causa: ergo potest illum producere, neque rusticum latet; hæc autem, effectus producitur à causa: ergo causa effectum continet eminenter, ad terminorum apprehensionem peritiorem hominem desiderat, etsi his apprehensis, æquè clara sit, ac præcedens: ergo non rectè explicatur ratio causæ adæquatæ per correspondentiam eminentialem adæquatam causæ ad effectum, cum non explicetur ignotum per magis notum, sed per æquè ignotum, vel ignotius. Vt rem explicem, inquiro, an Sol sit causa adæquata auri? Si affirmes, ex eo quod illi correspondeant omnia prædicata, inquiram, ex quo capite tibi notum sit correspondere omnia prædicata? Si neges eo quod illi omnia prædicata auri non correspondeant, rogabo, vnde noueris non correspondere omnia prædicata auri Soli? nullum tibi supererit fundamentum ad affirmandam, vel negandam hanc eminentialem correspondentiam, ex quo non posses causalitatem adæquatam, vel inadæquatam Soli concedere respectu auri hac exclusa prædicatorum correspondentia. 3

Respondere posses ex doctrina Hurtadi §. 53. tunc effectum non contineri adæquatè in causa æquiuoca, etsi illo perfectiori, quando in effectu continetur ratio aliqua, vel causa indiget alio comprincipio determinatiuo, ratione cuius causa perfectior effectu non potest adæquatè illum producere; tunc verò causam æquiuocam continere effectum adæquatè, quando est perfectior illo, & ipsa nullo indiget determinatiuo, neque effectus ex modo, quo producitur indiget dependere ab alio. Hac ratione explicatur quomodo intellectus neque anima, siue ab intellectu distincta, siue identificata cum illo non sit causa adæquata visionis Dei, neque cuiusuis cognitionis creatæ etiamsi illa perfectior sit, quia ad producendam quamcumque cognitionem indiget anima determinatiuo alio comprincipio, & ad producendam visionem intuitiuam Dei indiget hoc determinatiuo, & insuper visio indiget alio comprincipio supernaturali, ratione cuius non potest adæquatè produci ab anima naturali secundùm suam substantiam. Eadè ratione explicatur, quomodo intellectus instructus lumine gloriæ, non indigeat alio comprincipio ad producèdam visionem, quia neque ex parte effectus est aliquod prædicatum, ratione cuius petat ab alio comprincipio dependere, neque intellectus instructus lumine gloriæ alio indiget determinatiuo, principium enim constitutum ex intellectu, & lumine, physicè perfectius est visione, ex quo infertur illi correspondere omnia prædicata visionis, & esse principium adæquatum illius. Totam doctrinam admitto, sed adhuc mihi difficultas. Vnde scire poterimus, hoc principium indigere alio determinatiuo, & illud non indigere? hunc effectum habere speciale prædicatum, ratione cuius petat dependere ab alio principio, & non possit adæquatè dependere ab hoc, quod perfectius est effectu producendo? Ratio aliqua assignanda est ad hæc cognoscenda, ex qua dicam ego cognosci causam adæquatam, vel inadæquatam effectus. 4

Rem

Rem ego sic compono: Prædicata substantiæ spiritualis, supernaturalis, & vitalis reperta ex parte effectus exigunt correspondentiam formalem ex parte causæ, siue causa secundùm alia prædicata sit vniuoca, vel æquiuoca, ita vt nunquam possit substantia produci adæquatè ab accidenti, neque entitas spiritualis à principio adæquatè materiali, in quo non includatur aliquod principium inadæquatum spirituale, neque supernaturalis effectus à principio adæquatè naturali possit dependere, aut vitalis actio à principio adæquato non vitali. Ex hoc fit respectu effectuum, in quibus aliquod prædicatum ex his reperitur, rectè inferri non esse principium adæquatum illud, in quo simile prædicatum non relucet. Sic dicimus sensationem internam non esse principium adæquatum speciei impressæ vel expressæ in intellectu productæ, quia sensatio est materialis, & species producenda spiritualis. Similiter dicimus intellectum non posse esse principium adæquatum visionis intuitiuæ Dei, quia hæc est supernaturalis, & intellectus est potentia naturalis, eodem modo dicimus non posse habitum, aut speciem impressam esse principium cognitionis, quia hæc est vita in actu secundo essentialiter dependens à vita in actu primo, & species impressa, seu habitus talis non est. Eadem ratione dicimus dispositiones non esse causam adæquatam formæ substantialis, quia non potest hæc produci à principio non substantiali. Forsan erunt alia prædicata, quæ hanc correspondentiam formalem exigant inter causam, & effectum, ex his tamen, quæ de facto dantur nullum aliud mihi occurrit, quod hanc correspondentiam desideret, quia prædicatum materiale illam non exposcit, motus enim materialis cælorum producitur ab Angelo tanquam à principio adæquato, & entitas accidentalis adæquatè producitur à substantia, & effectus naturalis rectè potest à causa supernaturali procedere. De aliis prædicatis minus vniuersalibus certum est hanc correspondentiam non desiderari, vt patet in omnibus effectibus æquiuocis, aurum enim à non auro producitur, & vitalis operatio à principio, quod non est vitalis operatio, & sic in aliis. Si dicas, cur hæc prædicata hanc correspondentiam exposcant de singulis specialis est ratio propriis tradenda locis. Effectus supernaturalis non potest procedere à principio adæquato naturali, quia de ratione entis supernaturalis est non esse debitum enti naturali, esset tamen illi debitum, si ab illo posset adæquatè produci. Ratio vitæ in actu secundo essentialiter dicit dependere à vita in actu primo, ex quo repugnat dependere à principio adæquato non vitali. Substantia perfectior est omni accidenti, & ita ab illo non potest adæquatè produci. Effectus spiritualis non potest à causa adæquata materiali secundùm se totam procedere propter maiorem perfectionem, & maximam improportionem, quæ est inter materiale, & spirituale.

Est etiam nobis aliud fixum principium in Philosophia: omnem causam efficientem adæquatam debere esse saltem æquè perfectam cum effectu. Ex quo rectè inferimus: hæc entitas est imperfectior illa: ergo non potest principium adæquatum esse illius. Insuper aliud etiam principium certum esse debet, videlicet non esse multiplicanda principia alicuius effectus sine speciali fundamento. Ex quibus omnibus has ego regulas deduco. Quotiescumque est in effectu aliquod prædicatum ex suprà assignatis, videlicet substantiæ supernaturalis, spiritualis, vel vitalis, omne principium in quo simile prædicatum non correspondet formaliter non potest esse principium adæquatum illius. Quotiescumque effectus est perfectior hoc principio effectiuo, à quo dependet, tale principium est inadæquatum respectu effectus. Quotiescumque hoc principiũ est perfectius effectu, & formaliter includit quodcumque ex quatuor prædicatis substantiæ supernaturalis, vitalis, spiritualis quod est in effectu, & non apparet certũ aliquod fundamentum ad assignandum aliud principium necessariò requisitum ad effectum, censendum est tale principium esse adæquatum, quia ex vna parte habet omnia illa, quæ scimus in omnibus entitatibus, requiri ad rationem principij adæquati, & ex alia non est fundamentum ad multiplicandum aliud principium pro hoc effectu, neque sine necessitate multiplicandum est.

Ex his constat rectè intulisse nostrum Vasquez ex correspondentia prædicatorum, quæ est inter intellectum, & lumen cum visione intuitiua Dei, intellectum, & lumen constituere vnum principium adæquatum visionis, quia ex vna parte habeat correspondentiam, quam scimus requiri inter causam & effectum, & ex alia nullum apparet fundamentum ad alia principia multiplicanda pro visione producenda. Ex quo fundamento negatiuo, & ex positiua correspondentia, & perfectione principij intellectus, & luminis rectè infertur nullam aliam causam requiri ad producendam visionem. Hæc omnia principia semper ex parte antecedentis ponenda sunt, vt rectè inferatur adæquatio causæ iuxta doctrinam supra traditam.

Ex hoc infero ad cognoscendum an intellectus sit principium adæquatè productiuum cognitionis naturalis, examinandum esse, an sit fundamentum aliquod ad constituẽdum aliud principium effectiuum requisitum ad talem cognitionem: quod si appareat dicendum est intellectum esse principium inadæquatum, sin minus tota virtus actiua respectu cognitionis naturalis danda est intellectui. Fundamentum, quod reperiri potest ad constituendum aliud comprincipium, est indifferentia, quam habet intellectus ad cognoscendum hoc vel illud obiectum, ex quo infertur indigere alio determinatiuo ad producendam cognitionem circa tale obiectum. Dicet aliquis species seu phantasmata posse hanc præbere determinationẽ sine influxu actiuo, qui dicere tenebitur intellectum esse principium adæquatè effectiuum cognitionis naturalis. Dicet alius, hanc determinationem non posse exhiberi, nisi per influxum actiuum principij determinantis: tenebitur hic dicere species determinantes intellectum vt versetur circa tale obiectum actiuè concurrere ad cognitionem; & intellectum esse principium inadæquatum illius.

Ex hoc infero non rectè arguere aliquos: substantiæ productæ correspondent omnia prædicata in substantia producenda: ergo accidentia non concurrunt effectiuè ad productionem substantiæ. Si enim loquantur de correspondentia formali omnium prædicatorum, neque requiritur inter causam & effectum, neque arguit potentiam adæquatè productiuam. Si loquuntur de correspondentia eminentiali petunt principium, & ignotum per ignotius explicant. Argumentum vt rectè procedat ita debet fieri. Ignis habet correspondentiam formalem cum alio igne omnium prædicatorum, quorum correspondentia formalis desideratur inter potentiam, & causam, est æquè perfectus cum alio igne, nullum est fundamentum ad affirmandum requiri productionem accidentium procedere effectiuè à substantia: ergo accidentia effectiuè non concurrunt. Quod si quis exhibeat fundamentum, quo mouetur ad dicendum accidentia effectiuè concurrere ad substantiam, illorum propugnatio, vel impugnatio rem dirimet. Similiter non rectè arguunt actui correspondent omnia prædicata in potentia, & speciebus: ergo habitus acquisitus non dependet ab habitu. Qui enim voluerit defendere habitum acquisitum concurrere effectiuè ad hunc actum facilè exercitum, dicet non posse hanc facilitatem prouenire, nisi ab aliquo principio distincto à potentia, & speciebus: quod si defendat, vel probet, rectè defendet, vel probabit habitum effectiuè concurrere ad actus.

Insuper noto, illud fundamentum negatiuum dupliciter posse poni ex parte antecedentis. Primò si dicatur: nullum est fundamentum, ex quo constet requiri aliud comprincipium ad effectum, & tunc tantum licebit inferre: ergo principium, quod cognoscimus perfectius effectu, & cum correspondentia formali requisita potest esse principium adæquatum. Alio modo potest poni illud fundamentum negatiuum, si dicatur, nullum est fundamentum, ex quo constet posse aliud principium influere in effectum, & tunc inferri poterit: ergo hoc principium perfectius effectu habens correspondentiam requisitam necessariò est causa adæquata effectus. Hac ratione inferimus intellectum instructum lumine gloriæ esse causam adæquatam visionis, quia non solùm non habemus fundamentum ad dicendum necessariò requiri aliud comprincipium ad visionem, sed neque ad dicẽdum dari aliud comprincipium potens in illam influere, & non inferimus ex eo quòd calor sit æquè perfectus cum alio calore, & habeat omnem correspondentiam requisitam ad causandum, necessariò esse principium adæquatum illius, quia licet non requiratur aliud comprincipium ad producendum calorem, sunt tamen alia, quæ in eumdem calorem possunt influere, sic calor vt quatuor, qui poterat esse principium adæquatum

caloris

caloris vt duo, sæpè est principium inadæquatum illius, quia calori vt quatuor productio caloris vt duo sæpè adiungitur ignis, vel lux, quæ possunt in eumdem calorem influere, quibus adiunctis attemperatur influxus caloris producentis cum influxu ignis, vel lucis, & non adæquatè, sed inadæquatè procedit à calore & adæquatè à calore & igne, vel à calore, & luce, vel à calore, luce, & igne, si omnia tria principia productiua eiusdem caloris coniungantur.

PVNCTVM X.

An eadem entitas possit esse principium effectiuum sui ipsius per secundam actionem.

1 PRocedit tantùm hæc difficultas inter eos, qui concedunt eumdem effectum posse per duplicem actionem totalem dependere à principio effectiuo, apud illos enim, qui asserunt tantùm per vnicam actionem posse dependere, certum est hanc non posse ab eodem effectu procedere, quia omnis actio procedens ab aliquo effectu debet supponere effectum iam productum; vnde antequam intelligatur hoc principium cum aliquo influxu ab illo procedente debet iam intelligi productum: ergo per productionem non procedentem ab illo: ergo nullo modo poterit in se ipsum influere, si non potest influere in se ipsum iam ab alia causa productum. Procedere tantùm potest difficultas admissâ possibilitate duarum actionum totalium in eumdem effectum, an possit effectus postquam iam est productus ex vi huius actionis se ipsum per aliam actionem producere.

2 Affirmat Arriaga disput. 12. Metaphysic. sect. 2. sequutus P. Suarez tom. 3. in 3. part. disp. 50. sect. 4. ad finem, §. *sed ex hac solutione*, vbi expressè affirmat non esse inconueniens idem se ipsum producere per secundam actionem, licet oppositum non leuiter insinuet doctissimus P. disput. 12. Metaphysic. sect. 2. vbi docet de ratione omnis causæ esse influere in aliud natura distinctum.

3 Acquiesco omnium Doctorum sententiæ neganti idem adhuc per secundam actionem posse se ipsum producere, quam sic probo. Nihil potest se ipsum causare in genere causæ materialis: ergo neque in genere causæ efficientis. Respondet Arriaga nullam materiam posse aliam similem materiam materialiter causare, ac proinde mirum non est non posse se ipsam causare in illo genere causæ, in qua non potest causare aliam eiusdem speciei, independenter enim ab identitate numerica præcisè ratione identitatis specificæ repugnat hæc causalitas eiusdem entitatis in se ipsam, quæ repugnantia non est in principio effectiuo, quia vnum principium efficiens producit aliud eiusdem speciei. Ex hac doctrina argumentum retorquet Arriaga contra arguentem: vna materia non potest materialiter causare aliam eiusdem speciei: ergo vnum effectiuũ principium non poterit efficere aliud eiusdem speciei. Antecedens est verum: consequens falsum: ergo mala illatio; hac vtitur argumentum factum à paritate causæ materialis non potentis se ipsam materialiter causare ad causam efficientem non potentem se ipsam effectiuè producere. Duo continet hæc solutio. Primum est vnam materiam non posse ab alia entitate materialiter causari, ex quo optimè infertur non posse à se ipsa in hoc genere causæ procedere. Hoc verum est de materia prima, eo enim ipso quod sit materia prima dicit non esse receptam in alia & ipsam esse primum subiectum in nullo receptum. Ob hanc rationem non de materia prima, sed de omni causa materiali obiectionem produxi, de cuius conceptu non est causari ab alia causa materiali, quia quantitas est causa materialis plurium accidentium, & ipsa in genere causæ materialis dependet à materia. Aliud continet solutio videlicet nullam causam materialem posse dependere in genere causæ materialis ab alia eiusdem speciei, quod conuenit omnibus causis materialibus de facto existentibus respectu quarum rectè disparitatem assignat Arriaga inter causam materialem & efficientem, qua argumentum suprà factum sufficienter solutum esse videtur.

4 Vrgeo tamen argumentum supra factum: etiamsi omnis causa materialis existens de facto æquiuoca sit cum suo effectu: numquam enim vidimus calorem ex calore eductum, neque quantitatem in quantitate receptam, non tamen est contra conceptum quidditatiuum causæ materialis esse eiusdem speciei cum effectu, quem possit materialiter causare, neque repugnat de potentia Dei absoluta dari duplicem qualitatem tantùm inter se numero distinctam, & vtramque distinctam in specie ab his, quæ de facto dantur, quarum vna possit educi ex alia, licet vtraque possit etiam educi ex alia causa materiali æquiuoca, sicuti modò ex duplici calore, quorum quilibet potest ab igne producere in genere causæ efficientis, potest in eodem genere quilibet illorum efficienter produci ab alio. Sic ego duplicem calorem specie distinctum à calore de facto existente, & vtrumque eiusdem speciei suppono produci à Deo, quorum quilibet possit in genere causæ materialis à quantitate vel ab altero calore educi, & sic argumentor. Calor eductus à quantitate, à quo potest alius calor eiusdem speciei in genere causæ materialis procedere, non potest in hoc genere causæ propter identitatem numericam dependere à se ipso: ergo propter eamdem identitatem non poterit idem calor, neque alia quælibet entitas à se ipsa dependere in genere causæ efficientis. Negabis forsan possibilem esse calorem, qui possit educi ex alio calore, & causam aliquam materialem eiusdẽ speciei cum effectu, quem posset materialiter causare. Cõtrà: nulla potest excogitari repugnantia inter causam materialem, & effectum eiusdem speciei: ergo sine fundamento negas diuinæ omnipotentiæ posse producere aliquam entitatem cum virtute causandi in genere causæ materialis effectum eiusdem speciei. Si dicas repugnantiam dari inter causam materialem & effectum eiusdem speciei, illam assigna, & præsto aderit impugnatio, ego enim existimo nullam posse excogitari, cùm de conceptu causæ materialis, vt suprà dicebam non sit diuersitas specifica inter ipsam & effectum. Sed age iam do tibi repugnare causam materialem eiusdem speciei cum effectu, & suppono per impossibile dari, & tantum ex suppositione procedat argumentum quod sic constituo. Etiamsi calor posset recipi in alio calore eiusdem speciei, non posset recipi in seipso: ergo præcisè qualibet alia ratione secluſa ex identitate numerica repugnat eamdem entitatem recipi in se ipsa, ita vt si ex nulla alia ratione implicaret præcisè propter eamdem rationem implicaret idem recipi in se ipso, seu causari à se ipso in genere causæ materialis, quod est idem: ergo ex eadem ratione repugnabit, idem produci à se ipso seu causari in genere causæ efficientis. Alio modo totum vnico verbo argumentum cingo, nulla suppositione facta. Præcisè ex identitate numerica quocumque alio secluso repugnat eamdem entitatem recipi in se ipsa: ergo ex eadem repugnat fieri à se ipsa.

Aliter respondet Arriaga causalitatem causæ materialis 5
esse vnionem, quæ essentialiter respicit duo extrema vnienda realiter distincta, causalitatem verò efficientis esse actionem, quæ non arguit hanc distinctionem inter principium & terminum. Hanc solutionem recipio facilè ex dictis de causalitate materiæ, probaui enim formam dependere in genere causæ materialis non per vnionem, sed per passionem; ex qua doctrina sic argumentor. Passio non distinguitur ab actione, sed non potest dari passio procedens ab hoc principio materiali terminata ad ipsam tanquam ad terminum receptum: ergo non potest dari actio ab hoc principio effectiuo terminata ad idem principium tanquam ad terminum factum. Dices *recipi* ex se dicere esse receptum in recipienti, nihilque posse esse in se ipso, ac proinde inter receptum, & recipiens debere semper distinctionem intercedere. Contrà: sicut recipi dicit esse receptum in recipienti, sic fieri dicit esse factum à faciente: ergo sicut non potest idem recipi in seipso, ita non potest fieri à se ipso, non enim apparet ratio propter quam maior distinctio debeat intercedere inter recipiens & receptum, quàm inter faciens, & factum, & inter illud, quod est, & illud, in quo est tanquam in subiecto, & illud quod est, & illud, à quo est, tanquam à principio. Profectò nullam ego disparitatem rationis inuenio quapropter consequentiùs diceret ad sua principia qui affirmat idem posse fieri à se ipso non repugnare ex identitate numerica idem recipi in se ipso, ne tamen in hoc consequens vi consequentiæ trahamur, negandum est antecedens, mihi quidem difficile est idem fieri à se ipso, & paradoxum sapit dici idem in se ipso recipi posse.

Secundò esse de ratione principij producentis distinctionem à principio producto, probatur ex Patribus, & Doctoribus Scholasticis, qui omnes inferũt distinctionem 6

personarum

personarum ex relatione producentis, quæ est in vna respectu alius: ergo si idem posset se ipsum producere, non rectè inferret tota Theologia Pater producit Filium: ergo Pater distinguitur à Filio. Dices hanc illationem esse legitimam, etiamsi idem possit se ipsum per secũdam actionem supernaturaliter producere, quia productio qua Pater Verbum producit est naturalis respectu personarum, quia in diuinis nulla potest dari productio *ad intra*, quæ non sit naturalis principio producenti, & termino producto, quia omnis productio *ad intra* in diuinis est necessaria, & quia nulla causa superior potest excogitari, quæ eleuet aliquam diuinam personam ad productionem *ad intra*, ad quam ipsa non sit naturaliter determinata, neque ad aliquam productionem *ad extra*, quia omnes productiones *ad extra* communes sunt toti Trinitati, & procedunt ab omnipotentia, quæ à nulla alia causa potest eleuari, cùm nullum sit principium perfectius omnipotentia neque superius illâ, eleuatio autem semper dicit ex parte principij eleuati subordinationem ad principium eleuans, quam omnipotentia respectu nullius comprincipij potest habere, illi enim, vtpote principio rerum omnium, omnia sunt subordinata, & ipsa nulli entitati subordinata esse potest. Non caret probabilitate solutio, nihilominus adhuc instо: si non repugnaret idem se ipsum producere, etiamsi Pater Æternus non posset eleuari ad productionem *ad intra*, cur dici non potèst Patrem habere esse à se eodem modo, quo nunc vera fides illum cognoscit, & postea quàm supponitur esse à se naturaliter se ipsum producere, non per productionem quæ supponat aliã, sed quæ supponat terminum existentem, ita vt si per impossibile deficeret actio, qua producitur per locum intrinsecum non deficeret terminus, qui producitur, quatenus supponitur cum suo esse, quod habet à se ante productionem, etiamsi in tali casu realiter deficeret, quia deficeret productio identificata cum Patre, qui supponitur ante productionem à se indistinctam. Dices nullam entitatem posse naturaliter & absque eleuatione produci per productionem non requisitam per locum intrinsecum ad sui existentiam. Contrà, quia licèt hoc in creaturis ita contingit, rationem efficacem in diuinis reddi non poterit, cur ita contingere non possit, si eadem entitas posset se ipsam producere, quam ego postea assignabo in principiis negantibus idem posse à se ipso produci. Concludo: ergo nihil posse à se ipso produci, quia ita fert communis hominum apprehensio, & quia iuxta hanc philosophiam melius defenditur mysterium Trinitatis, & probatur distinctio inter Patrem & Filium, ex eo quod Pater Filium producat & Patris, & Filij ab Spiritu sancto, ex eo quod Pater & Filius per modum vnius principij spiratiui Spiritum sanctum producant.

7 Huius conclusionis, quæ propter communem omnium consensum, & propter rationes à posteriori adductas, & quia nullum pro opposita fundamentum adducitur, mihi quidem est omnino certa, hanc à priori rationem contemplor. Actio procedens ab hoc principio essentialiter supponit principium existens: ergo essentialiter intrinsecè & per se supponit illud, ad quod ordinatur: ergo intrinsecè & per se semper est otiosa, & implicat ex vi illius fieri id, quod iam non sit factum: ergo ex natura sua repugnat, nihil enim inuenitur in rerum natura, quod per se & intrinsecè sit otiosum & superfluum, & quod ita respiciat finem, in quem ordinatur, vt semper æquè existat finis sine illo, quod ordinatur ad illius existentiam, ac si existeret medium ordinatum ad talem finem. Actionem ab eodem in idem terminatam ita futuram esse certum est, quia illa actio semper supponeret terminum existentem independenter ab illa: ergo æquè existeret terminus siue illa postea succederet, siue non succederet; finem autem actionis esse existentiam effectus fatentur omnes. Dices illam actionem esse vtilem vt terminus existat ex vi illius. Contra: finis actionis est existentia termini secundùm se, non enim actio est vt existat terminus per actionem, seu vt existat, & quia terminus non infinitus non potest existere sine actione, ideò inuenta est actio, vt ex vi illius existat terminus: ergo actio, quæ non potest esse vtilis vt existat terminus, ex sua natura est superflua, & otiosa, & consequenter repugnans.

8 Ex hac ratione facilè repugnantiam assignabis in tali actione, & solues fundamentum oppositæ sententiæ, quæ tantùm petitur ex non repugnantia actionis terminatæ ad principium. Dices enim talem actionem fore superfluam, & non fore superfluam: propositionem affirmatiuam probaui modo, negatiuam munit principium illud vulgare in Philosophia: *Natura abhorret superfluum.*

CONTROVERSIA X.

De causa prima.

PVNCTVM PRIMVM.

Statuitur dependentia creaturæ à Deo secundùm entitatem, & operationem.

§. I.

Dependentia secundùm entitatem ostenditur.

DARI vnum principium, à quo reliqua omnia creata trahunt originem ratione naturali compertum est, qua ductus Aristot. illius existentiam agnouit, sunt illustria huius Philosophi verba hoc lib. 2. cap. 4. text. 43. & 44. *Sunt etiam, qui mundi huius, aliorúmque omnium causam in casum referant, conuersionem enim, & motum eum, qui vniuersum distinxit, & hunc ordinem redegit, casu esse: & hoc sanè admiratione dignum est, quod enim animalia quidem & neque esse, neque fieri à fortuna, sed aut naturam, aut mentem, aut aliquid aliud tale causam esse affirment, propterea quod è cuiusque semine non quodvis fiat, sed ex tali oliua, ex tali autem homo; cælum verò, & ea, quæ inter sensibilia diuiniora sunt, casu effici censeant, taliúmque eorum nullam, qualis plantarum, & animalium est, causam esse.* Doctrinam oppositam errori, quem miratur Philosophus expressè definit Concil. Nic. per illa verba: *Factorem cæli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium.* Extant etiam alia illustria Scripturæ testimonia: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*, Ioan. 1. Denique contra illos, qui dicebant Deum ab initio condidisse creaturas, eisque permisisse generationes cessante omni concursu Dei adducit Augustinus tom. 3. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. verba illa Ioannis 5. *Pater meus*, &c. Ita Augustinus: *Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor. Deinde quia non solùm magna, & præcipua, verùm etiam ista terrena, & infima ipse operatur, vt dicit Apostolus, & Sapient. 11. quomodo potest aliquid permanere nisi voluisses? aut quomodo quod à te vocatum esset non conseruatur?* Accedit illustre testimonium Nazianzeni orat. 2. de Theologia: *Quomodo ergo vniuersa hæc verum moles vel producta vmquam esset vel consisteret, nisi Deus hæc omnia in verum naturæ protulisset, atque conseruaret?* Qui de hac re plura videre velit testimonia, adeat P. Suarez disp. 21. Metaphysic. sect. 1.

Creaturas dependere à Deo in conseruari per veram influxum, quem in illas præstet, hac efficacissima ratione euinco. Conseruatio cuiuslibet creaturæ libera est, respectu Dei, vt quælibet in quocumque instanti possit à Deo in nihilum redigere: ergo potest Deus quamcumque creaturam corrumpere: sed non potest creatura corrumpi à Deo, nisi per subtractionem concursus ex vi cuius conseruabatur à Deo: ergo potest subtrahere concursum. ergo illum præstabat: nihil enim potest subtrahere concursum, seu cessare ab illo, quod est idem, ni antea concursum exhibebat. Probo Deum non posse creaturam corrumpere, nisi per subtractionem concursus, reliqua per se patent: Deus non potest creaturam corrumpere per actionem aliquam positiuam, quia omnis positiua actio terminatur ad terminum positiuum, & nulla potest terminari formaliter, & immediatè ad non esse: ergo debet illam corrumpere per actionem aliquam negatiuam, seu per negationem actionis, non per negationem actionis, quæ non præcessisset in instanti antecedenti, quia si non præcessisset actio, cuius negatio est in hoc instanti, præcessisset illius negatio in instanti antecedenti corruptionem entitatis positiuæ, in quo existebat talis entitas: ergo per illam negationem non corrumperetur entitas in hoc instanti, cum in præcedẽti coëxtitissent entitas positiua, & talis negatio:

ergo

ergo corruptio rei debet fieri per negationem actionis, quæ præcesserit in instanti, in quo res durabat, & non fit in instanti, in quo res corrumpitur, in quo incipit talis negatio: ergo corruptio debet consistere in subtractione actionis immediatè præcedentis: ergo vt Deus rem corrumpat necessum est subtrahere actionem, quam exhibebat circa rem durantem: ergo influebat in rem durantem, quod formaliter est illam conseruare.

3 Confirmatur si Deus destrueret entitatem positiuam, per aliquam actionem positiuam, maximè per actionem, qua producit formam contrariam: per hanc non, quia plures, & forsan omnes formæ positiuæ contrariæ possunt esse simul de potentia Dei absoluta: ergo formaliter positio vnius formæ contrariæ non est destructio alterius: ergo destructio caloris aliquid est distinctum à productione frigiditatis; non positiuum: ergo negatiuum, scilicet negatio actionis, qua conseruabatur. Vltrà: sunt plures entitates, quæ nullam habent formam contrariam sicuti lux: ergo corruptio lucis non consistit formaliter in productione formæ contrariæ, neque in destructione subiecti, quia destructo subiecto posset lux conseruari per actionem creatiuam: ergo corrumpi lucem non importat formaliter corruptionem subiecti, quod etiam perspicuum est, cum frequenter corrumpatur lux, & quæuis alia forma subiecto illius permanente. Demum sunt aliæ entitates quæ neque subiectum habent, neque formam incompossibilem: ergo harum corruptio tantùm potest consistere in negatione influxus, quo conseruabantur. Vltimò qui diceret formas corrumpi ex defectu subiecti, vel aliùs dispositionis, vel applicationis agentis. Rursus teneretur explicare quomodo desineret esse, seu corrumperetur, quod est idem, illud subiectum, vel illa dispositio, seu applicatio, qui nullo modo posset horum corruptionem nisi per subtractionem concursus explicare.

4 Dices entitates corrumpi per subtractionem, seu per non esse ipsarum & non per subtractionem alicuius concursus, ex vi cuius conseruarentur à Deo. Hanc euasionem præclusit totus discursus supra factus, qui probat Deum non posse inducere illud non esse creaturarum, nisi subtrahendo concursum positiuum, quem præstabant circa illud esse, quod præcessit illarum corruptionem, & hac succedente denominatur corruptum. Dices Deum corrumpere creaturam substantialem, & concursum, quo conseruabatur ab alia causa secunda, & non ab ipso Deo. Contra: plures creaturæ non conseruantur à causis secundis creatis: ergo in his solutio non potest subsistere. In aliis, quæ conseruantur à causis secundis conseruationem à causa secunda non posse subtrahi, si non dependet à Deo, probatur eadem ratione, qua probauimus creaturas non posse corrumpi à Deo, nisi ab illo conseruentur. Eadem est difficultas in assignando modo, quo Deus inducat non esse conseruationis lucis à Sole, in quam Deus nullo modo phæsicè influit, ac in assignando modo, quo possit inducere non esse conseruationis, quæ ab illo physicè non depêderet. Vltimò posses dicere creaturas conseruari à Deo permissiuè, quia tamdiu manent in rerum natura, quamdiu permittuntur à Deo, & tunc desinere esse, quãdo illis non datur talis permissio, quia Deus decernit ne vltra duret creatura, quæ hucvsque permansit. Contra: si hoc fieri ita posset creatura physicè à nulla dependeret in instanti cõseruationis: ergo esset à se: quidquid enim non est ab alio & est, necessariò est à se, quia esse à se nihil aliud est quàm esse, & non ab alio. Secundò si in hoc instanti potest esse creatura, quin physicè dependeat ab alio, quando præcessit in instanti antecedenti: ergo etiamsi non præcessisset posset esse eodem modo, quia hoc, quod est fuisse antea hìc & nunc nihil conducit physicè: ergo non solum potuit esse creatura à se in secundo instanti conseruationis, sed etiam in primo productionis, quod est contra rationem creaturæ, & proprium constitutiuum Dei, qua ratione omnino improbabilem iudico hunc dicendi modum, quia creatura non solùm indiget vt Deus non impediat illius existentiam, sed vt illi Deus suum esse tribuat, quod est participatum & ab alio.

§. II.

Creaturæ non solùm secundùm suam entitatem sed secundùm operationem dependent à Deo.

5 COmmunis est Doctorum sententia, cui aduersatur Durandus Deum concurrere cum omni creatura ad omnes actiones excepta peccaminosa de qua aliter sentiunt nonnulli Scholastici apud P. Vasquez 1.2. disput. 129. num. 5. licet communis Theologorum sententia teneat Deum physicè influere in materiale peccati, hoc est in entitatem peccaminosam, cui malitia peccati contingit per ordinem ad libertatem creatam à qua dependet. Tripliciter potest dici Deum non influere cum causis secundis in illarum effectus. Primò dici potest primam productionem effectus non cadere sub obiectum omnipotentiæ, ita vt dicatur non posse primò Deum producere effectum, quem creatura producit. Conclusionem hanc esse proximam hæresi docet Hurtadus disput. 10. §. 30. quam nullus Catholicus docuit. Durandus enim, qui asserebat creaturas operari, Deo physicè non concurrente, dicebat Deum posse producere creaturam, quam causa secunda producebat. Secundò posset dici Deum neque concurrere neque posse concurrere cum creatura ad effectum producendum, etsi eumdem se solo posset producere, sententiam hanc erroris damnant Soar. & Hurtad. suprà. Tertiò dici potest Deum posse immediatè concurrere cum creatura, & posse non concurrere, hanc sententiam tam absurdam non esse docet Hurtadus, verumtamen Suar. suprà affirmat errorem esse asserere Deum de facto non concurrere, abstrahens à diuersis modis, quibus potest hæc conclusio defendi. Ego de censuris imponendis non curo, sed assero hos omnes dicendi modos esse omnino à veritate alienos, de factóque Deum concurrere ad omnem effectum producendum simul cum omni causa secunda, à qua producitur.

Probo hanc conclusionem: sicuti Deus potest impedire in instanti sequenti conseruationem caloris, qui modò existit, potest impedire productionem caloris, qui potest produci à causa secunda, sed Deus non potest impedire conseruationem caloris (idem dico de quocumque alio effectu) in instanti sequenti, si Deus non esset conseruaturus calorem per influxum producentem à Deo, vt probatum est: ergo non potest impedire productionem caloris si effectus noc esset producendus per influxum, qui à Deo procederet. Confirmatur: entitas vt primò existens, & vt conseruata, tantùm differt extrinsecè, eadem enim in primo instanti, in quo fit, dicitur produci, & in vlterioribus etiamsi per eumdem influxum suum esse recipiat, conseruari dicitur: sed existentia huius entitatis non posset impediri in secundo instanti si in illo non dependeret à Deo: ergo neque in primo posset antecedenter impediri à Deo si ab ipso non dependeret: ergo sicuti ex eo quod Deus potuerit antecedenter impedire existentiam huius effectus in hoc secundo instanti, in quo est, inferimus in hoc secundo instanti entitatem dependere à Deo. Sic similiter ex eo quod Deus potuerit antecedenter impedire existentiam huius effectus in hoc instanti in quo est, inferre debemus hanc entitatem in hoc instanti dependere à Deo per influxum, quem præbet in illam: ergo entitas dependet à Deo non solùm in instanti, in quo fit sed etiá in instanti in quo conseruatur: ergo causa prima influit cum secunda in effectum in primo instanti in quo producitur, & effectus ab vtraque dependet: ergo secunda sine consortio primæ non potest operari: ergo dependet in operari à prima cum illa cooperante. 6

Putat Arriaga Deum posse impedire operationes causarum præcisè per negationem permissionis, seu voluntatis, qua velit ipsas operari, quia licet actio non dependeat à Deo tanquam à principio, potest dependere à voluntate Dei tanquam à conditione, sicut dependet ab approximatione. Sententiam hanc amplexus fuerat Hurtadus, qui asserit nullum fore inconueniens aliquam creaturam effectum producere à Deo physicè non influente, licet de facto in omnes influere certum putet. Idem explicat Hurtadus exemplo appetitus imperantis actiones externas absque vllo influxu physico: ergo eodem modo potest Deus impedire actionem causæ secundæ absque vllo influxu physico, ita vt creatura non prosiliat in actionem non peccaminosam, ni prius decreuerit existentiam actionis, neque in peccaminosam, quoysque voluerit illam non impedire, quod posset facere per decretum, quo efficaciter Deus decerneret negationem actionis peccaminosæ. Nec placet doctrina, neque moueor exemplis. Actus appetitus & exequutio ab hoc imperata procedunt ab eadem anima, ac proinde mirum non est, si anima per actum quem ipsa producit, & per quem formaliter appetit determinetur 7

minetur ad operationem præstandam ab ipsa. Actus verò voluntatis diuinæ Deum formaliter volentem constituit, & non causam secundam operaturam, ac proinde ratio, propter quam potentia exequens operationes externas ab actu appetitus non influente determinatur, non reperitur in causa secunda respectu actus voluntatis diuinæ. Aliud exemplum, quod adducit Arriaga de approximatione haud efficacius est. Approximatio est circunstantia afficiens agẽs & passum, & ex parte vtriusque dicit propriam cuiuslibet præsentiam, qua intrinsecè afficitur; volitio verò diuina omnino est extrinseca respectu causæ creatæ: ergo longè diuersa est ratio de approximatione, & de volitione. Ex hac rationis disparitate, qua exemplum irritum fuit, argumentum conficio contra solutionis doctrinam. Volitio Dei est omnino extrinseca causæ secundæ: ergo si aliquem effectum ad extra physicè ab illa dimanantem non habet, non potest creaturam determinare ad hoc vt operetur, vel non operetur, quia volitio obiecti formaliter vt volitio tantùm denominat obiectum volitum, quod non est formaliter esse effectum: ergo vt Deus me determinet ad operandum, non sufficit Deum velle, sed velle volitione quadam effectiua, ex vi cuius physicè Dei omnipotentia influat in effectum ad quem me determinat. Rem explico, & declaro: eatenus volitio Dei, qua decernitur effectus præstandus à Deo dicitur efficax, quatenus illa posita omnitentia indefectibiliter operatur, quòd si omnipotentia nõ operaretur posita volitione, effectus non esset, & eatenus volitio Dei, qua decernit effectum à me præstandum, est efficax, quatenus omnipotentia concurrit simul cum virtute, quam ego habeo ad effectum: ergo si Deus non physicè influeret in effectum non posset illius existentiam physicè determinare. Antecedens probo. Finge tibi, Deum nihil posse operari. & decernere meam operationem, possem ego non obstante tali decreto nõ operari, quia Deus nullas vires haberet, quibus me posset ad operandum compellere, & decretũ me omnino immutatum relinqueret, & in creaturis non cognoscitiuis nullo modo posset tale decretum ad operationem conducere: ergo præcisè per hoc, quod est velle, vel nolle Deum, si illius volitio physicè efficax non esset, creatura non determinaretur ad operandum, vel non operandum. Neque refert decretum extrinsecum libertati formaliter libertatem destruere, & actum primum liberum destruere, quando ex natura sua est efficax, & antecedens effectum, quia hoc habet ex eo quod physicè influat in volitionem media omnipotentia, quod si non efficeret, libertatem non læderet, neque ad efficientiam actus voluntatis immediatè conducere posset.

8 Argumentor secundò ad hominem: Nullus est effectus, cuius Deus non sit propriè, & verè causa: sed causa remota in doctrina Hurtadi non est propriè causa: ergo nullus est effectus, cuius Deus non sit causa proxima, quæ tantùm est verè & propriè causa in doctrina huius auctoris. Distinguit Hurtadus maiorem propositionem: Nullus est effectus, cuius Deus non sit propria causa in actu primo concedit, in actu secundo, negat, quia Deum posse omnem effectum immediatè producere ad illius perfectionẽ spectat, illum tamen in actu secundo non producere non arguit imperfectionem in Deo. Non dubito imperfectionẽ non esse in Deo non producere effectum, quem potest producere, quod scire oportet, est, an ex suppositione, quod effectus existat imperfectionem arguat in Deo, existere quin Deus sit propriè causa illius, vel huiusmodi existentia sine dependentia à Deo tanquam à vera causa repugnãtiam dicat ex parte creaturæ, id ego probare intendo. Creatura eo ipso quod sit ens finitum & limitatum, debet contineri in omnipotentia, itavt licet de facto non dependeat à Deo, saltem posset dependere ab illo tanquam à vera causa, vt fatetur Hurt. ergo hoc, quod est contineri in omnipotentia, & posse immediatè dependere ab illa tanquam à virtute & potentia æquè debet conuenire actioni, ex vi cuius terminus producitur, & termino per actionem producto, quia tam actio, quàm terminus æquè habẽt rationem creaturæ: ergo omnis actio eo ipso quod sit, necessariò actu dependet à Deo. Probo consequentiam: actio non potest dependere à principio, à quo actu non dependeat, quia cum dependeat per suam entitatem, non est indifferens ad dependendum ab hoc principio: ergo ab illo, à quo actu non dependet, dependere non potest, & ab illo, à quo dependere potest, actu dependet: ergo implicat dari actionem, quæ actu non dependeat à Deo, & possit ab illo dependere: sed non potest dari actio, quæ non possit dependere à Deo: ergo non potest dari actio, quæ de facto non dependeat à Deo. Diceret aliquis illam actionem dependentẽ tantùm à causa creata per se ipsam posse à Deo dependere per interiectam actionem. Hanc doctrinam nõ admittit Hurt. qui non concedit posse dari actionem terminatam ad actionem, quæ si in aliquo casu posset admitti, admittenda non esset circa actionem immediatè & per se adæquatè dependentem ab alio principio, quia actio reflexa terminata ad actionem adæquatè dependentem intrinsecè esset superflua, quia intrinsecè respiceret terminũ, qui illa sublata eam existentiã haberet, ac si esset alia actio reflexa. Hoc argumento ad hominẽ vsus sum contra Hurtad. qui concedit causam remotam non esse propriè causam in sententia verè affirmante causam remotam esse veram causam, quod ego verum iudico de causa remota actu influente in proximam, etiamsi actio immediatè non dependeret à Deo, Deus verè esset causa illius, licèt tantùm remota. Quapropter contra sic opinantes primum argumentum est adducendum, vel probandum, esse inconueniens Deum non posse esse causam proximam cuiusuis actionis creatæ.

9 Ex his rationibus facilè soluitur quæstio, quam disputant recentiores cum Arriaga num. 8. an possit Deus pro libito cessare à concursu immediatè in actiones creaturæ, substituendo aliam causam loco sui. Cui negatiuè respondendum propter rationes iam dictas, scilicet quia illa causa creata operaretur cum alia secunda independenter à Deo, & quia Deus non posset esse causa proxima actionis dependentis ab illa, & non à Deo. Deinde quia si creatura non indigeret concursu immediato Dei ad operandum, neque indigeret concursu aliûs concausæ creatæ: in ratione enim causæ creatæ sufficientem virtutem habet ignis ad producendum alium ignem, quod si de hoc igni existenti neges, saltem posset Deus creare alium ignem, aliãve creaturam habentem virtutem ad præstandum per se ipsam totum influxum, quẽ modò posset præstare hic ignis existens, & alia concausa, quæ supplere diceretur vices causæ primæ. Vltimò ratio propter quam concedimus Deũ concurrere effectiuè cum caus existentibus est, quia de ratione creaturæ est, non posse concurrere sine consortio causæ primæ, & quia de ratione causæ est effectiuè concurrere cum omni creatura: sed quidquid esset substituendum distinctum à Deo esset creatura: ergo non posset concurrere sine consortio causæ primæ, & de ratione causæ primæ esset cum illo, quodcumque esset immediatè concurrere.

§. III.

An effectus dependeat à causa prima & secunda per eumdem influxum.

10 EVicimus iam causam primam semper influere cum secunda in effectum. Restat modò definiendum, an vtraque causa per eumdem indiuisibilem influxum, vel per diuersum influant in effectum? Influere per eumdem docet D. Thom. cum aliis apud Patrem Soar. disp. 22. Met. sect. 3. quod fert communis Philosophorum sententia, & mihi omnino certum est. Non debet esse quæstio: an creatura dependens à causa prima, & à secunda, per alium influxum adæquatum vel inadæquatum dependere possit à Deo non tanquam à causa prima præcisè: sed tanquam principio specialiter concurrente, per hunc peculiarem influxum, & per concursum alium per quem cum causa secunda causæ primæ adimplet officium: de hoc enim non est quæstio inter auctores, neque vllus hac ratione posse Deum concurrere concursu distincto ab illo, cum quo causa secunda concurrit negabit; dum concedatur simul concurrere per eumdem influxum, per quem influit causa secunda. Quæstio est: an causa prima influat per eumdem influxum per quem influit secunda? & an in ratione causæ primæ teneatur per alium distinctum influere in omnes effectus? quam sic explicatam duplici conclusione definio.

11 Dico primò: Deus immediatè influit in effectum per eumdẽ influxum, per quem influit causa secunda. Probo influxum, per quem influit causa secunda, essentialiter dependet à Deo: non per alium influxum superadditum; quia actionis non datur actio: ergo creatura ex vi eiusdem influxus immediatè dependet à causa prima, & à

causa secunda ; quia implicat influxum dependere ab aliquo,à quo non pendeat effectus ex vi illius, quia effectum dependere à principio,nihil aliud est,quàm influxum , ex vi cuius fit effectus , dimanare à principio. Dices, posse influxum per se ipsum immediatè dependere à causa secunda , tanquam à principio inadæquato , & media alia actione a causa prima.Rectè enim potest dari entitas,quæ sit actio immediatè dependens ab hoc principio , & sit terminus mediâ aliâ actione dependens ab alio principio. Contra hunc dicendi modum in primis obiicio : sine fundamento dici, posse dari actionem terminatam ad aliam actionem.Quod,si de potentia Dei absoluta posset cõtingere vel daretur aliqua actio, quæ etsi per se ipsam penderet ab hoc principio inadæquatè;tamen , etiam indigeret alia actione supperaddita , mediâ quâ penderet ab alio principio , similiter inadæquatè , vt per se ipsam, & media alia actione ab vtroque principio adæquato pẽderet ; in qua actione non facilè repugnantia illa poterit deprehendi : at ita contingere de facto , nullo probabili fundamento dici potest ; cum possit Deus simul cum creatura per eamdem actionem influere,& absque necessitate has actiones multiplicare contra communem sententiam, fas non est. Adde in actibus liberis , quos exercet creatura , non posse reperiri huiusmodi influxum ; quia si volitio , quam exercet mea voluntas , penderet ab alia actione , quam Deus exerceret, tota indifferentiâ,quam haberet actio voluntatis à me procedens,esset determinata in causalitate, quam supponeret , qua posita non posset non esse ; ac proinde actio meæ voluntatis numquam esset libera formaliter ; sicuti in opinione , quæ distinguit in actu voluntatis actionem , & terminum , tota libertas exercetur in actione : quia posita actione non potest non esse terminus. Deinde libertas illa , quam haberet actio meæ voluntatis deriuata ab actione , quam supponeret, non denominaret meam voluntatem liberè operantem; quia denominatio ad existentiam meæ actionis volitiuæ non procederet à me,sed à Deo illam determinante, cùm determinabat causalitatem procedentem tantum à Deo, quam ego non possem determinare;quia non à me procederet;& nihil potest esse liberum,& determinabile respectu principij,à quo non procederet.

12 Dico secundò : Causa prima non concurrit ad effectum per alium influxum distinctum ab influxu , quem præstat causa prima ex vi muneris primæ causæ. Ratio est : quia sufficienter intelligitur causam secundam dependere in operari,& effectum dependere à causa prima,ex eo, quod influxus,quo causa secunda operatur, dependeat à prima, & quæuis insufficientia,quam virtus creata haberet respectu effectus , posse suppleri ex eo quod causa prima per eumdem influxum simul cum secunda influeret in effectũ: ergo dandus non est influxus specialis , medio quo causa prima influat in effectum,distinctus ab illo,per quem effectus à causa prima,& à causa secunda indiuisibiliter fluit. Antecedens constabit ex solutione,& impugnatione fundamenti,quo alium influxum specialem à Deo prouenientem nonnulli adstruunt.

13 Dicunt propugnatores huius influxus , creaturam illo indigere , vt essentialiter dependeat à Deo, & hac ratione asserunt omnem creaturam dependere per influxum secum identificatum à Deo essentialiter,& per alium influxum superadditum dependere à causa secunda,& à prima; asseruntque hunc influxum procedentem à causa prima,& à causa secunda, vtpote effectui superadditum non esse illi essentialem ; quia quod est de essentia rei debet esse cum illa identificatum : ac proinde , vt creaturæ omni constituant dependentiam essentialem à Deo , meditantur dependentiam quamdam identificatã cum effectu,per quam essentialiter à Deo dependet,Pro hac ratione soluẽda duplicem dependentiam te distinguere oportet in effectu respectu causæ,& in creatura respectu Dei : quædam est per modum actus primi,quæ strictè loquendo propriè non est dependentia sed exigentia actus secundi,qui formaliter est dependentia.Hanc dependentiam per modũ actus primi,seu potius hanc exigentiam dependentiæ fatemur esse essentialem effectus & identificatam cum illo , eamdemque semper inuariatam respectu eiusdem effectus ; ex vi cuius exigitur dependentia formalis, non est determinata;sed hæc,vel illa.Dependentia per modum actus secundi,quæ est dependentia formalis,& quæ propriè depẽdentia dicitur,est actio,qua dependet effectus.Hæc ita est necessaria ad effectus existentiam , vt neque de potentia Dei absoluta possit effectus existere nulla data actione ad ipsum terminata, licet illa actio,quæ de facto datur ad existentiam effectus,& quæcumque alia,quæ loco illius dari posset,realiter ab illo distinguatur.De hac depẽdentia actuali effectus à causa prima diceret aliquis non esse essentialem effectui,propter rationem iam factam de distinctione reali,etsi illi summè sit necessaria adeò , vt de potentia Dei absoluta suppleri non possit defectus omnis dependentiæ;ita vt sine illa effectus existat:& hoc tantùm probat obiecto suprà facta,& in hoc sensu in re nihil falsum diceret qui assereret dependentiam actualem creaturæ à creatore non esse essentialem creaturæ;quia tantùm intenderet significare non esse identificatam cum creatura;quod verum est.Et ita dicimus de essentia hominis esse materiam, formam & vnionem, & non dependentiam actualem seu actionem, quam homo per suam essentiam exigit,etsi de potẽtia Dei absoluta non possit esse sine illa. Nihilominus censeo dicendum non esse , dependentiam actualem esse essentialem creaturæ ; ne detur occasio errandi imperito vulgo, quod putet effectum posse existere sine dependentia actuali à Deo,quod falsum est.Ex hac doctrina facilè dissoluitur fundamentum oppositæ sententiæ distinguendo illud antecedens : creatura essentialiter dependet à Deo dependentiâ in actu primo ; concedo : dependentia in actu secund,subdistinguo illud *essentialiter*,essentialiter,hoc est summè necessariò,ita vt de potentia Dei absoluta sine dependentia esse non possit, concedo antecedens:essentialiter,hoc est intrinsecè,& per suam entitatem,nego antecedens.

Nec mihi sat est argumentum suprà factum dissoluere 14
positiuè:fundamentum huius sententiæ impugno Si creatura haberet secum identificatam influxum,seu actionem, ex vi cuius penderet à Deo, influxus ille, seu illa actio esset creatio : ergo forma equi ex vi actionis, qua pendebat ab alia causa secunda, vel à Deo supplente vices illius, esset educta : ergo eadem forma equi de facto esset educta,& creata. Probo antecedens : forma equi ex vi influxus secum identificati,quo penderet à Deo, non penderet ab aliquo subiecto ,neque inadæquatè : sed influxus,seu actio,qua producitur terminus , qui ex vi illius non pendeat ab aliquo subiecto,est creatio : ergo talis influxus identificatus cum forma esset creatio. Minor est certa, & consequentia legitima : maiorem probo : forma equi per se ipsam non dependet , neque inadæquatè à subiecto,quia si loco actionis generatiuæ,quam terminat, alia creatiua substitueretur,eadem forma equi perseueraret sine dependentia adhuc inadæquata à subiecto,quam sit per suammet entitatem haberet,non posset vmquam non habere:ergo non dependet à subiecto per influxum, seu actionem identificatam cum forma,quæ semper esset eadẽ permanente eadem forma,cum qua identificatur:ergo forma equi crearetur ex vi influxus secum identificati, si per se ipsam immediatè penderet à Deo. Insuper educitur per actionem , ex vi cuius dependet à causa creata : ergo simul educeretur, & crearetur, si per se ipsam penderet à Deo , & per actionem superadditam à principio creato generante.

§. IV.

Mens peregrina Dolæ expenditur, quâ in sententiam Durandi de concursu cum causis secundis abierit.

POstquàm hæc scripseram,vidi librum scriptum à Patre 15
Ludouico à Dola Ordinis Capucinorum sancti Francisci, quem inscribit , *Disputatio quadripartita de modo coniunctionis concursus Dei & creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis præsertim ad actus prauos aduersus prædeterminantium, & assertorum scientiæ mediæ opiniones.* Supponit hic auctor & non paucis probare intendit , primâ parte disputationis difficultates , & quæstiones , de quibus contendunt physicè Prædeterminantes& Authores scientiæ mediæ,totam suam originem duxisse ex eo quod vtrique admiserint Deũ concurrere immediatè cum creatura ad proprios actus producẽdos concursu simultaneo immediato, & identificato cum eiusdem creaturæ concursu. Ex hac propositione , seu hypothesi philosophica non solùm ait originem duxisse controuersias & contensiones inter Catholicos

tholicos, sed duas præ cæteris pestilentissimas Sectariorum hæreses, quibus humana libertas impetitur, & peccatum nostrum Deo authori adscribitur, præcipuum erroris fundamentum posuisse.

16 Hæc cùm vidisset, ait Dola, applicuisse animum, cùm ob adiuuandos & hæreticos in hac parte reducendos, tum ob finiendam maximam istam Theologorum à quinquaginta plus minúsve annis aduersum se inuicem pugnantium dissensionem, ad eruendam euellendámque hæresum inter infideles & contentionum inter Catholicos radicem, vt ramorum vitium in radice procuraret, & ita extinctis infidelium hæresibus, & Catholicorum contentionibus & controuersiis, depositis illi luce fidei veræ fruerentur, & hi quieto atque placato gauderent animo. Hæc assequi sperat Dola, negando Deum immediatè concurrere cum voluntate concursu simultaneo & identificato cum concursu ab ipsa voluntate procedente ad actus ordinis naturalis, quod iam diu Durandus, quem ipse in hac re sequitur, affirmauit de omnibus causis, & apud omnes ferè Scholasticos non benè audiuit, plures enim authores, quos refert ipse Dola 4. part. cap. 8. num. 5. Durandi sententiam periculosam, temerariam, & erroneam appellant. Nec desunt qui oppositam fide sanctam esse pronunciarint, quod neque ipsum Dolam latuit, vt constat ex citato loco. Non semel queritur hic author, nonnullos vt suam sententiam omnibus inuisam facerent, nimis durè illam interpretatos esse ac retulisse, ac si ipse negaret concursum Dei ad actus liberos nostros absque alio addito, à qua mente longè alienus est, admittit enim concursum Dei ad omnes effectus, ex vi cuius omnium prima causa dicatur, & causa secunda primæ subordinata censeatur, ideóque ait quotiescumque negasset concursum illum, quem prædeterminantes & scientiæ mediæ assertores admittunt addidisse *concursum Dei proximum immediatum identificatum aut indistinctum ab operatione creaturæ.* Neque ideò putandum est admisisse Dolam concursum immediatum Dei distinctum à concursu creaturæ, quod non adeò à veritate aberraret, asserit enim 1. part. cap. 2. in fine pro eodem vsurpare concursum Dei immediatum & concursum identificatum cum concursu creaturæ, negátque posse esse immediatum & distinctum à concursu creaturæ, quod nonnulli authores dixerunt, quos ipse impugnat part. 2. cap. 11. Itaque asserit hic auctor Deum concurrere ad actus naturales nostræ voluntatis, & sic ad omnes alios effectus naturales concursu causæ primæ, qui tantùm est mediatus, & remotus, ex vi cuius Deus conseruat causam seu virtutem causæ absque eo quod immediatè influat in effectus. Sic multis in locis præcipuè in fine totius operis, vbi conclusionem ex omnibus, quæ præmiserat proponit. Asserit insuper hic author 4 part. cap. 17. num. 5. non esse indispensabiliter necessarium, vt omnis causa creata dependeat in suo esse à Deo proximè & immediatè producente & conseruante, quia potest dependere ab ipso mediatè & remotè, nimirum mediante alia causa secundâ, per quam dumtaxat influat Deus, nimirum producendo & conseruando illam causam, quæ postea per semetipsam ad effectum proximè producendum sufficiat.

17 Profectò nihilo minùs indigebunt prædeterminantes (loquor verbis ipsius Dolæ) & scientiæ mediæ assertores ad suas litterarias contentiones componendas, quàm hoc arbitro, cùm quia has sedare non vtile, sed perniciosum esset vtilissimúmque ipsas acuere, dum enim vna sit vtrorumque mens, vnáque voluntas veritatem indagandi & aperiendi, eásdemque veritates Catholicas acerrimè propugnandi, huiusmodi enim intellectum speculatiuæ contentiones Religiosorum virorum voluntates religionis & charitatis vinculo obstrictas non propulsant, omnes enim sunt eiusdem vineæ Domini operarij, qui, licet variis modis, eidem Domino gloriam proprio labore procurant, cui in perpetuis suis lucubrationibus & non quæstui propriæ gloriæ, inanis semper, inseruiunt. Neque parum incrementi vtraque sententia accepit ex impugnatione alterius, quæ occasionem dedit solertiùs vtriusque rationes inquirendi, & solidiora fundamenta vtrique iaciendi, & veritatum Catholicarum splendor est maximus vt ad eásdem semper diuersi aditus pateant, quos illustret ratio: tum quia etiamsi conclusionem quam propugnandam Dola suscepit vtrique authorum classi persuaderet, quod longè aberit, & suprà vires cuiusque litteratissimi hominis semper esset, adhuc illis semper præcipua imò tota contendendi & disputandi materia supereesset: quod nonnullos sibi obiecisse ait Dola, quibus credere satis consultum ipsi fuisset, & quisque mediocriter in his Scholis versatus facilè percipiet, & ego impræsentiarum paucis indicabo. Contendebãt olim prædeterminantes cum authoribus scientiæ mediæ: An Deus futura conditionata libera cognosceret certò & infallibiliter. Nonnulli Thomistæ circa hæc futura Deo tãtùm coniecturalem scientiam tribuebant. Sic sentiebat olim Cabrera, qui prior hanc sententiam edidit, 3. part. q. 1. art. 3. disp. 1. §. 22. n. 389. tom. 2. quæst. 62. art. 1. disp. 12. §. 6. conclusione 3. n. 147. Eamdem fusè conatur probare Ledesma disp. 2. de scientia futurorum contingentium in secunda sententia pag. 579 concl. 1. & pag. 591. & sequentibus. Eãdem vt probabilem defendit Curiel. lib 2. contr. 7. art. 1. n. 37. Consentit Cabecudo, 3 part. q. 62. art. 5. sua quæst. 2. ad duodecimum argumentum. Aliter sentit Nauarretus 1. part. quæst. 14 controuers. 56. §. 2. concluſ. 6. & sequentibus. Qui solus affirmat nullam scientiam formaliter in Deo existere huiusmodi conditionatorum, sed tantùm eminenter.

Postea verò iam testimoniis scripturæ conuicti vnanimes asserunt Thomistæ omnes, Deum certò & euidenter cognoscere omnia futura conditionata libera, affirmãt tamen hæc cognosci in decreto absoluto, quod Deus habet circa obiecta conditionata, quod illorum scientiam præcedit, in quo tanquam in obiecto primario cognoscuntur, quia in seipsis veritatem non habent, ex vi cuius possint immediatè actũ diuinæ scientiæ terminare. Hoc decretum totis viribus contendunt exterminare assertores scientiæ mediæ, & circa hanc quæstionem mutuò vtraque Doctorum acies in alteram toto impetu irruunt. Quomodo ergo litem hanc cõponat Dola ablato concursu immediato Dei ad actus liberos nostros? Quæ verò connexio inter hanc thesim & illam de qua vtraque contẽdit Schola potest inueniri? nullam profectò meditabitur diuturnus Dolæ labor. Legi authorem hunc dicẽtem 1. part. cap. 6. solummodò iactitasse homines, qui sunt penitus illiterati, neque quæ loquuntur, intelligunt, thesim, quam propugnandam suscepit, esse omnino impertinentem ad quæstionem prædictam diuimendam; verumtamen illiterati hominis cẽsura non me terret, cùm Dolam legam totum in harum quæstionum affinitate explicanda, & tantùm apud ipsum reperiam authores, qui asserunt futura conditionata non cognosci in seipsis & indigere hoc decreto prædeterminatiuo, vt Deus euidenter illa cognoscat, eosdem physicam prædeterminationem propugnare: illos verò, qui asserunt Deum in seipsis huiusmodi conditionata cognoscere, neque his decretis indigere, neque has prædeterminationes admittere. 18

Demùm acerrima concertatio est inter autorhes vtriusque scholæ circa efficaciam auxiliorũ, quibus Deus speciaIiter prouidet prædestinatis, & non reprobis, qui tantùm auxiliis sufficientibus ad gloriam consequendam præueniuntur, & circa modũ, quo Deus discernit prædestinatum à reprobo, ita vt ille salua suorum actuum libertate certissimè & infallibiliter finem consequatur ex speciali gratia Dei, & iste non ex auxiliorum defectu, sed ex eo quod auxiliis diuinæ gratiæ non annuat, quibus antecedenter saluus fieri potuit, in æternum damnetur. Quam quæstionem prædeterminantes suæ prædeterminationis ope definiunt, & assertores scientiæ mediæ, huius beneficio dirimũt, vtrique obliti concursus simultanei, de quo non curant ad præsentes quæstiones dirimendas. Quid ergo Dola præsumit componere inter has scholas negato concursu immediato Dei ad effectus naturales producẽdos? Hanc fibi obiectionem Dola proposuit 1. part. cap. 9. n. 6. cui respondet primò nondum esse facultatem imprimẽdi de auxiliis gratiæ, quæ dãtur ad actus supernaturales, propter quod in titulo opusculi præfixit sermonẽ habiturum de concursu Dei ad actus naturales præsertim prauos, eo quod nullo decreto, quod ad illum peruenerit, prohibeatur de hoc concursu disputare. Veneror obedientiam Religiosi viri, veruntamen non ab illo petitur, vt propositas dirimat quæstiones, & inter vtramque sententiam proferat, thesimque in hac materia propriis rationibus stabiliram defendendam suscipiat, sed vt explicet quod ipse defendendum suscepit, quomodo videlicet harum quæstionum difficultates de medio tollantur, ablato concursu simultaneo Dei cum causis secundis ad suos effectus producendos. 19

20 Secundò respondet ibidem, quod si dicatur Deum non concurrere ad actus nostros liberos tametsi supernaturales influxu primo & indistincto,& gratia præueniens constituatur in actu vitali supernaturali,quo illustretur intellectus, & in inspiratione similiter vitali , & supernaturali voluntatis in qualitate præcedente consensum nostrum liberum, à quo etiam separari potest , & de facto sæpissimè separatur , nimirum quoties diuinæ vocationi resistimus, facile erit demonstrare nihil inde præiudicij humanam libertatem accipere', quia euidens est cum huiusmodi vocatione , & qualitate supernaturalibus dissensum nostrum etiam in sensu composito reperiri posse. Nón do priora verba, sed Dolæ refero. Id, quod facile Dolæ visum est, materiam submministrat omnium disputationũ, quæ in materia de auxiliis tractantur,inter vtriusque Scholæ authores. Non facile, sed summè difficile visum est Thomistis gratiam efficacem constituere in actu vitali intellectus & voluntatis , & in qualitate quæ in sensu composito cum dissensu potuit componi], quod tota illorum Schola vno ore denegat , neque sine maxima Thomistarũ iniuria proferre potuit Dola,euidens esse gratiam efficacem in sensu composito & efficaciam auxiliorum posse cum negatione assensus componi, quod ipsi acerrimè inficiantur , totámque ipsorum doctrinam,si admitteretur,euerteret:Demum totos neruos exercent Thomistæ vt defendant non posse à causa indeterminata,hoc est,non præuentá aliá motione effectum determinatè procedere , & facilè putat Dola omnes Thomistas cum assertoribus scientiæ mediæ componere , ponendo gratiæ efficaciam in actu voluntatis & intellectus,& qualitate , quæ sunt indifferentes vt in actu secundo coniungantur cum assensu & dissensu. Scio certè gratias non acturos Thomistas Dolæ propter modum, quem inuenit componendi Controuersias inter ipsos , & authores scientiæ mediæ , quod in mentem venisse non debuerat hominis Thomistarum principiis mediocriter instructi.

21 Respondet tertiò ibidem eos , qui hac disputatione de concursu Dei simultaneo mediocriter fuerint versati,facilè intellecturos,ex his quæ dicta sunt de concursu Dei ad actus supernaturales.Cæterùm cùm ipse difficultates, quæ in concursu simultaneo reperiuntur,non alio modo soluat, nisi negando dari talem concursum simultaneum , nescio ego,quomodo ex doctrina tradita circa concursum,quem negat,possint solui prædictæ difficultates,ni in his quæstionibus negetur illarum subiectum (quod illæsâ fide,& sine ingenti amentia fieri non potest) sicuti negauit ille subiectum,circa quod difficultates istæ procedebant,à qua mente longè abest religiosus Dola.

22 Demum quia opus suum inscripsit Dola, *aduersus prædeterminantium , & scientiæ mediæ assertores* , placet omnibus notum fieri,quid contra assertores scientiæ mediæ scripserit Dola, (viderint alij authores quid contra ipsos dixerit, in quos non pauca congerit.) Mitto negare concursum causæ primæ cum secunda ad actus naturales , quod contra prædeterminantes & scientiæ mediæ assertores & contra communem ferè omnium sententiam pronunciat, & venio ad illa,quæ specialiter de scientia media pronunciat , & de his quæ specialiter illius authores docent, & de quibus cum Thomistis certant. In primis scientiam mediam re & nomine amplectitur : sic ille 1. part. cap.3. num. 9. *Cæterum de nomine scientiæ mediæ , est enim veluti media inter scientiam simplicis intelligentiæ & illam visionis, quemadmodum futura sub conditione , quæ sunt illius obiecta neque expectantur ab ea præcisè vt possibilia neque vt absolute futura, sed veluti medium quemdam statum habentia, scilicet veluti conditionatè futura, propter quod scientiæ illi nomen attributum est satis accommodatum , scientiæ conditionatæ aut scientiæ mediæ. Quod autem patronos illius vocamus modernos assertores scientiæ mediæ , non id ita accipiant velim , quasi nos existimemus scientiam futurorum conditionatorum esse nouitium commentum provt illam aliqui immerito appellant. Fateamur enim eam esse à sanctis Patribus agnitam , intellectam , traditam.* Hæc ille : deinde folio vltimo totius operis pag.1. sit scribit ipse Dola : *Assertores quoque scientiæ mediæ maximam omnino promereri laudem , quod euidenter ostenderint prædeterminationes physicas in vigore illo secundum quem à nonnullis defensoribus suis explicari solent , nequaquam esse tolerandas: & scientiam conditionatam omnino esse necessariam intellectui diuino infinitè perspicaci : præsertímque esse vtilissimam ad prudenter sancienda decreta prouidentiæ ac sapientiæ Dei.* Profectò, modestiæ causa numquam ego tantùm laudis deferrem scientiæ mediæ propugnatioribus , quantùm prædictis verbis Dola tribuit.

Id quod in assertoribus scientiæ mediæ Dolæ displicet, 23
est vsus huiusmodi scientiæ , quia illâ putant ipsius assertores, omnia, quæ ad nostram libertatem spectent , facilè componi , quod falsitatis plenum esse ait numero citato, ideoque prædeterminantes plurimum vtilitatis Theologis omnibus atque adeò toti Ecclesiæ attulisse dum fortiter obstiterunt ne scientia media existimata fuerit vniuersum negotium conciliationis libertatis nostræ & diuinæ innocentiæ & sanctitatis, aliásque difficultates affines explicari per eam posse.Porrò cùm hunc vsum scientiæ mediæ in illius assertoribus Dola improbare affirmet, placet in medium adducere quomodo eadem scientiá vtatur Dola', seu quam vtilitatem Deo huiusmodi scientiam afferre fateatur , & ad quid necessariam esse hiusmodi scientiam affirmat. Asserit in primis testimonio modo relato vtilissimam esse ad prudenter sancienda decreta prouidentiæ ac sapientiæ Dei. Deinde 1.part. cap.7. vt explicaret quomodo posset componi infallibilitas diuinæ prouidentiæ circa prædestinatos, & circa actus nostros liberos cum libertate nostræ voluntatis, concordiam hanc scientiæ mediæ beneficio fieri affirmat , quia cùm Deus per scientiam mediam cognoscat quid voluntas sit factura, si Deus hunc actum intendat,vel illum permittat:*Deus* (sunt verba Dolæ loco citato, numero tertio) *de actu nostro à se volito & intento erit securissimus,quia nullum efficaciter intendet actum, neque statuet permittere aut efficere,vt vllius actus à nostra libertate liberè fiat nisi quem iam ante & secundum rationem priùs per scientiam conditionatam præuiderat liberè à nobis esse producendum , si voluntas nostra in his vel in illis occasionibus poneretur.* Deinde paulò inferiùs. *Et sic patet qualiter admissa nostra sententia reformatóque illo principio Philosophico facile sit intelligere & explicare quomodo in eadem actione libera tam naturali,quàm supernaturali , duæ illæ conditiones & infallibilitatis & contingentiæ vnirí possint, quæ videbantur esse contrariæ, siquidem infallibilitas prouenit ex scientia conditionata Dei , libertas autem ex eo quod Deus neque prædeterminet voluntatem,neque cum ea concurrat proximè , &c.* Continent hæc verba totam medullam doctrinæ , quam tradit vniuersa nostra Societas de,scientia conditionata,de illius vsu, vtilitate, & necessitate : ad hoc enim nostri Authores illam in Deo exposcunt vt saluâ nostrâ libertate subsistat infallibilitas diuinæ prouidentiæ , quod verbis relatis defert Dola scientiæ conditionatæ. Hanc fuisse mentem omnium Doctorum nostræ Societatis dubitabit nemo,qui in illorum scriptis mediocriter fuerit versatus. Legatur noster Molina præcipuus huius scientiæ propugnator 1.part. quæst. 33. art.4.&5.disp.1.membr.11.§. *Et quidem Deus Optimus Maximus.* & quæst. 22. artic.1. disput. 2. Pater Suarez libr.1. de scientia cap. 7. in Opusc. lib. 2. de scientia conditionata cap.2. num.5. Pater Vasquez 1.part.disp.93. cap.1. §. *Porrò aliqua*, disput.98.cap.4.§.*Hinc sequitur.* Pater Lessius de auxiliis cap. 4. num. 16. Pater Erice tractat.3. disp. 22. cap.3. Pater Alarcon. tractat.2. disp.4. cap. 11. num. 2. & reliqui omnes nostri Doctores : qui in hac re neque in vnguè discrepant. Quod si apud illos non semel inuenies scientiam conditionatam necessariam esse ad nostram libertatem defendendam, non est quia sentiant formaliter ex vi huius scientiæ voluntatem liberam constitui cum aliquibus principiis, ex vi quorum omnino inuariatorum libera non esset hac scientia ablata , sed quia libertas voluntatis componi non posset cum infallibilitate Prouidentiæ diuinæ , ac proinde ne Deus se exponeret periculo frustrandi sua decreta,vel cæco modo plura media prouideret voluntati ad effectum, quem Deus decreuisset , vt si ex vi huius non consentiret ex vi illius annueret tenerétur Deus voluntatem regere mediis principiis ex se connexis cum effectu , quæ cum illius negatione antecedenter componi non possent , ex vi quorum tota voluntatis euerteretur libertas.

Discursum hunc pulchrè expositum doctissimus noster 24
Ruisius tomo de scientia disputat. 59. sect.13. num.11. his verbis , quibus rem totam prolatauit. *Licet conditionata scientia sit absolutè necessaria ad certitudinem prædestinationis , & voluntatis Dei,ne patiatur periculum frustrationis , nihilominus ad consequendum effectum prædestinationis , vel potius vt iste homo qui prædestinatus est,sit vel aliter operetur, non requiritur conditionata scientia formaliter vt præsentia est.Cuius*

ratio

vatio à priori est, quoniam vt arbitrium concipiat liberam volitionem, satis est voluisse. Deum tribuere omnia principia, siue naturalia siue supernaturalia iuxta exigentiam talis volitionis, & ex parte sua paratum obtulisse concursum necessarium, ita vt per Deum non stet, quominus arbitrium operetur. Hæc autem omnia sufficerent, vt arbitrium operaretur, nec illis omnibus præscientia conditionata superaddit aliquam virtutem actiuam, sed tantùm addit certitudinem per media, quoniam præuidet quid operaturum esset arbitrium. Hæc Ruisius quibus alia plura similia potuerit Dola legere, & deprehendere totum scientiæ mediæ vsum, quem illius Assertores propugnant ab ipso Dola admitti, & tradi toto suo opere, illoque præcipuè indigere præ cæteris omnibus authoribus, vt doctrina, quam hoc opere tradit possit componi cum infallibili Dei prouidentia, siquidem minus concursus physici respectu nostrarum actionum Deo tribuit, quàm prædeterminantes & scientiæ mediæ Assertores, aduersus quos totam suam disputationem instituit. Quomodo autem ad defendendum concursum simultaneum voluntatis scientia conditionata tantùm prærequiratur modo explicato, quem admitttit Dola antequam huius disputationem legissem, scripseram iam punct. 4. numero 43.

25 Displicet etiam Dolæ obiectum scientiæ mediæ, quod illius propugnatores assignant ad hunc concursum simultaneum componendum cum libertate. Quæ difficultas originem trahit ex eo, quod videatur concursus iste libertati aduersari, quomodo autem cum libertate rectè componatur ostendo P. 4. Insuper controu. 7. de Anima P. 6. numer. 7. paucis trado quomodo assignandum sit obiectum scientiæ conditionatæ Dei secundùm diuersas opiniones, efficaciter suadeo difficultatem in hoc obiecto assignando non ex hac materia procedere, sed totam originem trahere ex principio, quod in statu absoluto præcedit actum nostrum liberum: quod si semel cum libertate componatur, & vincatur difficultas in hoc principio absoluto cum libertate componendo, nulla erit in hoc obiecto scientiæ conditionatæ Dei assignando, de quo meum non est in hoc opere disputare, sufficiat principia Philosophica tradidisse, quibus in Theologia difficultates circa præsentem materiam possint componi, quod præstitisse puto hìc P. 4. & Contr. 7. de anima P. 6. n. 7. ideo non amplius in hac re immorandum est, quia nihil lego apud Dolam quod vel leuem ingerat difficultatem.

26 Circa præcipuam quæstionem, quâ intendit Dola Deum non concurrere immediatè ad actus nostros liberos, non multùm cum illo contendam, quia in toto opere argumentum nullum inuenio pro sua sententia, quod in his, quæ scripseram in hoc Punct. & P. 4. antequam hunc authorem legissem solutum non sit, aut facilè solui non possit: adducam illico duo fundamenta, quibus vnicè sua initur sententia, & solutiones referam, quas adducit rationi, quâ stabiliuimus Deum necessariò concurrere cum omnibus causis secundis concursu simultaneo identificato cum concursu causæ secundæ. Antea vero quàm ad hæc perueniam placet aduertere plures Doctores pro sua sententia Dolam congessisse, part. 4. à cap. 3. vsque ad 8. de quorum mente longum esset sigillatim disputare, tantùm assero plerosque tantùm asserere Deum non esse causam actionis peccaminosæ formaliter, quatenus hæc fundamêtum est malitiæ moralis, quia hæc non fundant malitiam vt procedentem à causa prima, à qua secundùm totâ suam entitatem physicam physicè producitur, sed quatenus procedit à causa secunda. Vnum præ omnibus impatiens fero annumerari à Dola, ac si assereret Deum non immediatè concurrere cum voluntate concursu immediato, & identificato cum concursu eiusdem voluntatis: Is est eruditissimus noster Didacus Ruiz à quo suam sententiâ frustrà conatur extorquere Dola 4. part. capit. 8. numer. 5. §. *sane iste author.* Discursus Dolæ hic est: Asserit docuisse nostrum Ruisium variis in locis concursum Dei eumdem esse cum concursu creaturæ, existimat tamen oppositum docuisse, vel saltem doctrinam tradidisse, ex quo oppositum inferatur tomo de scientia Dei disputat. 59. sect. 1. concl. 1. numer. 6. vbi hæc habet; *Physica prædeterminatio non continetur expressè in Scriptura sacra, neque definitur à summis Pontificibus, sacrisque Conciliis, neque traditur à Patribus Ecclesiæ: imo potius hæc omnia si bene considerentur, efficaciter probant possibile esse actualiter dissentire etiam in sensu composito cũ concursu primæ causæ, atquem otione diuina.* Ex quibus verbis sic argumentatur. Concursus Dei potest cõponi cũ dissensu, & disiungi à consensu voluntatis: ergo concursus Dei distinguitur à concursu voluntatis, quia idem à seipso nequit disiungi. Nescio quo fine argumentum instituit Dola cùm ipsum non lateret nomine concursus Dei sæpè non intelligi concursum in actu secundo, quem identificatum esse cum concursu causæ primæ contendimus, sed concursum in actu primo, hoc est, causam ipsam vt paratam ad concurrendum, de qua agit Ruisius, & quam distingui à concursu in actu secundo admittunt omnes. Solutionem hanc Dolam non latuisse, neque illius doctrinam ab illo posse negari, ipsius testantur verba cap. 2. num. 5. quæ iam do: *Concursum dixi in actu secundo, siquidem qui hac distinctione concursus in actu primo & in actu secundo vti solent appellant concursum in actu primo causam ipsam vt paratam ad concurrendum. seu ipsam animi præparationem, si sermo sit de agenti intellectuali, qua præparatione animi causa est proxime dispositа ad operandum.*

Totum fundamentum quod adducit Dola ad negan- 27
dum concursum immediatum Dei cum causa secunda, est non posse concursum istum componi cum libertate voluntatis & sanctitate Dei, siquidem ex vna parte læderetur libertas, & ex alia actio peccaminosa Deo tribuetetur & posset dici author peccati. Quomodo concursus iste possit componi cum libertate latè tradam Punct. 4. vbi explicabo modum, quo causa prima cum secunda libera concurrat. Et ex hoc concurrendi modo facile constabit peccatum Deo non esse imputandum, siquidem concurrit ad materiale illius determinatus à voluntate, quæ se liberè determinat ad talem actum, cum qua Deus concurrit, vt stet muneri causæ primæ; quomodo autem causa secunda primam determinet, & in quo sensu intelligenda sit hæc determinatio explico Punct. 4. citato.

Innumera argumenta adducit Dola contra conclusio- 28
nem, quam propugnandam suscepit, quibus authores nostrum concursum simultaneum probare intendunt, quorum nonnullis satisfecisse non inficior, quia ad conclusionem quantumuis certam & euidentem probandam adduci possunt plura argumenta, quibus neque probabilis apparet, quomodo verò respondet argumentis à me adductis, quibus firmius innititur nostra conclusio, & quibus ad illam stabiliendam præcipuè vtuntur authores, iam subiicio

Ad argumentum adductum n. 6. quo probabam Deum immediatè influere in effectum, quia aliàs non posset illum impedire, quod est absurdum, respondet Dola 4. parte capite 19. numero 7. Deum posse impedire actionem causæ secundæ destruendo illam, aut virtutem agendi, quam habet. Secundò respondet posse Deum impedire actionem causæ secundæ immittendo illi qualitatem incompossibilem cum actione & stupefactiuam virtutis agendi. Rursus ait forsan posse actionem impediri à Deo non conferendo illi virtutẽ qua se possit determinare ad singularitatem indiuiduationis actionis, qua determinatione non præstita causa secunda nihil operabitur. Rursus posse Deum impedire actionem voluntatis eam diuertendo ad alia obiecta; aliove modo posse impediri actionem à Deo, augendo resistentiam passi, si sermo sit de actionibus, quæ transeunt in subiectum capax resistentiæ. Vltimò posse à Deo impediri actiones, si dicatur has dependere à permissione diuina.

Ex omnibus modis hunc vltimum, qui probabilitatis 29
aliquid habere posset, impugnaui num. 7. Modus alius, quo Deus dicitur posse impedire actionem non determinando indiuiduationem illius sustineri nequit, quia ad conseruationem effectus iam producti non requiritur hæc determinatio, cùm iam sit causa determinata ad conseruandum effectum, quem produxit, & de hac conseruatione eadem est difficultas, ac de prima productione, quia sicut Deus potest impedire primam productionem, sic & conseruationem, & non minùs absurdè hoc, quàm illud Deo negaretur. Neque hæc solutio potest subsistere cum doctrina Dolæ, cùm ipse sibi obiecisset negato immediato concursu Dei non posse indiuiduationem effectus determinari à Deo, quia nullus superest modus, quo Deus determinet productionem, quæ ab ipso immediatè non procedit. Respondet 4. part. cap. 18. num. 6. hanc determinationem posse tribui non Deo, sed causæ secundæ his conditionibus affectæ. Primus modus impediendi actionem destructâ causâ sufficiensnon est, non enim tutè dicetur Deum non posse conseruata

causâ impedire effectum ab illa producendum. Reliqui alij modi per qualitatem ſtupefactiuam actionis, per augmentum reſiſtentiæ paſſi, vel per diſtractionem animi ad alia obiecta, indigne Deo tribuuntur, nimis enim illius omnipotentiæ derogatur, ſi non valeat effectus poſitiui productionem impedire, abſque aliûs effectus actione poſitiuâ.

31 Ad argumentum adductum n. 11. quo probabâ effectum dependere à Deo per eamdem actionem, qua dependebat à cauſa ſecunda, quia actio cauſæ ſecundæ vtpote creatura, à Deo dependere debebat; reſpondet Dola part. 4. c. 17. n. 5. fieri poſſe non ſolùm actionem non dependere à Deo immediatè, verùm etiam poſſe dari cauſam ſecundam, quæ dum alium producit effectum, non dependeat immediatè à Deo, ſed tantùm mediatè, & remotè, nimirum mediante aliâ cauſâ ſecundâ. Hæc ſolutio impugnãda eſt ex eo, quod Deus non potuerit effectum productum corrumpere, ſeu non productum impedire, quin deſtrueret non ſolùm cauſam proximam, à qua dependebat, ſed etiam cauſas remotas, quouſque peruenirent ad illam, in quam Deus immediatè influebat. Quæ impugnatio coincidit cum illa, quam adhibui argumento præcedenti, licèt plus abſurdi extorqueat ab oppoſita ſententia, ex qua deducit non poſſe Deum aliquem effectum deſtruere abſque alia maiori opera, videlicet abſque corruptione plurium cauſarum.

PVNCTVM II.

An prima cauſa determinet ſecundam ad indiuiduationem effectus.

1 OMnis cauſa neceſſaria determinata eſt per ſuam naturam ad ſpeciem effectus naturaliter producendi; ita vt, ſi ignis aliquid producat in paſſo approximato effectus productus ſit calor; & non frigiditas: ex ſe enim ſubſtantia ignis petit producere calorem, & non frigiditatem; quam nequit ſua attingere actiuitate. Cum hac determinatione quoad ſpeciem, eſt alia indifferentia quoad indiuiduationem; ignis enim, qui petit calorem, & non frigiditatem producere, indifferens eſt, vt producat hunc, vel illum calorem, ex omnibus, quos in ſua actiuitatis continet ſphæra. Hæc indifferentia determinanda eſt ab aliqua circunſtantia, ſeu comprincipio ab igne diſtincto, in cuius cognitionem conſtituitur diſputatio. Dixi cauſas neceſſarias determinatas quoad ſpeciem effectus naturaliter producendi; quia ſi effectus eſſet ſupernaturaliter producendus per potentiam obedientialem tunc determinatio quoad ſpeciem non à cauſa naturali, ſed à Deo illam eleuante procederet, verbi gratia, ſi aqua haberet potentiam obedientialem ad producendum habitum charitatis, & habitum fidei, dum hîc, & nunc habitum charitatis à Deo eleuata produceret, determinatio quoad ſpeciem à Deo eleuante procederet; ideo enim produceret habitum charitatis, potiùs quàm fidei habitum, quia Deus illam eleuaret ad hunc habitum, & non ad illum. Oportet etiam aduertere determinationem quoad ſpeciem tribuendam eſſe principio adæquatè actiuo neceſſariò, non inadæquato: quia potentia viſiua indifferens eſt ad producendas viſiones ſpecie diſtinctas circa obiecta diuerſa; cuius indifferentia determinatur per aliud comprincipium, videlicet ſpeciem impreſſam; qua poſita non poteſt potentia viſiua vltra certam, & determinatam ſpeciem viſionis ſe extendere. Cauſa libera non ſolùm indifferentiam habet quoad exercitium; ſed etiam quoad ſpeciem effectus producendi: voluntas enim ſæpè eſt libera ad amandum, & odio habendum: quæ libertas intrinſece includit indifferentiam ad actus amoris, & odij ſpecie diſtinctos. Hæc indifferentia, quoad ſpeciem actuum ab ipſa voluntate determinatur: aliàs libertatem non haberet quoad ſpecificationem; illius enim eſt libertas, cuius determinatio indifferentiæ. Solùm impræſentiarum examinandum ſupereſt: à quo proueniat determinatio quoad indiuiduationem effectuum, tam in cauſis creatis liberis, quàm in neceſſariis?

2 Pater Vaſquez tom. 1. in 3. part. diſp. 74. cap. 7. numer. 46. affirmat, cauſas omnes naturales determinari quoad indiuiduationem effectuum, quos producunt, à circunſtantiis extrinſecis; ita vt in hoc tempore, in hoc loco, & in hoc paſſo, neceſſario ab hoc agente, procedat hic numero effectus, & hæc numero actio. De actionibus liberis aſſerit in fine diſputationis n. 53. voluntatem eſſe omnino liberam, non ſolùm quoad ſpeciem actus, ſed etiam quoad indiuiduationem. Indiuiduationem effectuum non prouenire ab his circunſtantiis; ſed à Deo parante concurſum ad hunc numero effectum, potiùs quàm ad illum, docuerunt Gregorius de Arimino in 1. diſt. 17. à 2. ad 7. & d. 25. q. 1. art. 1. P. Suarez in Metaph. diſp. 5. ſect. 3. n. 34. & ſect. 6. à n. 6. Conimbr. 2. Phyſic. c. 7. q. 15. art. 2. & 2. de generat. c. 11. q. 1. art. 3. Fonſec. 5. Metaph. c. 2. q. 9. ſect. 10. Rub. tract. 4. q. 9. num. 3. Hurtad. diſp. 10. ſect. 4. Arriag. diſp. 1. Metaph. ſect. 3. ſubſect. 9.

Acquieſco huic poſteriori ſententiæ; patienter autem 3
non fero, illam intendere probare Arriagam ex principiis noſtri Vaſq. qui oppoſitam defendit. Sic argumentatur Arriaga loco citato. Angeli ſolo numero diſtincti potuerunt produci à Deo ſub eiſdem circunſtantiis temporis, & loci; imò qui producti ſunt in hoc tempore, & in hoc loco potuerunt produci in alio: quod adducit ex Vaſq. tom. 2. in 1. part. diſput. 124. num. 14. & diſput. 181. cap. 3. ex quo infert Arriaga alios effectus videlicet cognitiones Angelorum, & productiones formarum materialium potuiſſe alio tempore produci. Porrò difficultatem hanc non admodum attentè eſt meditatus Arriaga; qui ſolutionem luce clariorem non vidit, quam breuiter ſubiicio. Determinatio circunſtantiarum conſtituit Vaſquez in ordine ad rationem effectuum, ad quam cauſæ non ſe valent determinare, vnde circunſtantiæ non determinant calorem vt producat calorem, potiùs quàm frigiditatem, quia calor ex ſe determinatus eſt ad calorem producendũ: determinant verò hæ circunſtantiæ (loquor in ſententia Vaſquez) calorem producentem ad hanc numero caloris productionem, ad quam ſimul, & alias eiuſdem ſpeciei calor erat indifferens. Ex hac doctrina productio Angeli in doctrina Patris Vaſquez non determinatur quoad indiuiduationem, ratione circunſtantiarum: quia cum illius principium effectiuum ſit Deus, qui apprimè nouit vltimam indiuiduationem cuiuſcumque Angeli, & cuiuſuis productionis Angelicæ, valet ſe determinare ad hunc numero Angelum, & hanc numero Angeli creationem, per actum, quo dicat volo creare hunc numero Angelum per hanc numero creationem. Et ſicuti voluntas creata non determinatur ab aliquo extrinſeco ſecundùm rationem effectus ad quam ſe determinare valet: ita neque Deus determinatur ab extrinſeco ſecundùm aliquam rationem ad effectum ab ipſo producendum; quia ipſe valet ſe determinare ad omnem rationem effectus per actũ voluntatis, quo imperet omnipotentiæ non tantùm creationem Angeli quoad ſpeciem; ſed etiam hanc numero creationem. Hac ſolutione ſatisfacio Hurtado aſſerenti ſecundùm hanc ſententiam fore Angelos Autumnales, qui tempore Autumno poterunt produci, ſicuti ſunt caſei Auguſtales, & fructus verni, & hyberni; Angelorum enim cauſa libera quoad indiuiduationem effectus, quem producit independenter à quibuſcumque aliis circunſtantiis, ſe determinat ad hunc Angelum ex vi huius actionis præ aliis creandum.

Neque placet argumentum, quod contra hanc opinio- 4
nem facit omnium ferè recentiorum turba, videlicet Beatiſſimam Virginem meruiſſe ex Chriſti meritis acceleratione incarnationis, & hoc tempore concipi ipſum Chriſtum, qui iam ſupponebatur futurus: quia licet hoc argumentum rectè probet potuiſſe Chriſtum hoc, vel illo tempore concipi potentia abſoluta (idem dico de quolibet alio effectu) non probat, has circunſtantias loci, & temporis non exigere hanc numero productionem; contra quam exigentiam poteſt Deus, quemcumque hominem, in quocumque tempore, producere.

Sentio voluntatem creatam non poſſe ſe ipſam deter- 5
minare ad indiuiduationem actus, quem producit. Probant ferè omnes concluſionem hac ratione. Intellectus non cognoſcit rationem indiuidualem huius actus amoris: ergo ratio indiuidualis actus, vt diſtincta ab omni alio actu indiuiduo tendẽte circa idẽ obiectum, non eſt libera voluntati. Nõ acquieſco rationi: contra quã ſic argumentor. Ad hoc, vt actus ſit liber, non requiritur cognitio actus, qui formaliter in ſe liber eſt; ſed tantùm cognitio obiecti, vt patet in volitionibus liberis, quas tantùm præcedit cognitio obiecti voliti: ergo ex eo quod ratio indiuidualis

actus

actus non cognoscatur, non infertur non posse esse liberam respectu voluntatis. Rem confirmo, & rationem vrgeo. Ratio specifica amoris, vt distincta ab odio, & intensio actus liberè exercentur respectu voluntatis, intellectu non cognoscente rationem specificam amoris, neque illius intensionem: ergo ex eo quod intellectus non cognoscat rationem indiuidualem actus, non infertur hanc non esse liberam. Deinde etiamsi indiuiduatio omnium actuum cognosceretur expresse, & distincte à voluntate, nihilominus voluntas non valeret se determinare circa omnium indiuiduationem, quod sic probo. Cognitio, qua ego cognosco meum actum charitatis, verbi gratia, erga Deum immediatè, & per se non conducit, vt ego exerceam actum charitatis, quia hîc tantùm regitur cognitione, qua proponitur illius obiectum, scilicet Deus, vt bonus: ergo tantùm potest conducere, vt ametur talis actus charitatis per actum reflexum imperantem, quo ego dicam: *Volo elicere talem numero actum charitatis*, ex vi cuius imperij eliciatur hic numero actus charitatis: ergo cognitio indiuiduationis tantùm potest conducere, vt imperetur à voluntate: ergo indiuiduatio, ex eo quod cognoscatur, tantùm potest esse libera, quatenus potest esse volita, & amata per actum reflexum imperantem talem indiuiduationem actus: ergo indiuiduatio actus voluntatis, quæ non procedit ab illo actu reflexo illem imperante, etiamsi cognoscatur non potest esse libera respectu voluntatis: sed non possunt omnes actus indiuidui voluntatis procedere ab alio actu reflexo: ergo si illorum indiuiduatio expresse cognosceretur ab intellectu, non posset esse libera. Non posse omnes actus indiuiduos voluntatis procedere ab alio reflexo imperante manifestè probatur; quia si actus procedit ab alio imperante, alius ille imperans vel procedit ab imperante, vel non; si procedit, pergo vlterius, & de illo, à quo imperans imperatur, inquiro, an imperetur ab alio? Donec veniam ad aliquem non imperatum, quem si non inuenero, in infinitum abibo; de illo ergo non imperato dici non poterit aliquid conducere cognitionem suæ indiuiduationis vt voluntas liberè se ad illam, præ aliis tendentibus in idem obiectum, determinet.

6 Desiderabis rationem, propter quam voluntas potens se determinare ad speciem, & intensionem actus, non possit se ad illius indiuiduationem determinare: illam accipe. Ad illud valet voluntas se determinare, ad quod trahitur in actu primo ab obiecto, & ad quod ex vi cognitionis allicitur, & inuitatur: cognitio autem bonitatis inuitat, & allicit voluntatem ad amandum, & non ad odio habendum; & ita voluntas ex vi cognitionis, quæ repræsentatur obiecti bonitas, inuitata ad amandum, valet se determinare ad amorem; quod est determinare se ad specificationem actus. Idem dico respectu intensionis: quia bonitas obiecti voluntatem trahit ad amorem, & quo maior est illa, & viuacius proponitur, trahit ad maiorem, seu intensiorem amorem; ad quem inclinat cognitio bonitatis, & ita voluntas inuitata per cognitionem ad totam intensionem amoris, quam potest elicere, ex vi talis cognitionis, valet intra illam intensionem, se determinare ad plures, pauciores ve gradus amoris, etiamsi illorum intensionem, aut specificationem non cognoscat. Respectu indiuiduationis hæc ratio non habet locum: quia nulla apparet ex parte obiecti bonitas, vel formalitas, quæ petat amari hoc indiuiduali actu amoris, & non alio eiusdem rationis, neque ex obiecti meritis (vt sic loquar) illi debetur talis numero actus amoris, vt distinctus ab omni alio, ex meritis autem obiecti boni, seu rationis formalis terminantis actum amoris, debetur amoris actus, vt distinctus ab actu odij, & debetur amor in tanta intensione, salua libertate voluntatis, quæ potest obiectum, quod ex vi repræsentationis, qua obiicitur, petit amari amore intenso, vt sex, ad quem inclinat illius repræsentatio, amare actu intenso, vt quatuor, vel tantum vt duo, seu in quacumque intensione contenta infra maximam, ad quam se potest extendere ex vi bonitatis propositæ, seu cogoitionis inclinantis ad amorem. Ex hoc inferes rationem, propter quam voluntas non potest se determinare ad indiuiduationem actus esse, quia nulla apparet formalitas in obiecto volito, quæ inclinet ad hanc indiuiduationem actus, vt distinctam ab omni alia eiusdem speciei.

7 Danda est vltima determinatio indiuiduationis effectus procedentis à causa creata, Deo, qui causam necessariam determinatam quoad specificationem, & liberam se determinantem ad speciem effectus, determinat ad hanc indiuiduationem effectus, & actionis, vt distinctam ab omni alia eiusdem speciei. Moueor ad afferendum hanc determinationem prouenire à Deo, & non à circunstantiis; quia determinationem hanc posse à Deo procedere difficultate caret. & vix concipi potest, quomodo ab aliis circunstantiis possit procedere; quod sic ostendo: Si tempus determinat hûc numero effectum, inquiro; quis determinat hoc numero tempus: seu hunc numero cæli motum, potiùs quàm illum? Si dicas tempus imaginarium; clarè impugnaberis; quia hic numero cæli motus potuit esse in hoc vel in illo imaginario tempore eo modo, quo dicitur motus esse in tempore imaginario. Fortiùs: tempus imaginarium nihil est reale; sed tantùm purum figmentum: quomodo ergo valebit determinare indiuiduationem effectas realis, & positiui? Deinde de circunstantia loci inquiro; quæ ista sit? an locus extrinsecus? hic non; quid enim mea hoc, vel illo aëre ambiri? hac vel illa tegi veste ad hanc numero volitionem, & non aliam ab hac distinctam producere? Si dicas esse locum intrinsecum, seu præsentiam; rursus teneberis alias circunstantias assignare, quibus hæc quoad indiuiduationem determinetur. Recurres ad spatium imaginarium loci, quod eodem modo reiicitur, ac spatium imaginarium temporis. Deinde licèt corpus non possit habere in alio spatio præsentiam, quam in isto habet; potest tamen in isto hanc, vel illam habere; homo enim, qui ab hoc spatio discedit, etiamsi ad illud redeat, non eamdem numero præsentiam acquirit; sed aliam numero distinctam, aliàs idè numero effectus reproduceretur, præcipuè in corporibus cœlestibus, quæ sæpe idem spatium remeant, & idem indiuisibiliter sumptum cum eadem indiuisibili correspondentia partium occupant, quod prius occupauerant. Video te de spatio imaginario loci, ad spatium imaginarium temporis fugientem, vt vim argumenti effugias: sed imaginaria satis est solutio, quæ ab imaginariis desumitur. Et sanè percipi non potest: quomodo circunstantiæ adeò extrinsecæ possint hanc præstare determinationem: neque vlla est positiua ratio, quæ id suadeat, ex quo non leue desumitur fundamentum pro nostra sententia.

Rursus argumentor pro sententia tradita: Deus est causa libera omnium effectuum, quos producit vt causa prima cum causis secundis, & necessariis: ergo sicut causa libera creata determinat effectum secundùm rationem, quam potest determinare, causa libera increata determinabit eumdem effectum secundùm rationem, quam potest illum determinare, salua libertate causæ liberæ creatæ, & determinatione causæ necessariæ: sed Deus potest determinare indiuiduationem effectus saluâ libertate causæ liberæ creatæ, & determinatione causæ necessariæ: ergo illam determinabit. Sola pars illa minoris, quæ asserit Deum posse determinare indiuiduationem volitionis, saluâ libertate voluntatis, quam aliqui negarunt indiget probatione, illam exhibeo. Circunstantiæ temporis, & loci secundùm communem sententiam non tollunt libertatem, etiamsi determinent indiuiduationem effectus: ergo neque Deus libertatem auferet, si idem præstet, sicuti enim determinatio, quæ est à Deo non est à voluntate: sic determinatio, quæ esset à circunstantiis non proueniret à voluntate: ergo sicuti hæc non esset contra libertatem voluntatis, ita neque illa. Secundò etiamsi voluntati liberum sit amare, vel non amare, non est illi liberum ex suppositione, quod liberè sit amatura amare hoc numero actu, potiùs quàm alio eiusdem rationis specificæ tendente in idem numero obiectum: ergo determinatio quoad hanc indiuiduationem non potest esse contra libertatem voluntatis, determinatio enim actus secundùm rationem, qua liber non est respectu voluntatis, non potest huius lædere libertatem. Secundò modus, quo Deus determinat voluntatem ad hanc numero volitionem, est parando concursum indifferentem, vt voluntas eliciat, vel non eliciat hunc numero actum, & non parando similem concursum indifferentem, vt voluntas eliciat, vel non eliciat hunc numero actum, & non parando similem concursum ad alios actus eiusdem rationis, qui possent ex eisdem principiis huius loco procedere: ex quo infertur, quòd si voluntas sit operatura pro sua libertate, hunc actum eliciat, & non alium salua illius libertate ad hunc eliciendum, & non eliciendum: ergo determinatio indiuiduationis volitionis præstita à Deo nullo modo lædit libertatem voluntatis.

8

9 Obiicies, sequi ex nostra sententia Deum esse causam, vt sit potius hoc peccatum, quàm illud: quod est absurdum. Respondeo, Deum nullo modo esse causam malitiæ peccati: ac proinde non esse causam, vt potius sit hæc malitia, quàm illa, neque Deo tribuitur, vt hic, & nunc sit numero actio materialis peccati; quia Deus non positiuè determinat illius existentiam; sed parat concursum indifferentem ad illam, quem non præbet ad aliam existentiam eiusdem rationis: ac proinde Deo tribui potest negatio existentiæ aliùs actionis materialis peccati, quia non præstat concursum indifferentem ad illum, sine quo fieri nequit: existentia verò huius actionis materialis causæ secundæ tribuenda est; quia hæc tantùm illam determinat offerente Deo concursum indifferentem ad actionem peccaminosam exhibendam, & non exhibendam. De hoc iterum latiùs, & opportuniùs redibit sermo Punct. 4. §. 5. à num. 46.

10 Obiicies præterea: Causa prima determinat effectus quoad indiuiduationem: ergo quoad speciem; quia indiuiduatio, & ratio specifica effectus non distinguuntur. Alio modo solet ex eodem principio obiici. Causa secunda determinat effectum quoad specificationem: ergo quoad indiuiduationem; quia specificatio, & indiuiduatio in effectu non distinguuntur. Hoc argumentum æquè procedit in sententia, quæ determinationem indiuiduationis tribuit extrinsecis circumstantiis. Respondeo indiuiduationem, & speciem à parte rei non distingui in hoc indiuiduo; & causam determinari quoad speciem esse idem, ac determinari quoad plura indiuidua sub disiunctione, hoc videlicet, vel illud, ex quibus Deus vnum determinat; qui non dicitur determinare rationem specificam; quia quodcumque quod determinaret, ex his, ad quos causa secunda sub disiunctione est determinata, eiusdem esset speciei cum hoc, quod determinat.

Punctum III.

De physica prædeterminatione.

1 NOn disputo modò, an physica prædeterminatio libertatem lædat? vel an requiratur ad actus liberos salutares, ex speciali prouidentia Dei erga prædestinatos? hoc enim ad Theologum attinet; sed an præcisè ex modo physico, quo effectus producitur, necessariò sit constituenda, nécne?

§. I.

Vtráque sententiâ proposita, verior eligitur.

2 STatuimus iam strictissimam dependentiam, quam habet causa secunda à prima, non solùm vt existat, verùm etiam vt operetur, ex vi cuius nihil potest causa creata producere, Deo non concurrente cum illa ad effectus productionem. Indagandum est modò, an Deus tantùm concurrat cum creatura concursu simultaneo per actionem indiuisibiliter dependentem à causa prima, & à causa secunda? an verò concurrat per præuisam aliquam præmotionem, seu qualitatis infusionem, ex vi cuius causa determinatur ad operandum?

3 Vniuersa Thomistarum schola, vt viam sterneret ad alia Theologiæ altiora, præter concursum comitantem causæ primæ cum secunda, antecedentem, seu præuium alium his temporibus inuenit, quem acerrimè propugnat; asseritque necessum esse aliquid produci à Deo in causa secunda, quod huius operationem præcedat, & prædeterminet, ex vi cuius causa secunda prædeterminetur ad operandum. Hic concursus præuius variis nominibus à Thomistis nuncupatur. Quidam illum appellant physicam prædeterminationem; alij præmotionem; alij qualitatem prædeterminantem; alij impressionem; alij complementum. Tota Societatis schola qualitatem hanc totis viribus reiicit. Vtriusque scholæ Doctores abundè apud quemlibet reperies; ideò nullum refero: tantùm moneo nullum ex nostræ Societatis auctoribus non illam abundè impugnasse: ex illustrissima verò Dominicarum familia nullum, ante Bañez qui huius prædeterminationis fuit primus parens, illam docuisse, & post hunc illam abiurasse Aluelda disput. 58. & disput. 6. membr. 2. & M. Fr. Laurent. Gutierrez vir miro ingenio præditus, excellénsque doctrinâ, vehementer semper hanc prædeterminationem stomachatus est, & M. D. Fr. Antonius Viezma Episcopus Petrensis, & postea de Almeria, qui diu primarius Cathedræ Theologiæ, magno huius Complutensis Vniuersitatis plausu, fuit Professor, numquam materias de gratia, scientia, & prædestinatione scripsit, neque verbo explicauit, ne in hanc prædeterminationem, contra propriam mentem prædeterminatus, incideret, vt sæpe nostris ipse testatus est.

4 Antiquos omnes discipulos D. Thomæ pro nostra sententia esse & physicam prædeterminationem, quam modò Thomistæ moderni defendunt, neque à longè salutasse optimè ostendit noster Ruicius tomo de scientia disp. 49. sect. 6. vbi ostendit clarissimis testimoniis S. Antonini, Ægidij, Romani, Rainerij, Paludani, Capreoli, & Cajetani, Dezæ, Conradi, & Holcot, etsi in Nominalium classi annumerati ex illustri Dominicanorum familiâ testimonijs horum doctorum referendis abstineo, quæ apud Ruicium legi poterunt.

5 His, & aliis fundamentis munitis scripsi Magistrum Bañez primum fuisse parentem physicæ prædeterminationis, quod anteà notarunt nostri Recentiores, & postea Typis mandauit Ripalda tom. 2. de ente supernaturali lib. 5. disp. 113. sect. 4. n. 9. contra vtrumque insurgit nouus quidam his verbis: *Eam tuentur* (scilicet physicam prædeterminationem) *omnes S. Thomæ discipuli nullo, quem sciam dempto. Quia tamen sunt, qui absque vllo fundamento ausi sunt affirmare: imo & scribere, & typis mandare, quod primus Author huius sententiæ fuit M. Bañez, & quòd eam postea abiurarunt Magister Aluelda, & M. Araujo, & alij Patres Magistri Primarij Complutenses, & Salmanticenses in gratiam veritatis vtrumque mendacium paucis, sed euidentissimis conuincere refellam Authorum testimonijs.* Modum loquendi huius Religiosi corrigere suorum Prælatorum erit, meum tantùm esse volo ostendere meum, & Ripaldæ assertum verissimum esse, neque testimonium aliquod ab hoc Recentiori adduci, quo vel in minimo nostram veritatem suspectam reddat, singula ab ipso adducta referam ostendamque illibatam nostram veritatem relinquere. Prælud. 4. Controu. 2. art. 2. n. 31.

6 Primo loco hæc Capreoli verba adducit, 2. dist. 5. quæst. 2. *Deus est causa non solum naturæ, sed etiam cuiuslibet actionis creaturæ, quatuor modis, videlicet dando virtutem, eam conseruando, & inquantum mouet ad agendum, & denique prout quodlibet agens est instrumentum diuinæ virtutis operantis.* Nescio in quo ex his verbis euidentiam sui intenti Magister iste reperiat, ex quo physicam prædeterminationem deducat. Deum dare virtutem, & eam conseruare cum prædeterminatione non concernit. Applicare virtutem ad agendum sine prædeterminacione ex diuersis capitibus cognosci poterit, quia Deus causam conseruat, & expeditam facit ad agendum, & quia suam omnipotentiam applicat ad concurrendum cum illa. Denique causam esse instrumentum Dei dicit causam operari per virtutem à Deo acceptam, atque productam, & hanc non posse operari Deo cum illa non operante.

7 Subdit ex eodem Capreolo, *causa conferens, & conseruans virtutem, cuiuslibet agentis secundi mouens illam ad operandum, & eam suo affectui coniungens operatur in quælibet operatione agentis secundi, sed Deus est huiusmodi: igitur.* Concedo consequentiam, videlicet Deum operari in qualibet operatione agentis secundi; sed quid inde? Vnde physica prædeterminatio? Si eam in voce illa mouens inuenire vult; ostendam in ea non esse, & ita alibi quærendam.

8 Tandem hanc propositionem ex Capreolo subdit. *Dico, quòd simul tempore, sed priùs naturâ actio primæ causæ attingit effectus, quàm actio secundæ.* Ex mente Capreoli, Deus est causa actionis creaturæ producendo, & conseruando virtutem actiuam, vt constat ex testimonio prius adducto, conseruare autem, & producere virturem creatam prius naturâ est, quàm actionem à virtute procedere.

9 Debilia profecto sunt ista, vrgentiora dato. Audiat modernus iste Capreolum, quem suum patronum vocauit, pro me contra ipsum loquentem. Sic habet in 1. dist. 45. quæst. vnica ad quartum contra tertiam conclusionem. *Voluntas quantum ad exercitium actus, scilicet, vt velit, vel non velit determinatur à se ipsa: & illud, quo se ad hoc determinat, est actus eius determinatus.* Non clarioribus verbis potuit dici voluntatem se ipsam determinare per proprium suum actú; & ita ad hunc nullam illius determinationé supponi.

Deinde

10 Deinde in 2. dist.24. q.vnica art.3. inter medium, & finem ad quoddam argumentum. Voluntas quantum est de sua natura est ad oppositа. *Ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id quod vult, & ipsa non indiget alio determinante.* Verba, quæ adeo clarè principium à voluntate distinctũ determinans negant, explicatione non indigent.

11 Rursus idem Capreolus dist.25.sequentique vnica columna tertia,& quarta,ait. *Actus elicitus à voluntate contingenter, & euitabiliter euenit, & producitur à causa de se indeterminata, quæ potest seipsam determinare.* Videat modernus iste, quem Authorem suæ sententiæ vindicem inuenit, conferat testimonia, quæ ex eo pro mea sententia adduco cum his, quibus ille in suam trahere intendebat: agnoscétque melius illi fuisse huius Authoris non meminisse.

12 Secundo loco Caietanus adducit 1. parte q. 45. §. *Ad durandum* vbi affirmat: hanc propositionem esse veram. *Angelus, & omnis causa secunda non agit, nisi agatur à prima.* Explicui punct.3.n.27. quid sit causam secundam non agere,nisi agatur à prima: ostendique ex Angelico Doctore q.6. art. 1. ad secundum hoc tantum importare omnem causam secundam agere per virtutem à Deo receptam.

13 Tertio loco adducit Sauellum lib.6. Metaph. quæst. 11. ad primum,vbi ait, causa secunda non mouet,nisi in quãtum mouetur à prima. Iam euici apertissimis testimoniis Diui Thomæ & Caietani tantum hoc dicendi modo significari nullam causam secundam se mouere, nisi per virtutem à prima productam.

14 Tandem adducit Magistrum Bartholomæum de Medina 1.2.quæst.9. art.6. ad tertium, vbi hæc habet, *Res certissima est,voluntatem nostram nihil posse velle boni,aut mali, nisi prius moueatur à Deo ad operandum, sicut penicillus nihil potest operari, nisi prius à principali agente ad operandum moueatur.* Hoc verissimum est, verumtamen vnde locus ad probandum hanc motionem non esse per cognitionem indifferentem, sed per physicam prædeterminationem.

15 Extra Thomistarum classem refert Ægidium Columnã asserentem, prius attingere Deum quemlibet creatum, quam illum attingat creatura, quia Deus illum attingit sub ratione vniuersali entis,& creatura sub ratione talis entis. Sed hõc ad rem non est, quia tantum dicitur de prioritate vniuersalitatis ex eo,quod Deus producat omne ens, & causæ creatæ tantum possunt producere talia entia certa,& determinata, & non alia, neque aliud importat Deum producere effectus sub ratione entis, cum certum sit producere omnes rationes, quæ in quolibet individuo effectu continentur, omnesque eodem prorsus modo à Deo dependere.

16 His clauduntur testimonia omnia, quæ euidentissima promisit Modernus iste ad suum intentum probandum, quorum explicatione à me adducta, seu potius simplici illorum propositione satis propulsatam esse notam mendacij compertum est, clariusque constabit neminem ante Magistrum Bañez physicam prædeterminationem docuisse,neque vllum siquidem Authorem inuenire potuit nouus iste, quem legitimè pro ea adduceret.

17 Supereſt excutere aliam mendacij notam, quam idem Modernus mihi,& Ripaldæ imposuit ex eo, quod dixerimus Magistrum Araujo, & Magistrum Alueldam aliosque RR. Complutenses, & Salmanticenses physicam prædeterminationem abiurasse. De M. Arauxo nihil ego dixi, nec dicere potui,quia illius opus,post meum lucem vidit, veramtamẽ id veracissimè dixit Ripalda,cum physicã prædeterminationem prolem esse expositam ad fores Scholæ Thomistæ,vt à Thomistis, vel inuitis, & extraneis parentibus aleretur. Mag. Arauxo, nunc dignissimus Segouiensis Episcopus dixit, non secus inquit,1.2.q.111.art.5. dub.6. n.36. *Atque infans foribus Ecclesiæ exponitur, vt ab ipsa volente, nolente ve in curam, & tutelam recipiatur.* Iudicabam me profecto de physica prædeterminatione egregie meritum, dum illi nobilissimum Parentem Magistrum Bañez ad scribebam, quam expositam prolem ad Thomistarum valuas appellat dignissimus pariter, ac sapientissimus hic Præsul ex præclara ipsa Prædicatorum familia. Qui quidem n.40. & 41. latissimè hanc physicam prædeterminationem impugnat ex Trident. probátque libertatem euertere. Verba Authoris longius non profero, quia iste, cum quo disputo ausus non est negare, ita scriptum reperiri in libro scripto à Magistro Araujo, nequidquam aliud illi respondendum occurrit, quam asserere tractatum illum repertum in libro huius Authoris, illo viuente, & sciente, & volente, eiusdem Authoris non esse; sed ab alio elaboratum, qui in Bibliotheca communi adseruatur proprij Authoris nomine,& sapientissimus Magister Araujo cum suis imprimi permisit. Præsto fidem subleuanti meam, habeo iam duplicem patronum huius tractatus, in quo physica prædeterminatio ad fores Thomistæ scholæ expositа esse dicitur, vnum illum, qui tractatum hunc elaborauit, sub cuius nomine in Bibliotheca adseruatur communi; alterum doctissimum Mag. Araujo, qui tractatum istum approbauit, & adoptauit, & cum suis imprimi permisit.

18 Venio ad Albeldam, quem dixi physicam prædeterminationem abjurasse,quod inquit Magister iste nunquam se esse crediturum;non peto,vt credat,sed vt legat,& attendat. Audiat Albeldam 1. parte disp.58. sect.2. in initio sic proponentem physicæ prædeterminationis sententiam. *Aliqui ex iunioribus Thomistis ita explicant,diuinæ prædefinitionis circa actus nostros liberos bonos, vt dicant gratiam auxiliantem, præuenientem consensum nostrum esse qualitatem per modum actus primi inhærentem voluntati,semper intrinsecè perfectiorem, & alterius rationis, quam gratia auxilians,quæ datur ei,qui dissentit, etiam si sint inæqualiter tentati, asserunt enim qualitatem huiusmodi esse vltimate complentem potentiam voluntatis, & reducentem illam, quasi inchoatiuè de actu primo ad actum secundum, ac proinde necesse esse existimant, quod auxilium,quod est efficax in vno, etiam leuiter tentato intrinsecè,& ex natura habeat, quod sit efficax in quocumque alio, quantumvis grauissimè tentato:quia dicunt hanc esse naturam huius qualitatis,vt in quocumque supposito sit vltimum complementum potentiæ actiuæ reducens illam quasi inchoatiuè de actu primo, ad actum secundum.* E contra vero prosequitur explicando naturam gratiæ purè sufficientis eadem proportione. Sic proponit physicæ prædeterminationis sententiam, quam dicit esse aliquorũ iuniorum Thomistarum. Secundo loco proponit sententiam nostrorum Authorum,& postea ex propria sententia paulo ante num.10. sic habet. *Prædictæ tamen sententiæ veræ non sunt pro quarum impugnatione dico contra primam sententiam, non oportere, quod gratia præueniens, quæ in vno est efficax sit etiam efficax in alio maiori tentatione vocato,&c.* Rursus paulo ante num.11. contra eamdem sententiam sic habet. *Secundo probatur,quia ex opposita sententia sequeretur,quod auxilium efficax sit talis naturæ, vt voluntas nostra non possit illud abiicere, non solum possibilitate consequenti,sed etiam possibilitate antecedenti, seu quod idem est non solum in sensu compositos,sed etiam in sensu diuiso: (consequens dici non potest, quia contrariatur Tridentino session.6. c.5.* Postea n. 12. sic eandem sententiam insequitur. Tertio probatur, quia ex opposita sententia sequeretur non esse laudandos magis viros sanctos, qui de grauissimis tentationibus victoriam reportarunt, quam eos, qui solum vicerunt leuissimas, quæ argumenta ex nostris Authoribus mutuatus est Aluelda.

19 Subdit postea: sect.3. pag.709. n.36.cuius ordinem Typographus inuertit; posse dissensum componi cum auxilio efficaci,quo nihil longius à physica præmotione, sunt verba Albeldæ. *Ex quo colligo, quod non dicitur dissensus impossibilis in sensu composito libero arbitrio,sit excitato, hoc enim falsum est,nam cum liberum arbitrium sic excitatum sit proxime, & expedite indifferens ad vtrumlibet,alias liberum non esset,non implicat absolute poni dissensu cum illo sic excitato.* Dubitare Albeldam his in locis,& per totam disputationem impugnare physicam prædeterminationem, est media in luce cæcutire.

20 Obiicit Recentior iste Albeldam dixisse disp.6.necessarium esse Dei præuium concursum actualem in ipsas causas secundas. Id forsan dixit de decreto concurrendi,aut de modis illis concurrendi ad actiones causæ secundæ, quos Capreolus dixit Deum habere producendo virtutẽ, & illam conseruando, quod satis indicat ibi Albelda per hæc verba. *Oppositа sententia sicut communis est apud omnes Philosophos antiquos,ita certissima, & lumine naturali videtur nota.* Huc vsque ex Albelda retulit recens ille, & immediata verba subtricuit ad alia transiliens,vt sensum huius Authoris in fauorem physicæ prædeterminationis detorqueat. *Procuius declaratione,* (prosequitur Albelda) *supponendum est,quod in quacumque causa creata aliud est esse,aliud operari, ita etiam in illa duplex reperitur dependentia à prima causa, altera in essendo quando videlicet à Deo habet esse, vnde ab eo dependet in fieri, & conseruari. Alia vero est in causando, quatenus videlicet à concursu causæ primæ dependet concursus causæ secundæ. Vtramque autem dependentiam t[illegible] oppositо-ins.* Quod si alia obscura, & inuoluta in [illegible] Authore inueniantur,

inueniantur, quibus videntur sibi contradicere, aut consequenter non loqui, de hoc ego non curabo dum ostenderim clare, & manifeste Authorem hunc physicam prædeterminationem impugnare.

21 De Magistro Laurentio Gutierrez nihil habuit hic Author, quo probare contenderet eam physicam prædeterminationem defendisse, neque ego habebo, quo reuincam animositatem hominis, qui ea, quæ in libris scripta leguntur aperto negat, id certo mihi constat, quod cum in suo Collegio Sancti Thomæ quibusdam publicis disputationibus præesset anno 1613. & à Patre quodam è nostris argueretur de efficacia gratiæ Hispanè respondit. *No es mi ingenio para abrazar esas durezas, y nunca las pude entender.* Quæ verba inseruit postea P. Gaspar Hurtado veracissimus vir, in tractatu de auxiliis ipso Magistro in hac Vniuersitate residente, sciente, & consentiente; cuius tractatus copiæ hodie apud nonnullos extant, quod iterum ex hoc suggestu dictauit P. Ioannes Antonius de Vson, de illustriss. D. Fratre Antonio Viezma dixit abstinuisse semper à quæstionibus de efficacia gratiæ, & scientiæ mediæ cuius testes sunt quotquot in hac Vniuersitate illum cognouere, alibi addidi hoc fecisse, ne contra propriam mentem prædeterminationem cogeretur docere; hoc sæpe ab ipso audiui, & multis argumentis possem confirmare. Insinuare sufficiat doctissimum virum, dum adhuc Vniuersitatis Cathedram regebat à disciplina discipulorum domesticorum fuisse semotum, cuius loco suffectus fuit Magister Ioannes à sancto Thoma, vt suos physicis prædeterminationibus imbueret, quo doctissimus vir fuit coactus ad priuatam domum diuertere, qua à suis derelictus pauperrimam vitam degebat

22 Opponit nobis Magister iste: Patrem Enrriquez, & P. Pereira physicam prædeterminationem fuisse amplexatos, sed vtrumque iam ab hac impostura vindicauit Paulus Leonardus in suis responsionibus ad expostulationes contra scientiam mediam, sed ipsi de se loquantur sic habet Enriquez lib. de fine hominis cap. 4. vbi pro sua sententia illum refert Recentior iste, quod prius fecerat Aluarez lib. 6. responsionis cap. 1. n. 25. *Neque vlla ratio, aut authoritas cogit dicere, quod Deus actu libero prædefiniuit omnia futura conditionata nempe, quis effectus, aut qualis operatio sequeretur, si in tali, aut in alio statu, aut circunstantiarum concursu constitueret? nam hic actus in Deo videtur otiosus, & nihil facit ad rerū productionem, conseruationemque, aut decorem vniuersi.* Quibus valde distat à prædefinitionibus Thomisticis, sed clarius, & magis cap. 14. n. 9. vbi sic habet. *Si quis consideret speculatiue duos homines æquales in naturalibus bonis, in habitibus & causarum concursu, & eos moueri auxilio omnino æquali ex parte obiecti, & potentiæ non videtur implicare ex natura rei, vt vnus cooperetur, & conuertatur, altero non conuerso.* Doctrina hæc clare opponitur cum physica prædeterminatione.

23 Benedictus Pereira l. 8 phys. c. 9. sic scribit: *Si enim voluntas ita moueretur, vt ipsa se nullo modo moueret ad agendum determinaret omnis profectò meriti, & demeriti libertatis ratio funditus tolleretur. Sed quia Deus sic eam mouet, & ipsa nihilominus se ipsam moueat, & per suam deliberationem determinet ad agendum hoc, vel aliud quidpiam ob eam causam merito appellatur.* Expende verba illa *se determinaret, se determinet.* Per motionem autem Dei nihil aliud intelligit, quam dependentiā à Deo in operari, vt ipse statim explicat his verbis, *non enim intelligendum est voluntatem esse liberam omnino, ita vt à nullo dependeat, nullique subiiciatur, hac enim libertate solum Deum liberum esse cognoscimus.*

24 Iactat Recens iste Ferdinandum de la Bastida, qui Romæ pro sententia Societatis pugnauit, postea sui iuris factum Abulæ physicā prædeterminationem defendisse. Esto: sed quid nobis cum his, qui foris? Sed ne hanc gloriolam habeat Thomista moneo Bastida physicam prædeterminationem Abulæ defendisse intra claustra Dominicanorum in prælectionibus habitis pro laurea doctoratus, qua ab ipsis Dominicanis erat donandus. Quid ergo mirum si illis blandiretur, dum aliter faciens, loco prætensæ laureæ proclamationes Fratrum posset pertimescere, quod addit, videlicet Bastidam Vallisoleti physicam prædeterminationem docuisse ab viris fide dignis aliter euenisse compertum habeo.

25 Vltimo opponit è nostris Patrem Michaelem Marcos in manuscriptis in lucem non edditis physicam prædeterminationem tenuisse. Respondeo constans esse Magistrum istum in matura ætate constitutum in nostro Collegio Salamantino scientiam mediam, & auxilia indifferentia docuisse, & physicam prædeterminationem impugnasse, quod si forsan iuuenis ante hanc controuersiam cum Dominicanis excitatam dum vigebat imperium Magistri Bañes tempori inseruierit, seruaueritque Molinæ, & aliis primoribus Societatis prælium primo instituere, & agmina recentiorum Thomistarum impetere mirum non esset.

Hæc de mente Antiquorum discipulorum S. Thomæ veraciter Thomistarum, neque aliter sentientes D. Thomæ consentirent, qui longe alienus fuit à physica prædeterminatione adstruenda, eamque admittendam non esse constat ex eodem Angelico Doctore. Integrum librum de hoc argumento neruose, & erudite scripsit Petrus à S. Iosepho, quem inscribit *defensio S. Thomæ Aquinatis aduersus recentiores quosdam Theologos, qui prædeterminationem physicam ad actus liberos illi falso affigunt.* Idem argumentum fœliciter insequitur noster Ruiz tom. de scientia dis. put. 49. section. 2. & 3. & 4. vnum vel alterum testimonium Angelici Doctoris adducam, quo stare pro nostra sententia negante physicam prædeterminationem compertum erit. 26

Hoc probo imprimis ex prima secundæ q. 9. art. 6. ad 3. *dicendum quod Deus mouet voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum, & sine hac motione vniuersali homo non potest aliquid velle, sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verum bonum.* Expende verba illa homo per rationem determinat se; & distinctionē inter determinationē ad bonum in communi extra quod voluntas vagari non potest, & ita hæc determinatio est à Deo producente voluntatem, & determinationem ad volendum, hoc vel illud, & ad hunc, vel illum actum liberum, quæ est à voluntate se determinante, & non à Deo determinante voluntatem: bene tamen ab illo, tanquam à principaliori causa determinationis ad actum honestum. 27

Rursus in 2. sententiarum dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 3. *dicendum, quod Deus operatur in omnibus, ita tamen, quod in vnoquoque secundum eius conditionem vere in rebus naturalibus operatur, sicut ministrans virtutem agenti, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat. Sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur.* Ex his arguo in sententia Diui Thomæ determinatio actionis est in potestate voluntatis, sed physica prædeterminatio non est in potestate voluntatis: ergo physica prædeterminatio non est determinatio voluntatis. 28

Iterum in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. sic habet Angelicus Doctor. *Sic ergo patet, quod hæc differentia est in agentibus, quia quædam determinant sibi finem, & actus in finem illum, quædam vero non: nec aliquod agens finem sibi præstituere potest, nisi rationem finis agnoscat, &c. & propter hoc in solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur, non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam alijs prioribus.* Ergo sentit Angelicus Doctor ea solum agentia esse libera, quæ sibi determinant proprias actiones, & ea quorum actiones determinantur à causis prioribus libera non esse: ergo si actiones voluntatis determinarentur à Deo superiori causa voluntas libera non esset. 29

Item in 2. dist. 39. quæst. 1. art. 1. *Ipsa autem potentia voluntatis quantum in se est, est indifferens ad plura. Sed quod determinate exeat in hunc actum, vel in illum non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Expende non solum hic asserere D. Thomam voluntatem determinare se ipsam, sed non determinari ab alio. 30

Obiic. nobis Thomistæ sacrum Doctorem sæpe dicere voluntatem moueri, & præmoueri à Deo, quod nos non negamus, nec negari potest, quia Deus dat auxilium excitans quod est motio, & quia libertatem præuenit præmotio dicitur. Vnde P. Suarez tom. 1. de gratia prol. 3. c. 6. n. 11. asserit auxilium excitans recte dici auxilium præmouens, seu præmotionem. Deinde vniuersalius inphrasi D. Thomæ moueri à Deo est moueri per virtutem à Deo receptam, quo sensu dicimus grauia, & leuia à generanti moueri, quia ab eo grauitatem & leuitatem, quibus mouentur recipiunt. Sic explicat Angelicus Doctor 1. parte quæst. 105. art. 4. ad primum, hoc quod est moueri ab alio exemplo grauium & leuium, & hoc applicat ad motionem voluntatis, ibidem ad secūdum, *Dicendum, quod moueri voluntariè est moueri ex se, id est à principio intrinseco, & illud principium intrinsecum* 31

potest

tale esse ab alio principio intrinseco: & sic moueri ex se non repugnat ei, quod mouetur ab alio. Videas quomodo in phrasi Diui Thomæ voluntatem moueri ab alio nihil aliud sit, quam moueri per virtutem ab alio receptam.

32 Sic explicat Caietanus 1.2.q.9. art.4. versus finem §. *Ad id verò* Diuum Thomam dicentem ibi voluntatem, quæ à se mouetur, moueri ab alio, quia ipsa non est primum principium, verba sunt Caietani. *Est igitur Authoris sententia, quod sicut generans graue, dat graui naturalem appetitum motus deorsum, & propterea cessante impedimento, graue ex appetitu accepto mouetur deorsum, & quiescit ibi, ita genitor voluntatis dat ei naturalem inclinationem in bonum, ita quod proposito per intellectum absque impedimento voluntas tendit in illud actu elicito qui est volitio.* En Caietanum interpretantem Diuum Thomam, dum asserit voluntatem moueri à Deo nihil aliud significat, quam voluntatem seu virtutem illi intrinsecam, qua mouetur dependere à Deo Authore voluntatis, & dante illi intrinsecam inclinationem in bonum, quo proposito, eo præcise, quod impedimentum absit voluntas tendit pro sua libertate in hoc, vel illud bonum propositum, quia ex se tantum est intrinsice determinata ad bonum in commune, siue verum, siue apparens.

33 Obiiciunt etiam nobis Thomistæ Angelicum Doctorem dicentem voluntatem, & quamlibet aliam causam creatam agi à Deo, quod in phrasi Diui Thomæ nihil aliud est, quam voluntatem, & quamlibet causam creatam agere per virtutem à Deo receptam. Constat ex Angelico Doctore 1. parte q.60. art.1. ad 2. vbi sic habet. *Dicendum, quod omnia, quæ sunt in toto mundo aguntur ab aliquo propter primum agens, quod ita agit, quod nullo modo alio agatur, in quo est idem natura & voluntas, & ideo non est inconueniens, si Angelus agatur in quantum inclinatio naturalis est sibi indeterminata ab Authore suæ naturæ. Non autem sic agitur, quod non agat cum habeat voluntatem liberam.*

34 Obiiciunt insuper apparentius Diuum Thomam asserere Deum operari cum causis secundis, veluti cum instrumento, quibus supra suam entitatem oportet addere impulsum aliquem, vt operentur, ita vt sine hoc sint entitates incompletæ ad operandum. Sic habet q.3. de potentia, art.7. *Id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat est vt intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aëre, & virtus artis in instrumento artificis.* Et paulo post ex hoc infert. *Vnde sicut in instrumento artificis conferri non potuit, vt operaretur absque motu artis, ita rei naturali conferri non potuit, quod operaretur absque operatione diuina.* Respondeo cum Patre Ruizio, tom.de scientia disp.49.sect.2. Diuum Thomam hic non exposcere aliquid reale intrinsecè, superadditum virtuti creatæ, sed, quod Deus cum illa concurrat actione terminata ad effectum, ex qua extrinseca denominatio resultat in virtute creata cum qua Deus concurrit. Dicitur enim causa secunda complete operari potens per applicationem causæ primæ ad operandum cum illa concursu simultaneo, quæ applicatio importat decretum Dei, quo vult cum creatura concurrere, ex vi cuius formaliter constituitur omnipotentia applicata in actu primo ad cõcurrendum, & quia causa secunda sine omnipotentia sic applicata concurrere non potest, dici poterit quid incompletum, seu virtus incompleta ad operandum; ex virtute enim causæ creatæ, & ex omnipotentia applicata ad operandum constituitur vnum adæquatum principium; & actus primus completus ad operationem, quæ est actus secundus.

35 Hanc esse mentem Angelici Doctoris constat ex toto articuli contextu, in quo inquirit, *Vtrum Deus operetur in operatione naturæ?* Et omnia argumenta, quæ in contrarium adducit, eo tendunt, vt probent sententiam Durandi asserentis causas secundas à Deo productas, & conseruatas operari absque cooperatione Dei, hoc est absque concursu simultaneo. Argumenta, quæ sanctus Thomas pro sua sententia ibi adducit, tantum procedunt contra sententiam relatam, quam tenuit Durandus, & in illis tantum infert creaturam non posse operari, Deo cum illa non operante. Primum argumentum Diui Thomæ est. Sicut ars supponit naturam, ita natura præsupponit Deum, sed in operatione artis operatur natura; ergo in operatione naturæ operatur Deus. Secundum argumentum hoc est secundum Philosophum, homo generat hominem, & Sol, sed operatio hominis dependet ab operatione Solis: ergo actio naturæ dependet ab operatione Dei. Tertium argumentum est. Natura non potest esse sine Deo operante: ergo in qualibet naturæ operatione Deus operatur. Quartum argumentum est. Deus est in omnibus rebus, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Sed non est dicendum, quod virtus secundum quod est in Deo est otiosa: ergo in qualibet naturæ operatione Deus operatur. Ecce in omnibus argumentis tantum concludit Angelicus Doctor: naturam non operari sine operatione Dei, & Deum semper cum natura operari, & in sua conclusione tradendæ tãtum infert, rei naturali non potuisse conferri, quod operaretur absque operatione diuina, quæ omnia de concursu simultaneo optimè intelliguntur, & hunc argumenta conuincunt, & præuium, quem Thomistæ intendunt nullo modo suadent, ergo rectè, & legitimè de hoc concursu explicatur Diuus Thomas, & necesse est explicari, ne dicamus Argumenta Angelici Doctoris inefficacia, & intentum non solum non probare, sed neque attingere.

Ex eo, quod interdum Diuus Thomas casu in hanc vocem *prædeterminatio* inciderit loco cuius æquè potui poni prædefinitio, seu prædestinatio, vel volitio Dei tempore præcedens, eo modo, quo ratione huius præcedentiæ scientia Dei sæpe præscientia dicitur intendunt nonnulli physicam prædeterminationem probare. sanct. Thomas 1. parte q.23 art.1. inquirit: Vtrum homines prædestinentur à Deo? Respondet affirmatiuè, probátque omnia subiacere diuinæ prouidentiæ, & cum testimonium Damasceni sibi obiecisset, his verbis respondet. *Ad primum ergo dicendum, quod Damascenus nominat prædeterminationem impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt determinata ad vnum.* Ex hoc loco neque apparenter infertur, prædeterminationem D. Thomam admittere; non enim in sua sententia tradenda nomine prædeterminationis vsus erat, sed nominibus prædestinationis, prædefinitionis, & ordinationis; nec dum asserit, Damascenum nominare prædeterminationem impositionem necessitatis illius loquendi modum non improbat, sed tantum asserit, ipsum non loqui de impositione necessitatis, quo vel tacite insinuat, hanc significari nomine prædeterminationis, vel quod fauorabilius possunt habere Thomistæ abstrahere à significatione huius vocis prædeterminatio. 36

Insuper sanctus Thomas quodl. 12. quæst. 1. art. 4. illam quæstionem tractans an omnia sint sub fato. *A prouidentia* (inquit) *Dei omnia sunt prædeterminata, & ordinata,* & in hoc sensu concedit omnia esse sub fato iuxta illud Boëtij. *Fatum est immobilis dispositio rebus mobilibus inhærens.* Ex verbo autem illo omnia sunt prædeterminata volunt Thomistæ physicam prædeterminationé inferre, sed incassum profecto, nam ibi Sanctus Doctor tantum vult prouidentiam Dei esse certam, & immobilem, & sua decreta esse inirritabilia: prædeterminata autem dicit quia à Deo sunt decreta prius tempore, quam fiant. Constat apertè ex eo, quod Angelicus Doctor loquatur etiam de affectibus, qui à Deo solo tanquam à causa dependent, respectu quorum prædeterminatio Thomistica locum non habet, quia hæc tantum pro causis secundis inuenta est. Eadem fuit mens Augustini relata à D. Thoma his verbis. *Si quis hoc modo intelligat fatum sententiam teneat, linguam corrigat & non dicat fatum, sed prouidentiam.* Cùm igitur Sanctus Thomas Boëtium, & Augustinum imitetur, & quæstio quam ibi tractat, tantum sit, an omnia subjaceant prouidentiæ diuinæ, fit manifestum, hanc tantum prouidentiam cum Boëtio, & Augustino intendisse probare immemorem omnino physicæ prædestinationis, quam Thomistæ stabilire intendunt. 37

Aliud adducitur testimonium ex Diuo Thoma in commentario ad Dionysium de diuinis nominibus cap.5. sect. 3 quod his verbis proponit Aluarez disp.22. de auxiliis n.11. *Et huiusmodi rationes sacra scriptura vocat prædestinationes, seu prædeterminationes.* Nescio an alicuius incuria, vel nimia cura verbum hoc prædeterminationem, irrepserit, quod apud D. Thom. non inuenitur, sed prædefinitionem, quo huic testimonio superabunde satisfactum est. Subdit postea Angelicus Doctor: *Quæ quidem prædefinitiones, & voluntates sunt definitiuæ entium, & effectiuæ ipsorum, quia, & huiusmodi rationes supersubstantialis Dei esse prædeterminauit, omnia produxit.* Sic Sanctus Thomas vtroque loco proximè citato iuxta editionem Romanam anno 1570. In hoc testimonio verbum *prædeterminauit* non cadit supra verbum *omnia*, vt constat ex grammatica constructione, & commate posito post verbum *prædeterminauit*, & ante verbum *omnia*, sed supra voces illas, *rationes supersubstantialis esse Dei.* Ita 38

vt

vt sensus sit, produxit omnia, quia prædeterminauit rationes supersubstantialis esse Dei, hoc est diuinos actus respectu quorum physicam prædeterminationem hucvsque Thomistæ non defendunt, neque apud D. Th in prædicto testimonio est, *omniáque produxit*, vt scribit Aluarez. *sed omnia produxit*, & dum Aluarez coniunctionem *que* addit destruxit sensum Angelici Doctoris, neque alium ad suam mentem composuit, sed totam periodum absque vlla significatione perfecta reliquit, manet enim pendula, & absque comparte pars illa propositionis causalis, *quia prædeterminauit rationes supersubstantialis esse Dei.*

39 Alia testimonia, quæ ex sancto Thoma, in fauorem physicæ prædeterminationis obiiciuntur ad eam comprobandam leuissimi momenti sunt, & ex prædictorum solutione facile quisque ingenuè, & legitimè absque præiudicio nostræ sententiæ explicabit.

40 Affirmo qualitatem hanc, iuxta principia Philosophica, admittendam non esse, neque in causis liberis, neque in necessariis; quia in vtrisque absque vlla necessitate, & sine fundamento ponitur. Non esse necessariam in causis necessariis, sic probo. Hæc qualitas ponitur in causis, vt determinentur ad operandum: sed causa necessaria ex sua natura, & par suammet entitatem est determinata ad operandum, quotiescumque habet paratam omnipotentiam, vt cum illa comitanter concurrat ad effectum: ergo præter omnipotentiam paratam ad concurrendum cum illa per concursum comitantem, superfluè alia præmotio, seu determinatio ponitur. In causis liberis eodem modo fit argumentum: etiamsi causa libera ex sua natura non sit determinata ad operandum, eo ipso quod sit libera, talis est naturæ, vt positis omnibus requisitis ad operandum, & non operandum, valeat se determinare ad operationem, & carentiam eiusdem; aliàs non esset libera; quia principium liberum essentialiter dicit principium indifferens potens se determinare: ergo vt causa libera determinetur, necessaria non est hæc præmotio; sed sufficit applicatio obiecti per cognitionem proportionatam ad illud amandum; & si quæ sunt alia requisita ad actum amoris; videlicet habitus supernaturalis, si actus producendus futurus sit supernaturalis: ergo superfluè excogitatur hæc qualitas, seu præmotio. Multa sunt capita, ex quibus intendunt Thomistæ necessitatem huius physicæ qualitatis præmunire, in causis liberis illam ex indifferentia voluntatis exposcunt; in liberis, & necessariis illam expostulant ex subordinatione causæ secundæ ad primam; ex necessitate concursus causæ primæ, quam habet secunda, vt operetur, ex ratione causæ primæ. Quæ omnia percurram, vt probem ex nullo capite, qualitatem hanc esse necessariam; & Thomistarum argumenta simul diluam.

§. II.

Indifferentia voluntatis non arguit necessitatem physicæ prædeterminationis.

41 EX indifferentia, & indeterminatione voluntatis, quam habet in actu primo, inferre volunt Thomistæ physicam prædeterminationem, qua per modum actus primi determinetur ad actum secundum. Deinde, quia determinatio prouenit à principio actiuo; ac proinde existimant non posse à voluntate prouenire; quia hæc est principium actiuum. & nihil potest esse principiũ actiuum & passiuum secundum eamdem rationem. Expendam hæc argumenta postquam de hac re diuersas sententias, illarúmque auctores dedero.

42 Docuit Ægidius Romanus in 2. distinct. 25 quæst. vnica art. 3. ad argumenta, dub. 2. art. 6. & in 1. dub. & 2. & quodlib. 3. quæst. 16. Voluntatem non esse potentiam actiuam, sed purè passiuam; nihilominus se ipsam determinare: quia dum se continet à prosequutione huius obiecti, consequens est, vt contrarium obiectum agat in voluntatem. Exempli gratiâ, illi obiicitur delectatio fornicationis, & diuina lex prohibens fornicationem, si contineat se ab amore fornicationis, per hanc continentiam determinat se ad amorem diuinæ legis, quem producit suum obiectum in voluntate tali continentia suppositа. Quòd si voluntas contineat se ab amore diuinæ legis, determinatur ad fornicationis amorem; quia huius delectabile obiectum illum necessariò producet in voluntate. Ægidium sequutus est Arg. dist. 25. quæst. vnicâ, art. 1.

43 Hæc opinio est omnino improbabilis, & aliena à vera doctrina Patrum, & Conciliorum asserentium, voluntatem concurrere ad nostram iustificationem. Cognosce testimonium ex Trident. sess. 6. cap. 4. quo vtor Controu. 5. de anima, Punct. 1. num. 11. ad probandum voluntatem actiuè concurrere ad suas operationes. Ratione philosophica clarissimè impugnatur: voluntas nihil effectiuè agit circa duplex obiectum propositum in hac sententia, verbi gratia, circa delectationem fornicationis, & circa amabilitatem diuinæ legis prohibentis fornicationem: ergo quatenus est ex se æquè se habet circa vtrumque obiectum, neque est aliqua ratio propter quam dici potest magis continere se circa hoc obiectum, vt oppositum necessariò sui amorem in illa producat, quàm circa illud, vt ab hoc amor ipsius producatur: ergo neque per continentiam amoris, neque per productionem eiusdem magis se determinat circa hoc obiectum, quàm circa illud: ergo tota determinatio ex ipsis obiectis expectanda est.

44 Secundò: continere se ab hoc obiecto, dicit voluntatem posse determinari in illud, & se ab hac tendentia abstinere, non enim dicimur abstinere ab obiecto, quod adhuc concupiscere nequimus: sed voluntas circa nullum obiectum potest per productionem amoris ab illa dimanantem tendere: ergo per negationem huius tendentiæ non se continere potest ab aliquo obiecto. Sed esto, contineat se per hanc negationem: hæc negatio est necessaria; quia illius habitus non subiacet voluntati: ergo non se liberè continet. Deinde esto libera. Hæc negatio est circa vtrumque obiectum: ergo circa vtrumque se continet: ergo non magis se determinat ad vnum, quàm ad aliud. Si continentia ponatur in negatione passionis, eodem modo reiicietur. Quia voluntas, dum agens operatur, non potest se continere à passione; quia necessariò patitur. Dum non operatur agens pati nequit, ac proinde negatio passionis non illius continentiæ danda est, neque voluntas potest determinare agens v. agat, vel illud coërcere ne agat; quia hoc nequit præstare voluntas per suammet entitatem, quæ indifferens est ad patiendum, & non patiendum. Quod si per suam entitatem id præstaret, non fieret liberè ab illa, sed necessariò: non per aliquid superadditum; quia hoc produci nequit à voluntate, quæ principium effectiuum non est in hac sententia: ergo nullo modo voluntas potest intelligi continere se liberè circa hoc obiectum, potiùs quàm circa illud. Mitto rationes alias, quæ longiùs possent contra hanc sententiam expendi.

45 Communis Scholasticorum sententia docet respectu actuum voluntatis solâ ratione differre agens, & patiens; ac proinde voluntatem ipsam se actiuè determinare, & passiuè suos actus recipere. Ita Scotus in 2. dist. 25. quæst. vnica, §. *Ad primam rationem.* Bassolis in 2. dist. 25. quæst. 1. Henric. quodlibeto 9. quæst. 5. & quodlibeto 11. quæst. 6. & 7. & quodlibeto 12. quæst. 26. & ferè omnes antiqui.

46 Multiplex est principium respectu volitionis; quoddam actiuum physicè influens, sicuti voluntas, & habitus: aliud se tenens per modum conditionis, seu moralis causæ, sicuti cognitio in multorum sententia. Rursus inter principia actiuè concurrentia voluntas tantum concurrit determinando actionem, ad cuius determinationem cõcurrit habitus. Alia sunt principia, quæ concurrunt non determinando actionem; sed quasi determinata à voluntate: sicuti habitus, qui necessariò concurrit dependenter à voluntate, & causa prima, quæ per decretum liberum, quâ ipsa vult liberè suam omnipotentiam voluntati exhibere, vt pro sua libertate cum illa operetur, vel non operetur, omnipotentiam subdit voluntati: ita, vt integrum sit voluntati cum illa veluti cum habitu operari, vel non operari. Hæc certa sunt, & suis locis adamussim explicanda. Sit

47 CONCLVSIO. Principium actiuum determinans volitionem, non distinguitur à principio passiuo respectu eiusdem volitionis: hoc est, voluntas, quæ cum omnibus requisitis constituta, potens operari se ipsam determinat per actionem physicè fluentem ab illa, secundùm eamdem entitatem est principium actiuum, & passiuum volitionis: reliqua verò, quæ voluntatem adiuuant ad producendam actionem, per quam ipsa se determinat, non sunt principium passiuum volitionis. Ex quo infertur principium actiuum, & passiuum volitionis distingui tanquam includens, & inclusum: actiuum enim dicit quidquid passiuum

siuum,& aliquid vltra.In hanc sententiam interpretor doctores omnes asserentes, noc distingui, nisi per rationem principium actiuum, & passiuum volitionum. Loquuntur enim de principio actiuo determinante;non verò de principio actiuo in tota sua latitudine. Sit

48 SECVNDA CONCLVSIO illata ex prima, quæ propria huius est loci:Principium actiuũ volitionis liberæ agit quatenus est in potentia ad agendum, & non agendum,& omnino indifferens; quam indifferentiam non admittit, nisi per ipsam volitionem, quæ est determinatio principij,antequam nulla alia supponitur. Hæc conclusio est deducta ex doctrina Angelici Doctoris, quam sanctus Doctor sæpe docet. Legatur in 2. distinct. 25. quæst. vnica, art. 1. & in corpore, vbi hæc habet: *Nihil agit nisi in quantum est in actu: & inde est quod oportet omne agens esse determinatum ad alteram partem: quod enim ad vtrumlibet est, æqualiter se habens, est quodammodo potentia respectu vtriusque, & idè est, vt dicit Commentator in 2. physic. quod ab eo, quod est ad vtrumlibet nihil sequitur, nisi determinetur.* Existimabunt physicæ prædeterminationis patroni hoc testimonio iure optimo Diui Thomæ suam sentẽtiam tribuitaudiant, quid subdat sanctus Doctor paucis interiectis:*Hæc est differentia inter agentibus: quia quædam determinant sibi finem & actum in finem illum: quædam verò non*: & in solutione ad 3. ait: *Determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur.* En constituit Angelicus Doctor differentiam inter agens liberum,& necessarium;quod liberum sibi determinat finem & actionem circa illum,ac proinde non indiget determinatione in actu primo, quam supra cum Commentatore tantùm pro agentibus necessariis requisierat. Deinde, vt omnem ambiguitatem auferret, hanc determinationem in potestatem liberi arbitrij reduxit. Similia habet de malo, quæst.3 art.3. & quæst. 6.art. vnico, in corpore; vbi ait: *Quantum ad exercitium actus, manifestium est, quod voluntas mouetur à se ipsa: sicut enim mouet alias potentias: ita se ipsam mouet.* Postea explicat, quomodo intelligendum sit illud axioma, scilicet non posse idem principium secundùm eamdem rationem esse in potentia, & in actu; quod explicat de principio adæquato eo modo, quo nos diximus distingui principium effectiuum, & passiuum volitionis. Subdit immediatè: *Neque propter hoc sequitur, quod voluntas secundùm idem sit in potentia, & in actu. Sicut enim homo secundùm intellectum, in via inuentionis mouet se ipsum ad scientiam, in quantum ex vno noto venit ad aliquid ignotum, quod erat in potentia notum: ita per hoc, quod homo vult aliquid in actu, mouet se ad volendum aliud in actu: sicut per hoc, quod vult sanitatem, mouet se ad volitionem sumere potionem.* Explicat sanctus Doctor quomodo distinguatur principium actiuum, & passiuum electionis;quod etiam locum habet in intentione libera, si ad ipsam, vt sæpè contingit;& semper contingere plures volunt, supponatur actus necessarius, & in omni euentu principium adæquatum actiuum includit omnipotentiam, & cognitionem saltem tanquam conditionem, quæ ad principium actiuum, & non passiuum volitionis spectant.

49 Mens hæc vt Thomisticæ nomen apud omnes mereatur comprobanda est auctoritate discipulorum D. Thom. quos medullam esse illorum, quos Thomistas appellant, negabit nullus. Multis parco,quibus hæc sententia posset comprobari: tantummodo Capreolum adduco distinct.24. citata, art. 3. ad 6. argument. vbi hæc habet: *Voluntas quantum est de sua natura est ad oppositа: ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id, quod vult: & ita non indiget alio determinante*: neque verba explicatione indigent.

50 Ex his facile est argumenta Thomistarum soluere. Primum est: quia mouens, & motum sunt distincta subiecto, seu re ipsa, vt colligitur ex Aristotele lib. 9. Metaphys. cap.1.text.12. & lib.5.cap.12. text. 17. Addunt sequi ex opposito, quod idem moueret se primo;quod fieri nequit, vt constat ex 8. Physic. text. 70. Cuius ratio est;quia tale debet esse mouens in actu, quale est mobile in potentia respectu eiusdem formæ,Respondeo principium adæquatum actiuum semper distingui à passiuo, quia actiuum includit causam primam, quæ principium passiuum non est; & in hoc sensu intelligendus est Aristoteles, ex quo non infertur idem mouere se primò,id est tanquam prima causa; quod esset absurdum, quia semper mouet se dependenter ab alio principio increato. Et ad actionem, qua se mouet, supponitur actio alia, qua ipsum principium se mouens dependet à Deo. Ad illud, quod additur tale debere esse mouens in actu, quale est mobile in potentia, Respondeo intelligendum esse de actu primo, in quo est principium indifferens ante ipsam actionem;quia actus primus tantùm dicit prærequisita ad actionem.

Arguunt secundò: nihil agere in se ipsum, nam Aristoteles inquit 2. Physic. cap. 7. text. 20. materia, & efficiens non coincidunt in idem numero. Patiens autem se habet, vt materia,respectu agentis. Si Thomistæ probare intendissent voluntatem nullo modo concurrere ad volitionem, & non dari actionem aliquam immanentem in rerum natura, neque agentis liberi, neque necessarij ad rem specie tenus hæc testimonia adducerentur; cùm ipsi fateantur voluntatem esse principium actiuum, etiam physica prædeterminatione præuentam, & passiuum eiusdem volitionis, nescio quomodo hæc testimonia nobis obiiciant?Respondeo,Aristotelem dixisse materiam ex suo conceptu non identificari cum efficiente; quia sæpe distinguuntur causa materialis,& efficiens, & materia prima, quæ absolutè materia dicitur non est principium actiuum formarum substantialium, quam recipit, neque primarum qualitatum,aliorúmque accidentium, quæ formas comitantur: & est quæstio an aliquorum productiua sit? Hæc ad auctoritatem Arist. principium autem illud *nihil agit in se ipsum*, vel negandum est, vel cum distinctione concedendum de principio adæquatè actiuo. 51

Tertiò arguunt:causa indeterminata non potest producere determinatum effectum: ergo voluntas sine physica prædeterminatione non potest volitionem determinatam producere. Respondeo distinguendo antecedens: causa indeterminata, hoc est, vaga secundùm entitatem, non potest effectum producere determinatum, concedo; quia nulla causa in rerum natura est vaga, & indeterminata secundùm entitatem: causa indeterminata ad effectum producendum,& in sua entitate determinata, non potest effectum producere, subdistinguo: si causa illa non habeat virtutem se determinandi, concedo:si illam habeat, qualem habet causa libera,& principium cognoscitiuum, nego. Deinde nego consequentiam. 52

§. III.

Subordinatio causæ secundæ ad primam non desiderat physicam prædeterminationem.

SÆpe determinationem partiti sumus in determinationem in actu primo, & in actu secundo: determinationem in actu secundo nulla obtinet causa, quousque suam exerceat causalitatem; hæc est enim, quæ formaliter in actu secundo causam determinat. In hoc sensu dicimus virtutem actiuam ignis per actionem determinari in actu secundo ad calefaciendum: quod idem est, ac dicere constitui calefacientem per actionem, & voluntatem determinari per ipsam volitionem ad volendum in actu secundo;quia per volitionem formaliter volens constituitur. Determinatio in actu secundo, quando est principium liberum, est propria determinatio; quia determinat indifferentiam,quam habebat principium. Determinatio verò, quæ principium necessarium supponit, sicuti calefactio respectu virtutis calefactiuæ,propriè non est determinatio; quia nullam determinat indifferentiam, quam habet principium ex se. Virtus enim calefactiua est principium determinatum ad calefaciendum; ita vt quotiescumque sit cum omnibus requisitis ex parte actus primi necessariò calefaciet, si forma opposita efficaciùs non resistat, quàm ipsa actiua virtus efficere petit. Sicuti determinatio propria principium sequitur liberum: ita determinatio quæuis formaliter libera, sicuti volitio, si plura principia habeat tantùm respectu illius libera dicitur, quod in actu primo liberum supponitur ad ipsam, & quod ante ipsam omnino ex se erat, & indifferens, & potens se determinare ad talem volitionem, & ad negationem illius.Vnde non est idem esse principium effectiuum determinationis, & esse principium se determinans: habitus enim est principium effectiuum determinationis voluntatis, hoc est volitionis; & non est principium se determinans. 53

Plurimum etiam præ oculis habere oportet distinctionem illam effectuum liberorum in se primariò formaliter, & liberorum secundariò libertate deriuatâ causa.Volitio libera est libera in se:effectus qui depẽdet à volitione liberâ 54

est liber in causa,& secundario , sicuti deambulatio. Non enim alia ratione liberè deãbulo,nisi quia liberè volo deãbulare. Moneo insuper volitionem creatam liberam, esse liberam respectu voluntatis creatæ,& respectu voluntatis diuinæ ; sicuti enim voluntas ita illam producit, vt posset non illam producere : ita Deus ad illius volitionem concurrit, vt posset etiam non concurrere , quia nullus effectus necessariò producitur à Deo :sed omnes ab illo liberè operante procedunt. Ea tamen est differentia inter libertatem Dei , & creaturæ respectu volitionis creatæ notatu dignissima,quod volitio creata , respectu voluntatis creatæ,est libera formaliter, primariò,& in se ; & est primum,per quod voluntas se determinat ad volitionem ipsam,ante quam nihil erat in voluntate,per quod voluntas supponeretur determinata:volitio verò creata numquam potest esse formaliter , primariò , & in se libera respectu voluntatis diuinæ;sed semper est libera deriuatiuè libertate volitionis diuinæ,à qua depẽdet tanquam à causa, & per quam Deus se determinat,quatenus est ex se,ad volitionem creatam producendam,vel non producendam;ita, vt antequam Deus volitionem creatam producat, intelligatur iam quatenus est ex se determinatus ad illam producendam per decretum quod præcedit ipsam volitionem;quo posito non vltra Deus manet indifferens ad hãc volitionem producendam, vel non producendam. Ratio huius discriminis satis perspicua erit omnibus , qui politè materiam hanc attingunt:illã exhibeo.Volitio tantùm est libera formaliter.& in se respectu voluntatis quam determinat,& constituit volentem : sed volitio creata tantùm determinat , & constituit volentem voluntatem creatam: ergo tantùm est libera formaliter,& in se,respectu voluntatis creatæ. Maior ab omnibus est admittenda,quia, cùm voluntas tantùm sit potentia formaliter libera , illud tantùm ,quod est exercitium talis potentiæ est formaliter, & in se liberum ; & id quod determinat voluntatem formaliter, est id quod formaliter in se prouenit à principio indifferenti;reliquæ vero actiones prouenientes à voluntate determinatâ,vel non dependentes à voluntate , non possunt prouenire à principio indifferenti potenti se determinare.Minor Catholicè negari nequit,consequentia ineuitabilis est.

55 Ex his infero formaliter ex vi volitionis creatæ tantùm causam creatam constitui liberam in actu secundo;& hãc esse vnicè principium in actu liberum per hanc volitionem formaliter , & quæ vnicè per ipsam se determinat: Deumque per hanc volitionem creatam non constitui se determinantem neque liberum;sed per aliam formam, videlicet per suam volitionem se determinare ad volitionem cretatam producendam,& constitui primum liberum respectu volitionis creatæ.

56 Videas vltrà,dupliciter se posse Deum determinare ad concurrendum.Primò per decretum, quo decernat actionem independenter à libertate voluntatis:ita vt cum illo decreto componi nequeat negatio volitionis.Secundò per decretum, quo decernat volitionem dependenter à libertate voluntatis;quod quidem indifferens est vt componatur cum volitione , & negatione eiusdem. Primum illud decretum libertatem destruit:hoc secundum illam illæsam tuetur,& est,quo de facto se determinat ad concurrendũ cum voluntate ad actus liberos;quod latiùs explicabo , & probabo punct.immediatè venturo.Decretum primum libertatem destruens,determinat causam primam,& secundam ; & ipsam actionem.Decretum hoc benignum libertati attemperatum,non determinat causam secundã,quia illo posito manet indifferens ad operandum ; & non operandum : & consequenter non determinat actionem , seu volitionem dependendem à causa secunda, neque dependentem à Deo,quæ est eademmet indiuisibilis:tantùm determinat Deum,ne posito hoc decreto ex parte sua,sit indifferentia aliqua ad concurrendum , vel non concurrendum,quia totam suam omnipotentiam,ex vi huius decreti veluti voluntati creatæ commisit , in ordine ad illum actum,vt illa vtatur,vel non vtatur secundum suum arbitrium. Quapropter decretum hoc rectè dicetur determinatio subiectiua,seu respectu subiecti(sic liceat voluntatẽ diuinam respectu suæ volitionis compellare)non verò determinatio determinatiua, seu determinatio sui termini. Ex quo inferes aliud esse se Deum determinare ad concurrendum libere cum voluntate : aliud determinare voluntatem,&volitionem ipsam.Hæc si percalleas,nullus tibi, neque minutulus difficultatis scrupulus potest superesse,& ex illis omnibus omnia,quibus Thomistæ suã qualitatem stabilire intendunt, facillimo negotio persolues.

§. IV.

Soluuntur obiectiones contra præcedentem doctrinam.

OBiicit Aluarez disp.18.& disp.24.n.14.Si voluntas operaretur sine præuia motione, esset primum agẽs:ergo non potest operari sine illa :probat antecedens : illud est primum agens, quod operatur independenter ab alio , & sine præuia præmotione ; sed voluntas operatur independenter à motione : ergo operatur vt primum agens. Debuisset Aluarez primam partem antecedentis , omissam in minori secundi syllogismi,probasse : & secundam maioris stabilire,frustra enim sibi fingit definitionem primi agentis,vt probet agens,quod non operatur cum motione præuia,esse primum agens. Si tamen ex hac parte firmum sibi agumentum supereſt , firmius ex altera mihi subsumo. Primum agens est illud,quod operatur independenter ab alio,& sine præuia motione:sed voluntas etiamsi operaretur sine propria motione , non operaretur independenter ab alio:ergo non esset primum agens.Melius enim arguitur à negatione vnius partis essentialis ad negationem compositi,quam ab affimacione eiusdem partis,ad affirmationem totius compositi.Hæc enim est optima consequentia:non datur materia, quæ est pars essentialis hominis:ergo non datur homo:& hæc pessima : datur materia : ergo datur homo. 57

Respondeo primam causam esse illam,quæ operatur independenter ab alia:& causam secundam esse illam, quæ non potest operari sine dependentia ab alia.Ex quo fit voluntatem semper operari,vt causam secundam : quia semper operatur dependenter à Deo,& neque independenter ab illo operari.Confugit Aluarez locis citatis ad auctoritatem D.Thomæ, vt hanc solutionem reiiciat : asseritque impugnatam fuisse à D.Thom.in 2.dist.37.q.2.art.2.vbi hæc habet: *Quamuis per hanc responsionem euitaretur, quod voluntas humana,& quæcumque alia causa non esset primum ens simpliciter:non tamen videtur posse euitari,quin esset primum agens,si eius actio in aliquod primum agens non reduceretur sicut in causam.* 58

Adeò altè mentibus nostris insedit de authoritate, subtilitate,præcellentique Angelici Doctoris doctrinâ,dignissima existimatio:vt illius testimonia abs re sæpissime adducta ad illa , quæ nullatenus probant , imò non raro ad illa, quibus neque cohæret tanti Doctoris doctrina,numquam nobis suspectam reddant , neque grandem inter Doctores Scholasticos , & Ecclesiæ Patres auctoritatem quidquam apud nos minuant : affectus enim , & studium erga Magistrum , & doctrinam nõbis suadẽt, & monstrant quantâ Angelici Doctoris iniuriâ , illius testimonia ita referantur,vt leuia,& inania videri possint,si illius maximum pondus , & efficacia maxima ad illa probanda,quæ Angelicus Doctor intendit , omnibus non innotesceret. Respondeo Angelicum Doctorem hìc impugnasse sententiam quandam , quam Magister retulerat,asserentem causam secundam non dependere à prima in operando,& sine concursu illius suos effectus producere : dependere tamen ipsam causam secundam in fieri à Deo,à quo entitatem recepit. Quam sententiam efficaciter impugnant verba ex D.Th-relata,quia licet ex dependentia , quam haberet causa secunda à prima,vt ipsa produceretur , rectè posset euitari non dici primum ens, quia hoc est omnino independens, tamen non potest euitari esse,primum efficiens : quia actio, per quam operaretur,per se ipsam à Deo non dependeret. 59

Arguunt secundò.Voluntas quando operatur vel determinatur à Deo, vel se ipsam determinat:si determinatur à Deo,intentum obtinent Thomistæ:si se ipsam determinat: ergo voluntas est primum se determinans:ergo præter Deũ admittendum est aliud primum principium,& aliud primum liberum. Neque refert dicere , voluntatem se determinare per concursum dependentem à Deo ; quia adhuc posito concursu dei per modum actus primi,voluntas est indifferens,& ipsa est , quæ determinat suam volitionem : quæ est concursus Dei,& ipsius voluntatis , & ab vtroque essentialiter dependet : ergo voluntas debet dici primum principium volitionis, quæ physicè essentialiter 60

dependet

dependet à Deo, & à voluntate, & primo determinatur à voluntate, quàm à Deo, tota enim determinatio volitionis radicatur in voluntate, à qua oritur tanquam à radice suæ determinationis, & tanquam à principio primo determinante actionem.

61 Dixi iam num. 19. aliud esse Deum se ipsum determinare; aliud determinare actionem: & ex ibi dictis modò respondeo, voluntatem non tantùm esse, quæ primò determinat volitionem; sed quæ vnicè illam determinat, quia Deus non determinat volitionem, cuius determinationem voluntati commisit, iuxta illud Ecclesiast. cap. 15. vers. 14. *Reliquit Deus hominem in manu in manu consilij sui.* & ibid. n. 17. *ignem, & aquam apposui tibi:* tamen voluntatem non esse principium primò se determinans ad volitionem. Quia antequam voluntas, per productionem ipsius volitionis, ad ipsam se determinet, & exerceat suam libertatem circa ipsam, per exhibitionem eiusdem, iam Deus seipsum per decretum, quo statuerat concurrere ad volitionem dependenter à voluntate, seipsum determinauerat, & libertatem propriam exercuerat circa volitionem humanam producendam. Ex quo clarè infertur voluntatem non esse primum principium liberum talis volitionis, licet sit non primum, sed vnicum principium determinans volitionem, & vnicum principium in actu secundo liberum, & formaliter exercens suam libertatem per hanc volitionem creatam: quæ Deum non constituit liberè operantem: sed effectus decreti Dei, & exercitij voluntatis diuinæ.

62 Hæc in causis liberis: in necessariis autem facilior est solutio. Dicunt Thomistæ, causas necessarias esse determinatas ad operandum, quoad specificationem: non tamen quoad exercitium. Quia in exercitio habent indifferentiam, quam ipsi appellant contingentiæ, quia quando ignis hic, & nunc comburit, contingere potuit, vt non combureret. Hanc doctrinam non probo: quia ignis semper petit exercitium actionis, si sit applicatus: si autem applicatio deficiat, non petit sub illis circunstantiis effectum, neque quoad specificationem, neque quoad exertium. Sed quidquid sit de hoc, respondeo determinationem, quam habet ignis in actu primo ad operandum, non distingui à sua entitate, quæ per modum actus primi operationem exigit, & concursum causæ primæ dandum sub omnibus requisitis ad actionem, & non alio modo. Et sicut entitas ignis dependet in fieri, & in conseruari à Deo: ita determinatio ignis per modum actus primi dependet à Deo, & sicuti Deus determinat ignem ad existentiam: sic illum determinat ad exigentiam, quam habet respectu effectus: quia hæc non distinguitur à sua existentia. Determinatio eiusdem ignis in actu secundo, ad hanc calefactionem, essentialiter est à Deo, & ab igne: ita tamen vt ignis non possit ex se illam non exhibere: Deus tamen potest talem actionem simul cum igne producere, & non producere. Ex quo infertur totam determinationem ignis in actu primo exigentis calorem in actu secundo illum producente à Deo, esse tanquam à primo determinante exigentiam, & actum primum calefactionis, & vltimò, & efficaciter determinante ipsam calefactionem, quia posita calefactione ignis per modum actus primi, adhuc deficeret calefactio, si Deus non se determinaret ad illam producendam.

63 Arguunt tertiò: Deus non determinat voluntatem ad operandum: ergo vel expectat determinationem voluntatis, vt cum illa operetur, vel illi offert suum concursum in actu primo, vt ipsa Deum applicet ad operandum illo modo, quo maluerit voluntas? Primum dici nequit: quia non potest Deus videre determinationem voluntatis, antequam videat suum concursum in actu secundo, cum quo identificatur, & ad quem supponitur concursus in actu primo, seu applicatio omnipotentiæ. Si dicatur secundum, sequitur Deum operari cæco modo, secundum ductum voluntatis, quin sciat, quid facturus sit, quousque illud fecerit. Respondeo, Deum exhibere, seu committere voluntati suam omnipotentiam, vt illa vtatur in partem, quam maluerit, antequam determinationem absolutam illius videat: nihilominus non operari cæco modo: quia antequam suam omnipotentiam voluntati credat, scit Deus per scientiam conditionatam, quid voluntas factura sit, si illi omnipotentia applicetur, vt ipsam vertat in partem quam maluerit. Vnde antequam Deus effectum liberum produ-

sat, illum, vt possibilem agnouit; & antequam applicet suam omnipotentiam ad illum producendum, eumdem effectum nouit sub conditione futurum, vel non futurum. Quod autem illum non præuiderit absolutè futurum, nihil refert: quia nullus effectus futurus videtur, antequam decernatur.

Arguunt tertiò Thomistæ: Deus est verus dominus nostræ voluntatis: ergo potest vti illa quando vult, & quomodo vult: ergo vtitur illa, & applicat illam ad suas operationes. Primum antecedens non potest in quæstionem verti: prior illatio probatur ex definitione dominij, quam tradit Bart. in l. *si quis vi.* §. *differ.* n. 4. *ff. de acquirenda possess.* vbi inquit: *Dominium est ius perfectè disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Quam definitionem amplectuntur Iurisperiti omnes, apud Ant. Gomez ad leg. 45. Tauri: ex qua aliam dominij descriptionem communiter adducunt Doctores: *Dominium est ius habendi, possiaendi, fruendi & vtendi, ac disponendi de aliqua re pro libito voluntatis, vel secundùm aliquem determinatum modum, à quadam superioritate, vel auctoritate definitum.* Posterior illatio probatur ex D. Thom. 1. 2. quæst. 16. art. 2. vbi sic vsum definit: *Vsus alicuius rei nihil est aliud, quàm applicatio illius ad aliquam operationem*, ex quo fit, vsum dici operationem, ad quam potentiam applicamus. 64

Respondeo, Deum esse verè Dominum voluntatis, & nostrarum actionum, & posse vti nostra voluntate, quando, & quomodo voluerit; & ita posse vti voluntate illam applicando, vt necessariò operetur; & potest vti illâ applicando eamdem ad operationem liberam. Si voluerit vti illa ad operationem necessariam, poterit illi adiungere decretum aliquod prædefinitiuum, ex se immediate efficax independenter ab aliis mediis, vel aliud comprincipium creatum huiusmodi efficax, in illam coniicere. Si autem voluerit vti voluntate, vt ipsa liberè operetur, debet voluntatem applicare ad talem operationem per principia, quæ inclinent ad operationem: sed indifferentia, vt coniungantur cum operatione, & cum illius negatione, & non per decretum prædefinitiuum, vel comprincipium creatum modo dicto, quod ex sua natura necessitatem voluntati inducat. Quia nequit Deus applicare potentiam ad operationem per media, cum quibus repugnat talis operatio; cum verò operatio libera repugnat cum huiusmodi comprincipiis, non potest Deus applicare voluntatem ad operationem liberam, per hæc comprincipia. 65

Arguunt vltimò: voluntas se determinat quoad specificationem; & Deus illam determinat quoad indiuiduationem: ergo prius est voluntatem determinari quoad specificationem, quàm Deum se determinare cum ipsa concurrere: sed hoc fieri nequit; quia nulla determinatio potest esse in voluntate independens à concursu Dei: ergo tota doctrina tradita falsa est. Explicabo punct. sequet. §. vltimo, quomodo Deus voluntatem determinet ad indiuiduationem specierum, ad quas ipsa se potest extendere, quod non fit expectante Deo determinationem quoad specificationem, vt postea ipse indiuiduationem determinet, sed offerendo concursum ad hunc numero actum amoris, & hunc numero odij, & non alios, antequam voluntas vllam habeat determinationem. Ex quo fit, vt si voluntas se determinat ad actum amoris, necessariò ad hunc se debeat determinare; quia alium non est potens: & ita de actu odij. 66

Posses ex hac doctrina sic arguere cum Thomistis: Si Deus non determinat voluntatem; sed tantùm suum parat concursum, vt voluntas operetur, vel non operetur iuxta suum arbitrium; ita vt tunc operetur Deus cum voluntate, cùm ipsa se ad operandum determinat, & tunc non operaretur Deus cum ipsa, cùm eadem non se determinat, sequitur Deum esse causam subordinatam voluntati: & voluntatem non esse causam subordinatam: sed potiùs subordinantem respectu Dei. Probatur sequela: causa subordinata est illa, quæ in operari dependet ab alia & causa subordinans est illa, à qua alia causa in operari dependet: sed Deus dependet in operari à causa secunda, cùm ad nutum illius operetur, & non operetur; ergo Deus est causa subordinata voluntati, tanquam concausæ subordinanti. Respondeo, voluntatem essentialiter subordinari causæ primæ: quia siue liberè, siue necessariò operetur, operatur dependenter à volunte causæ primæ: ita vt, si prius Deus non voluerit cum ipsa concurrere ad actum liberum, vel necessarium, ipsa nullo modo poterit operari, & potest Deus pro sua libertate determinare voluntatem, vt necessariò operetur, & quamlibet operationē 67

liberam illius impedire: Voluntas autem non potest Deum determinare ad aliquam operationem, si prius ipse, etsi non actionem, saltem seipsum determinauerit modo explicato n. 19. ad talem actionem; neque aliquam actionem sine concursu Dei determinare valet voluntas; & hæc subordinatio semper competit voluntati. Quia tamen Deus vult suam libertatem voluntati relinquere, illi per decretum indifferens suam omnipotentiam applicat, & committit, vt illâ vtatur in partem quam maluerit; & omnipotentia sic applicata libere à Deo, operatur vel non operatur hunc, vel illum effectum dependenter à determinatione voluntatis. Et in hoc sensu potest dici omnipotentia subordinata voluntati, cui Deus illam commisit non necessario: sed, ex decreto libero Dei: Numquam tamen adhuc ex decreto libero Dei voluntas diuina dicitur subordinata immediatè voluntati humanæ, quia, licèt voluntas determinet omnipotentiam ad producendâ volitionem creatam; nunquam tamen determinat voluntatem diuinam ad suam volitionem. Quia antequam voluntas creata determinet suam volitionem, & omnipotentiam ad talem volitionem producendam, est Deus determinatus ad omnem actum suæ voluntatis, à quo volitio creata dependet. Neque causa aliqua creata immediatè potest determinare exercitium voluntatis diuinæ, nisi mediatè tantùm, quatenus determinat obiectum circa quod voluntas diuina postea potest versari non actu efficaci, quo velit tale obiectum producere, quia hic actus iam supponitur ad determinationem causæ creatæ, & productionem obiecti, sed actu complacentiæ, vel alio supponente iam obiecti existentiam.

§. V.

Necessitas concursus causæ primæ, vt secunda operetur necessitatem non inducit physicæ prædeterminationis.

68 AD difficultatem hanc dissoluendam, oportet in memoriam adducere obiectum omnipotentiæ esse rationem communissimam entis; quod omnes absque quæstionis loco admittere tenentur. Hanc conclusionem ex dicendis in Met. Contr. 10. de modo quisque facilè intelliget; vbi probabo causam non referri ad rationem aliquam communem omnibus effectibus; sed ad hunc, & illum peculiarem effectum; dicimus tamen referri ad rationem aliquam communem effectuum, seu ad effectus sub ratione aliqua, in qua omnes conueniunt, vt significemus omnia singularia significata sub illo communi conceptu esse terminos, seu obiecta talis potentiæ, sic potentiæ visiuæ colorem in communi solemus assignare tanquam obiectum; quia species omnes contentæ sub hoc conceptu vniuersali coloris, obiectum adæquatum potentiæ visiuæ constituunt. Eodem modo, quia omnia singularia contenta sub hoc vniuersali conceptu entis, sunt obiecta omnipotentiæ, dicimus obiectum illius esse rationem illam communissimam entis. Ex quo fit prædicatum entis esse titulum adæquatum, vt quilibet effectus dependeat à Deo: sicuti prædicatum vitalis, titulus est, vt effectus dependeat à principio vitali. Cum autem in omni effectu hæc ratio entis reperiatur, in omni effectu dependentia à Deo reperiri necesse est. Quem discursum eleganter concessit D. Th. 1. part. quæst. 105. art. 5. in corpore: *Quia forma rei est intra rem & tanto magis, quia consideratur, vt prior, & vniuersalior; & ipse Deus est propriè causa ipsius esse vniuersalis in rebus omnibus: quia inter omnia est magis intimus rebus, sequitur quod Deus in omnibus rebus intimè operetur.*

69 Noto secundò, Deum multis modis influere in effectū productum ab ipso, & à causa creata. Primò: influit in effectum producendo virtutem creatam, à qua ipse effectus producitur; & hac ratione Deus dicitur causa remota cuiusvis effectus. Quam causalitatem haberet quolibet alio influxu secluso. Secundò: Deus producit conditiones, & omnia requisita, vt causa secunda operetur, quod est applicare causam ad suam operationem. Hoc fit in causis physicis per approximationem localem, inter agēs, & passum; & in voluntate per præsentationem obiecti. Hac ratione Deus habet remotè prioritatem illam respectu effectus, quam proximè habent conditiones ab ipso productæ. Tertiò: Deus suam omnipotentiam applicat ad producendum effectum, per decretum antecedens ipsius productionem, indifferens ad effectum liberè producendum à voluntate creata, & determinatum ad producendum effectum dependentem à causa secunda ex natura sua necessaria, & determinata ad effectum. Medio hoc decreto concurrit Deus eodem modo, quo concurrit modò mea volitio ad motum localem efficiendum à potētia progressiua; qui concursus moralis, & non physicus dici solet: quia tantum se habet per modum determinantis principium physicè producens. Quartò: Deus per suam omnipotentiā immediatè influit in effectum: ita vt actio productiua illius essentialiter respiciat omnipotentiam per se ipsum, & immediatè. Hac ratione Deus immediatè, & propriissimè dicitur causa cuiusvis effectus creati.

Hos omnes influxus rectè sine prædeterminatione cōponi ex illorum naturis facilè constat. In quibus rationem 70
adæquatam causæ primæ, à qua secunda depēdeat in operari secundum rationem, qua ab hac distinguitur, prædeterminatione seclusā sitam esse probo, & explico. Influxum causæ, abstrahentem à causa prima, & secunda, rectè quisque agnoscet in dependentia, quam habet quilibet effectus à Deo immediatè, per omnipotentiam, attingentem productionem ipsius. Deinde ratio causæ primæ in eo relucet, quod Deus est causa vniuersalis omnium effectuum, & principium immediatum omnium actionum, & ob hanc rationem præcisam potest dici Deus causa prima, seu prior prioritate vniuersalitatis, illa enim, quæ vniuersaliora sunt, priora vocamus. Neque hæc ratio alicui entitati creatæ conuenire potest: implicat enim dari causam creatam, à qua essentialiter dependeant omnes actiones creatæ. Quia saltem actio, qua ipsa produceretur ab ipsa non procederet: Neque refert, si dicas, Deum non produci à seipso; quia Deus à nulla causa dependet: virtus autem illa dependeret à vera causa: ac proinde daretur causalitas aliqua, cuius ipsa non esset principium: ac proinde non esset causa prima, id est omnium vniuersalior. Quia Deus esset causa omnium effectuum, quorum hæc entitas esset causa, insuper esset causa illius entitatis: ac proinde esset causa vniuersalior illa. Addo implicare causam, à qua reliquæ entitates essentialiter dependeant; quia anima rationalis de facto potest depēdere à solo Deo: ergo implicat non posse dependere ab illo solo: & possibilis est actio tantùm dependens à Deo: ergo de potentia Dei absoluta non potest non esse possibilis, quia licet liberum sit Deo, hanc entitatem produci, vel non produci: non tamen liberum est illi entitatem esse vel non esse possibilem.

Alio modo Deus dici potest causa prima respectu effec- 71
tus, qui dependet indiuisibiliter à Deo, & à causa secunda, verbi gratia, volitionis creatæ. Quia cum dicimus, volitio dependet à Deo, & à voluntate hominis, si inquiramus, voluntas hominis à quo dependeat? aliam illius poterimus causam assignare. Dicemus enim, voluntas dependet ab anima, si voluntas potentia sit superaddita. Et rursus si inquiramus, à quo dependeat anima? dicemus, dependet à Deo: & sic dependentia volitionis à voluntate non resoluitur in ipsam voluntatem, sed in Deum, & sicut prima principia vocamus illa, quæ rursus per alia probari nequeunt, sed per se ipsa nota sunt: sic primam causam vocamus illam: quæ causam aliam non habet, à qua ipsa dependeat, & prima dici nequit illa, quæ ab alia dependet, & media qua causa alia influit. Et hac ratione nulla causa creata, prima dici potest. Deus autem propriissimè causa prima dicitur: quia cùm dicimus volitio creata immediatè dependet à Deo, si rursus interrogemus, Deus à quo dependet? dicemus, Deus à nullo alio dependet, neque vltra progredietur in resolutione causarū, Deus enim est prima causa media qua nulla alia influit.

Alio modo potest dici Deus causa prima, quia non tantùm est causa immediata effectus; sed etiam mediata: quia tribuit virtutem causatiuam causæ creatæ, media qua influit in effectum. Propter quam rationem Deus dicitur, & prima causa respectu effectus, quia prius influit mediatè Deus in effectum, quàm causa creata immediatè influat. Hæc ratio causæ primæ videtur coincidere cum ratione immediatè assignata; tamen, si rectè inspiciatur, longè est ab illa diuersa. Dixi enim causam creatam nō dici causam primam, quia influxus, & dependentia effectus non resoluitur in ipsam. Vnde, etiamsi volitio depēderet à voluntate, & voluntas ab anima, licet anima per impossibile non dependeret à Deo, voluntas non diceretur causa prima volitionis

volitionis; & Deus diceretur causa prima illius. Quia influxus, & dependentia volitionis à Deo in ipsum resolueretur, etiamsi Deus mediatè non influeret in volitionem. Modò tamen assero Deum dici causam primam volitionis;quia est causa virtutis creatæ,à qua producitur, est insuper non dependens ab alia. Vnde, cum dicimus, volitio dependet à voluntate, & rogamus; voluntas, à quo dependet? respondemus, ab anima; & rursus anima à Deo: Deus autem à nullo dependet. Ex quo fit Deum esse causam primam non resolubilem in aliam, non solùm ea ratione,qua immediatè concurrit:sed etiam ratione concursus mediati,quem exhibet media alia causa creata.

Alia ratione Deus dici potest causa prima effectuum; 73 quia applicet causas creatas ad operandum per productionem physicæ præsentiæ ad effectus physicos;& per productionem cogitationum ad voluntatis opera, præcipuè ad opera honesta, & meritoria; ad quæ elicienda Deus sanctis cogitationibus, in quibus præuenientem gratiam constituunt Theologi,ex meritis Christi voluntatem excitat. Quem influxum non habent causæ creatæ,quia licet cogitatio ad opus naturale possit naturaliter ab obiecto applicato produci,obiectum & illius applicatio in Deum, tanquam in primã causam,à qua dependent,reduci debent.

Rursus Deus dici potest causa prima prioritate dignitatis, 74 non solùm quia secundùm suam entitatem causa increata est nobilior principio creato, sed quia principalius operatur,sine subordinatione,respectu libertatis, seu indeterminationis,vel necessitatis causæ secũdæ in ordine ad suam operationem. Rem explico:volitio est actio, quæ non potest non à Deo,& volũtate dependere ex ipso,quod sit in rerum natura; & ita voluntas non potest illam sine concursu Dei elicere, neque Deus sine concursu voluntatis valet illam efficere. Hæc tamen intercedit differentia; quod Deus pro libertate sua poterit voluntatem determinare,vt necessariò producat actionem,& illam impedire, ne talem actionem, sed volitionem producat, neque illi resistere potest voluntas si efficaciter independenter ab illius libertate, ita vti ipsa voluntate ad volitionem producendam: voluntas autem non potest Deum cogere vt illa totam volitionem producat.

Vltimò: Deus causa prima dicitur respectu volitionis 75 liberæ: quia prius est Deum se ipsum determinare ad volitionem producendam, dependenter à libertate voluntatis, per decretum indifferens explicandum punct. sequenti, quàm voluntatem determinare volitionem,& per hanc se ipsam determinare modo supra explicato. Respectu causæ necessariæ nulla est propria determinatio; quia non supponitur indifferentia. Nihilominus calefactionem ipsam solemus vocare determinationem ignis ad calefaciendum,quæ essentialiter supponit determinationem Dei volentis cum igne calefacere. Et in hoc sensu priùs intelligitur Deus per suam volitionem determinatus ad calorem producendum cum igne, quam ignis determinatus conspiciatur per suam actionem. De effectibus, qui tantùm à Deo dependent, & non à causa secunda necessum agere non erit. Cùm enim Deus est vnica causa sine consortio aliùs effectum producens,distinguendus non est diuersus modus influendi causæ primæ, & secundæ, cum nulla sit secunda; & ex dictis cur tunc Deus causa prima dicenda sit,facilè constabit. Quæ sufficiant modò, vt quisque facilè videat non desiderari principia, ex quibus distinguantur influxus causæ primæ,& secundæ, physica exterminata prædeterminatione. Venio iam ad argumenta Thomistarum soluenda.

§. VI.

Argumenta soluta contra doctrinam modò traditam.

76 OBiiciunt primò Thomistæ,vt probent de ratione primæ causæ esse operari media physica prædeterminatione: Deus operatur,vt prima causa: ergo prius natura influit in effectum, quàm causa creata: ergo non ex eo, quod moueat voluntatem mediis cogitationibus,quia hæ possent ab Angelo immitti,& tamen Angelus, non vt prima causa operaretur: ergo necessaria est præmotio physica, vt Deus operetur per modum causæ primæ. Neque excessus in perfectione quidquam conducit;quia non quælibet causa perfectior alia concausa,& perfectior effectu est causa prima:alias anima perfectior specie impressa,cum qua producit intellectionem,& perfectior ipsa esset causa prima respectu illius.

Respondeo ex dictis, multis titulis Deum esse causam primam respectu volitionis,sine eo, quod physicam prædeterminationem producat. Vide quæ suprà dixi. Ad argumentum respondeo, non esse de ratione causæ primæ influere in effectum prius naturâ,quàm causa secunda;sed influere tanquam virtus, & potentia, quæ ab alio principio non dependeat, neque necessum est recurrere ad cogitationes, quas Deus immittit, etiam vt prima, quas si iniiceret Angelus, non esset vt prima causa,sed vt principium dependens à Deo.

Obiic. Aluarez disp. 18. num.14. causa, quæ habet esse 77 ab alio, habet operari ab illo. Ob quod probat Concil. Flor. decreto de fide Catholica, Verbum habere à Patre esse principium Spiritus sancti,quia à Patre habet esse. Et Christus Ioan.7.ait: *Doctrina mea non est mea;sed eius, qui misit me.* Respondeo, omnes causas creatas habere operari à Deo; quia à Deo habent virtutem operatiuam, & quia Deus immediatè operatur cum illis; ita vt nequeant sine Deo operari: quod optimè sine physica prædeterminatione componitur.

Obiicit idem Aluarez suprà num 12. omnes causæ crea- 78 tæ sunt instrumenta: ergo omnes prædeterminantur à Deo. Antecedens probatur ex D. Thom. quæst.3. de potentia art.9.& ratione;quia causa creata non potest esse principalis causa,quia esse est actus vniuersalissimus, in quem tantùm Deus, vt causa principalis influere potest. Consequentia probatur:de ratione instrumenti est agere. vt motum à causa principali: ergo omnis creatura, quæ agit, vt instrumentum, agit vt mota. Respondeo,non omnes causas creatas strictè loquendo esse tantùm instrumenta; sed causas principales potentes influere in rationem entis contractam ad suos effectus. Quod autem dicitur Deum tantùm posse influere in rationem entis, explicui iam suprà,vbi dixi,hoc loquendi modo tantum significari Deum; & non aliam causam, posse in omnes effectus creatos influere. Ad auctoritatem Diui Thomæ Respondeo, Angelicum Doctorem non loqui de instrumento strictè sumpto; sed quodam modo dici voluisse causas creatas instrumenta, quia sicut instrumentum subditur artifici, ita causæ creatæ subduntur Deo. Neque in consequenti illationem inuenio; quia non est de ratione instrumentalis, physicâ præmotione ad operandum determinari.

Obiic. quartò: Deus non potest operari actionem vi- 79 talem, sine potentia vitali: ergo impossibile est influere, vt causam primam in actionem vitalem, quin prius influat in ipsam potentiam: ergo non potest operari, vt causa prima, respectu vitalis actionis, quin physicam prædeterminationem in potentia produxerit. Sic argumentatur Aluarez num. 42. Hoc argumentum maiori explicatione indiget, quàm solutione. Mihi tamen illud explicare non incumbit, neque in explicando tempus insumere placet. Scio enim,nihil difficultatis in illo,quamtumvis explicato inueniendum esse. Respondeo, concesso antecedenti, distinguendo consequens: impossibile est Deum influere in actum vitalem, quin prius influat in ipsam potentiam, tanquam in effectum, hoc est, quin prius illam producat, concedo consequentiam; quin prius influat in ipsam potentiam tanquam in subiectum producendo in illam physicam prædeterminationem, nego consequentiam. Nullum enim vestigium illationis inter antecedens, & consequens apparere potest.

Obiicit Aluelda disp. 6. num. 13. & 14. Operatio causæ 80 secundæ,vt est à causa secunda,est formaliter à Deo: ergo Deus non solùm concurrit per concursum simultaneum, sed per concursum præuium. Probatur consequentia; per concursum simultaneum, effectus quatenus formaliter dependet à causa secunda, non dependet à Deo proximè, sed tantùm remotè, quatenus causa secunda dependet à Deo; ergo debet dari alius specialis concursus, per quem actio, vt dependens à causa secunda, dependeat à Deo. Primum antecedens probant Thomistæ; quia actio, vt causæ secundæ est creatura: ergo vt à causa secunda dependet à Deo; quia de ratione creaturæ est dependere à Deo. Neque illis satisfacies si dicas operationem creatam vt à causa secunda, nihil aliud esse quam operationem ipsam, & causam secundam; ac proinde operationem, vt à causâ secundâ, dependere à Deo dicere dependentiam operationis, & ipsius causæ secundæ. Hanc enim solutionẽ sic impugnant:potest Deus conseruare Solem,& conseruare illuminationem; & tamen potest Sol non illuminare:

ergo Solem illuminare aliquid est præter substantiam illuminationis, & Solis: ergo operatio, provt à causa secunda, quidquam aliud importat, præter operationem, & causam secundam. Sic Aluelda suprà.

45 Idem argumentum in Alueldam retorqueo: operatio procedens à physica prædeterminatione, vt dependet à physica prædeterminatione dependet à Deo, quia vt à physica prædeterminatione est etiam creatura, de ratione cuius est habere dependentiam à creatore: ergo Deus non solùm concurrit cum hac physica prædeterminatione per concursum simultaneum; sed per aliud præuium, quo agat in ipsam prædeterminationem: sicut ipsi Thomistæ volunt concurrere cum igne ad producendum calorem. Plura alia in Alueldam expendi possent; sed ne in rebus leuis momenti immorer, ad solutionem argumenti deuenio. Respondeo, operationem creatam secundùm se totam, physicè dependere à Deo per ipsammet entitatem, per quam indiuisibiliter pendet à causa prima, & à causa secunda, & ita ex parte actionis non esse formalitatem diuersam, per quam dependet à causa prima à formalitate, per quam dependet à causa secunda: nihilominus, ex modo nostro concipiendi, distingui extrinsecè per nostros actus actionem, provt dependentem à causa prima, & provt dependentem à causa secunda, quia cum dicimus actionem, provt dependentem à causa prima, etiamsi ex parte obiecti in recto significati sumamus id, quod formalissimè est dependentia à causa prima, & secunda, in obliquo tantùm sumimus, vnum terminum, seu principium talis dependentiæ. Cum verò dicimus actionem, vt dependentem à causa secunda, ex parte obiecti in recto significati sumimus eumdem formalissimum respectum ad causam primam ex parte tamen obliqui sumimus alterum terminum, seu alterum principium eiusdem dependentiæ, videlicet causam secundam. Vnde actio, vt dependens à causa prima, & vt dependens à causa secunda, distinguuntur per extrinseca connotata, non tamen secundum formalitatem in recto significatam. Quia tamen qui dicit actionem, vt dependentem à causa prima, & actionem vt dependentem à causa secunda, non solùm dicit significatum in recto, & constitutiuum formale intrinsecum actionis; sed etiam obliquè connotata, hinc est, quod actio, quatenus dependet à causa prima, & quatenus dependet à causa secunda, formaliter differat ratione extrinseci connotati. Ad argumentum in forma respondendum est: actio provt à causa prima, & à causa secunda, dependet à Deo, distinguo antecedens: eademmet actio, secundùm eumdem respectum indiuisibilem intrinsecum, per quem respicit causam secundam, respicit causam primam, concedo: dicit idem connotatum, quando cognoscitur, vt formaliter per nostram cognitionem sumitur in ordine ad causam primam, & quando, vt formaliter sumitur in ordine ad causam secundam, nego. Quia vt sumitur in ordine ad causam secundam, dicet tantùm tanquam connotatum causam secundam, & non primam, & vt sumitur in ordine ad causam primam, dicit tanquam connotatum, causam primam, & non secundam. Quæ diuersitas connotationum est valde extrinseca actioni; nam hæc per suam entitatem semper dicit respectum ad causam creatam, & increatam, si est actio, mediâ quâ causa secunda operatur. Quod autem intellectus illam significet cum hoc, vel cum illo connotato, nimis accidentale, & extrinsecum est actioni. Ad confirmationem illam: actio provt à causa secunda est creatura, distinguo antecedens: est creatura connotans formaliter causam primam ex modo nostro concipiendi, nego: connotans tantùm causam secundam ex eodem nostro modo concipiendi, concedo. Si iterum instes: de essentia creaturæ est connotare causam primam, distinguo: est connotare causam primam, vt præcisè connotat secundam ex parte respectus tenentis se ex parte obiecti in recto, concedo: ex parte obliqui, subdistinguo: est connotare causam primam formaliter, vt connotat secundam, nego: absolutè, concedo.

§. VII.

Vltima actualitas actionis prædeterminationem in actu primo non exposcit.

46 CAput aliud, ex quo Dominicani intendunt originem trahere suam physicam prædeterminationem, est actualitas effectus, ex qua intendunt probare debere dari in potentia præmotionem aliquam, per quam auferatur illius potentialitas, & constituatur in actu ad operandum. Quia entitas in actu non potest oriri ex entitate in potentia, & quia si potentia creata sine physica prædeterminatione esset in actu ad operandum, illi conueniret ratio puri actus, quæ tantùm Deo competere potest. Caput hoc abscindere difficile non erit, si explicemus terminos, quibus non mediocriter res, aliàs facilis, & clara, fit difficilis, & obscura.

Actualitas potentialitati opponitur, & ita tot dantur actualitatum genera, quot potentialitatum. Duplex est potentia: vna logica, alia physica. Potentia logica est illa, qua res aliqua possibilis dicitur: hæc conuenit materiæ primæ, quæ est primum subiectum, & subsistentiæ, quæ est vltima perfectio substantialis, constituens vltimò naturam perfectam, & cuicumque accidenti vltimò perficienti substantiam, & omnibus entitatibus, quæ continentur intra obiectum omnipotentiæ. Hæc potentia perfectissimè actuatur, & perficitur per existentiam cuiusuis rei, secluso quolibet alio in illa recepto; potentia enim logica, quam habet materia prima ad existendum, qua possibilis dicitur, omnino est reducta ad vltimum & perfectum suum actum, quando materia existit, siue formam habeat, siue illâ careat. Quia existentia formæ, neque illius receptio non est exercitium potentialitatis Logicæ, quam habet materia ad existendum. Hanc actualitatem requirit omnis potentia physica ad operandum; implicat enim aliquid non existens physicè operari. In hoc sensu existentiam cuiusuis rei actum purum dicere possemus illius potentiæ Logicæ: quia tota perfectissimè reducta est ad actum. Nihilominus nomine actus puri significare solemus existentiam rei, ita per suam essentiam existentis, vt implicet ipsam deficere, vel non esse: & in hoc sensu solus Deus est actus purus. Reliqua verò entia creata dicuntur habere aliquid admixtum potentialitatis, quia licet existant, potuerunt antecedenter non existere, & possunt deficere. 47

Potentia physica triplex est, actiua, passiua & terminatiua. Actus harum potentiarum supponunt illas iam existentes, & sunt omnino extra conceptus potentiarum. Imò realiter ab illis distincti, quod non conuenit actui potentiæ Logicæ; qui realiter, imò neque formaliter ex parte obiecti à sua potentia distinguitur. Potentia ad agendum ad suum actuum reducitur per actionem; & hæc conuenit Deo, qui per suam entitatem est potens efficere, & per actionem constituitur actu efficiens. Neque respectu huius actus potentialitas in Deo imperfectionem arguit: neque in ordine ad illum Deus per suammet entitatem purus actus dici potest; quia Deus per suammet entitatem præcisè non constituitur efficiens. 48

Potentia passiua ad actum reducitur per receptionem alicuius formæ intrinsecè inhærentis subiecto. Hæc potentia repugnat Deo, sicuti illius actus. Deus enim per suammet simplicissimam entitatem est perfectissimus, & in hoc sensu dicitur actus purus, id est ens summè perfectum, sine admixtione alicuius perfectionis superadditæ intrinsecè inhærentis, & sine noua perfectione ab ipso distincta illi adueniente. Hæc perfectio nulli substantiæ creatæ competit, omnes enim perficiuntur aliquibus accidentibus; imò nulli entitati creatæ; accidens enim vltimum, in quo aliud non recipitur, etsi non perficiatur per formam, perficitur per subiectum, ratione cuius constituitur existens, & sine quo non potest existere. Quod enim dicitur accidens esse perfectionem subiecti; & subiectum non esse perfectionem substantiæ, est dicere, accidens ex se ordinari ad perficiendum subiectum, & non è contrà. De facto tamen, & accidens perficitur per subiectum, & subiectum per accidens, & ex vtroque resultat concretum perfectius quocumque eorum seorsim sumpto. 49

Potentia terminatiua sumitur in ordine ad diuersos terminos. Potentia terminatiua dicitur respectu actuum vitalium. v. g. color habet potentiam terminandi visionem. Quodcumque ens potens est terminare intellectionem, & sic de aliis actibus. Dicitur etiam potentia terminatiua vnionis partis essentialis, vel integralis ad aliam compartem essentialem, vel integralem, vel suppositi ad naturam, vel accidentium ad substantiam per modum subiecti, quod informant; vel non per modum subiecti, sed per modum 50

modum termini, in quem sit conuersa propria substantia illorum: sicuti accidentia panis terminât vnionem ad corpus Christi in mysterio Eucharistico. Alia est potentia terminatiua relationis transcendentalis, vel prædicamentalis, si datur. Aliam potentiam terminatiuam agnoscunt nonnulli, qua quantitas per indiuisibile terminatiuum terminatur: hæc est, qua accidens per vltimum sui terminatur. Actus harum potentiarum sunt existentiæ actuales actuum vitalium, vnionum, seu relationum, illarúmve entitatum, respectu quarum se habent tanquam terminatum. Ex his potentiis potentia terminandi actum vitalem intellectionis, & amoris creati, & actus illarum Deo non repugnat, & verè dicimus Deum esse in potentia, vt ametur, & cognoscatur à nobis. Ad cuius actum reducitur per nostrum amorem, nostrámque cognitionem, à quibus actus denominatur cognitus, & amatus. Neque potentia terminandi relationem prædicamentalem creaturæ ad creatorem, & terminatio actualis extrinsecè adueniens ex positione relationis identificatæ cum creatura, Deo repugnat; ex vi cuius terminationis Deus non dicitur relatus, relatio enim non denominat terminum relatum, sed tantùm fundamentum. Poterit tamen Deus dici actu terminans relationem, seu actu respectus per talem relationem. Neque alicui subsistenti è diuinæ repugnat esse terminum naturæ creatæ subrogatum loco proprij termini substantialis, seu substantiæ, terminaréque vnionem hypostaticam inter naturam humanam & subsistentiam diuinam. Repugnat autem Deo terminare vnionem, per modum partis essentialis, vel integralis compositi: & similiter per modum subiecti inhæsionis, seu informationis formæ accidentalis, vel substantialis.

51 Actus omnium potentiarum, quos Deo tribuimus, dicuntur contrahentes, & determinantes potentiã ad actum. Sic dicimus Deum per actionem constitui efficientem, & illius potentiam contrahi ad actum, ad quem, & ad negationem illius indifferens erat. Dicuntur similiter perfectines extrinsecæ Dei, quis enim neget mundi fabricam, adeóque excellentium creaturarum structuram esse maximam Dei perfectionem, licèt extrinsecam, ex qua intrinsecam in hac vita deprehendimus?

52 Ex his licet inferre non omnem actum secundum esse perfectiorem actu primo. Creatura enim est actus secundus respectu omnipotentiæ, & omnipotentia actus primus respectu creaturæ: & infinita perfectione omnipotentia creaturam exsuperat; & in quacumque causa creata semper adæquatum efficiens licet non perfectius, saltem æquè perfectum esse debet cum effectu. Non potest enim quid perfectius à principio imperfectiori produci: ergo actus secundus principij effectiui non debet esse perfectior principio effectiuo, seu actu primo illius. Neque respectu potentiæ passiuæ actus secundus perfectior est actu primo; intellectio enim est actus secũdus animi rationalis potentiæ intelligere; non tamẽ intellectio est perfectior animâ. Actum secundum substantialem perfectionem esse respectu subiecti informationis, habentis se per modum materiæ componentis cum illo totum compositum, probatur in Physic. hoc tamen cõuenit huic actui secundo ex peculiari conceptu formæ substantialis; quæ perfectior debet esse materia, propter rationem ibi assignatam. Eadem certitudine infertur non omnem perfectionem esse in se perfectiorem perfectibili; quia omnis actus secundus est perfectio actus primi; non tamen est illo perfectior, vt patet in exemplis adductis actionis respectu principij effectiui, & formæ accidentalis respectu subiecti accidentalis.

53 Vt clarè deprehendas fallaciam argumentorum, quæ Thomistæ adducunt, & conclusiones præcedentes comprehendas, inspicias precor, quod sibi satis notum erit aliud esse principium efficiens secundum totum, quod dicit in ratione efficientis, esse perfectius effectiuo: aliud efficientiam, seu actum secundum esse perfectiorem principio effectiuo, seu actu primo, quia principium efficiens dicit duo, principium effectiuum, & efficientiã; hoc est actum primum, & actum secundum; & ab effectiuo distinguitur tanquam includẽs ab incluso. Vnde, cum includat efficiens perfectionem effectui, & perfectionem efficientiæ, mirum non est ratione efficientiæ perfectione superare principium effectiuum. Si tamen inter se comparentur effectiuum, & efficientia: actus primus, & actus secundus, semper actus primus perfectione superabit actum secundum. Eadem ratione quælibet potentia, vt reducta ad actum, maiorem perfectionem dicit, quàm ipsa sine actu, v.g. animus intelligens, maiorem perfectionem dicit animo non intelligente; non tamen intellectio perfectior est animo. Idem omnino de actu illo contrahente potentiam Logicam intelligendum est. Licet enim maiorem actualitatem dicat principium intelligẽs, quàm intellectiuũ; quia dicit actualitatem intellectiui, & intellectionis; non tamen maiorem actualitatem dicit intellectio, quàm principium intellectiuum existens in rerum natura. Hæc quæ naturæ lumine nota sunt omnibus, sunt, quæ Thomistas decipiunt, seu, quod certius iudico, quibus ipsi nos decipere procurant, numquam enim credidi doctissimos viros de his dubitasse.

§. VIII.

Dissoluuntur argumenta Thomistarum contra præcedentem doctrinam.

VEnio iam ad Thomistarum argumenta soluenda. Obiic. primò: Causæ secundæ tribuunt effectui suam vltimam actualitatem: sed non possunt hanc tribuere sine præmotione: ergo non possunt sine præmotione operari. Minorem probant: omnis causa creata habet aliquid admixtum potẽtialitatis: omnis actio habet actualitatem sine admixtione potentialitatis: ergo actio habet perfectiorem actualitatem, quàm illam habeat causa creata: ergo non potest depẽdere à causa creata, nisi dependeat à præmotione, quæ habet actualitatem æquè perfectam cum actione, vel cum causa secunda. Sic argumentantur Gonzalez disp. 6. n. 70. & Aluarez disp. 18. num. 12. 54

Mille modis redarguitur obiectio: si enim actio perfectiorem habet actualitatem, quàm virtus actiua illius; quia hæc per illam constituitur efficiens in actu secundo, cur ipsa qualitas præmouens potentiam non dicetur habere imperfectiorem actualitatem actualitate actionis, cum per hanc in actu secundo efficiens constituatur: & cur non dicetur habere aliquid potentialitatis, cùm ipsa, determinans per modum actus primi potentiam, per ipsam actionem determinetur, & efficiens constituatur? quæ redargutio maiorem vim habet, si præmotionem hanc cum causa secunda necessaria comparemus. Ad argumentum respondeo, concedendo illud antecedens, videlicet causam secundam tribuere actualitatem actui: nego tamen causam secundam non habere actualitatem æquè perfectam cum actione. Quia cum actualitas non distinguatur ab entitate, quæ dicitur actualis, & principium efficiens creatum sit perfectius sua actione; hinc est quod actualitas principij effectiui creati perfectior sint actualitate suæ auctionis, seu sui actus secundi. Ad illud, quod dicitur actum primum habere maiorem potentialitatem, distinguo si potentialitas sit Logica respectu propriæ existentiæ, nego: æquè enim existit actus primus, ac actus secũdus; imò existentia actus primi supponitur ad existentiam actus secundi, & vterque actus tam primus, quàm secundus defectibilis est. Vnde in hoc genere potentialitatis, seu actualitatis non habet maiorem potentialitatem admixtã actus primus, quàm actus secundus, si per potentialitatem intelligatur potentia physica ad efficiendum, vel recipiendum effectum distinctum. Concedo, actum primum habere maiorem potentialitatem, & actum secundum illam minorem habere. Nego tamen, ex hoc capite actum primum non posse producere actum secundum sine alia præmotione. Quia hæc maior potentialitas, maiorem virtutem arguit: potentia enim ad producendum effectum distinctum tam in Deo, quàm in creatura dicit perfectionem; & potẽtia ad illum recipiendum in creatura perfectionem dicit, licet admistam aliqua imperfectione. Quapropter Deo conuenire non potest: non tamen semper pontentia passiua imperfectior est actu illius; sæpe enim idem est principium actiuũ, & passiuum respectu eiusdem actionis. Et vt dixi supra, potentia passiua, quam habet anima, vt ex illa educatur potẽtia, seu actus accidentalis, perfectior est ipsa eductione, seu actu educto. Sed esto, sit omnis potentia passiua distincta à principio imperfectior suo effectu, seu forma recepta; non ideò præmotione indiget. Quia causa materialis non debet esse perfectior suo effectu, vt patet in materia prima, quæ est entitas imperfectior forma materiali ex illa educta. 55

Obiicit secundò idem Gonzalez ibidem, num. 10. Nulla causa naturalis, est actus purus in agendo: ergo habet 56

virtutem actiuam permixtam cum passiua; ergo agit, vt mota, secundùm hanc virtutem passiuam. Probat antecedens: omnis causa creata distinguitur realiter ab actu secundo: ergo perficitur per illum: ergo est causa passiua respectu illius: ergo nulla causa est purè actiua. Consequentia probatur: Vnumquodque agit, quatenus est in actu, & agitur quatenus est in potentia; ergo causa secunda agit, quatenus est in actu, hoc est, quatenus patitur per motionem.

94 Non placet disputare, an omne principium effectiuum simul sit passiuum, saltem respectu effectus non coducentis ad actionem? De facto enim sic in omnibus principiis creatis contingere censeo. Quid autem de possibili sit, non ad hanc quæstionem spectat. Vnum autem affirmo, quod vnicè ad rem attinet, principium affectiuum non dicere in suo conceptu virtutem passiuam, neque passionem necessariam esse; vt principium adæquatum effectiuum ad actum reducatur. (Loquor de principio adæquato; quia principium inadæquatum sæpe indiget alio principio in ipso recipiendo: & hac ratione indiget passione, sicuti potentia indiget specie in ipsa recepta) cuius oppositum non probat Albelda; ratio enim, quam supra ex illo dedi, æquè probat Deum debere pati actionem ab illo dimanantem, per quam extrinsecè perficitur. Ad illud, quod dicitur, vnumquodque agere quatenus est in actu, distinguendum est: si enim sonet vnumquodque agere quatenus est in actu primo, id est, quatenus est potens, & habet omnia requisita ad agendum, verum tenet; si tamen intelligatur eo modo, quo intendit Gonzalez, videlicet vnumquodque agere quatenus actu patitur, falsissimum est.

95 Obiicit tertiò Gonzalez n. 11. actus secundus perfectior est actu primo: ergo non potest agere nisi habeat in se præmotionem aliquam, per quam reducatur ad actum secundum. Probat antecedens: quia actus secundus minorem habet potentialitatem, & magis actualitatis: & actus primus habet minus actualitatis, & maiorem potentialitatem. Non vacat millies hæc redarguere. Rationem perpendas Albeldæ, & si illam agnoueris, inuenies eodem modo posse ex illa intendi in Deo dandam esse hanc præmotionem. Respondeo, actum primum effectiuum numquam esse imperfectius, sed saltem æquè perfectum cum effectu. Ad confirmationem, desumptam ex maiori potentialitate actus primi respondi supra in solutione ad primum argumentum.

96 Fundamenta alia desumunt Thomistæ, ad suam qualitatem stabiliendam, ex prouidentia speciali Dei erga prædestinatos; quæ facilè diluit quisque ex nostris Theologis. Quia tamen meum hoc opus non Theologicum, sed Philosophicum est, ab illorum solutione abstineo, sicuti à multis impugnationibus, quibus hanc prædeterminationem exterminare contendere possem, petitis ex fundamentis Theologicis.

§. IX.

Specialiter probatur dari non posse Physicam prædeterminationem ad actus liberos voluntatis creatæ.

97 Conclusio à me asserta, & propugnanda est, dari non posse physicam prædeterminationem ad actus liberos: hanc à posteriori probo intendens inferri ex physica prædeterminatione libertatē euerti, posita physica prædeterminatione ad consensum non potest in eo instanti in quo ponitur, poni carentia consensus: ergo in eo instanti non datur libertas ad vtrumque, sed necessitas ad consensum, & impotentia ad carentiam consensus. Antecedens probo: ponere in eo instanti carentiam consensus, est simul ponere carentiam consensus cum physica prædeterminatione, quod est componere carentiam consensus cum physica prædeterminatione, componere enim, & simul ponere sunt omnino synonima, vt patet ex apprehensione terminorum, sed implicat de potentia absoluta in Thomistarum sententia voluntatem componere carentiam consensus cum physica prædeterminatione ad consensum: ergo implicat ponere carentiā consensus in instanti in quo est physica prædeterminatio. Solum indiget probatione antecedens illud, videlicet ponere in instanti, in quo est physica prædeterminatio carentiam consensus esse simul ponere carentiam consensus cum physica prædeterminatione, quod sic ostendo. Ponere carentiam consensus, quando est physica prædeterminatio, seu in instanti, in quo hæc existit est ponere in eadem temporis mensura carentiam consensus in qua est physica prædeterminatio: ergo est illam simul ponere cum physica prædeterminatione, non enim est aliud simul ponere, aut simul esse, quam ponere, aut esse in eadem temporis mensura.

Prima, & vniuersalior fuga huius argumenti est voluntatem in eo instanti posse ponere carentiam consensus in 98
sensu diuiso physicæ prædeterminationis, non tamen in sensu compositio. Non negant in hoc membro secundo compositionem physicæ prædeterminationis cum voluntate, & potentia ad consensum, & carentiam consensus, asserunt enim voluntatem simul habere potentiam ad vtrumque, & simul esse compositas physicam prædeterminationem ad consensum, & potentiam ad carentiam consensus. Solum negant potentiam ad coniungendam carentiam consensus cum physica prædeterminatione, aliud enim est simultas potentiæ ad extrema opposita: aliud potentia ad simultatem extremorum inter se, & actus cum potentia, itaque affirmant in instanti in quo est physica prædeterminatio esse simultatem, & compositionem inter physicam prædeterminationem, & potentiam ad carentiam actus, seu ad actum oppositum: non tamen admittunt potentiam ad simultatem physicæ prædeterminationis, & carentiæ actus prædeterminati. Exposui terminos nobis satis notos, & in aliis materiis satis vtiles, quia sæpè vidi Thomistas dum difficultate argumenti premuntur conqueri nos, non distinguere inter simultatem potentiæ, & potentiam ad simultatem, & insuper vt constet, quam verè dixerit Doctissimus Petrus à S. Iosepho in concordia suaui disp. 2. sect. 4. n. 2. sine fundamento asserere Thomistas impugnatores physicæ prædeterminationis distinctionē hanc non calluisse, & ex sinistra illius intelligentia multa illis falsò imponi. Quot, quantique viri, non solum ex nostris, sed externis, etiam Dominicanis solutionem ex hac diuisione desumptam aspernentur, videre licet apud Paulum Leonardum parte 2. sect. 2. n. 8. & 9.

Expositam iam diuisionem impugno, implicat volun- 99
tatem ponere dissensum in sensu composito physicæ prædeterminationis ad consensum. Probo consequentiam, in instanti, in quo est physica prædeterminatio ad consensum non est ponibilis dissensus, nisi in sensu composito prædeterminationis, quia eo ipso quod in eo instanti poneretur necessario esset coniungendus cum physica prædeterminatione præexistente, sed hoc modo non potest poni: ergo nullo. Quod casu, quo poneretur coniungeretur cum physica prædeterminatione, constat ex præmissis, quia coniungere nihil aliud est quam vnum ponere quando est aliud.

Instauro idem argumentū: voluntas prædeterminata ad 100
consensum, non potest ponere dissensum compositum cum physica prædeterminatione, non diuisum à physica prædeterminatione: ergo nullo modo. Non potest ponere dissensum compositum cum prædeterminatione concedunt aduersarij: non posse ponere diuisum à prædeterminatione sic probo. Dissensus diuisus à prædeterminatione, est dissensus ab ea separatus, & existens physica prædeterminatione ablata; sed physica prædeterminatio est existens independenter à voluntate, & hæc illam auferre non potest: ergo non potest voluntas ponere dissensum diuisum à prædeterminatione: ergo nullo modo. Probo consequentiam: qui non potest tollere vnum extremum, quod existens supponitur non potest ponere aliud absque eo, quod præexistenti coëxistat, & cum illo componatur, vt per se notum est. Modo enim quando existit Angelus, cuius existentiam auferre non possum, non potero ego ponere aliquam existentiam separatam ab existentia Angeli, sed si eam ponam independenter à voluntate mea existentia à me posita erit simul cum existentia Angeli, & cum ea componetur, & resultabit coëxistentia vtriusque.

Hinc deprehendes quanta sit differentia inter has pro- 101
positiones, *iustus potest peccare. Prædeterminatus potest dissentire.* Prior vera est in sensu diuiso, quia iustus potest gratiam liberè amittere, & peccatum ponere diuisum à gratia expulsa per peccatum. Prædeterminatus verò, nec per sensum diuisum, neque modo aliquo potest prædeterminationem se à excutere, & ita non potest diuisum à prædeterminatione diuisum ponere, sed si poneretur esset coniunctus cum prædeterminatione, qui modus ponendi apud Thomistas implicat, apud quos hoc coniunctum Phy-

sica

sica prædeterminatio ad consensum, & dissensum chymæricum est.

102 Rursus arguo: voluntas libere componit consensum cum physica prædeterminatione: ergo antecedèter potest illum non componere, seu non coniungere: ergo potest libere facere, quod illius consensus non sit coniunctus cum physica prædeterminatione: ergo quod physica prædeterminatio sit separata à consensu, quod in Thomistarum sententia constituente physicam prædeterminationem essentialiter coniunctam cum consensu chymericum est, ad quod semper implicat antecedens potestas: ergo debent fateri voluntatem liberam esse ad componendum & diuidendum consensum à physica prædeterminatione, ac proinde physicam prædeterminationem intrinsecè talem non esse, neque essentialiter cum consensu coniunctam.

103 Omnes illationes legitimæ descendunt ab illo antecedenti, *Voluntas libere componit consensum cum physica prædeterminatione*, quod probo ex Tridentino verbis relatis ex sess.6.cap.5. *eidem physicæ prædeterminationis libere assentiendo, & cooperando*; assentiri enim est simul consentire, & cooperari est simul operari; simul autem assentiri est coniungere assensum cum motione physicæ prædeterminationis, & simul operari est componere assensum & operationem cum physica prædeterminatione: ergo ad hunc sensum compositum, & hanc compositionem voluntas liberè concurrit.

104 Denique cum libera voluntas essentialiter dependeat à physica prædeterminatione in operibus factis, vt oportet ad meritum, & iustificationem in sententia asserente ipsam includi in ratione gratiæ, & huius virtus, vt definit Tridentinum sess.6.cap.16. opera facta, vt oportet semper antecedat, comitetur, & subsequatur, omnis operatio meritoria est cooperatio, & coniunctio operis cum physica prædeterminatione de facto, nec separabilis est ratio operationis factæ vt oportet à ratione cooperationis, & coniunctionis cum physica prædeterminatione, cum verò operatio meritoria libera sit, ita & cooperatio cum physica prædeterminatione. Nec valet ad formales distinctiones operationis, & cooperationis recurrere, tum quia operatio meritoria vt talis includit cooperationem cum physica prædeterminatione, tum quia in his, quæ inseparabilia sunt, non potest dari libertas ad vnum absque eo, quod detur ad aliud.

105 Solutionem aliam adducit Aluares lib. 12. de Auxiliis disp.116. n.9. celebrem inter Thomistas, videlicet physicam prædeterminationem integrum relinquere iudicium indifferens rationis, & ita libertatem illæsam relinquere, quia posito iudicio indifferenti, nec Deus necessitatem voluntati potest imponere, neque illius libertatem destruere tali iudicio permanenti. In hac doctina solutionem nullam reperio, neque illius speciem, sed conclusionem, quam Thomistæ nunquam probabunt, quod enim refert iudicio repræsentari obiectum cum indifferentia, & ex vi huius repræsentationis voluntatem nullam pati necessitatem, si aliunde ponitur principium aliquod voluntatem ad vnam partem adigens, & naturalitas, quale esse intendimus physicam prædeterminationem, alias dicere possem semoto concursu causæ primæ voluntatem liberam permanere, quia sine illo permanet entitas intrinseca voluntatis & iudicium indiferens,

106 Insuper argumentum supra factum ex determinatione, quam ad consensum voluntatis inducit physica prædeterminatio, & incompossibilitate, quam habet cum dissensu eodem prorsus modo procedit, quidquid sit de iudicio indifferenti, & casu, quo verum esset, quod omnino est falsum, voluntatem cum iudicio indifferenti non posse pati necessitatem, aliunde esset soluendum argumentum adductum.

107 Neque vnquam PP. dum impugnabant Hæreticos, qui ineuitabili fato libertatem euerti defendebant, illos reiiciebant, quia iudicium indifferens negarent, quod nunquam somniarunt, neque eos inconsequentiæ arguebant, quia retento rationis iudicio libertatem negabãt, sed quia affirmabant Deum sua voluntate, & præsentia ita præmouere voluntatem creatam, vt illam necessario faceret operari, quod optime obseruarunt Suarius tom. 1. de gratia prolog.1.cap.4. n.10. & doctissimus Hugo Cabellus in supplemẽto ad libros Scoti de anima tom.2. editionis Lugd. disp.3. sect. 14. n. 6. Hanc ergo solutionem omnino insufficientem iudico, quam Habra de Raconis Doctor Parisiensis in sua Philosophia tractatu de principiis quæst.2. propositione 1. §. *sed hæc responsio* asserit pessimam esse omnium, quæ adhibentur.

168 Alia solutio, seu lusio verborum est RR. quorundam asserentium voluntatem cum physica prædeterminatione ad consensum posse coniungere dissensum potentia absoluta, non tamen potentia infallibilitatis. Vocant potentiam infallibilitatis, quæ reuera, & cum effectu ad actũ reducitur. Hac ratione Tridentino respondent volũtatem cum physica prædeterminatione, in qua apud illos physica prædeterminatio consistit, posse dissentire, resistere, & gratiam abiicere potentia absoluta, non tamen potentia infallibilitatis. His vocibus existimant optime libertatem defendere, asserentes, ad libertatem requiri principia actus liberi posse conjungi cum vtroque extremo potentia absoluta, no tamen potentia infallibilitatis.

109 Explicemus verba: voluntas prædeterminata ad amorem non potest potentia infallibilitatis prædeterminationem coniungere cum carentia amoris. Inquiro vnde oriatur hæc impotentia infallibilitais ad coniunctionem prædeterminationis, cum carentia amoris, & hæc infallibilitas coniunctionis cum amore. Si oritur ex natura intrinseca ipsius prædeterminationis essentialiter connexæ cum amore, vt Thomistæ affirmant implicat potentia aliqua absoluta ad disiungendam physicam prædeterminationem ab amore, seu ad componendam prædeterminationem cum carentia amoris, implicat enim potentia quantumuis absoluta dicatur ad faciendum aliquid, quod est contra suam essentiam, vt per se notum est.

110 Dicunt Thomistæ naturam physicæ prædeterminationis esse coniungi essentialiter cum actu libero, & ita ratione coniunctionis istius non habere potentiam infallibilitatis, vt diuidatur ab actu, & quia illius coniunctio est cum actu libero habere potentiam absolutam ad coniungendam carentiam amoris cum prædeterminatione ad amorem. Mirabilis physicæ prædeterminationis essentia ad producendum summè necessario actum liberum potens, in quo duplex contradictorium continetur, quia producere necessario actum est non producere actum liberum, & item quando necessario producit actum liberum illum liberum producet vt asseritur, & illum non producet liberum, quia necessario illum producit. Implicat igitur in terminis producere necessario actum liberum, seu producere necessario actum, & hunc liberum esse, producere enim actum liberum, & producere actum necessarium, nõ ex alio capite desumitur, quam ex modo illum producendi, liberè, vel necessario. Rem ex terminis notam vnica propositione accipe, quæ verborum fallaciam, & equiuocum detegit, & euertit. Implicat hoc complexum voluntas prædeterminata ad amorem essentialiter coniuncta cum amore, & in ea esse potentiam absolutam, alióue quouis nomine significetur ad hanc coniunctionem auferendam, & amorem ab eo separandum, siue essentialis illa coniunctio infallibilitatis naturalitas appelletur, siue alio quouis nomine exponatur, quia contra rerum essentias nulla potentia dispensari potest.

111 Confirmatur: hoc coniunctum odium, & prædeterminatio ad amorem est chymericum, & implicatorium: ergo respectu illius nulla datur potentia. Antecedens prædeterminantibus sanctum est, consequentia negabit, qui admittat potentiam creatam ad duplex contradictorium, si asseratur impotentiam infallibilitatis ad coniungendam physicam prædeterminationem cum dissensu sitam non esse in connexione intrinseca prædeterminationis cum actu prædeterminato, erit omnino discedere à prædeterminantium genere. Rursus nullum caput Thomistæ designabunt, ex quo oriatur hæc infallibilitas. Si enim intrinsecè physica prædeterminatio non repugnet coniunctioni dissensus, vnde constare poterit coniunctionem hanc aliquando futuram non esse. Si ex scientia Dei hæc infallibilitas desumatur Deus scit, quod alias est futurum, non enim hoc est futurum, quia Deus scit, sed Deus scit, quia futurum est: ergo aliud caput erit designandum ex quo infallibilitas futuri consensus desumatur. Denique, siue ex scientia, siue ex decreto infallibilitas desumatur auxilium intrinsece indifferens permanebit, quod admittere Thomistæ sæpe repugnant.

§. X.

Ex definitione libertatis Physica prædeterminatio reiicitur.

ITerum probo non posse dari physicam prædeterminationem ad actus liberos ex definitione potentiæ liberæ 112
sic se habente. *Potentia libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari.* Tradunt hanc definitionem Gregorius Nyssenus, sanctus Thomas, Capreolus, Deza, Herueus, Conradus, Ferrara, Henricus de Gandauo, Scotus, Ocham, Gabriel, Gregorius, Marsilius, Adam Goudanus, Dionysius Cistercienſis, Hieronymus ab Angesto, Rupertus, Holchot, Almainus, Guilielmus de Rubion, Ricardus, Taper, Cannerus, Malderus, quos tumultuariè retuli breuitatis causa, loca autem, quibus potentiam liberam ita definiunt, & definitiones ab ipsis traditas ad verbum transcriptas, reperies apud Ripaldam tom. 3. contra Baianos lib. 2. disp. 15. sect. 12.

His possunt adiungi, quam plures Theologi, ex antiquio- 113
ribus, quos huius temporis Doctores omnes sequuntur, vnius verba non reticebo, quia nullis aliis melius potest difinitio tradi, & comprobari, & quia tradita sunt ab illustri Thomisticæ Scholæ dinasta. Sic habet Sotus lib. 1. de natura, & gratia cap. 16. *Illa itaque causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & non agere. Quia tamen concursum causæ primæ nonnulli non callentes definitionem perturbant.* Sic addit. *Sunt ergo inter scholasticos, qui doceant posito concursu Dei non esse vtrumque in potestate voluntatis, scilicet, agere, & non agere, ob idque aiunt secundo, huiusmodi concursum non numerari inter requisita ad agendum, imo dicunt (vt sua vtamur voce) comitari actionem ipsam, horum autem duorum, vel vtrumque, nunquam intellexi, vel neutrum vnquam credam. Etenim non est dubium, quin concursus Dei, licet comitetur, vt aiunt actiones, sit nihilominus vniuscumque causæ secundæ requisitus ad agendum, imo vero, & natura prærequisitus, quoniam non solum Deus est causa effectus causæ secundæ, verum etiam ipse mouet, ad agendum, & quamuis ille concursus sit prærequisitus, nihilo secius, illo posito, tunc etiam est in facultate voluntatis agere, & cessare, alias nullus dabitur requisitorum numerus, quibus positis voluntas possit agere, & non agere, atque à Deo non erit libera, nam ante diuinum concursum non potest agere, & quando iste adest, vt isti aiunt non potest non agere.* Ex Soto hæc Thomistarum Scholæ magno Achille, quibus clariora alia pro nostra sententia scribi non potuerunt. Argumentum factum ab ipso de concursu Dei ad physicam prædeterminationem transfero. Si enim illa posita non potest voluntas in sensu composito agere, & non agere nullus dabitur requisitorum numerus, quibus voluntas possit agere, & non agere, atque ideo non erit libera, nam ante physicam prædeterminationem, non potest agere, & quando ista adest non potest non agere.

Rationes huius definitionis naturæ lumen videtur osté- 114
dere, nam agentia necessaria possunt agere positis omnibus requisitis ad agendum, & aliquo ex illis ablato possunt non agere, imo non possunt agere: ergo potentia libera in eo debet à necessaria distingui, vt positis amoribus requisitis ad agendum ita possit agere, vt illis perseuerantibus possit non agere, & cum illis coniungere carentiam actionis: posse enim ablatis prærequisitis ad operandum non dari operationem respectu cuiusvis potentiæ necessariæ verum est. Confirmatur: de ratione potentiæ liberæ est posse non producere, quando potentia necessaria non potest non producere, sed hæc tantum non potest non producere, quando habet omnia requisita ad producendum: ergo de ratione potentiæ liberæ est, posse non producere, quando sunt omnia requisita ad agendum, & carentiam suæ productionis dari posse in sensu cõposito necessariorũ ad agendũ.

Hac definitione potentiæ liberæ præmissa arguitur sic. 115
Potentia libera talis esse debet, vt positis omnibus requisitis possit operari, & non operari: sed voluntas prædeterminata ad operationem non potest operari, & non operari: ergo non est potentia libera. Consequentia est legitima: Maior continet definitionem potentiæ liberæ authoritate reuerendam, & naturali ratione notam. Minorem probo. Volũtas prædeterminata ratione prædeterminationis connexæ essentialiter cum operatione est omnino inseparabilis ab operatione, & implicat sic prædeterminatam non operari: ergo sic prædeterminata non potest non operari: ergo sic prædeterminata non est potentia potens operari, & non operati.

Respondent Thomistæ voluntatem prædeterminatam 116
in sensu composito habere potentiam ad non operandum, & cum physica prædeterminatione esse simultatem potentiæ ad operationem, & non operationem, licet non sit potentia ad coniungendam non operationem seu carentiam operationis cum prædeterminatione. Rectè staret solutio si voluntas posset à se excutere physicam prædeterminationẽ, & operatio sine illa dari posset, cum verò vtrumque negent Thomistæ argumentum integrum manet. Voluntas prædeterminata non habet potentiam ad ponẽdam operationem coniũctam cum prædeterminatione, vt Thomistæ propugnant non disiunctam, seu diuisam à physica prædeterminatione: ergo nullo modo. Consequentia est legitima. Priorem partem antecedentis admittunt Thomistæ, posteriorem probo. Ad hoc vt voluntas haberet potentiam ad ponendam carentiam operationis distinctam, vel diuisam à physica prædeterminatione, necesse erat physicam prædeterminationem, non existere, vel iam existentem posse auferri. Sed prædeterminatio iam supponitur existentens independenter à libertate voluntatis. Agimus enim de voluntate prædeterminata, & voluntas non potest illã auferre: ergo non potest ponere carentiam operationis in sensu diuiso. Antecedens probo, vt voluntas possit ponere carentiam operationis in sensu diuiso prædeterminationis, necesse est, vt omne, quod est in hoc cõplexo, *carentia operationis in sensu diuiso prædeterminationis*, quod aliunde non existat possit poni à voluntate, sed in hoc cõplexo est essentialiter inclusa carentia physicæ prædeterminationis: ergo necesse est vt hæc aliunde existat, vel possit poni à voluntate: ergo voluntas prædeterminata non habet potentiam ad ponendam carentiam operationis insensu diuiso physicæ prædeterminationis.

Confirmatur, non potest dari potentia in voluntate ad 117
carentiam operationis, nisi ea ratione, qua hæc possibilis est. Sed carentia operationis tantum potest concipi vt possibilis in sensu composito, vel in sensu diuiso physicæ prædeterminationis. Sed neutro ex his modo voluntas potest illam ponere: ergo nullo. Non in sensu composito vt affirmant Thomistæ; non in sensu diuiso, quia ad hoc necesse erat physicam prædeterminationem non existere, vel voluntatem posse illam à se remouere, ea enim existente, quidquid existat in sensu composito illius existet. Sed physica prædeterminatio existens supponitur, agimus enim de voluntate prædeterminata, & voluntas non potest physicam prædeterminationem à se abigere: ergo voluntas non potest ponere carentiam operationis in sensu diuiso physicæ prædeterminationis. Mitto voluntatem prædeterminatam ad consensum indigere alia physica prædeterminatione, vt eliciat dissensũ, vnde hunc ex duplici capite elicere non potest, vnum, quia est prædeterminata ad consensum, alterum, quia non est prædeterminata ad dissensum.

Dices potentiam voluntatis esse ad carentiam operatio- 118
nis secundum se, non verò ad carentiam vt coniunctam cum prædeterminatione, neque vt diuisam ab illa. Contra est, quia etsi effectus contineatur secundum suam entitatem in virtute causæ, posse illum proximè producere semper est dependenter à circumstantiis, & à negatione impedimentorum, quæ si adsint, & auferri non possint, virtus nequit in effectum erumpere, etsi enim habeam virtutem visiuam coloris si ita sint oculi clausi, vt illos aperire non possim, videre non potero, quantumuis in virtute potentiæ visiuæ contineatur visio. Sic voluntas prædeterminata impedimentum habet ad carentiam operationis, cum qua essentialiter opponitur prædeterminatio voluntatem occupans, quia prædeterminatio essentialiter coniuncta cum operatione, & aliunde voluntas prædeterminationem tollere non potest: ergo non est proximè potens non operari, neque posita prædeterminatione requisita ad operationem voluntas est potens operari, & non operari.

Respondent nonnulli definitionem illam debere intel- 119
ligi de requisitis ex parte potentiæ, & actus primi, quibus voluntas possit operari, & non operari, non verò de his, quæ non pertinent ad potentiam, & actum primum, & ita non requiri pontentiam prædeterminatam posse operari, & non operari, quia prædeterminatio non pertinet ad potentiam, neque requiritur ad posse, sed ad operari, neque attinet ad actum primum, sed est quid medium inter actum primum, & actum secundum, & applicatio actus primi ad actum secundum.

Nihil in his verbis inuenio, quod difficultatem emol- 120
liat:

liat: incipio ab illo, quod dicitur, prædeterminationem non requiri ad posse, sed ad operari. Prædeterminatio requiritur ad operationem, non vt constitutiuum illius, sed vt principium vt plures Thomistæ affirmant, vel vt aplicatio principij, seu conditio; ergo pertinet ad constitutiuum actus primi proxime expediti ad operationem; agens enim esse in actu primo non solum dicit virtutem productiuam effectus, sed applicationem, & omnes conditiones necessarias ad operandum, nec dicimus ignem esse in actu primo ad calefaciendum, ex eo solum quod habeat virtutem productiuam caloris, sed ex eo, quod habeat virtutem applicatam, & non impeditam ad producendum calorem: sic ignis existens Compluti, etsi habeat sufficientem virtutem ad calefaciendum quodque lignum, non dicitur esse in actu primo ad calefaciendum lignum existens Romæ, quia non habet sufficientem applicationem: ergo etiam si voluntas prædeterminata ad amorem habeat sufficientem virtutem ad odium, & prædeterminatio necessariò, nempe prædeterminatio ad odium, & quia habet ineuitabile respectu odij, & omnino indispensabile impedimentem ad odium producendum, nempe prædeterminationem ad amorem cum eo essentialiter connexam, & consequenter cum odio incompossibilem.

121 Est igitur eadē omnino difficultas, siue prædeterminatio sit applicatio virtutis, & potentiæ, siue sit virtus aut potentia, siue sit quid medium inter actum primum, & secundum, siue quid ad actum primum spectans, de quo cum Thomistis contendendum non est, cum sit certum requiri, vt potentia sit proximè expedita ad operationem iuxta sententiam, quæ illam defendit, & prærequirit ad operationem, & ita dicendum est prærequiri ad operationem, & requiri ad posse proximè expeditum operationis; quod includit virtutem effectus, & conditiones, & negationem omnium impedimentorum incompossibilium cum effectu producendo, vt virtus possit in suum effectum erumpere.

122 Rem confirmet materiale exemplum: Pone hominem cum potentia ad ambulandum fortissimis catenis deuinctum, nemo culpæ dabit huic homini, si non ambulet, & Ecclesiam non petat, quantumuis illi positum sit præceptum petendi Ecclesiam. Non quia non habeat potentiam ambulandi, hanc enim habere supponimus, sed quia illam impeditam habet, nec sic impeditus, & impotens impedimentum auferre liber ad ambulandum ab homine sanæ mentis dicetur. Sic se habet prædeterminatus ad odium, qui etsi potentiam habeat ad amorem, quia illam impeditam physica prædeterminatione incompossibili cum amore, & essentialiter connexa cum odio liber dicendus non erit ad amorem.

123 Dicunt nonnulli disparem esse rationem ex eo, quod voluntas sit potentia præcisiua, & virtus loco motiua in homine, seu potentia progressiua præcisiua non sit. Disparitas non est ad rem: volunta eatenus est præcisiua, quatenus potest respicere vnum obiectum, & vnum motiuum, & non aliud, quod potentiæ progressiuæ non conuenire fateor, sed hoc quid ad rem? cum omnia, quæ ad hanc difficultatem spectant sint paria, sicuti enim homo catenis deuinctus ambulare non potest, sic voluntas prædeterminata ad odium, nec cum præcisione, nec sine illa potest amare, & sicuti voluntas prædeterminataad odium retinet virtutem ad amorem, sic homo catenis vinctus retinet virtutem progressiuam, & sicuti si homo à catenis sit absolutus, est liber ad ambulandum, sic voluntas ablata prædeterminatione ad odium, poterit amare, imo in hoc est disparitas, quæ magis argumentum contra aduersarios vrget, quod non sufficiet voluntatem absolui à physica prædeterminatione ad odium, vt possit amare, sed requiritur post ablatam prædeterminationem ad odium illam instrui prædeterminatione ad amorem vt possit amare, implicat enim amorem procedere à voluntate non prædeterminata ad illum.

124 Stat igitur potentiam liberam esse, quæ positis omnibus requisitis, siue per medium virtutis, siue per medium applicationis, seu conditionis ad operandum, vel per modum complementi ad actum primum potest operari, & non operari. Sic enim omnes Theologi illam definiunt absque vlla restrictione, nec dicunt potentiam liberam esse, quæ posita virtute, seu illa posita potest operari, & non operari, sed quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari, & non operari. Alij dicunt potentiam liberam esse, quæ omnibus eodem modo se habentibus potest operari, & non operari. Recole definitiones adductas ex authoribus citatis quos ad verbum refert Ripalda loco citato, & vniuersalem illam *in omnibus requisitis*, vel quid æquiualens in quacumque illarum reperies.

125 Sit vltima solutio nihilo præstantior aliis, quam tradit Aluarez disp. 22. de auxiliis n. 39. Suppositionem antecedentem tenentem se ex parte causæ vniuersalissimæ nempe Dei primæ causæ omnium effectuum bene posse necessario connecti cum effectu, & hunc liberum esse respectu voluntatis, secus autem quando suppositio se tenet ex parte causæ creatæ. Disparitatem assignat ex eo quod Deus propter suam infinitatem, & omnipotentiam, qua est author voluntatis creatæ, potest illam immutare conformiter ad suam naturam, & mouere efficaciter, atque applicare ad producendum actum in particulari non solum secundum substantiam, sed secundum modum libertatis, quod non potest aliqua causa creata, quia finita est, & limitata, atque inferior ipsa voluntate.

126 Non nego: Deum ita posse mouere, & applicare voluntatem ad actum infallibiliter eliciendum, quod non potest alia causa creata; verumtamen hoc præstare potest Deus per media indifferentia data ex præuisione consensus conditionati, quæ proportionata sunt ad finem à Deo intentum infallibiliter obtinendum, non vero per media improportionata essentialiter destructiua finis à Deo intenti, nempe libertatis in actu humano reperiendæ, sicuti esse intendimus physicam prædeterminationem essentialiter cōnexam cum actu. Dicere autem physicam prædeterminationem essentialiter connecti cum actu libero assertio est inuoluens duplex contradictorium, nam eo ipso, quod prædeterminatio talem connexionem habeat actus ab illa procedens non potest non esse, & vt sit liber in ratione liberi dicit essentialiter posse non esse.

127 Impugnatur etiam solutio, quia dum id quod antecedit voluntatem, intrinsecè est connexum cum actu, & cum eo non potest actus esse, eadem prosus ratione se habet in ordine ad libertatem impediendam, siue se teneat ex parte causæ increatæ, siue ex parte causæ creatæ, vt constat ex discursibus adductis. Constat etiam ex definitione libertatis in qua habetur *positis omnibus requisitis* absque vlla distinctione eorum, quæ requiruntur ex parte causæ increatæ, vel creatæ.

128 Adducit Aluarez in confirmationem doctrinæ suæ distinctionis reuelationem actus liberi futuri quæ essentialiter connectitur cum obiecto reuelato, illudque antecedit, & nihilominus libertatem non destruit, vt contigit in reuelatione facta à Deo de trina negatione Diui Petri. Resp. facilè hanc reuelationem tantum tempore antecedere, non natura, ideo enim reuelauit Christus peccatum Petri, quia futurum erat, non vero Petri peccatum fuit prius futurum, & postea existens, quia Deus reuelauit; ex suppositione autem quod Petrus esset peccaturus, præuidit Christus peccatum Petri futurum, & ex hac præuisione illud reuelauit. Neque asserimus id, quod sequitur per necessariam consequentiam ex præcedenti successiuæ durationis necessarium, & inimpedibile esse, quod merito Louanienses damnarunt in Petro de Riuo, cuius historiam diligenter inquisitam refert Eminentissimus Cardinalis de Lugo disp. 26. de incarnatione sect. 6. n. 7. & ex illo Paulus Leonardus parte 3. sect. 8. n. 38. Hoc notaui pro Magistro Ioanne à Sancto Thoma qui 1. part. tom. 1. dist. 20. art. 6. prope finem refert ex Fratre Thoma de Lemos Sixtum quartum damnasse Petrum quemdam de Riuo Louaniensem propter propositionem, qua adstruebat, *Præsuppositā aliquā suppositione antecedenti, ex qua infallibile est hominem operari, tollit liberum hominis arbitrium*, quod alienum à veritate est, vt legenti Cardinalem de Lugo loco citato manifestè constabit. Lege Paulum Leonardum loco citato & Ripaldam tom. 2. disp. 113. qui similes fabellas, & narratiunculas inter vulgus sparsas castigant.

Punctum IV.

De concursu causæ primæ cum principio creato liberè operante.

1 STatuimus omnem causam creatam dependere à prima in operando; ita, vt nullam possit exercere actionem principium

principium creatum causa increatâ illud non comitante. Occurrit modò grauissima difficultas: quomodo scilicet possit hæc dependentia cum libertate componi? quam ex professo aperiam, & ex viribus soluam.

§. I.

Difficultas expenditur.

2 CAusam primam non operari necessariò, neque cæco modo cum secunda; sed liberè supponendum est, non probandum: libertatem sine actu voluntatis incedere non posse tota testatur philosophia. Ex quibus principiis hæc in præsenti suboritur difficultas: causa prima liberè operatur cum secunda: ergo ad operationem causæ primæ secunda supponitur actus voluntatis, quo velit operari: ergo ad concursum voluntatis identificatum cum concursu causæ primæ supponitur decretum Dei volentis ad illum concurrere: ergo actus voluntatis non procedit à principio indifferenti. Probo hanc consequentiam: procedit à decreto volentis ad illum concurrere: hoc decretum necessariam habet connexionem cum concursu: ergo procedit actus à principio necessario cum illo connexo: ergo non à principio indifferenti: ergo non procedit liberè.

3 Nec poteris ad necessitatem consequentem recurrere: quia necessitas orta ex principio nullo modo supponens effectum, non est consequens; sed antecedens: sed hæc necessitas oritur ab actu voluntatis, quo Deus vult cum voluntate cõcurrere; qui necessariò supponitur ex parte principij ad actum: ergo hæc necessitas non est consequens; sed antecedens. Si dixeris decretum hoc, quod ex parte Dei supponitur ad actum non habere connexionẽ necessariam cum illo, difficile erit hoc explicare decretum. Quia decretum efficax, quo Deus dicit, volo concurrere non potest non effectum sortiri: alias Deus non faceret id, quod efficaciter decerneret. Voluntas verò inefficax concurrendi sufficiens non est, vt Deus determinetur ad concursum: quia talis voluntas non respicit obiectum, vt exercendum, & illa posita manet Deus æquè indifferens, & indeterminatus ad concurrendum, & non concurrendum, ac si illam non habuisset.

4 Alio modo difficultatem huius concursus expendo: Voluntas creata non potest suum elicere actum sine concursu Dei liberè se determinantis ad concurrendũ: ergo Deo, non se determinãte non potest actum elicere: sed quando voluntas non operatur, Deus non se determinat ad cõcurrendum cum illa: ergo quando non operatur, non potest operari. Maior est certa: Minorem probo: quando voluntas non operatur, Deus non operatur cum voluntate: ergo non determinatur ad operandum. Patet consequentia: implicat Deum determinari ad operandum, & non operari: ergo si non operatur, signum est euidens, non se determinare ad operandum. Maiori, & minori primi syllogismi concessis, consequentiam corroboro: volũtas operari non potest deficienti aliquo necessario requisito ex parte actus primi ad operationem; sed quando non operatur, defuit determinatio Dei volentis concurrere, necessariò requisita ad operationem: ergo quando non operatur, non potest operari.

§. II.

Solutio P. Vasquez expenditur.

5 PAter Vasquez 1. part. disp. 99. c. 7. n. 43. sic rem componit. Docet decretum Dei concurrendi supponere scientiam Dei, non quidem obiecti, vt absolutè futurum est, hoc enim Dei prædefinitionem supponit: sed eius, quod sub conditione cognoscitur, cuius præscientia omnem prædefinitionem antecedit. Cognoscit enim Deus: *si Petrus tali vocatione præueniatur, & illi non desit meus concursus, actum eliciet.* Postea illum tali vocatione præuenit: & hac posita decernit cum illo concurrere. Quod decretum, etiamsi necessariam habeat connexionem cum effectu, tantùm includit necessitatem consequentem, quia supponit iam ipsum consensum sub conditione futuru̇m. Similiter agnoscit Deus: *si Petrus tali cogitatione vocaretur, ille mihi deesset, & ideo non deberem illi cooperari*; quâ cognitione positâ potest Deus non velle operari cum illo. Ex quo tantùm infertur negatio actus necessitate consequenti; quia ipsa supponitur sub conditionẽ futura ante negationem concursus Dei. Sic docet, hac scientia præmissa, iura libertatis illæsa manere; sine qua nullo modo posse subsistere testatur, quia necessitas determinationis esset antecedens, cum libertate incompossibilis.

6 Primò mihi difficultatem ingerit obiectum illud scientiæ conditionatæ. Si Petrus tali cognitione præueniatur, & illi non desit meus concursus, quia non deesse concursum idem est, ac esse concursum: ergo obiectum scientiæ erit, si Petrus vocetur, & fuerit meus concursus, operabitur: ergo est idem, ac dicere: Si Petrus vocetur, & fuerit illius concursus, operabitur. Probo consequentiam: Concursus Dei, & concursus Petri est idemmet indiuisibilis: ergo idẽ est dicere: si fuerit concursus Dei, erit concursus Petri; ac dicere: si fuerit cõcursus Petri, erit concursus Petri: ergo hæc scientia Dei in Deo ponenda non est, neque vtilis esse potest. Secundò obiectum illud, quod assignat Vasquez hominis non consentientis, scilicet, *si tali vocatione vocaretur, ille mihi deesset*, vel includit ex parte conditionis concursum Dei, vel non includit? si includit: ergo illo posito Deus deesse non potest: si nõ includit: ergo non æqualis ponitur conditio secundùm requisita ad operandum, in consensuro, & in non consensuro: ergo quod alius præuideatur consensurus, & hic non consensurus, non debet tribui illorum libero arbitrio; sed diuersitati conditionum, quæ supponuntur; in vno enim supponitur ex parte conditionis, cogitatio, & concursus: in altero verò cogitatio sine concursu.

7 Mitiùs grauissimum Patrem interpretor; & obiectum scientiæ ab illo assignatum sic intelligo: si Petrus tali vocatione alliciatur, & non desit meus concursus per modum actus primi, hoc est, quod ex me necessarium est per modum actus primi ad concursum, Petrus liberè consentiet. Quæ conditio, sic explicata, eodem modo potest poni in homine non consensuro: & tunc negatio consensus non conditioni, sed homini liberè se non determinanti imputabitur. Sic Vasquium intelligendum puto: aliàs scientia ab illo assignata, scientia non esset, sed nugatoria quædam terminorum repetitio, non solùm in Deo non admittenda, sed à quocumque non fatuo releganda.

Contra sententiam Vasquez sic explicatam, adhuc sunt nonnulla obiicienda. Vt videatur consensus sub conditione futurus ex parte conditionis, debent supponi omnia illa, quæ necessario supponit in statu absoluto, & sine quibus in illo esse non potest, quod per se patet: quia consequens non esset absolutè si deficeret aliquid ex necessariò requisitis, vt sit: ergo si non essent omnia requisita, consensus non esset: ergo vt consensus esset necessariò essent futura omnia requisita ad illum: ergo, vt cognoscatur sub conditione futurus, necessariò debent cognosci ex parte conditionis omnia, quæ ad illum requiruntur: quia non potest cognosci sub conditione futurus, sine aliquo, sine quo futurus non esset. Qua ratione rectè docent Theologi, easdem causas requiri in statu conditionato ad effectum conditionatum, ac requiruntur in statu absoluto ad absolutum effectum. His positis sic argumentor.

8 Vt videatur consensus sub conditione futurus, debet videri sub conditione dependens à decreto Dei, à quo in statu absoluto necessariam habet connexionem: ergo non potest videri liberè, sed necessariò futurus in illo statu conditionato. Probo consequentiam: in illo statu videtur dependens, à conditione quæ necessariam connexionem habet cum illo: ergo sub illa conditione non potest videri contingenter, sed necessariò futurus. Probo antecedens: in illo statu videtur dependens à decreto efficaci; sed decretum efficax Dei habet necessariam connexionem cum effectu: ergo videtur dependens à conditione habente cum illo necessariam connexionem. Vltima consequentia est legitima, quia quod dependet à principio ad vnum determinato, necessariò procedit ab illo; & non liberè, neque contingenter. Neque potest dicere, decretum non habere necessariam connexionem in statu conditionato cum causa: quia P. Vasquez fatetur decretum in statu absoluto habere connexionem cum effectu, quem vult supponi conditionatè, ne connexio decreti cum effectu inducat necessitatem antecedentem cum voluntate: ergo eamdem connexionem habet in statu conditionato, eodem enim modo, quo effectus dependet in statu absoluto à causa absolutè existente, eodem dependet in statu conditionato à causa conditionatè existente: & ideò est necessaria hæc conditionalis: *si ignis est applicatus, calefacit*: quia hæc absolura est necessaria: *ignis est applicatus: ergo calefacit.*

Demum

Demum, si dicas decretum concurrendi non habere in statu absoluto necessariam connexionem cum effectu, ad quid recurrit Vasquez ad statum conditionatum, & cognitionem illius? hæc enim erit impertinens, vt voluntas posito hoc decreto maneat libera, cum ex positione illius nihil ponatur inducens necessitatem effectus, ex principio enim indifferenti numquam potest oriri effectus antecedenter necessarius.

10 Vlteriùs vrgeo: Videatur consensus sub conditione liberè futurus, quin decretum videatur ex parte conditionis: adhuc ità præuisum decretum in statu absoluto in illum influens, necessitatem inducet; quia ex eo, quod consensus præuisus fuerit liber in statu conditionato sub his conditionibus, non infertur liberè futurum in statu absoluto, variatis in hoc statu ex parte actus primi illis, quæ supponebantur in statu conditionato ex parte actus primi, seu ex parte conditionis: ergo si consensus in statu conditionato non fuit dependens à decreto liberè præuisus, postea cùm in statu absoluto ab hoc dependeat, poterit necessariò dependere. Rem explico: nosci Deus, me liberè consensurum, si tali cognitione præueniar, & omnipotentia sit parata ad concurrendum mecum: suppositâ hac cognitione postea producit physicam prædeterminatione, vnionem hypostaticam, vel visionem beatificam compellentem ad actum, & incompossibilem cum negatione illius, ideò ergo his positis liberè consentiam, quod præuisus fui illis deficientibus liberè consensurus? Minimè: quia non tenet consequentia ab statu conditionato ad absolutum rebus diuerso modo se habentibus, & positis diuersis principiis in vtroque statu.

11 Clariùs patet eadem ratio in negatione concursus: scit Deus me liberè non consensurum, si habeam omnia requisita ab consensum. Si posita hac scientia in statu absoluto, Deus non purificat conditionem, & mihi non tribuit omnia necessaria ad consensum, non dicar ego liberè non consentire; aliàs possem dicere liberè non amare Deum; quando nullam habeo cogitationem inclinantem ad amorem, quia præuidet Deus, quod si illam haberem, liberè non consentirem: ergo si in statu absoluto Deus non habet decretum sufficiens ad concursum mihi præstandum, quidquid viderit in statu conditionato, non liberè omittam consensum, æquè enim necessarium est ad meum consensum decretum Dei, quo velit mihi concurrere, ac cogitatio, qua obiectum cognoscam: ergo si Deus non habet decretum, sine quo meus actus esse non potest, illius omissio non est libera; sed in opinione Vasquez ex præuisione illius conditionati Deus non habet decretum necessarium ad meum concursum, quando de facto non concurro; ergo non liberè, sed necessariò omitto.

12 Nonnulli Vasquium intendunt defendere, asserentes Deum cognoscere independenter à suo decreto hoc obiectum: *si hæc voluntas haberet hanc vocationem, & non dependeret à me in operando de facto operaretur*: qua posita scientia, & purificata conditione, Deus absolutè decernet concurrere; quia iam vidit consensum, quatenus est ex parte voluntatis præcedentem decretum absolutum concurrendi. Displicet hæc doctrina: quia consensus per eamdemmet indiuisibilem entitatem dependet à voluntate, & à Deo: ergo non potest videri futurus in aliquo statu quatenus dependet à voluntate, quin videatur in eodem quatenus dependet à Deo. Deinde: quia data illa conditionali, quod voluntas cum hac cognitione liberè operaretur, si non dependeret à Deo, non sequitur modò cum dependet, liberè operari; non enim valet consequentia: voluntas independens à Deo liberè operaretur cum hac vocatione, sine decreto Dei concurrente: ergo voluntas dependens à Deo, cum eadem vocatione liberè operabitur cum decreto Dei concurrente. Quia rebus diuerso modo se habentibus diuersum modum operandi habebit voluntas.

13 Vltimò: non acquiesco doctrinæ Vasquez asserentis, decretum hoc absolutum circa opera nostra, illa non præcedere suppositâ scientia conditionata, quæ hac ablata necessariò præcederet. Quod sic impugno: decretum nostra opera præcedere, nihil aliud est, quàm esse natura prius illis, & veram causam illorum; sed hoc decretum suppositâ scientia, est causa, & prius natura consensu absoluto: ergo illum præcedit omni præcedétia, quam haberet ablata scientia, quia hæc nulla alia esset, quàm præcedentia causæ ad effectum. Ex hoc aliud desumo argumentum. Posita scientia, & ablata scientia eodem modo præcedit decretum consensum absolutum, & eamdem connexionem habet cum illo: ergo posita scientia, & ablata scientia eamdem cõnexionem infert in voluntate, vel illam cum eadem indifferentia relinquit. Eamdem rationem expendo: cognitio Dei per se formaliter loquendo tantum potest inducere necessitatem voluntati, vel illius libertatem arguere, quatenus ex illa sequitur, vel non sequitur tale auxilium, vel tale decretum, vel tale comprincipium, seu talis influxus respectu effectus; ipsa enim per se formaliter, neque potest necessitatem inducere, neque liberam voluntatem constituere: ergo si poneretur idem decretum cum eisdem principiis respectus effectus, eadem esset necessitas, seu libertas respectu illius, posita in Deo scientia conditionata, vel negata: ergo decretum illud ablata scientia necessitatem non induceret, si illam non inferret scientia posita.

Dices decretum illud semper præcedere actum voluntatis; posita tamen scientia non præcedere voluntatem; sed ipsam ad actum comitari; ac proinde dici comitans respectu voluntatis. Hic modus loquendi, licèt non terminis adeò expressis, multis est familiaris, & paucis vtilis; quia id quod destruit libertatem, non est quod antecedit voluntatem determinatè; sed quod antecedit determinationem illius: ergo si hoc decretum est antecedens respectu actus, & necessariam connexionem habet cum illo, antecedit determinationem voluntatis, cum qua habet connexionem: & ita determinatio est necessaria in causa, quæ necessitas opponitur cum libertate. Neque potest dari aliquod principium respectu actus, quantumuis prædefinitiuum, quod non sit comitans respectu voluntatis: quodcumque enim sit, voluntatem comitabitur ad producendum illius actum qui à nullo principio, voluntate non concurrente produci potest. 14

Vltimò: si propter aliquam rationem decretum illud induceret necessitatem consequentem, & non antecedentem, esset; quia ante illud supponebatur consensus sub conditione futurus; sed eodem modo supponeretur, etiamsi Deus illud non cognosceret in omnibus casibus in quibus illum cognoscit: ergo si modò non tollit libertatem, neque tunc illam auferret. Maiorem admittunt aduersarij: minor probatur, quia ablata scientia Dei, illius obiectiua veritas permaneret: ergo permaneret consensus sub conditione futurus: ergo supponeretur ad decretum eodem modo, ac si à Deo cognosceretur. 15

Respondebis, consensum sub conditione futurum supponendum esse in omnibus casibus, in quibus posita scientia supponitur: fore tamen illa ablata plures casus, qui positâ non sunt in quibus ille consensus supponeretur; quia sæpe haberet decretum concurrendi, quando voluntas ex se non esset consensura. Contrà: ex hoc sequitur decretum nocturum libertati in casibus, in quibus consensus non supponitur; non verò in illis in quibus supponitur, & in quibus esset scientia. 16

Alio modo posset responderi, ablata scientia, nunquam supponi consensum sub conditione ad decretum absolutum; quia supponi ad hoc dicit esse aliquo modo causam illius; quod habet media scientia, ad quam consensus supponitur tanquam obiectum; & quæ supponitur ad decretum tanquam proponens obiectum, ex cuius præuisione mouetur Deus ad tale decretum ponendum quod ablata tali scientia ex vi præsentis motiui non poneretur. Casu autem, quo Deus poneret deretum concurrendi sine hac scientia; etiamsi tunc esset consensus sub conditione futurus, tantùm esset concomitanter respectu decreti, & nullo modo supponeretur ad illud neque aliqua prioritas intercederet inter consensum conditionatum, & absolutum decretum. 17

Fateor, in hoc sensu scientiam conducere, vt consensus conditionatus præcedat decretum absolutum concurrendi; sed nihil longius à mente Vasquez, quàm hic philosophandi modus; neque sufficens est, vt dicamus decretum voluntatem liberam relinquere, si independenter ab hac præcedentia illi violentiam inferret; quia hæc causalitas, quam haberet consensus conditionatus, neque hæc præcedentia naturæ, non tolleret præcedentia & prioritatem, quam haberet decretum absolutum respectu consensus conditionati, neque connexionem inter decretum & consensum, ex quibus necessitas consensus necessariò oritur. 18

§. III.

Sententiam P. Didaci de Alarcon expono, & explodo.

19 PAter Alarcon tract.2.de scientia Dei,disp.5. cap.8.refert sententiam Suar. Molin. Less. & Her. qui componunt concursum generalem Dei cum causa prima,per decretum quoddam antecedens, quo efficaciter decernit Deus concurrere cum causis secundis, iuxta vniuscuiusque naturam:cum Sole ad illuminandum : cum libero arbitrio ad amandum, vel odio habendum. Asseritque Suarium explicare hanc sententiam, per decretum quoddam conditionatum,quo Deus non absolutè decernit amorem, vel odium;sed amorem, & odium conditionatè,& dependenter à voluntate. Hanc sententiam sic explicatam impugnat, quia decreta conditionata in Deo reperiri nequeunt. Deinde,quia nullum potest reperiri connotatum externum talis decreti constitutiuum; neque decretum aliquod potest esse sine constitutiuo speciali.

20 Non leue fundamentum dedit Suarius,vt Alarcon putaret ipsum constituere decretum hoc conditionatum, & non absolutum, quia in opusculis lib.1. de concursu Dei cum voluntate, cap.15. num.3. dixit Deum decernere concurrere cum voluntate,non absolutè, sed dependenter ab illa includendo in decreto implicitam conditionem, si ipsa consentire voluerit. Et in Met.disp.22. sect.4.n.14.dixit,per illud decretum Deum non absolutè velle,vt causa libera actum eliciat; sed quasi subintellecta conditione velle illum actum, quatenus est ex se. Si tamen attentè Suar. legatur numquam docuit tale decretum esse conditionatum; sed illud per modum decreti conditionati explicuit. Quod denotant illa verba:*quasi subintellecta conditione.* Et Herice tom.de scientia,disp.6. c.4. n.49. docuit, decretum hoc conditionatum falsò aduersarios impegisse nostris auctoribus;qui bene norunt non posse conditionatum constitui. Impugnationem aliam, quam adducit Alarcon contra hoc decretum ex defectu connotati,quod non potest esse respectu decreti indifferentis ad amorem, vel ad odium, non opponere, sed soluere debebat, ipse enim in sua sententia explicanda incidit in decretum,quod impugnauerat;neque Suarium posset hoc telo impetere, negantem nouum decretum Dei nouo indigere extrinseco connotato.

21 Venio iam ad explicandam Alarconij sententiam. Docet, causam creatam indigere extrinseca assistentia omnipotentiæ, quâ constituatur potens completè elicere suos actus;& hanc assistentiam non esse entitatem intrinsecam Dei. Quas conclusiones efficaciter probat §.2. Addit §.3. num.32. hanc assistentiam non esse decretum conditionatum,neque decretum aliquod efficax cõcurrendi cum causis secundis, si non adsit impedimentum. Rursus non esse decretum aliquod efficax absolutè prædefiniens actus liberos, vel necessarios:neq; decretum aliquod,quo indifferenter velit concurrere ad vtrũque extremum:neq; decretum, quo prius natura velit concurrere cum causa secũda ad effectum ab vtraque indiuisibiliter producendum. Tandem docet n.33.hanc assistentiam esse obligationem quamdam moralẽ ortam ex aliquo decreto,quo Deus se voluit obligare ad concurrendũ cum causis secundis, iuxta illarũ propensionem, inclinationẽ, vel libertatem. Quod decretum nobis constat ex reuelatione Dei;& efficax dici potest respectu effectus, quatenus ex illo oritur aliud decretum, quo Deus hic, & nunc concurrit cum qualibet causa ad suos effectus,iuxta illius inclinationem, vel libertatem.

22 Decretum secundum ortum ex primo explicat n.40. vbi asserit inclusum esse in promissione,qua Deus se obligauit concurrere,& esse quasi indifferens,*quo* (illius sunt verba) *in actu primo applicatur, & assistit proximè virtus diuina indifferenter ad amorem, & odium,cum subordinatione ad voluntatem creatam,in cuius potestate,& non iam in Dei,est amor,vel odium; & propterea ipsi, & non Deo tribuitur negatio amoris, vel odij.* Hoc explicat exemplo habitus musicæ concurrentis ad illos actus,ad quos voluntas illius determinat.

23 Nonnihil in hac sententia reperio, nescio an satis consequenter dictum. Negauerat enim §.3. n.32. assistentiam consistere in decreto indifferenti concurrendi ad amorem, vel ad odium, & postea docet hoc decreto ortũ ex illo priori immediatè applicari omnipotentiam causæ secundæ. Insuper §.1. n. 9. dixerat nullum esse connotatum extrinsecum respectu decreti indifferentis ad amorem, vel ad odium, quia omne connotatum vel est amor; & tunc erit connotatum decreti amoris:vel odium,& connotabit decretum odij: Odium autem,vel amor vagè non dantur in rerum natura; ac proinde non posse dari connotatum talis decreti:sed sic est,quod modò assignat ipse decretum aliquod,per quod omnipotentia immediatè assistit voluntati indifferens ad amorem,vel odium:ergo debet ipse assignare connotatum,quod dixerat inueniri non posse.

Deinde asserit,posito hoc secundo decreto,iam non esse in voluntate Dei,vt sit amor, vel odium; sed totum hocà voluntate dependere: ergo docet ex eodem decreto Dei posse oriri amorem,vel odium,& antecedenter esse indifferens ad vtrumque effectum:quod ipse eodem capite n.12. contra Herice impugnauerat. Alarconis accipe verba: *Hæc tamen sententia supra impugnata est. Quia actus amoris non elicitur determinatè per decretum illud indifferens ad amorem, & odium;sed per decretum aliud ad amorem determinatum, & non ad odium: quis enim dicet actum,quo B. Petrus dilexit Deum supra omnia, processisse à Deo per decretum, quo decreuit non magis amorem sui,quàm odium fieri à B. Petro?*

Redeo ad primum illud decretum,quo Deus ex promissione se obligauit ad habendum aliud, quo immediatè assistit causis secundis. Refert pro conclusione, qua tale decretum statuit, Suar. disp.22. Metaph.sect.4. n.3. & Herice disp.6.citata,n.49.& 50 & Ruisium de scientia Dei,disp.25. sect.10.immeritò tamen:Quia Suarez nullum decretum assignauit, ex quo aliud oriatur;sed expressè docuit, per decretum illud indifferens immediatè applicari omnipotentiam, & nulla alia motione indigere ad effectum producendum:neque dari decretum aliud,quod sit causa effectus productiua n.5.14.& 30.quod faretur ipse Alarcon §.1.n.5. vbi refert Suarez,asserentem ad concursum determinatum amoris non requiri aliud decretum,præter illud indifferẽs, ex vi cuius ponitur amor dependenter à voluntate. Eamdem conclusionem refert ex Herice, quem impugnat n.12. ergo non consequenter, neque ad mentem illorum refert hos auctores pro illo decreto,quo Deus se obligat ad aliud postea habendum,quo immediatè applicet suam omnipotentiam. Neque apud Ruicium verbum inuenies de decreto, quo Deus ad aliud habendum se obligat; sed tantùm asserit Deum parare suam omnipotentiam,per decretũ indifferens,ad amandũ,vel non amandum, & odio habendũ. 24

Tandem decretum hoc, quo Deus se obligat ad concurrendum cum causis secundis,tanquam superfluum ad concursum causæ primæ, & ad libertatem causæ secundæ relegandum est. Quod sic probo:Decretum, quo immediatè omnipotentia applicatur,non est decretũ hoc,quo Deus se obligauit ad concursum præbendum;sed aliud ortum ex isto,immediatè producens effectum dependenter à voluntate:ergo hoc decretum tantùm conducit ad assistentiam omnipotentiæ, quatenus obligat Deum,vt illi immediatè assistat per secundum decretum, quod infert, & quod est formalis,& immediata applicatio. Sed potest Deus habere decretum liberè se ad illud determinans, sine vlla obligatione præcedenti:ergo necessaria non est præcedens obligatio,& superfluit decretum illam inducens, vt Deus immediatè assistat causæ secundæ. Posse Deum habere secundum hoc decretum independenter à priori, existimo à nullo posse negari, quia quidquid Deus liberè promittit, potest liberè sine promissione præstare. Neque potest assignari ratio, propter quam decretum Dei circa effectum producendum, connexionem habeat necessariam cum promissione illud præcedente. 25

Respondet Alarcon num.42. casu,quo Deus haberet secundum decretum sine primo,ita cum voluntate tali casu concursurum,vt posset non concurrere,quia nullo decreto antecedenti suam fidem obstrinxerat, ne à concursu abstineret. Fator ego, tunc Deum posse concursum suspendere, & creaturis non assistere, quod nequit supposita promissione infallibili. Verumtamen hoc nihil refert, dum de facto concurrat: si enim Deus habet decretum concurrendi mecum dependenter à mea libertate, dum illud habeat, quid mea, si hoc decretum immediatè in se formaliter sit liberum, vel tantùm in promissione? vel quid refert antecedenter potuisse non esse, quando est de facto ad effectum,quem præstat per suammet entitatem,quæ eadem est promissione illud præcedente, vel non præcedente? Ex quo argumentum desumo contra priorem partem solutionis, videlicet illo decreto non fore omnipotentiam applicatam:quod sic efformo. In sententia Alarcon, 26

applicatio

applicatio immediata omnipotentiæ consistit in hoc secundo decreto concurrendi dependenter à voluntate, & non in illo primo ad hoc determinatè: ergo permanente hoc secundo decreto, permanet eadem immediata, & formalis applicatio, etiamsi deficiat primum illlud, obligationem ad applicationem inducens.

28 Vrgeo: applicatio in actu secundo omnipotentiæ ad voluntatem, est Deum mecum concurrere ad amorem dependenter à mea voluntate, & applicatio in actu primo est decretum, quo Deus ita mecum concurrit, vel non concurrit, vt pro me stet concursus, & negatio illius; ita vt ego possim concurrere, vel non concurrere: sed posito hoc secundo decreto, & me consentiente erit actus amoris, ita vt potuerit non esse: & non consentiente, ita erit negatio consensus, vt ego potuerim consensum elicere: ergo posito hoc decreto erit applicatio causæ primæ in actu primo: & addito meo consensu, erit applicatio causæ primæ in actu secundo, quocumque alio secluso. Sola minor indiget probatione, quam exhibeo: decretum est de concursu dependenter à mea voluntate: ergo illo posito, concursus dependet à mea voluntate: ergo me volente, erit concursus, & causa prima erit applicata in actu secundo, & renuente non erit, & potui facere, vt esset, & erit applicata omnipotentia in actu primo.

§. IV.

Explicatur propria sententia.

29 Dicendum est primò, voluntatem indigere extrinseca applicatione omnipotentiæ, promptæ ad concurrendum cum illa. Hanc conclusionem docent omnes Theologi: & ratio illius facilis est, omnibusque communis. Voluntas non potest operari independenter à causa prima & necessariò indiget concursu Dei simul cum illa concurrentis ad effectum, quem concursum potest Deus denegare, sicut illum denegauit igni Babylonico: ergo, vt voluntas possit operari, necessum est omnipotentiam applicari ad concursum præstandum.

30 Dicendum est secundò, hanc applicationem non consistere in infinitate, neque in immensitate, neque intima præsentia Dei cum creaturis. Probo clarè: Hæc omnia sunt in Deo summè necessaria, & deficere nequeunt: sed applicatio omnipotentiæ ad operandum cum causa secunda est libera, & potest deficere: ergo applicatio omnipotentiæ distinguitur ab his omnibus.

31 Dicendum est tertiò, hanc applicationem non consistere in eo præcisè, quod Deus nullum habeat decretum prædefinitiuum concurrendi, vel non concurrendi independenter à voluntate; sed necessariò importare actum positiuum voluntatis Dei. Moueor ad hoc; quia licet sufficienter consultum esset voluntati, si Deus ex natura sua eo ipso, quod sit auctor naturæ, consideretur determinatus ad concurrendum cum voluntate dependenter ab illa, quotiescumque oppositum non decreuerit, & concursus hoc modo editus esset libertati humanæ attemperatus, & liber respectu Dei potentis actu positiuo voluntatis illum impedire: nihilominus talis modus concurrendi in Deo ponendus non est, quia ad Dei prouidentiam spectat, vt omnis effectus productus fiat, non tantùm non repugnante voluntate diuina sed illâ positiuè determinante, & volente productionem effectus. Ratio est: quia omnis effectus debet esse positiuè dependens à voluntate diuina, & non tantùm negatiuè, tanquam à non impediente. Quia hæc dependentia non est propria, & per se; sed per accidens; neque effectus ita dependens est voluntarius respectu Dei neque in se, neque in causa; spectat autem ad diuinam, & perfectissimam prouidentiam, vt nihil producatur in rerum natura, quod non dependeat ab actu voluntario Dei, volentis ita fieri.

32 Dicendum est quartò: assistentiam omnipotentiæ diuinæ, qua voluntas constituitur potens liberè amare libertate contradictionis, vel contrarietatis, nullo modo dicere decretum aliquod conditionatum ex parte obiecti, quo Deus dicat, *volo concurrere cum voluntate, si ipsa voluerit.* Probo hanc conclusionem: Deum cum voluntate concurrere, & voluntatem velle elicere actum, sunt eadem met indiuisibilis entitas; quia concursus Dei, & voluntatis non distinguuntur: ergo idem erit dicere: *volo concursum meum, si voluntas voluerit concurrere*, ac dicere: *volo concursum voluntatis, si fuerit concursus voluntatis*: seu: *volo meum concursum, si fuerit meus concursus*: & idemmet indiuisibilis concursus poneretur ex parte conditionis antecedentis, & ex parte consequentis: ergo tale decretum erit nugatorium, & ineptum, & à quocumque cordato relegandum.

Dicendum est quintò, assistentiam omnipotentiæ qua 33
voluntas constituitur potens liberè elicere actum amoris libertate contradictionis, non importare decretum aliquod indifferens ad amorem, & odium; sed decretum quoddam terminatum ad amorem producendum dependenter à voluntate, indifferens ad amorem, & negationem illius; Quo decreto Deus dicat, *volo quatenus est ex me, vt sit actus amoris: ita tamen illum decerno, vt voluntas possit ab illo cessare. Quia licet ex me vellem esse talem actum; non illum efficaciter decerno, independenter à voluntate, ne illius ladam libertatem.* Priorem partem huius conclusionis admittent omnes quia ad hoc, vt voluntas possit liberè amare libertate contradictionis, necessum non est, imò omnino impertinens assistentia omnipotentiæ ad actum odij; quia libertas contradictionis ad amandum, solùm dicit posse amare, & non amare, non verò posse odio habere.

Secundam partem conclusionis probo: quia ad hoc, vt 34
voluntas sit potens amare, requiritur applicatio omnipotentiæ per actum positiuum voluntatis Dei; sed nullus potest excogitari sufficiens ad constituendam voluntatem completè potentè, ita attemperatus illius libertati, & conformis diuinæ prouidentiæ: ergo in hoc, & non in illo constituenda est extrinseca assistentia omnipotentiæ ad voluntatem. Minorem probo per singulas illius partes: tale decretum constituit omnipotentiam ita addictam, & determinatam ad concurrendum cum voluntate, vt illo posito non potuerit non concurrere: ergo constituit voluntatem completè potentem actum producere. Secundò: decretum nullo modo nocet libertati; quia per illud non Deus decernit actum voluntatis independenter à voluntate, neque ex vi illius necessariò ponetur actus voluntate absolutè non determinante; sed talis est naturæ, vt adhuc in sensu composito componi possit cum negatione actus: neque enim ex se est determinatus ad efficiendum actum, sed indifferens, vt illum eliciat, vel non eliciat, licet determinatè actum respiciat, sicut cogitatio determinatè respicit obiectum amandum, & inclinat ad amorem, & cõpoui potest ex natura sua cum negatione talis amoris. Idem postea dandus explicuit Lessius ab omnibus laudatus exemplo habitus charitatis concurrentis ad actum secundum determinationemque voluntatis, illam semper indifferentem relinquentis ad actum, & negationem illius: ita omnipotentia per hoc decretum, quo dicimus applicari voluntati, illi subditur instar habitus cum indifferentia ad actum, & negationem ejusdem.

Tertiò: decretum hoc esse consonum summæ Dei opti- 35
mi maximi prouidentiæ, sic ostendo. Hoc decreto ita fertur Deus in actum bonum, vt quatenus est ex se, vellet illum absolutè futurum, & non illum vult ita absolutè independenter à voluntate, ne illi necessitatem inferat: ergo ex vna parte Deus suam libertatem illæsam voluntati relinquit; & ex alia salua libertate, quasi bonum actum procurat, & ponit id, quod necessum est, vt talis eliciatur actus, & ostendit suam infinitam bonitatem, qua in hominibus quidquid honestum, & sanctum est, intendit, atque procurat.

Dicendum est sextò, decretum hoc, quo Deus assistit 36
creaturæ, ad actum amoris (idem intellige de quocumque actu bono) habere in se imbibitum affectum quemdam, per modum desiderij illius actus; qui rectè explicatur per hæc verba: *vtinam sit talis actus*, quod sic probo. Deus per hoc decretum fertur in bonitatem actus, quam ipse ex intentione nostræ salutis ardentissimè desiderat, iuxta illud: *Deus vult omnes homines saluos fieri*; in qua voluntate virtualiter includitur voluntas bonorum operum, quibus salus est acquirenda, & quam Deus non absolutè prædefinit, vt integrum sit voluntati posse liberè consentire; quod necessariò requiritur ad meritum: ergo fertur in bonitatem illius actus quatenus sibi placentem, quem ipse à voluntate elici desiderat: ergo ex vi talis actus habet Deus prædictum affectum bonitatis, in quam fertur decretum, quo voluntati ad illam eliciendam assistit.

Dicendum est septimò, assistentiam, qua omnipotentia 37
assistit voluntati, vt possit odio habere Deum libertate contradictionis (idem dico de assistentia ad quemcumque

actum malum)est decretum quoddam, *quo Deus dicit,volo vt quatenus est ex me non deficiat actus odij, vt iura voluntatis non infringam: quem actum vellem ego non produci à voluntate,quia malus est, & inhonestus.* Et hac de causa Trid.sess. 6.cap.6.definit circa actus malos Deum tantùm se habere permissiuè. Per hoc decretum voluntatem constitui potentem liberè actum elicere,probatur eodem modo,ac probatum fuit in decreto antecedenti.Deinde,hoc decretum congruum esse diuinæ prouidentiæ,patet,quia per illud fertur Deus in actum malum,non propter ipsam malitiam sed propter adimplendum munus causæ primæ, cui incumbit cum omnibus causis secundis præsto adesse, vt ipsæ iuxta suam propensionem natiuam effectus producere valeant;& propter libertatem voluntatis conseruandam:quod motium est iustum,& honestum Deo:ergo valde conforme diuinæ prouidentiæ.

38 Dicendum est octauò, decretum, quo omnipotentia constituitur assistens ad actum malum, habere in se imbibitam,vel cõcomitantem displicentiam circa talem actũ, propter malitiam, quæ est in ipso,& inhonestatem, quam habet respectu voluntatis, quæ displicentia rectè explicatur per hanc particulam: *vtinam non sit talis actus, cui faciendo liberum concursum paro voluntati.* Ratio huius displicentiæ assignandæ est eadem, ac complacentiæ constitæ respectu actus boni. Quia Deus ex se odit peccatum, & ardentissimè desiderat ne committatur à voluntate, & quasi coactus ad materiale illius concurrit, vt libertatem voluntatis obseruet indemnem: Ergo talis actus ex tali motiuo factus,virtualiter includit displicentiam obiecti; sicut actus, quo mercator merces in mare proiicit necessitate coactus, vt saltem propriæ vitæ sit superstes, annexam habet displicentiam proiectionis mercium in mare.

39 Probatur hæc conclusio simul cum præcedenti: quia ad diuinam prouidentiam spectat,vt adhuc, vt causa prima diuerso modo, & ex diuerso affectu concurrat ad actũ virtutis, verbi gratia ad actum amoris, quo Beatissima Virgo ardentissimè Deum diligebat,quàm ad actum peccaminosum scilicet, quo Iudas vendidit Saluatorem. Hoc enim modo magis elucet amor Dei erga creaturas, & actui,quo cum illis concurrit,tribuitur specialis honestas, quam non haberet,si non respiceret obiecta prædicto modo,sed tantùm bonum actum, & malum ex intentione faciendi id, quod tenetur ex vi auctoris naturæ.Hac ratione impugno Soar,& Herice,& Doctores communiter asserentes,per eumdem actum parare Deum concursum voluntati ad actum amoris, vel odij,decreto amorem, vel odium indiuisibiliter respiciente;& eodem modo concurrere Deum,vt causam primam ad actum virtutis,& vitij.

40 Dicendum est nonò,nullum dari decretum indifferens ad amorẽ, vel odium eliciendum seu ad voluntatem liberè constituendam libertate contrarietatis.Probo hanc cõclusionem:libertas contrarietatis nihil aliud dicit, quàm libertatem ad duos actus contrarios:ergo eo ipso, quod voluntas sit libera ad duos actus contrarios,ad quemlibet libertate contradictionis, est libera libertate contrarietatis;sed per duo decreta à me assignata constituitur voluntas libera libertate contradictionis,ad duos actus contrarios:ergo constituitur libera libertate contrarietatis:ergo non est necessarium decretum aliud indifferens, idem indiuisibiliter terminatum ad vtrumque actum.

41 Dices necessarium non esse aliud decretum indifferens, suppositis his duobus à me assignatis: posse tamen vnum indifferens poni his dubus ablatis.Contrà: amor,& odium sunt duo obiecta,quodlibet ex se sufficiens terminare actũ diuinæ voluntatis, & Deus diuerso modo, saltem inadæquato,fertur in illa: ergo non eodemmet actu formaliter; sed diuerso. Probatur antecedens: actus amoris habet ex se sufficientem bonitatem, vt independenter ab actu odij terminet voluntatem diuinam, etiamsi simul cum illa respiciat ad impletionem muneris auctoris naturæ: & in illum fertur Deus, quatenus est ex se,vt illum efficaciter decerneret,ni libertas esset voluntati seruanda. In actum odij fertur Deus,non propter bonitatem aliquam, quam in illo inueniat,sed propter munus causæ primæ ad complendum tali modo, vt si tale munus Deo non incumberet,concursum ad odium detestaretur:ergo diuerso modo fertur in actibus amoris, & odij: ergo diuersis formaliter actibus.

42 Dicendum est decimò,quodlibet ex decretis à me assignatis per se formaliter constituere potentiam completè potentem suum effectum producere; quod ab illis separari non potest. Quia illis positis, iam est ex parte Dei quidquid requiritur, vt voluntas operetur, & hæc constitutio potentiæ adæquatè potentis, est quasi primarius effectus talium decretorum necessariò illis competens:effectus verò productus ab illis simul cum voluntate liberè cooperante,est secundarius, qui pro libertate voluntatis deficere,vel subsistere potest. Docet hanc conclusionem Herice disp.6.de scient.c.3.iam cit.& ex dictis euidenter infertur.

Dicendum est vndecimò,ad hoc, vt hæc decreta, quibus omnipotentia assistit causis creatis, libertatem illæsam relinquant, impertinenter se habere scientiam conditionatam;plurimùm tamen hanc conducere,vt Deus excellentiori prouidentia hæc habeat decreta, & voluntatem liberè potentem operari constituat. Priorem partem huius conclusionis probaui contra Vasquez §.2. secundam modò probo:quia ad perfectam prouidentiam spectat cognoscere, quid euenturum sit ex mediis, quæ applicantur ad aliquem finem,vt præuideatur quid mali,bonive ex applicatione talium mediorum sequatur, ne postea præter intentionem aliquid inopinatè contingat. Et ideo prudens quisque, antequàm ad aliquid faciendum determinetur, attentè meditatur, quid postea positâ suâ determinatione sit euenturum: ergo ad perfectam prouidentiam Dei spectat cognoscere, antequam suam applicet omnipotentiam, quid ex illa applicatione postea sit futurum;vt possit præuiso damno, vel commodo inferendo illam ponere, vel non ponere. 43

Contra hunc modum arguendi assistentiam omnipotentiæ causis liberis, vix potest aliquid obiici, quod difficultatem contineat, quæ ex dictis facilè non possit solui. Ex illo enim non sequitur, Deum confusè ferri in omnem effectum: sed distinctè in singulos; dependenter tamen à voluntate liberè operatura.Neque potest dici, Deum voluntati violentiam inferre: cum decretum determinationem voluntatis antecedens,indifferens sit,vt coniungatur cum actu, vel cum negatione illius. Neque est inconueniens asserere, decretum Dei hoc modo assignatum non habere effectum, quia Deus non absolutè, & efficaciter decernit effectum producendum: sed dependenter à voluntate. Neque potest obiici,Deum adhuc vt causam primam,eodem modo concurrere ad actum virtutis,& vitij. Quia iam assignaui diuersum modum, quo decreta causæ primæ tendant in hæc obiecta actu essentialiter ad illa requisito,per modum causæ antecedentis: & postea de illis ex vi horum decretorum productis diuersam prouidentiam habet Deus, quia virtutis actum respicit tanquam obiectum complacentiæ, & in ordine ad præmium: actum verò vitij tanquàm obiectum displicentiæ, in ordine ad supplicium inferendum. 44

Vna tantùm in hac re superest difficultas. Quomodo possit Deus determinare indiuiduationem actus voluntatis determinantis se quoad specificationem,quam §. seq. explicabo.Circa materiam hoc puncto definitam legendi sunt Soar in Opusc.l. 1. de concursu Dei cum voluntate, & in Metaph.disp.22.sect.4.vbi eruditè,& doctè hanc rem pertractat, & Ruisius tom.de scientia disp.25.sect.10.Mol. in concordia quæst.14. art.15. disp. 26. §. *vt melius*, & §. *vt neuter*,& disp. 32. §. *primum,& secundum* 1. part. quæst. 19. art.3. disp.3.§. *boni consulat*:Lessius de gratia efficaci,cap.4. num.12. & 15. Qui omnes nobiscum sentiunt, decretum præcedens actum non habere necessariam connexionem cum obiecto: sed esse indifferens ad assensum,& negationem illius.Quam doctrinam apud Soar docent quàm plurimi ex antiquis, Greg. Gabr. Marsi. Adam. Alm. Alens. Capr.Conrr.& Sotus. Quos omnes apud Soar citatos reperies,suprà num. 14.& 16. Differt tamen nostra sententia ab his quas docent doctissimi auctores:quia nos non idem decretum constituimus indifferens ad amorem,& odium: sed duo diuersa. Plerique autem ex relatis expressè affirmant,dari vnum decretum indifferens ad actus oppositos: & alij id non explicant: Deinde nos diuersum modum tendendi damus per decretum causæ primæ in actum virtutis, & vitium, per diuersa motiua. 45

§. V.

Quomodo Deus indiuiduationẽ actus liberi determinet.

NOn leuem difficultatem leuiter ferè omnes attingunt:quomodo scilicet voluntas determinet se quoad speci 46

specificationem actuum, & Deus indiuiduationem horum determinet. Communis est dicendi modus, voluntatem determinare se quoad specificationem, hoc est, non quoad rationem aliquam communem; hæc enim incomprehensibilis est à singularibus distincta; sed ad hunc vel illum actum amoris, sub horum tantum disiunctione, quatenus distinguuntur ab actibus odij, ad quos non producendos voluntas est iam determinata, & hac determinatione præuisa Deum decernere inter illos actus amoris, ad quos voluntas erat indifferens, hanc præ aliis & in hoc sensu dici, Deum determinare indiuiduationem, & voluntati tribui speciei determinationem.

47 Hic philosophandi modus grauissimam, ac penè insolubilem continet difficultatem; quam expendo. Antequam Deus videat voluntatem determinatam per productionem huius numero actus amoris, nihil potest videre, in quo cognoscat esse determinatam ad hos actus indiuiduos amoris sub disiunctione, potius quam ad actus odij; sed omnino Deus illam videt indifferentem ad actus amoris, & odij: ergo non potest præuideri determinatio voluntatis quoad speciem, & ex hac præuisione determinare Deum indiuiduationem actus. Consequentia est legitima, antecedens probo. Deus non potest videre determinationem quoad specifiationem voluntatis in ipsamet voluntate, neque aliquo comprincipio præcedentem ipsam determinationem actuum; neque in ipsis actibus: ergo nullo modo. Probo priorem partem antecedentis; quidquid præcedit actum, est indifferens ad actus amoris & odij, & ad actus omnes amoris; & ad omissionem omnium: ergo in nullo præcedente tales actus, potest determinatio ad illos cognosci. Antecedens latè probatum est, & admittunt omnes non prædeterminantes, & adhuc illud isti negate absolutè non audent. Consequentia est legitima; quidquid enim æquè est indifferens ad diuersa extrema, non magis ex se inclinat ad vnum, quàm ad aliud. Secundam partem antecedentis probo: determinatio non potest videri in ipsis actibus amoris, vt iam productis; quia non possunt videri, vt producti, nisi determinati, nihil enim est vagè, neque sub disiunctione productum. Neque omnes vnquam possunt videri producti; quia in illo priori præcedente determinationem indiuidui, nullus est productus, & in signo posteriori vnus tantùm est producendus. Non in illis, vt possibilibus, quia æquè sunt possibiles actus amoris, & actus odij; nullus enim illorum ex se repugnat, & voluntas ex se potens est omnes producere: ergo neque in ipsis actibus, neque in principio illorum potest Deus videre determinationem voluntatis, quoad specificationem, quousque illam videat quoad indiuiduationem per productionem huius numero actus determinatam.

48 Hæc difficultatis quemcumque supradictam tenentem viam, maximoperè anget. Quapropter laxiorem aliam, & faciliorem tento, quam apud Soar reperio sect. 4. citatâ n. 35. Affero, non præuidere Deum voluntatem determinatam quoad specificationem, antequam illam quoad indiuiduationem determinet: neque illam determinare quoad indiuiduationem hanc huius tantùm speciei, exercendam independenter à sua voluntate; sed ante omnem determinationem voluntatis per præparationem concursus ad hunc numero actum amoris, & non alium, & ad hunc numero actum odij, & non alium, illam determinari; vt ex suppositione, quod sit amatura hunc numero actum amoris, quem tantùm intra hanc speciem elicere potest, eliciat; & ex suppositione, quod sit odio habitura, hoc tantùm eliciat numero odium, quod tantùm producere valet. An verò amorem, vel odium productura sit, penès illius voluntatem remanet, Deus enim per assistentiam suæ omnipotentiæ reliquit illam indifferentiam ad actum amoris A, & actum odij B, producendos vel omittendos, ad alios verò neque potentem completè illam constituit.

49 Hac ratione rectè intelligitur quomodo Deus adhuc non sit causa per se, vt sit potius hoc numero peccatum, quam illud: sed tantùm per accidens, quatenus non constituit voluntatem liberam ad producendum aliud ab isto distinctum. Quo modo Deus determinat quoad indiuiduationem, & non quoad specificationem, etiamsi, quando Deus determinat quoad indiuiduationem, non supponatur determinatio, quoad specificationem, quia non determinat quoad vnam indiuiduationem; sed ad duas diuersarum specierum; inter quas voluntas per productionem actus secundi, se determinat ad hanc huius speciei: & dicimus, se quoad speciem determinare. 50

Ex hac doctrina infertur iuxta dicta, non prius se determinare voluntatem quoad speciem, & postea illam Deum determinare quoad indiuiduationem; sed è contra, prius determinari quoad indiuiduationem non absolutè, sed ex suppositione, quod velit actum talis speciei elicere, & ad indiuiduum illius speciei, non absolutè, sed ex prædicta suppositione. Infertur similiter, hanc determinationem quoad indiuiduationem, quam Deus exhibet, esse antecedentem ad omnem determinationem voluntatis. Siquidem nullam supponit, & nullo modo lædere libertatem; quia non est absoluta; sed ex suppositione, quod voluntas velit operari, intra hanc speciem, & illam relinquit indifferentem, vt amet, vel non amet, seu odio habeat. Infero vltimò, prædicto modo non per se, sed per accidens Deum posse determinare quoad speciem, & quoad indiuiduum, semper dependenter à voluntate liberè volente illud producere, non solùm inter species diuersas peccati ad grauiorem speciem peccati, sed etiam inter duplicem speciem alteram peccati, alteram virtutis, ad speciem peccati. Ratio est clara; quia posita cogitatione alliciente ad amorem Dei, & posita alia cogitatione inclinante ad odium Dei, ex vi quarum voluntas potest amare, vel odio habere, seu ab vtroque actu cessare: potest Deus pro sua libertate negare generalem concursum causæ primæ ad amorem, & illum offerre ad odium: quo voluntas erit libera ad odio habendum, vel non habendum; & impotens amorem elicere, & consequenter ex vi concursus causæ primæ, licet sit indifferens inter odium, & non odium, determinata erit inter odium, & amorem. Nam ex suppositione, quòd sit elicitura amorem, vel odium, cum non possit amorem producere, necessariò tenetur in odium prorumpere, neque ideò Deus illam determinat ad peccandum, cum illi relinquat indifferentiam, vt possit elicere, & non elicere actum odij.

CONTROVERSIA XI.

De causa finali, & exemplari.

NVLLVM est agens, quantumvis rationis expers, cuius operationibus non sit à natura finis præfixus, in quem tendunt, & ordinantur; lapis enim semper grauitat, vt destinatum finem, proprium videlicet centrum acquirat: leuia corpora eodem impetu sursum euolant, nulliſque patiuntur obstaculis detineri, ne proprio careant centro, in quod suum rapidissimum motum dirigunt. Si in hunc sensum finalis causa vsurpetur, nullos habet suæ latitudinis terminos. Ideò non de fine secundùm hanc acceptionem nobis est disputatio constituenda; sed de fine, seu causa finali, quæ per sui repræsentationem mouet principium cognoscitiuum, & appetitiuum, illudque ad sui amorem rapit, & ad sui prosequutionem inclinat, atque determinat.

Pvnctvm Primvm.

Quid, & quotuplex sit finis?

DEfinita fuit à Philosopho causa finalis, desumpta in sensu à nobis explicato, in 2. lib. cap. 3. text. 30. his verbis, *id cuius gratia, vt deambulandi sanitas.* Clariùs 2. Metaph. text. 8. inquit idem Arist. *Finis est, cuius gratia cætera fiunt.* Sibi semper constans, lib. 1. de generat. text. 55. postquam dixerat agens ad causam efficientem spectare, de fine annectit. *Cuius autem gratia cætera fiunt, actiua non est*: ac si diceret finalis causa vtens definitione loco definiti, non est actiua. Eodem modo loquitur text. 80. & lib. 1. & hic cap. 7. quibus locis innuitur finem propter se amari, & omnia propter ipsum. Ex his Philosophi locis desumpta est definitio, quæ vulgo circumfertur: *Finis est, cuius gratia cætera fiunt: ipse verò nullius gratia.* Posterior definitionis pars prioris est explicatio: si enim omnia fiunt propter finem, certum est 1

ipsum non fieri propter aliud,alias finis ipse , & omnia, quæ propter finem fiunt,fierent propter illud aliud , cuius gratia fieret finis. Ad hanc definitionem percipiendam scire debes,dupliciter posse aliquid amari. Primò propter bonitatem , quam in se habet , quia in se est honesta , vel delectabilis amanti , in cuius amorem , seu prosequutionem tendit voluntas ; neque hanc bonitatem propter aliam; sed propter se ipsam amatur. Secundò potest aliud amari,non propter bonitatem,quam in se habet ibi sistendo;sed propter quam habet ad aliam bonitatem acquirendam:ita vt non quiescat voluntas in prosequutione illius: sed ex illa gradum faciat ad aliam bonitatem obtinendam. Vulgare, aptumque exemplum huius doctrinæ est sanitas, & venæ scissio :sanitas propter se ipsam amatur, quia ipsa propter se grata est,& iucunda illam intendenti:scissio venæ non propter se ipsam amatur , ipsa enim in se plurimum difficultatis,& horroris habet,& in se potius est inuisa voluntati: amatur tamen propter sanitatem acquirendam , ad quam ordinatur,& in qua sistit voluntatis desiderium, & non in venæ scissione. Sanitas ergo , quæ propter se amatur , & in cuius prosequutione quiescit animus , dicitur finis , seu finalis causa : scissio venæ , & reliqua, quæ propter sanitatem acquirendam amantur, non habent rationem finis : sed sunt media ad finem obtinendum. Finis amor intentio dicitur, mediorumque appellatur electio : de quibus actibus , & de eorum obiectis formalibus , de eorumdem distinctione,vel identitate latè disputo Cont. 10. de anima, vbi plura de hac re inuenies.

2 Finis diuiditur in finem *cuius* , & finem *cui* : Finis *cuius* est illud bonum, quod amatur : finis *cui* est suppositum illud , cui bonum amamus. Amo ego pecunias Petro,pecuniæ dicuntur finis *cuius* , & Petrus dicitur finis *cui* :quia illi ego pecunias amo. Ex his intulit Gabr. in 2. dist. 1. quæst.5. art. 1. not. 1. Finem *cuius* propriè non subire rationem finis , quia non amatur propter ipsum : sed propter finem *cui*:quod autem amatur vt alij conueniens,videtur, non propter se amari, sed propter illud aliud, quod habet rationem finis. Ideò enim media, non habent finis naturam , quia non propter ipsa , sed propter finem amantur. Gabrielem impugnat alter noster Gabr. Vasquez quæst.12. disp. 2. & P. Soar. tom. 1. Metaph. disp.23. & ferè omnes, qui de hac re agunt. Quia,licet finis *cuius* ametur , vt conueniens alij , non amatur propter aliud bonum acquirendum: ille enim est vltimum bonum,quod intendit amans, non enim respicitur,vt conducens ad aliud acquirendum: sed vt id,quod vltimò acquiri intenditur , & illud vt acquirendum fini *cui* mouet ad sui amorem,& ad electionem mediorum. Media verò non respiciuntur tanquam id , in cuius acquisitione quiescit amans. Postquam enim finis *cui* media obtinuerit,restat aliud principalius amatum obtinendum, quod propriè est finis,& dicitur finis *cuius* Hac ratione doctè asseruit Soar , neque finem *cuius* , neque finem *cui* , seorsim sumptum integrum constituere finem : sed hunc conflari ex vtroque , quod egregiè sanè dictum est : non enim moueor ego ad venæ scissionem , & potionem amaram sumendam propter me tantùm , quia si mihi scissionem venæ , & potionem amaram non eligerem , sanitate carenti illam non concupirem ex mei amore , neque moueor tantum sanitate:quorsum enim propter sanitatem præcisè,& non vt mihi formaliter acquirendam, proprium sanguinem effunderem , & pharmaci amore me totum angerem?Moueor ergo propter me , tanquam propter finem *cui*, & propter sanitatem tanquam propter finem *cuius* , & propter sanitatem mihi acquirendam (in quo complexo includiturfinis *cuius*, & finis *cui*) tanquam propter finem adæquatum.

3 Finis *cuius* , sæpè sæpius est res supposito distincta à fine *cui* , per aliquam actionem illi conjungendam. Exempli gratia:amo ego pecunias Petro, à quo realiter distinguor, & ad quem nullum ex se ordinem habent :ac proinde aliqua actione ab illo comparandæ sunt , vt ad ipsum pertineant. Hinc ortum duxit alia distinctio finis *cuius* in finem *qui* , & finem *quo* : finis *qui* dicitur bonum comparandum, sicuti pecunia:finis *quo* est actio,qua tale bonum comparatur, sicuti possessio pecuniarum. Volunt nonnulli totam rationem formalem in fine *quo* constituere, quia id, quod ego intendo est coniunctio boni mecum , verbi gratia, coniungere mihi pecunias,mediâ possessione, vel coniungere mihi Deum media visione:non verò pecunias,neque Deum,Quia cum ego Deum,seu pecunias mihi concupisco, non intendo Deum , aut pecunias efficere.Melius tamen communis sententia docet,finem adæquatum includere finem *cui*, *qui*, & *quo*. Non enim id tantùm quod efficere intendo finis est : sed id , quod intendo possidere,& cuius bonitate moueor. Cum autem intendo Deum mihi coniungere, moueor non bonitate possessionis præcisè,vt distinctæ à bonitate boni possidendi , sed bonitate ipsa formali ex qua refunditur bonitas in ipsam possessionem. Ideo enim possessio Dei bona est , quia Deus bonus est : Moueor ergo bonitate Dei, ad Deum possidendum, & ita bonitas ipsa Dei, quæ est finis *qui* , propriissimè rationem formalem finis habet, quia id , quod mouet formaliter ad intentionem, formaliter ad finem spectat:sed finis *qui* mouet formaliter ad intentionem : ergo non solùm finis *quo*, sed etiam finis *qui* ad rationem causæ finalis spectat.

Vltimò solet finis diuidi in finem vltimum,& non vltimum,seu intermedium. Finis vltimus est ille, qui propriè dicitur finis , cuius gratia cætera fiunt , ipse verò nullius gratia. Finis non vltimus ; sed intermedius est ille,qui licet fiat gratia alterius , alia tamen fiunt propter ipsum. Exemplum rem explicat: intendo ego alloqui amicum, quia illius alloquutio mihi est grata,& iucunda:ex hoc fine decerno conducere equum ; postea ex voluntate conducendi equum pecunias mutuas peto , vt equi domino soluam : alloquutio amici est finis vltimus , quia omnia propter ipsam intenduntur,& ipsa non propter aliud:Conductio equi est finis non vltimus respectu petitionis pecuniarum : finis, quia pecuniæ petuntur propter conductionem equi , non vltimus , quia conductio amatur propter alloquutionem amici.Hæc finis diuisio vniuoca non est.Finis enim intermedius propriè non est finis, de cuius essentia est non intendi propter aliud , & omnia vltimò amati propter ipsum:Conductio verò equi amatur propter alloquutionemamici:& pecuniarum petitio non vltimò propter conductionem equi , sed propter amici alloquutionem intenditur. 4

Vltimò nota, eamdem entitatem esse posse finem vltimum respectu huius intentionis , & respectu illius rationem medij habere. Possum enim alloquutionem amici efficaciter amare propter bonitatem ipsius:respectu cuius actus alloquutio amici rationem finis habet. Possum item per alium actum amare alloquutionem amici,vt illius voluntatem alliciam, ad munus aliquod mihi conferendum: respectu cuius alloquutio amici , non rationem finis : sed medij induent. 5

PVNCTVM II.

An cognitio finis sit formalis ratio finis , vel tantùm conditio ?

VVlgare proloquium est inter Philosophos : *nihil volitum, quin præcognitum* , & voluntatem non ferri in incognitum ; quia ex se est potentia cæca , indigens illuminatione intellectus, quâ præuiâ possit tendere in obiectum, quod ex vi illuminationis repræsentatur. Habemus ergo ex communi sententia, voluntatem non posse naturaliter amare obiectum,quod prius intellectus non cognouit : & cognitionem requiri naturaliter ad amorem : an verò supernaturaliter possit hic exerceri fine illa , disputo Contr.7. de anima punct. 3.vbi affirmatiuè concludo.Hoc posito difficultas est : quomodo voluntas pertineat ad finem?an vt formalis ratio finis , in qua sita sit virtus causatiua finalis ? an vt conditio applicans bonitatem finis , illiusque virtutem causatiuam , vt suam exerceat causalitatem? 1

Dicendum est , cognitionem non esse rationem formalem causæ finalis , sed tantùm conditionem , & applicationem virtutis causatiuæ in genere causæ formalis. Ita P. Vasquez 1. 2. cap. 2. P. Soar. in Met.dis.23.sect.9 à quibus in hac re nullus non absurdè discedet. Ratio à priori perspicua est.Ratio formalis est,quæ trahit, & mouet voluntatem ad sui amorem,& ad electionem mediorum:sed id, quod trahit ad sui amorem est bonitas , quæ ex vi cognitionis apparet, & non cognitio : ergo ratio formalis finis est bonitas , quæ attingitur per cognitionem , & non cognitio. Confirmatur : id mouet voluntatem ad sui amorem , quod ego intendo acquirere :sed quod intendo acquirere , non est cognitio obiecti , sed ipsum obiectum: 2

obiectum : ergo id quod mouet voluntatem , non est cognitio obiectiſed ipſum obiectũ cognitum:ergo id,quod habet virtutem mouendi voluntatem,est bonitas obiecti; & non cognitio : ergo non hæc , ſed illa habet virtutem cauſandi in genere cauſæ formalis;quæ non diſtinguitur à virtute mouendi voluntatem ad amorem obiecti,quod intendo acquirere. Me non intendere cognitionem obiecti cogniti, ſed ipſum obiectum cognitum bonum , patet in ægro,qui morbo oppreſſus, nuſquam ambit cognitionem ſanitatis,quàm iam habet,neque ex illius deſiderio pharmacum felle plenum exhauſitſed ex intentione ſanitatis, quam auidiſſimè exoptat,illius cognitione contempta.

3 Cæterùm , cognitionem ipſam reflexè cognitam per aliam cognitionem poſſe habere rationem formalem finis intenti,& tanquam finem hanc de facto ſæpè obtineri, nemo dubitat. Quia ipſa cognitio in ſe bonitatem habet,ratione cuius poteſt intendi à voluntate, ſi ex vi alius cognitionis repræſentetur. In quo caſu cognitio reflexa, quæ eſt propoſitio alius directæ cognitionis,ſe habebit vt conditio,& cognitio directa erit ratio formaliter amata, quæ virtutem habebit mouendi voluntatem ad ſui amorẽ, & ad exequutionem mediorum conducentium ad illam cognitionem obtinendam. Exempli gratia : cognoſco in via viſionem beatam mihi bonam eſſe,& eam mihi concupiſco , & ex illius amore piè religioſeque viuo ad illam obtinendam.Viſio beata tunc ſe habet reſpectu huius intentionis, & amoris illam obtinendi,vt cauſa finalis , & vt formalis virtus cauſandi in genere cauſæ finalis : & cognitio reflexa ſe habet , vt conditio, reſpectu huius intentionis,ſicuti eadem viſio ſe habet reſpectu amoris,quo Beatus Deum amat cognitum per ipſam viſionem beatificam.

4 Ex hoc infero , propoſitionem hanc : *obiectum bonum, vt cognitum eſt cauſa finalis*,non ſine diſtinctione concedendam eſſe.Illud enim *vt*,duplicem ſenſum habet:aliquando reduplicat rationem formalem , & virtutem formaliter cauſatiuam , vt cum dicimus *homo , vt intellectiuus demonſtrationem efficit*,in quo ſenſu propoſitio prædicta falſa eſt:aliquando eadem particula tantùm reduplicat conditionem ſuper virtutem cauſatiuam,vt cum dicimus *ignis, vt applicatus calefacit* , & in hoc ſenſu propoſitio prædicta abſque formidine concedenda eſt.Neque refert,quod dicatur intellectus mouere, aut impellere voluntatem,quia loquutio hæc non ſignificat intellectum propriè cauſam impellentem, mouentem , aut cauſantem finaliter actum voluntatis, ſed eſſe cauſam applicantem virtutem , à qua tanquam à cauſa finali,procedit amor;ſicuti dicitur homo domum comburere ex eo tantùm, quod applicet ignem domum comburentem.

5 Obiic.Cognitio finis ſe habet veluti exiſtentia bonitatis finis,ſeu cauſæ finaliſſed exiſtentia cauſæ , & virtutis cauſatiuæ ſe tenent ex parte virtutis formalis, & non ſolum ſe habet vt conditio,vt patet in exiſtentia ignis, quæ non eſt conditio;ſed virtus formalis , à qua procedit calefactio : ergo cognitio finalis cauſæ ſe habet , tanquam virtus formalis reſpectu cauſalitatis producentis à fine;& non ſolùm vt conditio. Reſpondent ferè omnes, cognitionem non eſſe exiſtentiam virtutis cauſatiuæ in genere cauſæ finalis:ſed tantùm conditionem,quæ ſolutio non omnino difficultate caret;quia finis , vt cauſet debet habere exiſtentiam,non phyſicam,ſeb obiectiuam Exiſtẽtia autem obiectiua eſt cognitio,per quam formaliter bonitas eſt obiectiuè in intellectu.Aliter ego reſpondeo,admittendo maiorem propoſitionem , videlicet cognitionẽ ſe habere inſtar exiſtentiæ reſpectu cauſæ finalis:ex vi cuius exiſtentiæ finis exiſtit eo modo, quo debet exiſtere ad cauſandum,& hac maiori omiſſa,diſtinguo minorẽ:exiſtẽtia cauſæ ſe tenet ex parte virtutis cauſatiuæ quando exiſtentia identificatur cum virtute,concedo:quando exiſtentia realiter diſtinguitur ab illa,nego. Ideò enim dico ego exiſtentiam ignis eſſe rationem formaliter productiuam caloris ; quia non diſtinguo realiter exiſtentiam ignis ab ipſo igne,quam ſi diſtinguerem,dicerem eſſe tantùm conditionem.Deinde nego conſequentiam.quia cognitio bonitatis,ſeu cauſæ finalis,etiamſi illius exiſtentia intentionalis ſit , non identificatur cum ipſa bonitate : cognitio enim,quæ bonitatem finis attingit, non ſuprà ſeipſam reflectit;ſed in aliud obiectum à ſe ſaltem negatiuè diſtinctum fertur.

Punctum III.

De causa exemplari.

1 EXemplaris cauſa finali affinis eſt valdè, vtraque enim intentionaliter,& media ſui cognitione influit in effectum.Diſputat de exemplari ſatis eruditè noſter Soar in Metaph.diſput.25.ſect.1.ex illo breuiter ſelectiora dabo,& omnia , quæ ſpectant ad huius cauſæ perfectam notitiam , attingam : quæ non longiorem diſputationem expoſcunt.

2 Ariſt.7. Metaph. cap. 2. text. 32. cauſam exemplarem his verbis definit, *illud, in quod reſpiciens agens operatur*. Ex qua definitione conſtat non poſſe dari exemplar , niſi reſpectu effectus prouenientis à cognoſcente , quia tantùm cognoſcens poteſt reſpicere aliud,quod imitetur. Neque huius cauſæ effectus dicitur illud,quod non prouenit à cognoſcente , & intendente tale exemplar imitari , quia ſi agenti inſit exemplaris cognitio , & caſu ab illo fiat effectus , quin per cognitionem exemplaris dirigatur actio, cauſa exemplari carebit : quia cognitio operationem non dirigens,reſpectu illius ſe habet,ac ſi non eſſet.

3 Duplex exemplar diſtinguunt Doctores : vnum internum,& externum aliud:externum exemplar vocant quod ante oculos externè ſibi proponit artifex , vt inſtar illius effectum efformet, verbi gratia,pictor imaginem Regis ſibi ante oculos ſtatuit,vt ex illius deſcriptione Regem depingat ; & imaginem aliam ſimilem illi, quam ſibi coram oculis obiecit, efficiat.Exemplar internum dicunt auctores, eſſe ſimilitudinem quamdam, quam ſibi artifex fingit in intellectu poſtquam imaginem ad extra poſitam vidit, ad cuius imitationem effectus dirigitur , quæ ſimilitudo, ſeu idolum manet in mente,poſtquam exemplar externum ablatum eſt.Diuiſionem hanc apud omnes inuenio,in qua ego maiorem explicationem deſidero. Quod enim exemplar illud internum,ſeu idolum,quod artifex intendit imitari ? an cognitio ? an obiectum ? non cognitio tantùm , quia omnes exemplar internum diuidunt in obiectiuum , & formale. Si obiectum , hoc videtur eſſe obiectum externum, dices eſſe obiectum externum , non vt externè exiſtens : ſed vt exiſtens in intellectu , quod conſtat,ex eo,quod remaneat in intellectu,etiamſi externè auferatur, vel corrumpatur. Eſto obiectum externum, vt exiſtens in intellectu:Si illud *vt* reduplicet exiſtentiã in intellectu, dicit cognitionem , & conceptum formalem, ex vi cuius exiſtit obiectum in intellectu:ſi reduplicet rationes formales tenentes ſe ex parte intellectus,& terminantes cognitionem ; hæ ſunt ipſiſſimum obiectum externum,quod per ſe ipſum formaliter cognitionem terminat. Neque refert manere in cognitione, ſeu illam terminare, etiamſi non exiſtat , quia vt aliquod obiectum externum quodcumque illud ſit terminet cognitionem,non requiritur illud phyſicè exiſtere.Exiſtentia enim, quæ modò non eſt,modò poteſt cognitionem terminare, & ita obiectum externum dum non exiſtit , exiſtimo poſſe terminare cognitionem,& eſſe exemplar , neque aliud ego cognoſco exemplar internum à cognitione diſtinctum. Quapropter diuiſionem illam exemplaris obiectiui in internum, & externum explico de eodem exemplari externo non extrinſecè denominato cognitione,ſine qua influere nequit,quod externum dicitur eidem obiecto externo cognitione denominato,ratione cuius internum dicitur,non quia ſecundùm ſe internum ſit,ſed quia per cognitionẽ denominatur exiſtens in intellectu,cuius hæc in intellectu illi extrinſeca exiſtentia eſt cognitio intellectui intrinſeca , ratione cuius obiectum per denominationem illi extrinſecam dicitur intellectui intrinſecum, ſeu exemplar internum intellectus.Hac ratione obiectum externum dicitur non eſſe intellectus exemplar,quia neque ſufficit exiſtentia intrinſeca obiecti in ſe,ſine exiſtentia in intellectu , neque hac poſita illum phyſicè dari neceſſum eſt,ſed tota exemplaris ratio exemplari externo,ſeu exemplari quatenus cognito,ſeu in intellectu exiſtenti tribuitur. Cæterùm cum reſpiciens exemplar externum ex vi illius intendit effectũ illi ſimilem producere , non ſolùm concipit imaginem illam,quam videt:ſed aliam ſibi ſimilem per intellectũ proponit,quam ductus cognitione externæ,quam videt,illiuſque ſpeciebus adiutus ſibi confingit,& ideò ſemel, & iterum inſpicit externum exemplar ſibi propoſitum, vt aliud

instar illius omnino simile concipiat, quod intendit facere. Quia cum pictor intuens imaginem Cæsaris, iterum Cæsarem pingit, non intendit facere imaginem, quam videt; illa enim iam supponitur facta, & ab illo fieri nequit; sed aliam: ergo aliam concipit, quam facere intendit, non enim intendit facere id, quod non concepit. Itaque artifex videns exemplar externum, seu imaginem, quam habet præ oculis, concipit imaginem externè propositam iam factã; & simul aliam faciendam, hæc facienda est, quam tantum intendit facere, & imitari, quia vult suam operationẽ conformari cum hac operatione, quam instar illius ipse sibi proposuit: externam illam non facere propter rationẽ iam dictam; sed imitari intendit. Quia cùm intendat facere, quam ipse sibi proposuit; & hæc sit similis imagini externæ propositæ, & instar illius concepta: eo ipso, quod hanc intendat facere, intendit facere imaginem similem illi, quã sibi proposuit: quod est intendere illã imitari. Hæc in creaturis: Deus verò nullum externum exẽplar respicit distinctum ab illo, quod intendit facere, quia, cum Deus ad concipiendam perfectè creaturam, quam intendit producere, non mendicet species ab alia creatura simili præcognita, instar cuius illam sibi proponat: sed immediatè cognoscat creaturas in se ipsis, vel in sua essentia, tanquam in obiecto formali cognitionis terminatæ ad creaturas; ad faciendam hanc creaturam, neque mediatè, neque immediatè ducitur cognitione aliùs creaturæ, neque alicuius exemplaris creati distincti ab illo, quod intendit facere.

4 Difficultas est: an ratio exemplaris consistat in conceptu obiectiuo, an in formali? P. Vasquez 1. part. disp. 71. c. 2. censet in creaturis exemplar esse conceptum obiectiuum. Consentit Fonseca 1. Metaph c. 7. quæst. 1. sect. 5. Conimbr. lib. 2. Physic. c. 7. quæst. 3. art. 2. Oppositum tenet P. Suarez, qui exemplar in conceptu formali constituit, loco cit. n. 1. Suarium sequitur Rubius tom. 6. q. 2. leue inter vtrosque dissidium, & forsan tantum de modo loquendi: rem breuiter compono.

5 Dico primò: Ipsa formalis cognitio est, quæ immediatè dirigit operationem, & potentiam executricem gubernat, & mediâ illâ influit exemplar, si hoc in conceptu obiectiuo consistat. Conclusionem hanc nemo, qui rem attentè inspiciat, negabit: quia id tantùm potest immediatè dirigere subiectum, quod illi formaliter, & intrinsecè inhæret, sed hoc tantùm est cognitio & non obiectum: ergo cognitio est, quæ immediatè gubernat potentiam exequutricem ad opus efficiendum, & æquè est regula ab intellectu præscripta, vt iuxta illam fiat effectus.

6 Dico secundò: Id, quod agens intendit imitari, est conceptus obiectiuus. Probatur conclusio: opus efficiendum, vt sit iuxta id, quod ex vi exemplaris intenditur, non debet esse simile cognitioni, neque artifex intendit imaginé depingere similem cognitioni, sed obiecto cognito: ergo id, quod intendit imitari est obiectum cognitum, & non cognitio. Quod experientia ipsa compertum est: quia cum pictura similis est obiecto apprehenso, seu prototypo, dicimus factam esse iuxta ideam artificis, & conformem causæ exemplari, & hoc tantùm examinamus: non verò, an sit similis cognitioni, ex vi cuius imago facienda, vel iam facta externe propositа erat intellectui: vix enim aliqua similitudo, & certè nulla reperiri potest inter cognitionem, & opus ex vi illius productum. Confirmatur: artifex, cùm exemplari ductus externum efficit opus, vt plurimum suam cognitionem non cognoscit: ergo non intendit imitari cognitionem: sed obiectum cognitum, quia non potest intendere imitari id, quod nunquam nouit.

7 Dico tertiò: Cognitio, seu conceptus formalis potest aliquo modo dici exemplar, quatenus artifex illam imitatur, non secundùm entitatem, sed secundũ repræsentationem: ex eo enim, quod artifex sua operatione attingat idé obiectum, quod intelligit intellectus sua cognitione, & operatio artificis, intellectusque cognitio eumdem respiciant obiectum, seu terminum, potest dici operatio imitari cognitionem, ex vi cuius regitur, vt attingat eumdem terminum physicè, quem intentionaliter attingit cognitio, quod est conformari operationem cum cognitione. Sicuti dicimus operationem externam esse conformem legi, non quia sit legi similis, neque quia sit exequutio ipsius formalis legis: sed quia exequutio exercita est obiectum, quod respicit lex, realisque positio obiecti, quod lex poni præcipit. Secundùm hunc sensum rectè dici potest cognitionem, seu formale obiectum esse exemplar, quod artifex imitatur modo explicato, ratione cuius cognitio ab aliquibus dicitur exemplar *quo*, & obiectum exemplar *quod*. Qui loquendi modus nihil aliud significat, quàm obiectum esse à parte rei eo modo, quo illud repræsentat cognitio: quod nullus negat. Neque existimo in alio sensu ab aliquo conceptum formalem exemplar dici posse. Quapropter re attentè inspectâ tantùm in hac quæstione vocum potest esse contentio: omnes enim rem eamdem significant, siue dicant exemplar consistere in conceptu obiectiuo, siue in conceptu formali, quia omnes debent fateri non alio modo conformari operationem cum formali conceptu, nisi quia est exercitium illius, quod cognitio præscribit; quod negare poterit nemo. Neque damnandus est loquendi modus illorum, qui dicunt conceptum formalem esse exemplar, quod operatio externa imitatur: sunt enim alij plures similes in scholis. In eodem enim sensu dicimus opus lege præscriptum esse legi conforme, & conceptum definitionis, & definiti conuerti: quibus dicendi modis non intendimus significare, legem secundum se esse conformẽ operi, quod præscribit, sed opus præscriptum à me exercitum, v. g. auditionem Missæ, conformem esse obiecto legis præcipientis Missam audiendam: & obiectum definitionis, & definiti esse idem in quo conuerti dicuntur conceptus formalis definitionis, & conceptus formalis definiti inter se valde differentes.

Dico quartò: Tunc perfectè operatur artifex, & perfectè influit exemplar eo modo, quo potest, cùm idem omnino obiectum, quod mente percipit opere exercet. Probatur conclusio: tunc operatur perfectè artifex iuxta exẽplar, quando operatur iuxta intentionem, quam conceptus formalis exemplaris gubernat, quod enim extra illius intentionem sit, non prouenit ab exemplari: ergo tunc operatur artifex perfectè iuxta exemplar, quando exercet idé opus, quod intendit: ergo quando exercet idem opus, quod concepit per formalem conceptum exemplaris, qui intentioni obiectum ministrat, in quod ipsa fertur. Confirmatur: id procedit propriè ab exemplari, quod præscribit conceptus: ergo id, quod non præscribit, non procedit ab exemplari: ergo tantùm potest dari exemplar respectu operis præconcepti: ergo propriissimè operatur artifex exemplari ductus, quando exercet idem opus, quod præcognouit. Quod si non idem, sed aliud simile conficiat opus, simile factum extra intentionem agentis, quasi monstrosè procedet ex illo conceptu, in quo consistit exemplar: erit enim praxis quædam monstrosa respectu illius, vt de cognitione Practica dicebam in Logica, Controuers. 1. Punct. 1. Tradidi hanc conclusionem contra P. Vasquez asserentem non posse exemplar consistere in cõceptu eiusdem obiecti apprehensi. Cuius fundamentum erat nõ posse obiectum apprehensum esse exemplar sui ipsius, quia nihil in se ipsum influere potest. Sed non placet conclusio, propter rationem iam factam, neque argumentum premit. Quia exemplar est causa quædam intentionalis, & propria sicuti finis: & ita secundum esse apprehensum potest proprio illius influxu, qui improprius influxus est, in se ipsum vt existens influere: sicuti finis, vt intentus influit media intentione in ipsum, vt exercitum. 8

Dico quintò: In Deo exemplar est obiectiuus conceptus in se idem omnino cum re facta, & formalis cognitio Dei modo suprà explicato. Conceptum formalem Dei esse exemplar defendit Vasquez, quod tantùm in sensu à nobis explicato verum esse potest. De conceptu obiectiuo conclusionem traditam tenet Scotus 1. dist. 35. q. 1. & alij apud Suarium, & Rubium supra n. 167. vtraque pars probatur facilè: operatio Dei conformatur cum re, & modo, quem illius cognitio præscribit: ergo operatio Dei eodem modo diuinam cognitionem imitatur, quo artificis creati operatio potest cognitionem artificis imitari. Iam de cõceptu obiectiuo id ostendo; si ex aliquo capite conceptus obiectiuus Dei non esset exemplar suæ operationis, esset quia idem non potest esse sui ipsius exemplar, quam rationem reddit Vasq. etiam nos impugnauimus, vel quia Dei operatio dependeret à conceptu obiectiuo, seu ab eadé, vt prius cognitâ, quæ ratio nullius est momẽti, certum enim est Dei operationem dependere à cognitione, qua Deus illam cognoscit, vt possibilem; & hanc cognitionem supponere suum obiectum, scilicet ipsam possibilitatem rei faciendæ; quo deficiente obiecto, neque esset scientia, neque fieri posset. Et ita operatio Dei semper supponit possibilitatem ipsius, non physicè, sed obiectiuè, vt dicebam 9

Controuers.

Controu.7. Punct.2. in quo nullum est inconueniens,quia hæc dependentia non est propriè dependentia; neque quæcumque sit,est dependentia entitatis intrinsecæ Dei, sed totum operationis creatæ adæquatè distinctæ à Deo.

Dubitari solet:an exemplar sit propriè causa:& ad quod genus causæ illius causalitas siue propria,siue impropria reducenda sit?Ad primam partem negatiuè respondi: ad secundam aliqui apud Patrem Suarium n.7. putant ad genus causæ formalis pertinere. Melius P. Suarez cum aliis plurimis tenet pertinere ad genus causæ efficientis, quia influit dirigendo mediâ cognitione, qua actio existit moraliter, tanquam à præscribente ipsius exequutionem.

Circa illius causalitatem breuiter dicendum est, non consistere in cognitione ipsâ secundùm se, quia hæc sine effectu dari potest,neque in actione physica præcisè sumpta,quia indifferens est,vt ab exemplari procedat, & non procedat, neque importare actionem aliquam intermediam,seu distinctam propter rationem immediatè dictam; sed dicere ipsam actionem quatenus directam ex hac cognitione, & factam ex intentione ipsam exequendi illo modo,quo eam cognitio præscribit.Quod importat actionem esse imperatam ab intentione,quam regit illa cognitio,quod dicit coëxistentiam actionis cum intentione potente imperare potentiæ exequutrici opus exequendum.

LIBER TERTIVS PHYSICORVM.

DEFINIVIT Aristoteles lib. 2. naturam: *Principium, & causa motus*, & continuò in eodem lib. huius naturæ causas indagauit. Procedit in hoc tertio libro ad examinandum illud, cuius natura est causa, motum, videlicet, de quo hîc disputat; & quia motus iuxta Aristotelis mentem partibus infinitis constat, agit in hoc lib. de infinito.

CONTROVERSIA XII.

De Actione, Passione & Motu.

MOTVS, vt probabo, ab actione, & passione non distinguitur: neque Aristoteles actionem aliquam agnouit, quæ passio non esset; & ideo indifferenter his semper vtitur nominibus actio, & motus. Hac ratione placuit in hoc lib. simul agere de natura actionis, passionis,& motus; in quibus nulla intercedit realis distinctio. Cæterùm actio est duplex: vna eductiua; alia creatiua; hæc à motu semper distinguitur, cuius notitia Aristotelem subterfugit,de qua agam Controu. sequenti; vbi illa, quæ specialia sunt actioni creatiuæ, disquiram. Modò ago de actione, quam nouit Aristoteles, in qua multa sunt communia creatiuæ actioni, quæ in præsenti explicabo.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit actio, & passio, illarúmque distinctio ab agente, passo, & termino?

1 ARistoteles lib.3. text.22. definit actionem: *Actus huius in hoc*, hoc est actus actiui in passum. Particula *actus*, importat rationem genericam. Per particulam *actiui* differt definitum ab aliis formis, quæ actiones non sunt; sed adhuc conuenit cum creatione, à qua differet per illam particulam *in hoc*. Passionem definit: *Actus huius ab hoc*, hoc est passi ab agenti, dicitur actus passi, quia est,per quod illius exercetur virtus,& per quod ad actum reducitur illius passiua virtus, dicitur, *ab hoc*, quia omnis receptio semper est ab aliquo principio, sicuti omnis actiua formæ inductio semper est in aliquod subiectum. Definiri etiam solet actio, *actus actiui, qua tale est*,& passio: *actus passiui, qua tale est*,nomen actus loco generis ponitur in definitione, reliqua propriam differentiam actionis, & passionis important, id enim, per quod actiuum suam virtutem exercet,dicitur actus actiui,qua actiuum est,id est, id quod actuat, seu ad actum secundum reducit suam actiuã virtutem, & ita rectè definitur actio, cuius formale est reducere ad actum secundum, actum primum potentiæ operatiuæ per actum actiui vt actiuum est, & similiter passio, cuius formale constitutiuum est reducere ad actũ secundum virtutem passiuam per actum illius, cuius est constituere in actuali exercitio potentiam, quam in actu primo supponit. Cæterum prædicta definitio non tantùm comprehendit actionem eductiuam,sed etiam creatiuam, vtrique enim commune est esse actum actiui quatenus actiuum est, quapropter prior definitio adducenda est ad explicandam naturam actionis eductiuæ, vt distinctæ ab actione creatiua.

Ex hoc infero actionem, & passionem ex suo conceptu 2
dicere distinctionem à principio effectiuo,& passiuo,quia vtraque dicit dimanare ab vno & esse in alio, sed nihil potest realiter à se ipso dimanare, neque esse in seipso: ergo non potest actio, & passio esse idem cum illo à quo dimanat, & cum illo in quo recipiatur: ergo non potest non distingui à subiecto,& passo. Neque potest dici posse per intellectum concipi emanationem eiusdem à se ipso, & in se ipsum, hæc enim emanatio sic concepta purum erit figmentum, quia realiter & à parte rei repugnat, & tantùm habet esse obiectiuè in intellectu: formaliras verò actionis,seu id, per quod actio, seu passio formaliter constituitur, debet esse quid reale, & non fictum, quia nulla entitas realis potest habere constitutiuum purè fictum,sed illud reale debet habere, ac proinde hæc emanatio per intellectum concepta sine distinctione eiusdem à principio actiuo, & passiuo nullatenus posset pertinere ad constitutiuum formale actionis, aut passionis, neque ad rem est.

Specialiùs probo distinctionem actionis à principio: 3
In primis probo distingui à principio increato, & postea ad creatum procedam. Omnipotentia, & omnia prædicata Dei,& quidquid est Deo intrinsecum,est ab æterno; sed nulla actio, ex vi cuius effectus producitur, fuit ab æterno: ergo omnis actio distinguitur ab omni intrinseco Dei. Maiorem sancit fides; consequentiam illationis vis: minorem probo 1: omnes effectus ad extra producti sunt in tempore: ergo nulla actio fuit ab æterno: antecedens est fide firmum, consequentiam ostendo: implicat esse

esse actionem in aliqua mensura, in qua non sit terminus: ergo implicat actionem esse ab æterno, quin terminus existat ab æterno. Probo antecedens: actio est id, per quod causa in actu primo potens producere effectum, quem intra se virtualiter cõtinet, illum actu causat, & ponit extra se existentem in rerum natura, sed implicat effectum poni extra causas existentem in rerum natura, quin talis effectus existat, & verè sit extra causas: ergo implicat esse hanc actionem, seu positionem effectus extra causas in aliqua mensura, in qua non sit effectus: ergo implicat actionem fuisse ab æterno, & effectum non ita, sed in tempore incipere.

4 Occurrit hìc connotatorum solutio videlicet volitionem Dei esse ab æterno sub ratione volitionis, non tamẽ sub ratione actionis, quia etiamsi volitio intrinsecè sit actio, non tamen exercet munus actionis, quousque veniat connotatum extrinsecum videlicet effectus productus quo posito, actio, quæ secundùm rationem intrinsecam fuit ab æterno, incipit in tempore exercere munus actionis, eo modo, quo relatio, quæ est idem cum subiecto, illud non refert formaliter quousque adueniat illius connotatum extrinsecum, videlicet terminus. Hanc connotatorum doctrinam reiicio in Metaphysic. Controu. 9. Punct. 4. §. 2. modò tamen in hac materia specialiter impugno. Actio intrinseca nempe volitio Dei, vel illa, quam tu fingis identificata cum Deo, est indifferens ad exercendum, & non exercendum munus actionis, vt ex vi illius ponatur, vel non ponatur effectus, & determinatur formaliter per connotatum extrinsecum, vt hìc & nunc exerceat munus actionis, & vt ex vi illius ponatur effectus: ergo cum illa volitione, seu cum illa formalitate, quam tu actionem vocas, adhuc est indifferens ad ponendum, & non ponendum effectum, & physicè determinatur per illud, quod tu connotatum actionis appellas: ergo hoc connotatum habet totam rationem actionis, & non volitio, seu formalitas, quam tu actionem esse dicis. Probo consequentiam: munus actionis, & ratio formalis constitutiua illius est determinate physicè & in actu secundo principium actiuũ ad effectum hìc & nunc producendum: sed illud, quod tu connotatum esse dicis habet hanc formalitatem determinationis, & exercet hoc munus determinandi & non illa volitio, seu formalitas, quam tu actionem appellas: ergo hoc connotatum, & non alia volitio, seu formalitas identificata cum Deo habet totum formale constitutiuum actionis, & est formaliter actio. Dices volitionem Dei esse actionem, & determinare per se formaliter omnipotentiam, saltem moraliter, licet non physicè ad effectum præstandum, quia posita volitione Dei non potest non esse effectus. Contrà: eodem modo posset dici reuelationem, seu promissionem Dei de effectu futuro esse actiones, quia illis positis non potest non esse effectus, Deus enim ex vi promissionis, seu reuelationis determinatus manet ad exequendum illud, quod promittit, nihilominus non dicuntur actiones promissio, aut reuelatio, quia non determinant Deum in actu secundo formaliter ponendo effectum, sed tantùm quasi obligando Deum ad effectum. Sic volitio Dei obligat omnipotentiam per modum actus primi vt actionem decretam ex vi volitionis in actu secundo exerceat tempore, quod volitio præscribit, non tamen in actu secundo ipsa volitio formaliter physicè omnipotentiam determinat, neque formaliter illam constituit in actu secundo efficientem, aut est formalis exequutio effectus, quæ sunt munera actionis, non verò principium per modum actus primi determinare, quod præcisè habet Dei volitio.

5 Eandem conclusionẽ respectu principij creati sic ostendo: Nullum est principium creatum ita per suam entitatẽ determinatum ad hanc numero actionem, quod Deus non possit coexercere ab illa actione & ab effectu ex vi illius actionis producendo: ergo nullum est principium creatum identificatum cum hac numero actione. Consequentia est legitima: quidquid enim realiter potest ab aliquo separari, ab illo realiter distinguitur: ergo si quælibet actio singulariter sumpta potest ab hoc principio separari, nulla est cum illo identificata. Antecedens probo: omne agens creatum dependet in operando à Deo liberè concurrente cum illo ad effectum producendum: ergo potest Deus non concurrere cum illo ad quamcumque actionem singulariter sumptam: ergo potest impedire quamcumque actionem. Dices: Deum liberè producere quemlibet effectum, nihilominus posse producere aliquod principium productiuum, quo posito non possit Deus effectum alium non producere, sicut posita actione non potest Deus illius terminum impedire, quia ipsa actio est formaliter productio, eodémque modo posse dici ipsum productiuum esse formaliter productionem, ac proinde posito productiuo non posse impedire Deum terminum producendum. Contrà: productio creata essentialiter est determinatio virtutis ad producendum, ac proinde essentialiter supponit productiuum à se distinctum. Secundò: illud productiuum, quod tu fingis esse productionem necessariò dependeret ab alio, quia non potest esse à se: illud ergo, à quo dependeret diceretur virtus productiua, quæ determinaretur per id, quod tu vocas productiuum, quod tantùm esset productio, quia esset determinatio virtutis, à qua dependebat ad producendum effectum per illam productum.

Aliter respondeti posset Deum liberè omnia produce- 6
re, esse tamen entitates ita inter se connexas, vt non possit vnam sine alia, neque producere, neque conseruare, sicuti non potest conseruare relationem prædicamentalem, si datur, sine terminis, neque vnionem sine extremis, neque modum aliquem sine re, cuius est modus. Fateor esse aliquas entitates, quæ non possunt sine aliis conseruari, quia ab illis essentialiter dependent; causa tamen non essentialiter dependet ab effectu, ac proinde nullum erit caput, ex quo repugnet de potentia Dei absoluta sine effectu conseruari, quia causa est prior effectu, & à qua non valet subsistendi consequentia. Instabis: quantitatem non posse conseruari sine præsentia, quæ est illius effectus. Respondeo quantitatem posse conseruari sine hac præsentia determinata, & sine quacumque alia, quam tu assignes, & posse conseruari, quin aliquam præsentiam producat, quia potest esse præsens per præsentiam ab agente extrinseco productam, quod fatentur omnes, & addam lib. 4. quod non hìc exposcit obiectio, posse quantitatem ab omni præsentia absolui. Secundò hæc entitas, quam tu vocas principium productiuum, & productionem, ex vi cuius alia entitas producitur, vel dependet à Deo per se ipsam, vel per aliam actionem: si per aliam actionem, actio non est, quia actionis non datur actio: si per se ipsam, in quo non distinguitur ab influxu, quem assignat communis sententia, cur vocas illam entitatem principium productiuum, & non puram productionem? Vltimò illa productio non esset creatio, quia iuxta probabiliorem sententiam nullum ens creatum gaudet virtute creatiua: ergo esset eductio: ergo præsupponeret subiectum. Tunc sic: aut illa entitas esset à Deo producta per creationem, aut per eductionem: non per creationem, quia res creata est independens à subiecto, illa verò eductio per se ipsam à subiecto dependeret. Secundò, quia creatio, per quam fuisset producta à Deo, deberet à se ipsa distingui, & hæc fingi non potest, quia non potest dari creatio ad eductionem terminata: non per eductionem superadditam, quod fieri nequit, quia eductionis non datur eductio: ergo deberet educi per se ipsam, & tunc redit argumentum suprà factum, in nihilo enim discreparet hæc entitas, quam tu dicis esse principium productiuum, & eductionem, ab illa, quam ego dico tantum esse eductionem. Debeo hanc rationem doctissimo Societatis Magistro, apud cuius scripta illam legi, quæ manifestè conuincit omnem actionem, & passionem essentialiter distingui à principio actiuo, & passiuo.

Excludo à conceptu quidditatiuo actionis distinctio- 7
nem à termino quia potest eadem entitas per se ipsam ab hoc principio dimanare nullo influxu interiecto, in qua sita erit tota ratio constitutiua actionis, quod sic probo: ratio formalis constitutiua actionis est determinare principium in actu primo productiuum continens virtualiter effectum, ad effectum ponendum extra se ipsum, sed entitas per se ipsam fluens ab hoc principio illud determinaret in actu secundo ad illam producendam: ergo haberet totam rationem formalem constitutiuam actionis. Idem argumentum conficio in passione; quæ potest esse indistincta à termino, quia potest dari entitas per se ipsam dependens ab hoc subiecto, & illud formaliter determinans ad exercitium virtutis passiuæ, quam habet.

Concludo: de ratione actionis eductiuæ, & de ratione passionis esse ordinem ad principium & passum, non tamen

ad terminum. Hanc partem negatiuam primò probo: de ratione actionis, & passionis non est distinctio à termino, sed potest componi cum identitate respectu illius: ergo de ratione actionis, aut passionis non est respectus ad terminum, cùm respectus essentialiter includat distinctionem inter extrema, & implicet hanc entitatem essentialiter illam respicere, quin essentialiter ab illa distinguatur, quia eiusdem ad se ipsum realis respectus inueniri non potest. Actionem eductiuam dicere ordinem ad principium actiuum, & passiuum constat ex ipsa definitione *actus huius in hoc*, hoc est, productiui in passiuum, & manifestè ostenditur, quia implicat intelligi productio alicuius virtutis in aliquo subiecto, quin intelligatur virtus illa, à qua procedit talis productio, & illud subiectum, in quo effectus ex vi illius productionis producitur. Similiter passio similem respectum dicit non solùm ad principium passiuum, sed etiam ad actiuum, quia est *actus huius ab hoc*, scilicet à principio actiuo, & implicat intelligi subiectum recipere ab agente, seu receptio in passo à principio productiuo, quin intelligatur principium productiuum, imò prædicatum receptionis secundùm se semper dicit esse ab alio, quidquid enim aliquid recipit, illud ab aliquo, quasi largiente ipsum recipit.

9 Vltimò affirmo; quod etsi ratione actionis, aut passionis vt sic non sit distinctio à termino omnes actiones, quæ de facto procedunt à principiis creatis (vitales deme, de quibus libro de Anima) realiter à terminis distingui, quod sic probo: omnis effectus non vitalis, qui de facto productus fuit ab hac causa potuit produci à Deo, causa hac non concurrente, & de facto illorum quàm plurimi non conseruantur à causa creata, à qua primò producuntur: ergo non dependent per se à causis creatis, sed mediâ actione superadditâ. Probo consequentiam: si effectus per se ipsum à causa creata dependeret, implicaret produci à Deo tanquam à principio adæquato independenter à causa secunda, quia nihil, quod entitati per se ipsam conuenit, potest illi non conuenire, sed potest effectus productus à causa secunda non dependere ab illa, sed tantùm à Deo, ergo non dependet per se ipsum à causa secunda: ergo per actionem superadditam distinctam ab entitate effectus.

Punctvm II.

An actio, & passio realiter distinguantur.

1 DIxi Puncto præcedenti actionem esse causalitatem, per quam virtus effectiua reducitur ad actum secundum, & passionem esse causalitatem, per quam virtus passiua similiter in actu secundo constituitur, procedit modò de eis entitatibus disputatio, an videlicet inter ipsas realis aliqua distinctio intercedat, quæ nostri intellectus operationem præcedat, & ab hac dependenter existat. Scotus in 4. dist. 13. quæst. 1. & quodlibet. 11. Antonius Andreas lib. de 6. princip. q. 9. censent actionem, & passionem realiter distingui ante omnem intellectus operationem, his tenentur subscribere, qui actionem etiam transeuntem in agente constituunt, & passionem in subiecto.

2 Contrariam sententiam schola ferè tota amplexata: Doctorem vnum do Patrem Suarium disp. 49. Metaphysic. sect. 1. plurimos alios omitto. His subscribo, qui ad mentem Philosophi, de qua in hac re dubitare fas non est opinantur: sic Philosophus cap. 3. huius libri, text. 18. *& eius, quod mouendi vim habet: mouendi quippe vim habet, quia possit, mouet autem eo, quod agat, sed in id, quod moueri motu potest, actus est vnus, igitur* (tene) *amborum æquè est actus.* Præter morem suam mentem clarissimè aperuit Philosophus, quid enim clariùs illis verbis: *Vnus igitur amborum*, (hoc est illius, quod mouet, & illius, quod mouetur) *æquè est actus*, rursúsque sententiam suam statim explicat exemplo intercapedinis, quæ est inter duo extrema, quæ eadem est omnino realiter, etiamsi extrema distinguantur; nam eadem est via, quæ ducit Thebis Athenas, & Athenis Thebas. Sententiam hanc Philosophi auctoritate & cõmuni scholæ plausu stabilitam, hac vnica ratione probo. Necessaria non est duplex entitas, quarum vna sit actio, & altera passio, & optimè vtriusque formalitas in eamdem indiuisibilem entitatem confluere potest, neque fundamentum est positiuum, quod hanc distinctionem suadeat: ergo non sine magna animi leuitate discedet aliquis à communi sententia, quæ actionem, & passionem sine entitatum multiplicatione defendit. Consequentia mihi semper est firma: puerile enim iudico singularem sententiam defendere eo præcisè, quod nulla possit demonstratione impugnari. Antecedens expendo, & probo. Passio illa, quæ fingitur distincta ab actione necessariò dependet à principio effectiuo, hanc enim dependentiam nihil creatum subterfugit: ergo si per suam entitatem, nulla alia actio distincta erit necessaria, vt effectus producatur, & dependeat ab agente, quia media illa passione quam dicis per se dependere à principio effectiuo, ab eodem terminus illius passionis dependebit, & efficiens denominabitur. Si dicas passionem dependere à principio effectiuo mediâ actione; inquiro an actio dependeat per se, vel media alia entitate: si dicas dependere media alia entitate in infinitum procedes: si respondeas dependere per se, sic arguo: Actio potest immediatè, & per se dependere ab agenti: ergo & passio posset eodem modo immediatè, & per se dependere; sed data passione, quæ immediatè & per se dependeat ab agenti, non est necessaria alia distincta actio: ergo absolutè necessaria non est, siquidem passio illa dari potest. Dices actionem posse immediatè, & per se dependere à principio actiuo, quia in illo subiectatur, passionem verò necessariò dependere medio alio, quia non subiectatur in principio actiuo, sed in passo. Supponis falsè actionẽ subiectari in principio actiuo, quod Punct. 3. impugnabo: sed esto, sic argumentor: Passio illa existens in principio passiuo, quã tu dicis dependere à principio actiuo media actione existente in actiuo principio, etsi mediatè ab hoc dependeat, tamen dependet immediatè, & per se ipsam ab actione, nulla enim alia inter actionem, & passionem causalitas fingi potest: ergo concedis passionem existentem in passo per se ipsam dependentem ab actione existente in alio subiecto, videlicet in principio effectiuo: ergo non repugnat, aliquam entitatem per se ipsam dependere ab alia entitate, in qua non sit, tanquam in subiecto, & cum qua commune subiectum non habeat: ergo ex eo quod passio non subiectetur in agente non indiget dependentia superaddita, vt ab illo possit dependere, sed rectè per suammet entitatem poterit dependentiam habere.

Ostendi iam præcipuam antecedentis partem, videlicet 3
necessariam non esse duplicem entitatem distinctam, sed in eamdem rectè conspirare formalitatem actionis, & passionis, alteram partem videlicet non esse fundamentum aliquod positiuum, quæ hanc distinctionem suadeat satis latè persuaderem, si mihi oppositæ sententiæ patroni suis argumentationibus materiam ministrarent, sed vix in meam sententiam obiectionem reperio, neque illam modò refero, quia si aliqua reperitur, orta est ex eo quod actio debeat subiectari in principio effectiuo, quod Punct. 3. falsum esse ostendam.

Ne videar validioribus peperciisse rationibus ad hanc 4
sententiam stabiliendam, vel imprudens omisisse alias, quibus alij Doctores vtuntur, placet nonnihil immorari in examinandis rationibus, quibus hanc sententiam nonnulli propugnant. P. Hurtadus disput. 16. Metaphysic. sect. 4. sic argumentatur. Per eamdem actionem, per quam principium efficiens efficit terminum, terminus dicitur factus: ergo actio, & passio realiter non distinguuntur. Antecedens multis probat, quia eadem actione, qua ego video Petrum, Petrus videtur à me, nam apud Latinos vox actiuo, & passiua tantùm terminatione differunt, & hæc est prima actiua notitia: *ego actione producto Petrum*, quæ passiua reducitur per hanc: *Petrus actione producitur à me.* Vrget paritate desumpta ex actibus intẽtionalibus, qui ex eo quod terminentur ad obiectum illud constituunt visum, intellectum, & amatum: ergo actio ex eo quod terminetur ad effectum constituit illum formaliter effectum. Porro Hurtadus est totus vt probet per eam actionem, per quam agens efficit terminum hunc dici effectum, quod negabit nemo; sed vnde sibi sanctum putauit Hurtadus illam entitatem esse passionem, per quam terminus constituitur effectus. Nonne quia passiuè significatur passio dicetur? Absit à viro docto tam indecora illatio. Concedo per eamdem actionem, per quam agens producit calorem, calorem constitui productum, & factum & adhuc mihi liberum est asserere illam entitatem non esse passionem, quia passio est id, per quod calor, seu terminus productus recipitur formaliter in subiecto, non verò id, per quod efficitur,

vt

vt videre est in actione creatiua, per quam Angelus constituitur effectus, & productus à Deo, & tamē non est passio, quia per illam Angelus non constituitur receptus, & sicuti in Angelo formalitas, quæ illum factum constituit non illum receptum reddit, sic ego de calore dicerem non constitui receptum per formam, per quam constituitur productus, sed per aliam cum hac connexam, & ab illa distinctam, per quam in subiecto recipitur quæ formaliter est passio.

5 Argumentantur alij: Agens per eductionem producit calorem in subiecto: ergo per eductionem producit calorem receptum in subiecto, quia calor in subiecto, & calor receptus in subiecto idem sunt, verbum enim in receptionem sonat: ergo per eductionem calor est productus in subiecto, & in eodem receptus: ergo eductio formaliter est receptio, & passio. Non me premit argumentatio, respondeo enim: agens per eductionem producere calorem in subiecto, seu receptum in subiecto, quod fateor idem esse, diceréque duo ipsam eductionem tanquam causalitatem agentis, & receptionem tanquam terminum illius per quam formaliter calor recipiatur: itaque eductio est id, per quod formaliter producitur calor, & producitur receptio eiusdem caloris in subiecto, per quam formaliter calor est receptus, non tamen est id, per quod formaliter calor recipitur. Secundùm hanc doctrinam distinguendum est illud antecedens. Eductio caloris est, per quod calor formaliter producitur in subiecto distinguo; est id, per quod calor formaliter est productus, & per quod formaliter est in subiecto, nego: est id, per quod formaliter producitur substantia caloris, & modus, quo dicitur receptus in subiecto, concedo: deinde consequentiam nego. Instabis: actio creatiua, & eductiua ex eo distinguuntur, quod hæc constituat terminum dependentem à subiecto, & illa illum independentem constituat: ergo ex vi actionis eductiuæ non solùm causaliter, sed etiam formaliter dependet terminus à subiecto. Respondeo posse dici actionem creatiuam, & eductiuam differre ex eo, quod actio creatiua, neque per se ipsam formaliter, neque causaliter per alium modum, qui ex vi illius producatur, constituat terminum dependentem à subiecto & actio eductiua illum dependentem constituat, non formaliter per se ipsam, sed per terminum, ex vi illius formaliter productum, qui calorem eductum, v.g. dependentem à subiecto constituit.

6 Arguunt alij: Passio essentialiter dependet saltem à Deo tanquam à principio effectiuo: ergo media illa dependet terminus illius ab eodem principio effectiuo: ergo est actio. Huic argumento existimauit Arriaga disp. 8. sect. 3. num. 21. responderi posse passionem se ipsa posse dependere à Deo non vt viam, sed vt terminum, & Deum habere aliam actionem, qua terminum producat. Neque inconueniens esse, vt quæ est actio respectu vnius causæ, sit terminus respectu alterius, quod dicunt omnes, qui actionem creaturæ distinguunt ab actione Dei. Non acquiesco quia non percipio quomodo entitas, quæ essentialiter per se ipsam est via ad terminum, possit per suammet entitatem dependere ab aliquo principio non vt via, sed vt terminus, non enim est aliud dependere actionem, ex vi cuius calor extra causas ponitur, vt via ad calorem ab aliquo quàm secundum se dependere, & implicat actionem hanc per se ipsam dependere ab hoc principio effectiuo, & ex vi illius terminum ab eodem non dependere. Ob quam rationem impugnaui asserentes effectum non dependere à Deo eadem actione qua dependet à creatura. Facilius responderem: passionem illam dependere à principio effectiuo non immediatè per suam entitatem, sed per actionem, ex vi cuius constituitur existens simul cum termino, quem constituit dependentem, passio enim illa, quæ per se ipsam dependet à subiecto, per actionem superadditam dependet à principio effectiuo, & dici potest indifferens vt ab hoc, vel illo principio effectiuo ex vi huius, vel illius causalitatis dependeat, licet essentialiter sit affixa huic principio passiuo, & ideò huius causalitas dicitur, & non illius causatiui principij.

7 Rursus argues: Actio est accidens: ergo recipitur in subiecto non enim potest recipi in termino, aut in principio: ergo per se ipsam, vel media alia actione; Si mediâ aliâ actione, in infinitum proceditur; si per se ipsam: ergo est formaliter passio. Responderi posset, actionem non habere subiectum à quo dependeat tanquam à causa materiali, sed tantum dependere à principio effectiuo à priori, & à termino, cum quo habet connexionem essentialem, & quia hic terminus secundùm hunc dicendi modum non solùm esset entitas formæ, sed etiam passio per quam formaliter dependet forma à subiecto, quæ passio connexionem habet essentialem cum subiecto sit actionem connexionem habere mediatam cum ipso subiecto, non tanquam cum causa illius, sed tanquam cum causa materiali, à qua essentialiter dependet modus ille efficiens formam productam, qui se tenet ex parte termini ipsius productionis. Neque refert actionem esse accidens, quia de ratione accidentis vt in Met. Contr. 6. punct. 1. ostendam non est dependere à subiecto tunquam à causa materiali, quod indifferenter conuenit formis accidentalibus, & substantialibus materialibus, sed esse propter aliud seu ordinari ad perfectionem aliùs adæquatè ab illo distincti quæ ratio potest conuenire accidenti nullum subiectum inhæsionis habenti, & de facto conuenit creationi, quam dicam esse accidens distinctum à pluribus terminis creatis, nullam causam materialem habentem. Quod si nullum accidens ab actione distinctum subiecto careat, non ideò est, quia de ratione accidentis est, subiectum habere, sed quia nullum agens creatum, quod valeat producere illud per actionem creatiuam à subiecto independentis, sed necessariò illud producit per actionem eductiuam, quæ in mea sententia formaliter est passio, vel quæ posset dicit essentialiter terminari ad passionem. Ex his constat, nullum esse firmius fundamentum ad stabiliendam identitatem inter actionem, & passionem, quam illud, quod adhibui desumptum ex possibilitate actionis identificatæ cum passione, & ex negatione fundamenti, quæ oppositam sententiam suadeat quibus positis superfluè constituetur duplex entitas, quarum vna sit actio, & altera passio, & non sine aliqua imprudenti audacia contra mentem expressam Aristotelis, & totius fere scholæ.

8 Rogabis an actio eductiua & passio distinguantur saltem formaliter per nostrum intellectum. Negat Hurt. ibid. num. 29. Melius affirmat Arriag. suprà num. 26. Assentior Arriagæ, non tamen parco difficili obiectioni, quæ contra hanc sententiam fieri posset. Actio eductiua formaliter vt actio eductiua est, vt ex Philosopho dicebam, est *actus huius in hoc*, hoc est agentis in passum: ergo formaliter vt talis dicit ordinem ad principium actiuum, & ad subiectum, in quo est: passio est *actus huius ab hoc*, hoc est passui ab actiuo: ergo dicit ordinem ad passum, & ad principium effectiuum: ergo tam actio, quam passio formaliter dicunt ordinem ad eadem extrema: ergo nullum habent distinctionis principium adhuc in ordine ad nostrum intellectum. P. Soar suprà num. 15. vt se ab hac difficultate expediat asserit actionem, vt actionem nullum dicere respectum ad passum, neque passionem vt passionem dicere ordinem ad principium effectiuum. Additque actionem vt talem non esse in subiecto, sed inhærere solùm media passione, quod confirmat, quia actio dicitur passionem inferre quasi actiuè. Multa mihi difficilia sunt in hoc loquendi modo, & nihil in re quod arrideat: difficilè percipitur actionem inhærere medio alio prædicato secum identificato, & actionem inferre passionem, à qua non distinguitur, illatio enim essentialiter dicit extrema realiter distincta, quod si concipiatur eiusdem ad se ipsum ficta erit non realis, & in illa non consistet conceptus obiectiuus actionis, aut passionis, qui realis debet esse realiter se tenens ex parte obiecti. Actionem eductiuam vt talem non dicere ordinem ad passum si impugno. Actio eductiua formaliter distinguitur à creatione per differentiam contrahentem rationem actionis communem creationi, sed ratio per quam differunt creatio, & eductio est ordo ad subiectum, quem dicit eductio, & quo caret creatio: ergo formaliter eductio, vt eductio dicit ordinem ad subiectum. Hunc ordinem ipsa eductionis definitio, qua vt distincta à passione describitur à Philosopho ostendit: iterum definitionem repeto: *Actus huius in hoc*, hoc est, in subiecto, neque posses dicere Aristotelem definiisse actionem materialiter sumptam, subdit enim definitionem passionis *actus huius ab hoc* vt actionem à passione discriminaret. Passionem dicere ordinem ad principium actiuum ostendit etiam Philosophi definitio, & conceptus ipse passionis, seu receptionis, quomodo enim potest concipi subiectum recipere formam, & non illam recipere ab aliquo? & quomodo valet apprehendi subiectum pati, & non pati ab aliquo

aliquo infligente illud, quod patitur tanquam passionis principio, sicuti enim dare importat principium, quod dat, subiectum, cui datur, & rem, quæ datur; ita recipere dicit subiectum, quod recipit, rem, quæ recipitur, & principium, à quo subiectum rem accipit. Ita ipsa terminorum apprehensio rem propalat.

9 Affirmo actionem, & passionem dicere ordinem ad subiectum, & ad principium actiuum, nihilominus formaliter distingui. Ita expressè testatus est Philosophus text. 22. toties repetito, quem ita concludit: *Nam huius ab hoc, & huius in hoc actum esse ratione diuersum est.* Distinctio sumenda est ex diuerso modo, quo actio, & passio vtrumque respicit extremum; actio dicit principium actiuum tanquam id, cuius est proprius actus, & passiuum non tanquam id, cuius sit actus, sed tanquam id, in quo est actus principij actiui, itaque tantùm actio subiectum tangit in obliquo tanquam aliquid requisitum ad actum principij actiui: passio verò è contra subiectú respicit tanquam id, cuius est proprius actus & principium actiuum tanquam id, à quo procedit actus principij passiui, nullâ habitâ ratione ad rationem actus, quam habet respectu principij actiui illamet entitas, quæ consideratur tunc vt actus principij passiui. Doctrinam hanc opportunè satis explicuit Aristoteles exemplo accliuis, & decliuis, eâdem enim via respectu eorum terminorum accliuis, & decliuis dicitur, & idem trames est à radice montis ad cacumen, & à cacumine ad radicem, si tamen à cacumine tanquam à termino à quo ad radicem tanquam ad terminum ad quem vias inspicias, decliuem illam meditaberis: si verò à radice tanqnam à termino à quo ad cacumen tanquam ad terminum ad quem mente tendas, viam accliuem concipies. Sic in nostro casu si actum illum identificatum physicè cum actione, & passione consideres tanquam actum principij actiui exercitum in passiuo, actionem mente inspicis: si eumdem consideres tanquam actum principij passiui prouenientem à principio actiuo passionem agnoscis, sic ex diuersis modis tendendi in eosdem terminos diuersæ inter eosdem tendentiæ concipiuntur.

10 Idem telum, quo impetebat asserentes, actionem, & passionem realiter distingui, iterum ludit Hurtadus num. 29. contra distinguentes adhuc formaliter actionem eductiuam à passione. Sic arguit: idem est formaliter ignem calefacere lignum, & lignum calefieri ab igne: ergo actio & passio formaliter non distinguuntur. Ostendi suprà hoc argumentum non ostendere identitatem realem inter actionem, & passionem, non multùm modò nos premet identitatem formalem negantes. Respondeo ignem calefacere lignum esse idem, quod ignem producere calorem in ligno, qui conceptus passiuè significatur per hunc: *calor producitur ab igne in ligno*, & vterque importat actionem, & est idem formaliter tantùm diuersis verbis significatus, non tamen conuertitur cum isto: *lignum recipit calorem ab igne, seu calor recipitur, seu causatur à ligno*, qui conceptus significant passionem, & non solùm terminatione grammatica vocis actiuæ seu passiuæ differunt, sed etiam in ipsa habitudine extremorum.

Punctum III.

De subiecto actionis eductiuæ.

1 Recte docuit P. Soar. disput. 48. Metaphys. sect. 4. num. 12. non esse de ratione communi actionis habere subiectum, cui inhæreat, quo actionem carere creatiuam ostendam Controuers. sequenti: Modò non inquirimus de subiecto actionis creatiuæ, sed de subiecto, cui inhæret entitas, quæ est actio, & passio, siue formaliter vt actio ordinem dicat ad subiectum vt contendebam punct. præcedenti, siue tantùm formaliter vt passio, & non vt docet Soar. modò citatus. Triplex subiectum excogitari potest respectu actionis, principium effectiuum, subiectum termini, & ipse terminus. Reperitur etiam duplex actio, transiens, & immanens: immanens dicitur, quæ remanet in eodem principio, à quo fluit, de hac leuis potest esse Controuersia, quia ipsa vox *immanens* videtur significare actionem à principio procedentem, in cuius sinu manere sine transitu ad aliud subiectum extraneum. Verumtamen si quis diceret actionem transeuntem recipi in termino facilè posset dicere actionem immanentem in eodem recipi, & differre à transeunte, ex eo quod actio immanens in termino recepta illum constituit in principio, à quo procedit actio; transiens verò in eodem termino recepta hunc collocat in subiecto distincto à principio effectiuo. Transiens actio vulgo dicitur illa, quæ recipitur in subiecto distincto à principio, verumtamen definitiones supradictæ rationem actionis immanentis non explicant iuxta sententias differentes de subiecto actionis, sunt enim Doctores asserentes actiones etiá transeuntes subiectari in principiis effectiuis; definiétur ergo prædictæ actiones aptè ad omnium sententias his definitionibus, actio immanens est illa, *ex vi cuius formaliter terminus remanet in principio, à quo fluit*, & actio transiens est illa *ex vi cuius terminus formaliter non remanet in subiecto, à quo fluit.* Neque in definitione actionis transeuntis vtriusque naturam per conceptum positiuum, & negatiuum explicui, vterque enim necessarius non est, quia actio creatiua procedens à Deo non est in alio subiecto, & tamen non est immanens respectu Dei, & actio, quæ procedit ab anima, ex vi cuius terminus, & ipsa actio formaliter est in anima, & simul in materia etiamsi sit in subiecto distincto à principio, videlicet in materia, immanens erit: suppono explicationis gratia; non sufficere ad immanentiam subiectari in materia actionem procedentem à forma, sed materiam se habere tanquam subiectum omnino extraneum respectu actionis procedentis à forma.

His adhibitis definitionibus integra manet quæstio de 2 subiecto actionis immanentis, vel transeuntis, licet enim, qui asserunt actionem non posse constituere terminum in subiecto, in quo ipsa non fit teneantur asserere, actionem immanentem subiectari in principio actiuo, & transeuntem in passo ab hoc distincto, qui tamen voluerint defendere actionem existentem formaliter in hoc subiecto, posse terminum in alio collocare, ex eo, quod actio immanens sit vel transiens, non tenentur illam potiùs in hoc, quàm in illo subiecto constituere. Insurgit ex meis principiis contra has definitiones quædam difficultas, quam placet explicare, vt penitus viam aperiam quæstioni interroganti de subiecto actionis. Dum in anima disputo de immanentia actionis vitalis, affirmo, non requiri ad immanentiam formalem receptionem passiuam in principio actiuo, sed sufficere vnionem: ergo si immanentia conuenit actioni ratione termini, actio immanens erit illa, ex vi cuius terminus vnitur principio: ergo omnis actio, ex vi cuius producitur forma cum vnione ad principium erit immanens, quia ex vi illius terminus manet subiecto vnitus. Respondeo, negando consequentiam, quia terminus non manet formaliter vnitus ex vi actionis producentis vnionem, sed formaliter ex vi vnionis, & causaliter ex vi actionis, quia actio productiua vnionis non est formaliter vnio, sed causalitas, per quam producitur vnio, & ad hanc immanentiam exposcitur vt actio illa identificata cum termino, vel saltem quam ipse exposcat natura sua, ex vi cuius talis terminus producitur, sit formaliter vnio termini ad principium à quo procedit. His præmissis

Dico primò, de ratione actionis non est subiectari in 3 principio, à quo effectiuè procedit. Tradit hanc conclusionem P. Soar suprà contra Scotum, Caietanum, Fland. & alios. De actione procedente à causa prima tenentur concedere id omnes, quia asserunt distingui à Deo, qui nullum accidens superadditum potest subiectari in Deo: asserentes actionem identificari cum aliquo intrinseco Dei efficacirer impugnaui punct. 1. Ex causa prima increata ad causam secundam creatam gradum facio. Causa prima verè est causa, & in actu secundo constituitur causans, & efficiens per actionem non receptam in ipsa, sed in extraneo subiecto: ergo causa secunda poterit eodem modo efficiens constitui, & in actu secundo causans per actionem non receptam in illa, sed in alio subiecto. Dices specialem esse rationem de causa prima, quia in illa non potest subiectari actio, cuius secunda est capax. Contrà: non infero ego causam secundam non recipere actionem ex eo immediatè, quod illam prima non recipiat, sed posse causam secundam constitui actu causantem per actionem in ipsa non receptam, sicut constituitur prima, quia si de ratione principij efficientis in actu secundo esset actionem recipi in principio, quod efficiens constituit, non potest actio constituere efficiens effectiuum illud, in quo non posset recipi: ergo actio, quæ non posset recipi in Deo, non posset

Deum efficientem constituere; atqui potest: ergo non est de ratione principij efficientis actionem in se habere: ergo ignis ex eo, quod calorem efficiat non in se calefactionem recipit. Rationem à priori pulchrè reddit P. Soar. suprà: agere præcisè non est perfectio intrinseca agentis, neque aliquid dicit in illo, sed tantùm dicit aliquid fluere, seu oriri ab illo, quod rectè intelligitur ex eo præcisè, quod operatio egrediatur à principio effectiuo, & ab illo essentialiter dependeat.

4 Obiiciunt aduersarij: Actione denominari principium actiuum agens quem formalem effectum non posset præstare, si non inhæreret principio actiuo. Secundò non posse esse in alio subiecto, quia illud denominaret efficiens, forma enim essentialiter dat effectum formalem subiecto, cui inhæret. Respondeo actionem non inhærentem principio posse illud efficiens constituere, sicuti visio non inhærens obiecto, illud visum denominat, & eadem actio in ipsorum sententia constituit terminum effectum, & dependentem ab hoc principio, & illi non inhæret. Ad illud, quod dicitur de effectu formali, dixi sæpè effectum formalem nihil aliud esse, quam totum resultans ex subiecto, & forma, quod constituit actio, non cum hac denominatione agentis, sed passi, quia forma non subiicit subiecto, neque concreto, quod simul cum illa constituit denominationem illam, quam tribuit principio illius extrinseco, sic eadem entitas principio effectiuo, cui non inhæret agens denominat, & passiuo, cui inest, passi denominationem tribuit.

5 Dico secundò. Actio non subiectatur in termino. Probo hanc conclusionem: terminus essentialiter dependet ab actione tanquam ab aliquo tenente se ex parte principij effectiui, medio quo ab hoc recipit esse: ergo non potest intelligi prior natura ipsa actione: ergo non potest esse causa materialis. Si recurras ad mutuas prioritates in diuerso genere causæ iam doctrinam istam validis impugnationibus concussam inuenies, quæ si illas adhuc sustinuisset, hic necessariò rueret. Etiamsi duplex entitas possit sibi mutuo esse causa in diuerso genere causæ, tamen eadem entitas non potest esse causa sui ipsius: ergo nulla entitas potest esse principium causalitatis sui ipsius: ergo non potest esse principium passiuum causalitatis ex vi cuius producitur. Antecedens negabit nemo; Consequentiam probo: esse causam alicuius entitatis nihil aliud est, quàm esse principium causalitatis, ex vi cuius producitur, & ideò dicitur ignis causa efficiens huius caloris, quia est principium causalitatis, ex vi cuius calor producitur: ergo idem calor dicetur causa materialis, seu patiens ipsum calorem, si est principium passiuum causalitatis, ex vi cuius producitur calor. Dices, disparem esse rationem, quia ignis distinguitur à calore, calor verò non distinguitur à se ipso, & ideò ignis est causa caloris ex eo quod sit principium suæ causalitatis, & calor non est principium sui ipsius. Contrà: Intendo ego in te probare eumdem terminum esse causam sui ipsius, & ad hoc te trahere absurdum: ergo petis principium dum asseris terminum non esse causam sui ipsius, etiamsi sit principium suæ causalitatis. Vrgeo si actio productiua mei à me procederet tanquam à principio effectiuo, ego me ipsum actiuè producerem: ergo si eadem entitas procederet à me ipso tanquam à principio passiuo, ego me ipsum passiuè causarem.

6 Difficile aliquibus visum est explicare quomodo actio distincta à termino, & illi non inhærens illum existentem constituat, quod difficilius reddit multorum loquutio asserentium actionem in genere causæ formalis constituere effectum: difficultatem propositam & loquutionem prædictam facilè explicabo. Duo habet actio, (vt rem explicé, loquor de actione productiua caloris, idem de quacumque alia dicturus) calorem extrahere à potentia causæ, & illum existentem constituere: aliud ex calore existente, & ipsa actione constituere complexum quoddam, quod dicitur dependens, quod pro materiali includit calorem, & pro formali dependentiam, quam habet calor. Primum illud officium exercet in genere causæ efficientis, & non in genere causæ formalis, quod sic probo: causare in genere causæ formalis, est causare componendo, sed actio productiua caloris non componit entitatem caloris secundum se: ergo non causat illam in genere causæ formalis. Confirmatur: effectus causæ formalis non distinguitur secundùm se totũ à forma, quia forma est causa intrinseca inadæquatè identificata cum effectu, sed calor secundùm se totum distinguitur ab actione, ex vi cuius producitur: ergo non dependet ab illo in genere causæ formalis, seu tanquam à forma, sed in genere causæ efficientis tanquam à causalitate adæquatè ab illa distincta: ergo rectè intelligitur causalitas actionis, seu actio vt causalitas sine inhærentia actionis in termino, quia si ad aliquod causalitatis genus requiritur inhærentia tãtùm est ad genus causæ formalis. Secundum munus videlicet constituere hoc concretum *calor dependens*, seu *calor productus*, præstat in genere causæ formalis, quia concretum hoc dicit duo, calorem & dependentiam, hanc tanquam formam, & illum veluti materiam, ex quibus coalescit, non tanquam compositum essentiale constans materia, & forma, strictè sumptis, quia actio non est propriè forma sui termini, cùm neque ex illo educatur, neque vniatur illi, quia tamen illi denominationem tribuit dependentis, & verè illum dependentem constituit aliquo modo illius forma dicitur, sicuti visio dicitur forma concreti *visum* quamuis subiecto, quod denominat sit nimis extrinseca.

Dico tertiò. Actio eductiua subiectatur in passo seu in 7
subiecto, quod terminum ex vi illius productum recipit. Id tradunt Aristotelis verba toties repetita: *Actus huius in hoc*: id colligitur ex conclusionibus præcedentibus à sufficienti partium enumeratione, quia si actio non recipitur in principio effectiuo, neque in termino, tantùm illi restat subiectum in quo terminus recipitur. Efficacius eamdem conclusionem suadet identitas actionis cum passione; & ratio à priori quam expono, rem ostendit. Actio eductiua constituit terminum dependentem à subiecto, & est id, medio quo subiectum recipit terminum: ergo debet ipsa recipi in eodem subiecto, non enim alio modo recipitur causalitas, ex vi cuius producitur. Confirmatur: implicat effectõ dependere in genere causæ efficientis ab aliquo principio, quæ ab eodem principio in eodem genere non dependeat: ergo implicat dependere in genere causæ materialis ab aliqua causa mediâ causalitate, quæ ab eadem causa in eodem genere causæ materialis non dependeat: ergo implicat calorem dependere à ligno tanquam à subiecto mediâ passione identificata cum actione, quin passio, seu actio dependeat ab eodem ligno tanquam à causa materiali, & in illo subiectetur. Primũ antecedens de causalitate principij effectiui nullus negat: consequentia est optima desumpta à paritate, quam fundat in vtraque causâ ratio à priori, quam modò adduxi ad hanc conclusionem probandam.

Pvnctvm IV.

An actio primò productiua, & conseruatiua sit eadem numero?

Nonnulli apud Patrem Lessium de perfectionibus di- 1
uinis lib. 10. cap. 4. quos ipse non expresso nomine refert, sensère creaturas minori concursu indigere vt conseruentur, quam vt primò producantur, qui in ipsa entitate virtutem, quamdam confingebant, qua se ipsas conseruent cum solo concursu generali causæ primæ, sicuti cum eodem concursu entitates alias eiusdem rationis producunt. Contra hunc dicendi modum, doctè & eruditè agit Lessius suprà: eumdem efficaciter impugnat Arriaga disp. 9. sect. 9. Ego tamen in illo refellendo non immoror, quia nihil in illo, neque impugnatione dignum inuenio, & illius falsitas ex dicendis pro communi sententia clarè constabit, & per se omni probabilitate alienum apparet rem creatam habere virtutem aliquam conseruandi se, neque in bonum sensum explicari potest hanc virtutem reduci ad actum concursu generali causæ primæ. Quia si hoc significet conseruationem esse actionem prouenientem physicè ab entitate conseruata & à Deo tanquam à causa prima omni probabilitate caret, quia dici nequit entitatem esse principium actionis terminatæ ad se ipsam. Eadem enim est difficultas de actione conseruatiua, & de prima productiua, ad vtramque enim debet supponi existens principium, à quo fluit antequam intelligatur actio procedens ab illo quod fieri non potest, quia omne ens creatum principium habet à quo procedit in illo instanti, in quo existit, siue in primo, in quo produci dicitur, siue in secundo, in quo conseruatur. Si dicant con-

cursum

cursum illum generalem causæ primæ esse actionem prouenientem tantùm à Deo, illa actio non erit concursus ille generalis, quem Deus exhibuit cum causa secunda ad primam rei productionem, quia concursus, quem tunc Deus exhibuit per se ipsum dependebat à causa prima, & à causa secunda, & implicat (causa secunda amota) illum permanere. De his satis, pergo ad alia.

2 Statui Controu. 10. punct. 1. omnes effectus dependere in conseruarià Deo, procedit modò difficultas an dependeant in conseruari per eamdem actionem; per quam in primo instanti suæ productionis fuerunt primò producti. Sunt aliqui effectus, quos dicimus dependere in conseruari à causis secundis quia illis ablatis illico deficit effectus, tales sunt species impressæ, quas mittunt obiecta potentiæ visiuæ, lux à Sole producta: Alij sunt effectus, qui dicuntur non dependere à causis secundis in conseruari, quia etiamsi causæ secundæ de medio tollantur adhuc effectus subsistentes perseuerant. De omnibus quid dicendum sit breuiter aperiam.

3 Dicendum est contra Henrr. Aur. & Greg. apud Soar in Met. disp. 21. sect. 1. cum eodem P. Soar. ibid. Vasquez 1. part. disp. 72. num. 1. Molin. 1. p. q. 10 art. 5. disp. 1. Hurtad. disp. 1. de generat. sect. 6. num 73. Arriag. disp. 9. sect 6. subsect. 3. num. 88. & aliis plurimis apud eundem Soar actionem conseruatiuam esse eamdem numero cum primò productiua, quotiescumque causa producens & conseruans est eadem. Probo hanc conclusionem: actio, ex vi cuius producitur hæc entitas in primo instanti, quo incipit existere, potest in secundo instanti permanere: ergo necessum non est actiones sine fundamento multiplicari. Antecedens probo. Idem est principium ex parte actus primi (in hac enim suppositione procedit quæstio) idem terminus, & reliquæ omnes conditiones requisitæ ex parte causæ: ergo poterit esse & necessariò erit eadem actio, quia omnibus ex parte actus primi eodem modo se habentibus nihil prohibet actum secundum omnino esse eumdem. Confirmatur: actio conseruatiua, etsi fingatur omnino distincta à primo productiua non solùm existit in instanti immediato primæ productioni, in quo incipit esse, sed etiam in vlterioribus: ergo eodem modo potest perseuerare actio, ex vi cuius effectus existit in primo instanti, in quo existere incipit. Hæc conclusio ex postea tradenda n. 5. clarius constabit.

4 Dicendum est secundò, ablatâ causâ secundâ adæquatâ, vel inadæquatâ effectum non posse conseruari ex vi actionis, quâ primò fuit productus: Probo facilè: actio quâ fuit primò effectus productus dependebat per se & essentialiter à causa prima, & causa secunda: ergo implicat existere illam actionem sine causa prima secunda: ergo quacumque ablata necessariò deficit illa actio. Rem declaro: Ablato igne producente in hoc instanti calorem aufertur id, à quo dependet actio procedens ab igne: ergo aufertur actio, ex vi cuius procedebat calor ab igne, sed actio, ex vi cuius procedebat calor ab igne, & ex vi cuius procedebat à Deo, erat eademmet indiuisibilis cum actione, ex vi cuius procedebat ab igne vt probaui Contr. 10. ergo deficiente actione, ex vi cuius procedebat calor ab igne deficit actio ex vi cuius procedebat à Deo.

5 Dicendum est tertiò, causam conseruantem in hoc secundo instanti effectum ab illa productum illum conseruare ex vi eiusdem actionis, qua eademmet causa eumdem effectum produceret, si illum primò produxisset, & non posse minori influxu illum conseruare, quam esset ille, quo eumdem primò produceret. Probo hanc conclusionem: effectum præcessisse in instanti antecedenti, vel non præcessisse physicè in hoc instanti nihil potest influere, quia in ordine physico id, quod præcessit perinde est ac si nûquam fuisset: ergo idem influxus requiritur ex parte causæ ad effectum existentem in hoc instanti, siue præcesserit in instanti antecedenti, siue non præcesserit: ergo idem influxus, qui modo dicitur conseruatio, quia entitas in instanti antecedenti existit, esset prima productio, si in instanti præcedenti idem effectus non extitisset. Confirmatur: dependentia oritur ex entitate effectus intrinsecè limitata, & indigente principio à quo habeat esse: sed idem est effectus cum eadem limitatione in hoc instanti siue præcesserit in instanti antecedenti, siue non præcesserit: ergo eamdem habet dependentiam influxus in vtroque instanti: ergo in vtroque erit illi necessarius influxus æquè validus, vt ex vi illius subsistere possit. Dixi æqualem influxum requiri ad producendum, & ad conseruandum effectum, quod de influxu in actu secundo absolutè absque vlla limitatione intelligè, de virtute verò in actu primo intelligendum est non absolutè, sed per se loquendo. Rationem prius huius posterioris partis accipe. In instanti, in quo qualitas habens contrariũ: verbi gratia, frigiditas in subiecto conseruatur, conseruatio fit absque vlla resistentia formali, nihil enim existit in subiecto, in quo conseruatur frigiditas, aût immediatè extiterit, ratione cuius qualitas illa contra resistentiam formalem conseruatur, quando verò primò producitur, & expellitur calor, productio illa est contra resistentiam formalem caloris expulsi, qui immediatè extitit in instanti antecedenti, & in illo resistit ne nunc introduceretur frigiditas, cuius resistentia vincitur in instantia, in quo frigiditas producitur, & ita maior virtus, seu conatus ex parte actus primi requiritur ad eumdem effectum ex vi eiusdem actionis producendum ratione contrarij resistentis, quam ad illum conseruandum, quod si nullus calor expellendus præcessisset ex parte subiecti, non maior virtus esset requisita ad frigiditatem producendam quam ad illam conseruandam. Hæc de virtute in actu primo, nunc de influxu in actu secundo. Influxus in actu secundo, seu actio siue absit, siue adsit contraria forma, eiusdem omnino rationis requiritur ad producendum, quam ad conseruandum, sicuti omnino eadem est actio, ex vi cuius producitur frigiditas, resistente calore, & illo non resistente. Ratio est, quia effectus producendus intrinsecè semper est idem siue absit, siue adsit forma intrinseca, & entitas actionis tantum respicit entitatem intrinsecam effectus ad quam primariò terminatur, & quælibet actio productiua octaui gradus frigiditatis æquè expellet primum caloris, si detur existens, ad hoc autem vt detur, non requiritur ex parte actionis virtus aliqua operatiua, sed tantùm pura illius nõ repugnantia, quâ positâ illam efficientis virtus exerceat, cui incumbit proprio conatu vincere qualitatem contrariam ponendo in rerum natura actionem, ex vi cuius producitur frigiditas, in qua non resistentia: sed victoria, seu effectus resistentiæ consistit. De hoc latè in Generatione Contr. 5. de resistentia.

Dixi permanere eamdem actionem quotiescumque est 6
eadem causa conseruans & producens. Dicendum est modò quando sit eadem causa, quæ conseruat, & quæ producit: eamdem esse causam conseruantem, & producentem effectus, quos dicimus dependere in conseruari à suis causis, sicuti dependet lux à Sole & species impressa ab obiecto: consentiunt omnes, & experientia ipsa demonstrat, quia cum primò remouetur causa primò producens lucẽ, corrumpitur lux: ergo existentia lucis etiam in conseruari dependebat à causa primò producẽte, aliàs hæc remota lux eadẽ conseruaretur. In assignanda ratione, cur aliqui effectus dependeant in conseruari à causa prima producente, & non alij, multus est Soar suprà n. 11. apud quem nihil inuenio, quod rem adæquatè explicet, & ita de qualitatibus ab actionibus distinctis nullam aliam rationem existimo posse assignari præter experientiam, qua videmus aliquas entitates vt primum remouetur causa illarum productiua statim perire. Bene tamen notat Soar nullã substantiã huiusmodi dependentiam in conseruari habere à causa primò producente, neque qualitatem aliquam dispositiuã ad formam, quod experientia monstrat. Verumtamẽ ex qualitatibus, quæ ad formã non disponunt inuenio lucem dependentem in conseruari à sua causa, & impulsum non dependentẽ, species impressas potentiæ visiuæ dependentes in cõseruari ab obiecto, & species impressas intellectus productas ab actibus, qui modò non sunt, quæ in conseruari ab illis non dependent, inter quas qualitates nulla poterit disparitatis ratio à priori reddi, sed necessariò recurrendũ est ad intrinsecam illarum naturam nobis experientiã notam. Docet etiam Soar nullum effectum dependere in cõseruari à causa vniuoca, quod sine examinere, non est omnino admittendum: dicam quid sentio. Dependentia, quã in conseruari habet effectus à causa secunda proximè vel remotè tendentem reducenda est ad causam æquiuocã, & numquã potest esse determinata à causa vniuoca, quã necessariò exigat, sed saltem debet esse exigẽtia effectus respectu causæ secundæ conseruantis, vniuocæ, vel æquiuocę sub disiunctione. Vtrumque clarè probo. Do lucẽ dependentem in cõseruari ab alia luce vniuoca, lux illa vniuoca conseruans, eo ipso quod est vniuoca cum effectu debet

habere eadem prædicata essentialia, quæ habet effectus, sed effectus dependet in conseruari à causa creata: ergo & lux conseruans: de hac ego luce conseruante inquiro, an conseruetur à causa vniuoca, vel æquiuoca: si ab æquiuoca habeo intentum, si ab vniuoca, hæc etiam dependebit ab alia causa secunda in conseruari, & sic in infinitum abibimus, si aliquam causam æquiuocam non assignemus: ergo vltimò veniendum est ad causam æquiuocam. Secunda pars conclusionis ex prima legitimè infertur: effectus ille immediatè conseruatus à causa æquiuoca naturaliter conseruatur ab alia: ergo non petit necessariò conseruari à causa vniuoca, sed maximum, quod potest exigere est conseruari à causa vniuoca vel æquiuoca, effectus ille conseruatus à causa æquiuoca, & conseruans alium vniuocum est eiusdem rationis cum hoc vniuoco, quem conseruat: ergo effectus iste conseruatus à causa vniuoca habet eamdem naturam cum causa, sed causa non petit determinatè conseruari à causa vniuoca, sed de facto conseruatur ab æquiuoca: ergo neque hic effectus necessariò exgit conseruari à causa vniuoca, sed saltem potest conseruari ab æquiuoca, etiamsi ab vniuoca æquè primò conseruetur.

7 Restat modò inquirere an effectus, qui dependet in conseruari à causa secunda necessariò immediatè conseruationem exigat à causa æquiuoca, ita vt non possit immediatè adæquatè conseruari à causa secunda. Sentio quæstionem hanc certo definiri non posse, quia experientia, quæ harum rerum magistra est, nihil nos potest in hac re docere, quotiescumque enim existit lux, non solùm est applicata lux alia, à qua possit conseruari, sed etiam luminosum conseruans lucem aliam, media qua applicatur toti luci existenti, & illam de facto conseruat: ergo non possumus experientia doceri, an hæc lux sufficienter posset conseruari ab alia luce, si luminosum præcipuum neutiquam ad illius conseruationem conduceret. Nihilominus probabilius esse censeo qualitates dependentes in conseruari à causis secundis ex sua natura non exigere immediatam conseruationem à causa æquiuoca, sed ex se posse conseruari adæquatè ab vniuoca, & ita de facto conseruandam si posset vniuoca sine æquiuoca applicari. Pono casum, qui rem explicet. Affirmo casu, quo Deus corrumperet luminosum, & conseruaret miraculosè sex gradus lucis in hac parte aeris, hos naturaliter producturos, & conseruaturos in parte immediata aeris gradus alios lucis, qui à causa vniuoca naturaliter conseruarentur. Idem dico casu, quo luminosum conseruaret lucem sibi propinquam, & Deus illi concursum subtraheret, vt remotiorem conseruaret, quæ adæquatè conseruaretur à luce conseruata à luminoso. Moueor ad hanc conclusionem, quia cum lux vitutem habeat producendi & conseruandi lucem aliam, & lux producenda, & conseruanda non sit illa perfectior, sed essentialiter æquè perfecta, & intensiuè remissior, fundamentum non est ad asserendum virtutem lucis ex se sufficientem non esse ad lucem aliam producendam, & durum videtur intensissimam lucem à Deo miraculosè productam, neque minimum gradum lucis posse produci cum generali concursu Dei, quem si potest producere, potiori iure conseruare poterit. Fortiorem aliam rationem non inuenio, quam libenter à quocumque discerem.

8 De effectibus, quos dicimus non dependere in conseruari à suis causis, sicuti calor, frigiditas & aliæ huiusmodi qualitates procedit dubium, an ab illis conseruentur, dum causa, quæ illos produxit applicata perseuerat, vel an tantùm dependeant à causa primò producente in primo instanti, in quo existere incipiunt, & in secundo dependeant tantùm à Deo, etiamsi permaneat causa producens cum eadem applicatione, quam habuit in primo instanti. Parum philosophicè existimo, sentire, qui dicunt hos effectus tantùm dependere à causis in primo instanti, in quo producuntur etiamsi hæ in secundo eamdem applicationem habeant, contra quos pro opposita sententia sic argumentor. Si causa, verbi gratia, ignis ligno applicatus, in instanti præcedenti non produxisset calorem, illum produceret in hoc instanti, & actio terminata ad calorem in hoc instanti ab igne dimanaret: ergo eadem actio dimanat ab illo in hoc instanti, etiamsi in antecedenti calorem produxerit, quia id, quod in instanti præcedenti fuit, & modo iam non est respectu huius instantis perinde se habet ac si numquam fuisset. Confirmatur: in secundo instanti est eadem virtus ex parte principij effectiui, & passiui, & eadem capacitas ex parte termini: ergo in primo instanti ac in secundo erit eadem actio: ergo erit in hoc instanti actio ab hoc igne, quæ in præcedenti fuit ab eodem principio: ergo idem ignis, qui antea calorem produxit, modo eumdem conseruat. Dices virtutem ignis esse ad producendum, & non conseruandum calorem. Contra: calor primò productus, & conseruatus intrinsecè, & secundùm suam entitatem omnino est idem: sed virtus productiua, quam habet ignis tantùm respicit entitatem intrinsecam caloris: ergo eadem est, & omnino eodem modo respicit effectum primò productum, & postea conseruatum. Idem argumentum fit de actione. Productio & conseruatio intrinsecè non differunt, sed ex eo quod modo incipiat esse terminus, quem recipit dicitur productio, & ex eo quod terminus immediatè antea præcesserit, etiamsi actio modo incipiat dicitur conseruatio: ergo eadem est virtus respectu productionis, & conseruationis: ergo principium, à quo potest fluere productio potest esse principium conseruationis. Ex eo enim quod terminus immediatè præcesserit non potest principium actiuum fieri impotens, vt modò incipiat exercere actionem terminatam ad eum terminum quam exerceret si terminus immediatè antea non præcessisset.

Ex hoc infero ignem non tantùm conseruare calorem, 9
quem primò produxit, sed etiam calorem productum ab alio igne, quem ipse posset primò producere etiamsi præsens sit ignis alius, qui talè calorem primò produxit, quia si duplex ille ignis simul applicaretur ligno vterque per modum vnius principij adæquati, caloré illum produceret, & ab vtroque procederet eadem indiuidualis actio terminata ad calorem: ergo cum modo vterque ignis applicetur, eadem actio ab vtroque procedet, quæ procederet si primò applicarentur, alterum enim fuisse tempore antecedenti applicatum respectu huius instantis perinde est, ac si numquam fuisset. Potiori ratione ignis incipiet conseruare calorem, quem inuenit productum à Deo, quia Deus tantùm conseruat in defectum causæ secundæ, & ideò causa secunda adueniente hæc effectum conseruabit, & non Deus. Secundò, quia ignis intendens à se mittere actionem terminatam ad calorem ex se non magis petit actionem, quæ modo ab illo incipit exire, terminari ad calorem qui modo incipiat, quàm ad calorem, qui immediatè fuit: ergo ex se non magis petit caloré producere, quam conseruare, & aliàs calor ille præexistens petit conseruari: ergo determinabit ignem ex se indifferentem ad conseruandum, & ad producendum, & ad hos, vel illos gradus producendos, vt potius actionem exerceat circa illos, qui iam existunt, & conseruatione indigent, quàm circa alios, qui numquam fuerunt producti, & exigere non possunt suam productionem, eo modo, quo isti suam conseruationem exposcunt. Neque contra hoc est quod tradidi Controu. 7. p. 7. n. 10. videlicet Deum non determinare principium effectiuum ad nouam actionem effectus iam producti, quia hoc intelligendum est respectu actionum quæ simul existerent, non verò respectu illarum, quarum vna, altera adueniente periret.

Obiic. Si applicentur duo calida vt quatuor, calor vt 10
quatuor existens in hoc subiecto posset producere tres gradus caloris existentes in alio subiecto: ergo illos conseruabit. Rursus alij quatuor gradus existentes in alio subiecto possent etiam producere tres gradus existentes in isto: ergo illos conseruabit: ergo gradus caloris existentes in duplici subiecto mutuo conseruabuntur. Respondeo quatuor gradus caloris existentes in hoc subiecto potuisse producere gradus existentes in alio, si supponeretur existens, independenter ab illis: quod si non ita supponeretur, sed dependens illos producere non posset, & ita posse illos conseruare si supponatur cum independentia, secus si dependens ab illis supponatur. Casu autem, quo calidum hoc conseruaret tres gradus caloris existentes in alio, illi tres gradus caloris in illo instanti, in quo conseruarentur non supponerentur independétes à quatuor gradibus existentibus in hoc subiecto, sed cũ dependentia ab illis, ac proinde non possent tres illi gradus caloris cõseruari ab hoc calido vt quatuor conseruare aliquem gradum caloris existentem in hoc subiecto. Ecce quo modo non mutuò conseruarentur gradus existentes in duplici subiecto. Sed adhuc restat difficultas cuius subiecti gradus cõseruarẽt gradus existentes in alio, cum antecedenter æque benè possint quatuor gradus existentes in hoc subiecto conseruare tres gradus ex quatuor, quos habet aliud subiectum

iectum, & quatuor existentes in alio subiecto conseruare tres ex quatuor, qui sunt in isto. Si gradus inæqualiter intensi constituerentur, facilè dicerem remissiores conseruandos esse ab intensioribus: casu tamen, quo æquè intensi, & eiusdem virtutis supponantur, existimo in actu primo hos gradus intendere conseruare existentes in alio subiecto, & eosdem intendi conseruari ab aliis, quæ duo coniungi non possunt, quia non potest dari mutua causalitas, ac proinde cum exigentiæ in actu primo æquales sint Deus determinabit potius hos quàm illos vt alios conseruent, vel si non determinet, cum æquum sit vtriusque partis ius, neque ista cedet, neque vincetur illa, & ita mutuo impedientur hæc duo calida, ita vt neutrum alterum conseruet.

11 Nota in opinione P. Lugo asserentis actionem non distingui à duratione quem referam Contr. 16. non posse dici eamdem numero acti onem posse dici modò primam productionem, & postea conseruationem, quia secundum hanc sententiam non potest actio existere in duplici instãti, non tamen infertur ex hac senrentia conseruationem, & primam productionem intrinsecè distingui, quia iuxta principia huius auctoris rectè dicetur eamdem actionem, quæ in hoc instanti prima productio dicitur, potuisse dici conseruationem, si immediatè antea non præcessisset alia actio terminata ad eumdem terminum, & similiter rectè dicetur, actionem, quæ in hoc instanti conseruatio dicitur potuisse antecedenter in eodem instanti dici primam productionem; ex eo præcisè quod non præcessisset alia actio eumdem terminum respiciens.

12 Nota similiter productionem, & conseruationem non distingui ex eo quod modo incipiat actio, sed ex eo, quod incipiat terminus, quem respicit actio, quia postquam ignis produxit calorem in hoc instanti, etiamsi incipiat in sequenti alia actio Deiterminata ad eumdem ignem, conseruatio dicetur & non prima productio: requiritur ergo ad rationẽ productionis vt distinctæ à conseruatione terminum incipere, & consequenter incipere actionem, quia non potest modo incipere terminus, si actio immediatè antea præcessisset, cum in illo instanti potuerit esse actio sine termino. Ad rationem conseruationis vt distinctæ à prima productione sufficit terminum præcessisse, etiamsi incipiat actio: quod si actio præcessit, necessariò cum illa præcessit terminus, & ita non poterit non esse termini conseruatio vt distincta à prima productione.

13 Obiicies non distingui effectus, qui dependent in conseruari à suis causis, ab illis, qui dicuntur hanc dependentiam non habere cum omnes à suis causis conseruentur, dum hæ sunt applicatæ, & omnes possint cõseruari à causa prima deficientibus causis secundis. Respondeo maximam intercedere inter vtrosque differentiam, quia effectus qui dicuntur dependere ab illis, ita dependent, vt causis deficientibus, etiamsi Deus possit illos miraculosè conseruare, naturaliter tamen non conseruantur à Deo, quia illi non exposcunt conseruationem illam, quam Deus potest illis præstare, propriis causis absentibus, effectus verò, qui dicuntur non dependere in conseruari à suis causis etiamsi de facto ab illis conseruentur dum sunt applicatæ, ita conseruantur vt his causis deficientibus, non solùm porerint supernaturaliter conseruari à Deo, sed ipsi hanc exigunt conseruationem; quam Deus præstare tenetur si velit attendere ad exigentiam ipsorum & iuxta illa munus auctoris naturæ adimplere.

Punctum V.

De reproductione.

1 EX eisdem principiis quibus naturam conseruationis explicuimus possibilitas reproductionis examinanda est. Doctores disputant an possit naturaliter an supernaturaliter dari reproductio. Procedit difficultas de reproductione permanentium & specialiter de reproductione successiuorum, dicam de omnibus. Circa reproductionis quidditatem inter doctores nullam inuenio dissensionem: definiri potest: *Actio terminata ad effectum, qui tempore mediato extitit.* Cæterum dupliciter potest contingere reproductio effectus eiusdem. Primò per actiones distinctas terminatas ad eumdem effectum: secundò per repetitionem eiusdem actionis, quæ tempore mediata præcessit, vtrumque reproductionis modum explicabo.

2 Qui sentiunt accidentia indiuiduari à subiecto repugnaciter defendunt adhuc successiuè non posse duo accidentia eiusdem speciei in eodem recipi subiecto. Ex quo inferunt semper reproduci in eodem subiecto idem numero accidens, quod antea perierat. Huius doctrinæ fundamentum omnino à veritate est alienum, indiuiduatio enim cuiusvis entitatis formaliter, & intrinsecè ab ipsa desumitur, extrinsecè verò, & causaliter non potest in accidentibus à materia desumi, eadem enim indifferens est ad recipienda accidentia non solùm numero, sed etiam specie differentia. Ex diuerso principio eamdem doctrinam de reproductione Scotus est amplexus apud P. Soar. disput. 5. Metaphys. sect. 9. num. 1. asserit enim easdem causas eodem modo applicatas semper eumdem producere effectum. Ex quo infert idem accidens toties reproducendum, quoties eædem causæ, à quibus primò fuit productum eodem modo applicentur. Ratio hæc facilem solutionem habet in cuiusvis sententiæ doctrina, qui enim asseruit causam determinari ad indiuiduationem à circunstantiis; dicent his variatis eamdem causam diuersum producere effectum, & cum circunstantia temporis diuersa sit, effectus diuersus necessariò contingit. Qui tenent Deum determinare causas ad hoc indiuiduum potius quàm illud producendum, dicent ratione diuersæ determinationis eamdem causam diuersum producere effectum, eadem enim causa diuerso modo determinata diuersum effectum producit, eumdem productura, si eodem modo determinaretur. Durand. Marsi. & alij apud P. Soar. tom. 2. part. 3. disp. 44. sect. 1. tenent non posse idem accidens iterum reproduci adhuc de potentia Dei absoluta, quia eadem non potest iterũ repeti, & vbi intercedit noua actio, nouum etiam terminum intercedere oportet. Sententia hæc non benè audit apud omnes & omni fundamento est destituta, falsum enim est non posse diuina intercedente potentia eamdem repeti actionem, quod etsi verum esset, non probaret, quia idem terminus plures actiones potest terminare vt patet in effectibus, qui producuntur à causis secundis, & conseruantur tantùm à Deo, quod fieri nequit nisi per diuersas actiones, quarum vna sit productio dependens à Deo, & à creatura, & alia sit conseruatio dependens tantùm à Deo, quia actio, quæ modò dependet ab his principiis, per se ipsam dependet, & non potest eadem met in aliquo tempore existens ab illorum aliquo non dependere.

3 Qui dicebant causas determinari quoad indiuiduationem effectus dicunt naturaliter non posse reproduci hunc effectum, quia temporis diuersitas ad diuersos effectus producendos determinat. Impugnaui Controuersia 10. adscribentes extrinsecis circunstantiis effectuum indiuiduationes, quo fundamento euerso, alia in hac re quærenda via est. Sed adhuc illo stante neutiquam hanc tutam esse censeo. Do circunstantias determinare effectuum indiuiduationem, ex quo infertur in hoc tempore non posse produci effectum huius speciei ab isto numero distinctum, non tamen infertur hunc numero non posse in hoc vel in illo tempore produci, quia etiamsi effectus ex se indifferentiam habeat vt in diuersis temporibus possit produci, dum tempus idem indifferens non sit, vt in illo diuersi effectus producantur optimè indiuiduatio effectuum his circunstantiis adscribitur. Deinde effectum hanc habere indifferentiam sic probo. Hic effectus productus in hoc instanti (loquor de permanentibus) conseruatur per integram horam ab eadem causa ex vi eiusdem actionis: ergo actio, quæ modò incipit existit in fine horæ: ergo in hoc vltimo instanti (transeo ad finem horæ) posset existere, etiamsi in præcedentibus non extitisset. Probo consequentiam: actioni secundum se non repugnat existentia in hoc instanti, quia supponimus illam habere, & habuisse in præcedentibus, præcessisse, vel non præcessisse nihil potest physicè conducere ad existentiam actionis in hoc instanti vltimo horæ: ergo sicuti existit in hoc instanti, quando in antecedentibus præcessit, posset in eodem existere, etiamsi in nullo præcessisset: ergo sicuti incipit in primo instanti horæ cuius modo est vltimum terminatiuum instans, potuit incipere in hoc instanti: ergo ratione temporis indifferens est vt incipiat esse in hoc vel in illo instanti: ergo ex hoc capite adhuc in ordine ad causas naturales non est repugnantia in reproductione eiusdem effectus, siue

siue per repetitionem termini ex vi diuersarum actionum, siue per repetitionem eiusdem actionis. Mente repete, quæ dixi Puncto præcedenti de identitate productionis, & conseruationis, & ex differentia conseruationis ad diuersa tempora eamdem indifferentiam productionis ad eadem tempora inferto.

4 Conimbr. PP. asserunt lib. 2. cap. 11. quæst. 1. causam non posse producere effectum postquam semel illum produxit, quia manet veluti effœta, & exhausta ex priori productione, & ita non posse iterum eumdem edere fœtum. Nec bene, nec sufficienter: non bene, quia virtus productiua non minuitur per actiones ab illa procedétes, sed eadé omnino intrinsecè manet, & ita cum eadé fœcunditate ad effectum producendum, quia fœcunditas causæ ab illius virtute non distinguitur: secundò etsi virtus exhauriretur exercitio suarum operationum, non minùs, imò magis exhauriretur, si conseruaret effectum per duas horas continuas, quam si initio illarum effectum produxisset, & actione interrupta, iterum in fine illarum eumdem produceret, quia cum non requiratur maior virtus ad producendum, quàm ad conseruandum, magis virtutis impenditur in conseruatione effectus per duas horas, quam in conseruatione repetita, quæ simul cum conseruatione tantum durat per vnam horam diuisam. Sufficiens ad rem solutio non esset, etiamsi veram contineret doctrinam, quia cum idem numero effectus possit diuisim à duplici causa produci, ex eo quod hæc causa, quæ illum produxit effœta, maneret ad illum corruptum reproducendum non infertur non posse eumdem effectum ab alia causa produci.

5 Neque audiendus est modus, quem refert Suar. dicentium causas creatas naturâ sua esse determinatas, vt creato ordine effectus producant, ratione cuius non possunt iterum ad effectum, qui iam pertransit redire; instat enim immediatè venturus, vt effectuum processio rectè ordinetur. Omni fundamento destituta est effectuum processio, & gratis ficta quam sic dispergo: Conseruat causa hunc effectum per integram horam non obstante hoc effectuum ordine: ergo potest per eamdem horam cum aliqua interruptione conseruare, sicuti enim effectus proximè venturus horam integram expectat, vt per illam conseruetur effectus præcedens, cur non per eamdem expectabit vt producatur, & reproducatur idem effectus? Secundò, vt sæpe dixi, præteriisse, vel non præteriisse effectum, nihil refert ad illud, quod modò futurum est: ergo ex eo præcisè, quod hic vel ille effectus præcesserit, nullum ius acquirit effectus aliquis ex possibilibus, vt potius ille succedat, quam vt iam præteritus reproducatur. Vltimò, si talis daretur ordo, adhuc alia esset reddenda ratio propter quam effectus, qui ab hac causa ordine debito fuit productus, & iam est corruptus non possit idem ab alia causa ordine seruato inter alios effectus, quos hæc causa producere potest, iterum produci.

6 Sentio ex parte causarum nullam rationem reperiri posse, propter quam idem agens eidem passo applicatum non possit eumdem effectum permanentem ex vi eiusdem, siue diuersæ actionis iterum producere, sed totam variationem effectiuum oriri ex voluntate Dei determinante causas naturales semper ad nouos effectus producendos. Hic dicendi modus non placuerat nostro Suar. 3. part. loco suprà citato, postea verò disput. 5. Metaphysic. sect. 9. ait re attentiùs considerata sibi valde probabilem videri: eumdem tenent Gregorius in 1. distinct. 17. quæst. 4. art. 2. ad 7. & distinct. 35. quæst. 1. art. 1. Tolet. lib. 2. de generat. quæst. vltim. concluf. 2. eidem fauet Fonseca 1. Metaphysic. c. 2. quæst. 3. sect. 8. & quatenus asserit hæc sententia ex parte creaturarum nullam esse repugnantiam in reproductione eiusdem effectus, non differt à sententia, quam tenet Soncin. in 4. distinct. 43. quæst 3. & Richard. quæst. 1. artic. 6. Probo hanc conclusionem ratione millies repetitâ. Præcessisse effectum iam non existentem modò nihil est: ergo hoc, quod est præcessisse non potest impedire causam productiuam, ne modo hanc actionem exerceat respectu huius effectus, aliàs causa habet eamdem virtutem, quam habebat antequam illum primo produxisset, quia virtus causæ ab illius entitate non distinguitur: ergo poterit eamdem actionem exercere cum ex parte virtutis causa potens sit ad illam, & nullum sit impedimentum ratione cuius illius virtus possit impediri. Eadem ratione censeo posse, quatenus est ex se hanc causam reproducere ex vi alius actionis effectum corruptum, quem alia primo produxerat, quia cum idem effectus contineatur in virtute eiusdem causæ, sicut hæc posset modo hunc producere effectum, si alia eumdem non produxisset, ita modò illum poterit producere cum eamdem virtutem habeat, & ex nullo capite sit impedita. Non posse hanc causam actionem ab illa exercitam repetere certum est, quia actio per se ipsam dependet à principio, & indifferens non est vt ab hoc vel ab illo dependeat.

Affirmo impossibilem esse reproductionem effectus siue permanentis, siue successiui etiam ex vi diuersæ actionis spectato decreto libero Dei determinante causas secundas ad indiuiduationem effectus, quia ex lege ordinaria semper determinantur ad effectus producendos distinctos ab illis, qui iam fuerunt producti. Hanc conclusionem suadet experientia in omnibus viuentibus, præcipuè in sensitiuis, in quibus accidentium diuersitas, quam in omnibus intuemur formarum diuersitatem portendit. Circa alias formas præcipuè accidentales non possumus experientia duci, cum enim inter se adeo similia sint, non valent sensus inter hanc, & illam formam ignis, vel auri, hunc, vel illum calorem, hanc, vel illam frigiditatem discernere: in his autem, in quibus experientiæ non est locus possumus iudicium ferre à paritate formarum, quarum diuersitatem noscimus in omnibus, quos possumus experiri. Secundo, id videtur naturæ conformius, quia cum causæ in se innumeros contineant effectus magis naturæ diuitias ostendunt, dum semper nouis illam effectibus ornant, & magis consentaneum ne sæpè actum agant, sed vt semper ad nouos partus determinentur. 7

De successiuis nonnullis longam instituunt disputationem, ego verò vir disparitatis vmbram inuenio inter permanentia, & successiua, illa inter se confero. Successiua fumi possunt quatenus dicunt hanc successionem cum hac numero duratione successiuè fluente: secundum hanc rationem extra controuersiam est non posse reproduci, quia duratio, quæ est hodie, etiamsi non esset non posset crastina die produci, quia implicat ipsam existere die crastina: ergo postquam fuit hodie non potest reproduci crastina die, non quia producta fuit hodie, sed quia ipsa secundùm se antecedenter ad omnem actionem, seu corruptionem circa illam repugnat crastina die existere, & ita reproductio motus cum duratione, quæ fuit hodie repugnat die crastina non formaliter vt reproductio, quia, vt dixi, etiâsi hodie producta non esset crastina repugnaret, sed præcisè per suam entitatem, quæ affixa est diei hodierno, & extra illum existere nequit. Hæc dixerim siue duratio sit accidés superadditum, quia hoc debet constitui affixum huic tempori imaginario, sicuti præsentia loco imaginario affigitur siue dicat connotationem ad tempus reale vel imaginatiũ, quia hæc debet esse cum hoc ordine prioris, & posterioris, qui repugnat esse eumdem hodie, & cras. Hoc idé contingit in permanentibus, quia eodem modo repugnat Petrum, qui fuit heri, & modò non est, reproduci crastina die cum duratione quam habuit heri non præcisè, quia heri fuit productus cũ illa duratione, sed quia duratio quæ fuit heri antecedenter ad omnem sui productionem & corruptionem habet repugnantiam ad existendum crastina die. 8

De motu, qui successiuè fit secundùm se sumpto sentio eodem modo posse ex natura rei reproduci, & tantùm illius reproductionem repugnare ex lege Dei, sicuti de permanentibus dictum est. Ratio est, quia motus successiuus etiamsi essentialiter sit successiuus ratione successionis non est affixus huic, vel illi determinatæ durationi, sed tantùm petit illius partes inter se non coexistere, quæ secundùm se indifferentes sunt ad existendum die crastinâ, vel hodiernâ, dummodo non omnes simul existant, quia simultas opponitur successioni, quam dicit motus: ergo postquam motus successiuè extitit hodie ex vi huius durationis, poterit ex vi aliùs distinctæ iterum successiuè existere crastina die. Vrgeo eadé ratione, qua argumentabar in permanentibus. Hic motus successiuus, qui fuit hodie, si de facto nõ fuisset hodie posset crastina die produci, cũ duratione distincta ab illa, quâ hodie habuit: ergo etiam postquã fuerit hodie, poterit eodé modo produci, quia hodie fuisse vel non fuisse nihil refert, neque aliquid potest cõdncere respectu illius, quod est crastina die futurum. Concludo ex his eamdem omnino esse rationem de productione permanentium, & successiuorum, in qua conclusione sequor Aureolum apud Capreolum in 4. distinct. 48. quæst. 1. artic. 2. Maironium distinct. 44. quæst. 3. & nostrum Suar. suprà. 9

Argumenta,

10 Argumenta,quæ contra reproductionem ſucceſſiuorum fiunt quædam ſupponunt motum ſucceſſiuum per ſuam entitatem eſſe affixum huic ſpatio , quod falſum eſt. Alia petuntur ex duratione motus ſucceſſiui , qui reproduci non poteſt, quod nos concedimus, quia non contendimus poſſe motum reproduci craſtina die cum eadem duratione,quam habuit hodie, ſed cum diuerſa. Aliam inferunt repugnantiam reproductionis ex ſucceſſione , quæ eſſentialis eſt motui , quæ antecedenti omiſſo rectâ illatione non nituntur,ſi enim totum motum, quem ego habui proximè elapſum repeterem,poſtea venturum eodem ordine partium aduenientium perenni quodam fluxu quin vna alteri coëxiſteret, quid tunc fieret contra ſucceſſionem motus?Dixi omiſſo antecedenti,quia nullus eſt motus localis ita neceſſariò ſucceſſiuus,cuius partes de potentia Dei abſoluta coëxiſtere non poſſint , quia cùm ego poſſim ſimul de potentia Dei abſoluta retinere præſentiam , quam habui in inſtanti præcedenti , & aliam acquiſitam in hoc inſtanti , & in eodem indiuiſibili inſtanti duplicem præſentiam immediatè acquirere , quas ſucceſſiuè eram naturaliter acquiſiturus, poſſunt ſimul exiſtere actiones,ex vi quarum hæ præſentiæ producuntur , quæ ſunt eædem partes, quæ eumdem motum ſucceſſiuum componerent , ex quo deducitur motum localem, qui omnium eſt magis ſucceſſiuus non eſſe eſſentialiter ſucceſſiuum in actu ſecundo, licet eſſentialiter , hoc eſt per ſuam eſſentiam ſucceſſionem exigat. Infero,ex his poſſe Deum in inſtanti ſimul producere motum ſucceſſiuum iam corruptum non formaliter vt ſucceſſiuum, ſed nudè ſumptum ſecundùm ſuam entitatem , & ſecundùm omnes ſui partes.

Punctvm VI.

De natura motus.

1 Integram diſputationem multis Punctis ſectam multi replent de natura motus,apud quos nihil inuenio, quod non poſſit paucis cingi,explicatâ enim naturâ actionis, & paſſionis,facilè quæ ſpecialia ſunt motui, explicantur.

Duplex genus entis cognouit Ariſtoteles,vnum in actu, aliud in potentia , & hoc ens tam intra genus cauſæ efficientis, quàm materialis , ſeu patientis. Ens in potentia intra genus efficientis dicitur illud,quod poteſt agere,ſeu actiuè potens mouere paſſum, ens in actu dicitur principium actiuum non ſolùm potens mouere ſubiectum , ſed iam illud mouens. Ens in potentia intra genus cauſæ materialis dicitur ſubiectum , quod aptum eſt vt moueatur , quod mobile dicitur.Ens in actu dicitur ipſum mobile,non ſolùm quatenus eſt potens moueri:ſed quatenus, iam actu mouetur,& motû denominatur. Vtrumque ens in actu addit ſupra ens in potentia rationem per quam vnum conſtituitur mouens,& aliud conſtituitur motum : hæc ratio eſt ipſa entitas motus , quæ quatenus procedit ab hoc principio illud mouens denominat,& quatenus in hoc recipitur illud conſtituit motum , ſicuti eadem actio quatenus procedit ac hoc principio illud denominat agens,& quatenus in hoc recipitur, illud paſſum conſtituit. Hæc diſertè tradit Philoſphus text. 6. illius do verba : *Cùm autem in vnoquoque genere* (hoc eſt in genere cauſæ efficientis , & in genere cauſæ materialis) *aliud quidem actu , aliud potentia eſſe diuiſerimus,eius, quod potentia eſt,* (hoc eſt,potentis actiuè mouere,& potentis moueri paſſiuè) *quatenus tale eſt* (id eſt quatenus habet potentiam vt moueat , & vt moueatur) *actus motus eſt*,hoc eſt motus, qui conſtituit actu mouens,& actum motum , & vtramque potentiam ad actum reducit: His conſonant verba Ariſt. text. 23. vbi motum vocat actum actiui, & paſſiui,id eſt potentis actiuè mouere,& paſſiuè moueri. *Quod igitur motus ſit*,&c. *Alteratio enim alterabilis, quatenus eſt alterabilis actus eſt. Amplius autem notius eſt eius, quod potentia actiui,& paſſiui*, &c. En expreſsè motum appellat Ariſtoteles actiui , & paſſiui quod eſt idem, ac dicere motum conſtituere formaliter agens,& patiens, ſiue mouens,& motum.Ariſtoteles enim nominibus agentis,aut mouentis,& paſſi aut moti,ſicuti nomine actionis, & motus indiſcriminatim vtitur.

2 Ex his Ariſtotelis teſtimoniis vulgaris emanauit definitio motus , quæ ſic circumfertur : *Actus entis in potentia quatenus eſt in potentia* , quam explicant Conimbr. de motu ſucceſſiuo , cuius priores partes relinquunt ſubiectum in potentia ad poſteriores , & ita dicitur actus in potentia quatenus eſt in potentia ad partes vlteriores motus. Expoſitionem hanc ferè omnes reiiciunt, quia hæc pars motus non eſt actus mobilis quatenus mobile poteſt recipere aliam partem,ſed quatenus eſt potens illam recipere, neque ad hoc vt hæc pars motus mobile conſtituat motum , quidquam ſpectat potentia , quam habet idem mobile ad aliam partem , quia etiamſi mobile hanc tantùm & non aliam poſſet recipere,ex vi huius moueretur , ſicuti mouetur ex vi vltimæ partis motus , quæ ſubiectum non relinquit in potentia ad aliam partem eiuſdem motus. Confirmatur : ad hoc vt motus calefactionis ſubiectum conſtituat motum impertinens eſt ſubiectum relinqui in potentia ad motum humectationis, quia calefactio nullo modo reſpicit potentiam ad humectationem : ergo impertinens eſt ad hoc vt hæc pars motus moueat ſubiectum hoc relinqui in potentia ad aliam partem motus. Reſpuenda etiam eſt hæc expoſitio , quia iuxta illam tantùm motus ſucceſſiuus definitione comprehenditur,quo nihil magis alienum à mente Philoſophi, qui exemplum motus, quem definiebat in generatione adhibuit, quæ ſucceſſiua non eſt.

Exiſtimauit P.Rubius hic definitionem hanc omni motui competere,quia ſic actuat ſubiectum,vt illud relinquat 3
in potentia ad terminum non quidem negatiuè ſicuti prima pars motus illud relinquit in potentia ad aliam,ſed poſitiuè tanquam via & ordinatio ad terminum , ad quem poſſet dici ſubiectum in via relinquere. Non placet expoſitio neque percipio quomodo actio relinquat ſubiectum in potentia ad terminum cum ipſa ſit formaliſſimè actuatio termini in ſubiecto : rogo ad quid actio ſubiectum relinquit in potentia reſpectu termini,nonne ad ſubſtantiam termini ſecundùm ſe,& non recipiendam, ſeu cauſandam ab ipſo ſubiecto ? nullo modo, quia ſubiectum nullam habet potentiam reſpectu termini ita nudè ſumpti & abſoluti ab omni cauſalitate, inhæſione, ſeu receptione. Ad terminum recipiendum,ſeu cauſandum ? nullo modo , quia actio eſt , per quod formaliter ſubiectum actu recipit , & actu terminû cauſat:ergo nullo modo actio relinquit ſubiectum in potentia ad terminum. Vrgeo:ex vi actionis terminus vel eſt actu receptus , & cauſatus à ſubiecto , vel non,ſi eſt receptus , & cauſatus : ergo iam poſita actione ſubiectum non eſt in potentia , ſed in actu ad terminum, quia tantùm potentia paſſiua ſubiecti terminum recipit vt recipiendum, & vt cauſandum : ergo cum reſpectu illius vt recipiendi ſeu cauſandi ex vi actionis ſit iam formaliter in actu, ſub nulla ratione poſita actione manet in potentia ad terminum.

Exiſtimo mentem Philoſophi luce eſſe clariorem , neque ſcio quo fato difficultatem in hac definitione expli- 4
canda auctores affectent. Dico ex mente Philoſophi cum noſtro Toleto ad cap.2.text.6.particulam illam *prout in potentia* exprimere rationem formalem in ordine ad quam, ſeu reſpectu cuius motus dicitur actus , dicit enim Philoſophus, motum eſſe actum entis in potentia , ſeu mobilis,& ſubdit poſtea : *quatenus eſt in potentia*, hoc eſt,quatenus mobile eſt,ac ſi diceret : motus eſt actus mobilis,non materialiter ſumpti quatenus eſt lignum vel aurum , ſed formaliter ſumpti quatenus eſt mobile : ac ſi dicerem ego: calefactio eſt actus ligni calefactibilis , non quatenus eſt lignum,ſed formaliter quatenus eſt calefactibile , ſeu quatenus eſt potens calefieri:ſic motum definit Ariſtoteles ſuprà per actum *eius quod potentia eſt,quatenus tale eſt* , hoc eſt, quatenus eſt potentia ad motum , quibus verbis clariùs natura motus explicatur , quam illis *quatenus eſt in potentia*, quæ apud Ariſtotelem non inueniuntur. Clariſſimè prædictæ explicationis ſenſum apud Ariſtotelem habemus text. 9. vbi eamdem ferè definitionem his verbis repetit ; *eius quod potentia exiſtit quatenus mobile motus eſt* (id eſt actus) *& potentia* : illud *quatenus mobile* ſic explicat:*Dico autem quatenus ſic : eſt enim æs potentia ſtatuæ , attamen æris actus, quatenus æs motus non eſt.* Æs eſt potentia ad motum, ex vi cuius ſit forma ſtatuæ , & motus ille actus eſt æris, quod moueri poteſt,quatenus poteſt moueri,& in formam ſtatuæ recipere,non tamen æris materialiter ſumpti quatenus eſt æs,quia ſi æs moueri non poſſet, etiamſi formaliſſimè eſſet æs motus non eſſet actus illius. Conſtat clarè ex mente Ariſtotelis ſenſum definitionis eſſe , motum actum eſſe mobilis vt mobilis, ſeu potentis moueri quatenus potens moueri, qui propriiſſimus eſt verborum , quibus Ariſtoteles motum explicat , quarum reduplicatio in

aliis materiis crebrò in Philosophia eodem modo explicatur. Si enim ego dicerem intellectionem esse actum potentis intelligere quatenus tale est nullus dubitaret sensum horum verborum esse, intellectionem esse actum intellectiui vt intellectiui; & me velle illis significare intellectionem esse actum animæ quatenus hoc est potens intelligere, & non quatenus est potens amare.

6 Modum distingui realiter à subiecto, & principio actiuo, & sæpè ab ipso termino licet ex conceptu vniuersali motus non dicat distinctionem à termino probandum est ex identitate, quam habet cum actione, & passione, à quibus neque formaliter differre per aliquam intrinsecam formalitatem modò ostendam.

7 Dixi motum esse actum actiui, quod constituit mouens, & actum passiui, quod motum constituit, de quo actu in ordine ad suas potentias, & in ordine ad se hoc iudicium fero. Motus quatenus est actus mobilis, & illud motum constituit non distinguitur à passione per aliquam formalitatem intrinsecam, quæ sit in causalitate, sed tantum per priuationem omnis passionis in ordine ad eumdem terminum in instanti immediato præcedentem in eodem subiecto: ita motus quatenus est actus mobilis formaliter dicit passionem termini in subiecto in hoc instanti, & præcessisse in instanti antecedenti priuationem eiusdem, aliúsve passionis in eodem subiecto respectu eiusdem termini, quod est subiectum modò terminum recipere, quem immediatè antea non recipiebat. Probo nullam aliam formalitatem motu importari, ex eo præcisè quod subiectum intelligatur modò recipiens terminum, quem antea non recipiebat, se habet nunc diuerso modo, ac antea se habebat, quia modò habet aliquid, quod antea non habebat: ergo est mutatum, quia esse mutatum nihil aliud est quàm habere aliquid, quod non habebat antea. Includere passionem, & priuationem in hoc instanti existentem tempore præcedenti sic probo. Mutari est rem se habere diuerso modo nunc, & antea: ergo dicit modum, quo subiectum nunc se habet, & dicit subiectum antea non se habuisse hoc modo: ergo dicit aliquid quod actu dicit modo, & negationem eiusdem præcedentem tempore immediato: esse passionem termini id, quod modo dicit in subiecto, probo ex Arist. asserente motum esse, actum passiui: sed passio est actus passiui: ergo passio est de conceptu motus: ergo motus dicit passionem secum identificatam: ergo per passionem existentem nunc, & priuationem præcedentem in eodem subiecto respectu eiusdem termini adæquatè constituitur actus, quo mobile in actu constituatur.

8 Motus quatenus est actus mouentis, qui constituit potens mouere actiuè actu formaliter mouens, dicit actionem in subiecto, quod præcessit cum priuatione formæ ad quam terminatur. Itaque distinguitur motus actiuè sumptus ab actione eductiua per priuationem præexistentem in instanti immediato, quam addit, non illo cuius est actus, sed in subiecto, in quo exercetur talis actus. Probo hanc conclusionem, mouere subiectum dicit receptionem termini, quo antea carebat: ergo mouere actiuè idem subiectum erit in illud inducere terminum, quo antea carebat: ergo dicit inclusionem termini, quæ est actio ex vi cuius agens terminum in hoc subiecto producit, & priuationem præcedentem tempore immediato. Confirmatur: eo præcisè quod mobile habeat formam, quam antea non habebat dicitur actu passiuè motum: ergo eo ipso, quod principium actiuum det subiecto, illud quod antea non habebat, illud actu mouet.

9 Motus actiuus seu quatenus est actus potentis actiuè mouere, & motus passiuus, seu quatenus est actus potentis moueri, differunt inter se eodem modo, quo differunt actio, & passio, motus enim passiuus seu constituens mobile actu motum est *actus huius ab hoc prius tempore præcedentis cum priuatione*, & motus actiuus seu constituens potens actiuè mouere actu mouens *est actus huius in hoc prius tempore præcedenti cum priuatione*. Vterque motus principium actiuum, & passiuum respicit potens mouere, & potens moueri, sed illud, quod motus actiuus respicit in recto, passiuus tangit in obliquo, & in illud, quod passiuus in recto attingit actiuus in obliquo tendit. Connotat etiam vterque motus priuationem, sed non eodem modo, quia motus passiuus dicit priuationem præcedentem in principio, quod dicit in recto, & cuius est actus: motus verò actiuus connotat eamdem priuationem non in principio, cuius est actus, sed in subiecto, quod in obliquo respicit.

Ex hoc fit non posse aliquam entitatem moueri in primo instanti, in quo existit, quia moueri dicit præcessisse in instanti antecedenti cum priuatione, posse tamen aliquod principium in primo instanti suæ existentiæ mouere actiuè aliud subiectum, in quo debet præcessisse negatio, & non in principio mouente.

Ex his inferes, vnionem formaliter non constituere mutatum extremum vnitum, quia vnio non est actus actiui, neque passiui, neque ex vi illius aliquid inhæret subiecto alicui mobili quod possit dici motum, neque illa est actus, qui constituat principium actiuum potens mouere subiectum illud actu mouens, mouere enim est agere, & virtus actiua non constituitur formaliter agens per vnionem, sed per passionem. Infertur etiam actionem per passionem tantùm dici motum in primo instanti, in quo existunt, quia tantùm in hoc instanti possunt habere priuationem eiusdem motus, & eiusdem termini recepti in subiecto immediatè præcedentem, quæ est de ratione constitutiua motus, quia secundùm instans durationis passionis supponit ipsam passionem existentem in instanti præcedenti, ac proinde excludit negationem eiusdem in eodem instanti, quia implicat præcessisse in illo motum, & priuationem eiusdem motus.

CONTROVERSIA XIII.

De Creatione.

DE creatione agere negotium est Metaphysici, verumtamen semper vellem illa, quæ inter se connexionem, & affinitatem habent simul pertractare, ne cogar iterum bis eadem repetere, vel ne aliquid desideretur ad perfectam rei notitiam, vbi de illa præcipua instituitur disputatio.

PVNCTVM PRIMVM.

Quid sit creatio.

VNa est ab omnibus Theologis, atque Philosophis creationis his verbis adducta definitio: *Creatio est productio rei ex nihilo*, quæ legitur apud D. Thomam 1. part. quæst. 45. art. 1. verumtamen vnius definitionis non vna, sed multiplex est explicatio.

2 Nonnulli, quorum clariùs sententiam amplectitur VVi-clephus tenent apud P. Vasquez 1. part. disp. 172. cap. 2. creationem esse productionem rei de puro intelligibili, ad esse essentiale extra Deum. Sententiam hanc impugnat Vasquez ex eo quod terminus, à quo, non possit componi cum termino ad quem, sed esse intelligibile creaturarum, quod est illarum possibilitas componitur cum esse essentiali, quod creaturæ iam existentes habent extra Deum, quia dum creatura existit, possibilis est, & habet illud esse intelligibile, quod antea habebat; ergo creatio non potest respicere tanquam terminum à quo esse intelligibile creaturarum, & tanquam terminum ad quem esse quod creaturæ habent extra Deum. Responderi posset, terminum à quo non esse illud esse obiectiuum præcisè sumptum, sed nudè, & purè sumptum quatenus excludit existentiam physicam ipsius, & dicit negationem eiusdem vt existentis, qua ratione non coniungitur cum termino ad quem, potiùs per illum destruitur, quia existentia rei est destructio eiusdem rei, vt purè possibilis, & purè intelligibilis, cuius esse dicitur terminus *à quo* creationis. Obiectionem factam dirimit prædicta solutio, verumtamen malè naturam explicat creationis, quod sic probo. Creatio esse potuit ab æterno: ergo non dicit tanquã terminum *à quo* terminum vt purè possibilem, seu non existentẽ, illius enim, quod ab æterno est creatum, numquam præcessit negatio. Secũdo specialis non est proprietas creationis, sed communis generationi extra habere terminũ à pura possibilitate, seu puro esse obiectiuo ad esse ipsius in se ipso: ergo non rectè explicatur creationis natura per hunc modum respiciendi terminum *à quo*, & terminum *ad quem*.

P. Vasquez

3 P. Vasquez suprà cap. 2. ait rem creatam fieri ex nihilo, non quia nihilum sit materia, vel constitutiuum termini creati, sed quia est terminus *à quo* creationis, quæ dicit nihil rei creatæ præcessisse, & rem ex vi illius fieri secundùm se totam, ita vt si aliquid illius præcêsserit siue materia siue forma non possit dici creata. Explicat autem illud *ex nihilo* tanquam terminum *à quo* non prius tempore existentem, sed prius naturâ, quod non intelligit de prioritate naturæ strictè sumptâ, quæ causalitatem importet, sed ideò dicit præcedere negationem termini priùs naturâ, quia terminus talis est naturæ vt antecedenter ad creationem non existat, & reuera non existeret si per creationem non penderet: vtrumque disertè his verbis tradidit doctissimus Vasquez n.11. in fine: *Sicut nunc intelligimus continuam rerum conseruationem esse ex nihilo, non quia prius duratione, sed quia secundùm totum suum esse res à Deo dependet, vt ex se nihil omnino essent si à Deo relinquerentur: sic eodem modo posset intelligi creatio ab æterno, quæ esset productio ex nihilo.* Hæc verba retuli vt appareat abs re Vasquium impugnari ab Hurtado disput.12. sect. 1. quasi diceret creationem recipere tanquam terminum negationem termini priùs tempore existentem, ex eo quod creatura ab æterno potuerit creari nulla illius præexistente negatione.

4 Non omnino acquiesco huic explicationi, quia hic modus producendi ex nihilo communis est termino genito, & creato, terminus enim existens ex vi generationis ita existit, quod si hæc non intercederet generatio, vel actio aliqua loco illius substitueretur, non existeret, sed esset nihilum, seu illius negatio. Dices deficiente generatione remansurum aliquid termini geniti scilicet subiectum, ex quo educebatur per generationem; deficiente verò creatione nihil remansurum termini creati, nullum enim habet subiectum terminus creatus quod remanere possit. Forsan huius solutionis doctrina veram explicationem definitionis continet, verumtamen illius verba ad rem non mihi sonant: difficultatem propono. Subiectum, quod remanet, nihil est formæ antiquæ, seu nihil est quod pertineat ad constitutionem antiquæ formæ, sed tantùm causa materialis illius, ab ipsa forma adæquatè distincta: ergo nihil formæ remanet deficiente generatione, ex vi cuius fiebat. Quod si dicas permanere subiectum, in cuius virtute continetur, & in quo est quasi virtualiter etiá deficiente quantitate creata remanent plura subiecta, in quorum virtute continetur, & ex quibus posset educi. Dices non remanere subiectum ex quo antea fuisset eductus terminus creatus deficiente creatione, quod remanet deficiente generatione. Hoc fateor, & hanc differentiam inter generationem, & creationem agnosco, sed non illam rectè exponit modus ille, quo illud *ex nihilo* explicatur, quam clarè tradet explicatio, quam eiusdem particulæ postea adducam. Displicet etiam in hoc dicendi modo, aliud, quod traditur, videlicet nihil rei debere præcedere terminum creatum, quia vt probabo Punct.5. totum subsistantiale creari potest, quod illius partes componentes, ex quinus fit præcedunt. Ex eodem capite reiicio quod docet Hurtadus suprà §. 1. videlicet terminum creatum debere fieri independenter à subiecto, & à quouis alio principio intrinsecè influente, quia totum fit ex partibus intrinsecè illud componentibus, quas principia influentia appellat Hurtadus, & tamen concedit ipse posse totum creari.

5 *Creatio est productio rei ex nihilo*, hoc est, ex nullo præsuppositi subiecto, vt eleganter expendit Anselmus in Monologio cap.4. ita P. Suarez disp.20. cap.1. & ferè omnes, qui de hac re his temporibus disputant, à quibus parum, & tantùm in loquendi modo discedit Vasquez suprà. Per hanc differentiam optimè secernitur creatio ab eductione, per eductionem enim fit terminus dependenter à subiecto, quod supponit eductio definita *actus huius in hoc*, videlicet in subiecto distincta à creatione, ex vi cuius fit terminus sine aliqua dependentia à subiecto, quod creatio non supponit, est enim tantùm *actus huius* videlicet agentis, & non in passo, quod non supponitur ad actionem creatiuam.

Punctum II.

De distinctione creationis à principio & termino.

1 Controuersia præcedenti, punct.1. egi de distinctione actionis à principio passo, & termino, & ex ibi dictis facilis est solutio earumdem difficultatum, de qua modò specialis instituitur disputatio.

2 Omnes qui sentiunt actionem, quâ Deus influit in effectus dependentes à causis secundis non distingui ab ipsis, idem potiori iure dicunt de actione creatiua, cuius terminus tantùm à Deo dependet. Scotus in 2. dist.1.q.5. §. *Ad quæstionem istam*, docet creationem non distingui à principio creante, seu à voluntate Dei, & ab effectu creato. Scotum sequutus est contra suum præceptorem Doctorem Angelicum Ferr.1. contra agentes c.18. §. *Ad tertium dubium*. Consentit P. Gregorius de Valentia 1.part.disp.3.quæst.2. Punct.1. §. *Si autem creatio accipiatur*, vbi asserit creationem esse voluntatem Dei cum respectu seu habitudine rationis ad creaturas. P. Vasquez 1. part. disput 173. cap. 3. affirmat creationem tantùm per rationem distingui à termino creato. P. Suarez in Metaph. disp.29. sect.5. & P. Molina 1. p. q.45. art. 3 affirmant creationem esse modum realem distinctum modaliter à Deo, & à volitione Dei, & ab ipso termino creato. Hurtadus disp.12. sect.3. asserit creationem distingui à termino, qui potest educi ex præexistenti subiecto, non tamen distingui à termino, qui necessariò debet per creationem procedere: hac ratione existimat creationem quantitatis ab illa distingui, creationem verò animæ rationalis, & Angeli identitatem habere cum proprio termino. Partim consentit Arriaga disp.9 sect.4. vbi asserit quod si esset creatura, quæ non posset nisi vnicè, & ab eisdem causis creari, siue hæ sint solus Deus, siue Deus & creatura creationem haberet secum identificatam; illam verò creaturam, quæ indifferens est vt creetur à Deo tantùm, vel à Deo, & à causa secunda saltem vt instrumento concurrente dependere per creationem distinctam modaliter à principio, & termino. Ex his infert creationem quantitatis distingui à quantitate, quia quantitas indifferens est vt creetur, & vt educatur, & creationem animi rationalis, & Angeli distingui ab vtroque, & à principio, quia vterque potest dependere à Deo tantùm creante, sicuti de facto dependet vel à Deo, & ab aliqua creatura, quæ sumatur vt instrumentum ad creandum.

3 Prima conclvsio. Nullius termini creatio adæquatè identificatur cum principio creatiuo, videlicet cum Deo creante. Constat conclusio ex dictis de omni actione, quam probaui Controuers. præcedenti, Punct.1. distinguendam esse à Deo, & ab omni actu intrinseco Dei, quia quidquid est intrinsecum Deo est ab æterno, & nulla actio est ab æterno, quia omnia in tempore Deus produxit. Nonnullas solutiones, quas aduersarij adducunt ibi impugnatas inuenies. Quibus adde neque per distinctionem virtualem, quá Theologi decreta libera Dei, & multa difficilia in mysterio Trinitatis componunt, huius materiæ difficultatem exhauriri, quia licet Theologi hac distinctione suffulti dicant Deum potuisse ab æterno habere actum intrinsecum voluntatis, & illum non habere absque illa mutatione intrinsecæ entitatis Dei, nullus tamen audebit asserere aliquem actum intrinsecum Dei ratione huius distinctionis in tempore incipere, sed omnes asserunt Deum ab æterno amare, & cognoscere obiectum scientiá visionis, quod potuit non amare, & non hac scientia cognoscere. Vnde hæc inter Theologos est optima consequentia. Hoc prædicatum, seu hic actus intellectus, seu voluntatis identificatur cum Deo: ergo si existit, ab æterno existit, ita vt non potuerit in tempore incipere, licet hæc non sit legitima illatio: hic actus amoris Dei est intrinsecus Deo: ergo ita existit vt non potuerit ab æterno non existere, quia decretum liberum Dei est intrinsecum Deo, & potuit antecedenter non existere, sub illa formalitate decreti efficacis, aliàs non esset liberum. Non ergo distinctio virtualis proficere potest his, qui creationem constituunt identificatam cum Deo, quia ego non infero distinctionem creationis à Deo ex eo, quod creatio libera sit, & potuerit existere, vel non existere, sed ex eo, quod in tempore incipiat, & nihil intrinsecum Deo siue liberum, siue necessarium in tempore incepit. Scio nonnullum insinuasse decreta libera Dei formaliter vt efficacia in tempore incipere, qui explicandus est de decretis non secundum rationem constituentem Deum amantem, neque secundum rationem, qua constituuntur actus Dei volentis, & amantis; sed de illorum effectibus, qui in tempore incipiunt, quia per decretum ab æterno existens decreuit rem in tempore creare, quod si effectus existens in tempore pertineat aliquo modo ad constitutiuum decreti, quod

hunc

hunc fefellit auctorem,illud constituet ab æterno,& ex eo præcisè, quod sit futurus,sicuti constituit scientiam visionis , aliàs diceretur scientia visionis Dei in tempore incipere,& ab æterno illa caruisse, quod absurdissimum est.

4 Secvnda conclvsio. Creatio non identificatur, neque inadæquatè,cum principio creatiuo,ita vt consistat in termino producto , & in principio producente. Hæc conclusio probari non potest, ex eo, quod creatio in tempore incipiat, & volitio Dei sit ab æterno, quia si creatio indiuisibiliter constituatur in volitione,& termino , cùm volitio,& terminus non sint ab æterno. Alij conclusionem probant ex eo,quod voluntas Dei sit creandi terminum,in qua creatio se tenet ex parte obiecti:ergo distinguitur ab actu respiciente tale obiectum. Vrgent:decretum respicit terminum vt independentem : ergo independentia se tenet ex parte obiecti:ergo independentia distinguitur à volitione Dei , sed independentia est creatio : ergo creatio distinguitur ab actu interno Dei. Non premit ratio , facilè enim quisque dicet volitionem Dei terminari ad substantiam termini creati , & ad independentiam negatiuè, hoc est , ad negationem dependentiæ identificatæ cum inhæsione,& ad creationem passiuam,seu inadæquatam,& ad huiusmodi passiuam,& inadæquatam independentiam, non verò ad creationem , & positiuam independentiam adæquatam quæ constituitur ex obiecto decreti,& ex ipso decreto, & sicuti de actione creatiuà superadditâ diximus non terminari ad rem formaliter vt creatam , sed ad rem nudè sumptam', quam ipsa creatio formaliter constituit creatam,sic de volitione adæquatè, vel inadæquatè identificata cum creatione dici potest respicere terminum, quam constituit formaliter adæquatè creatum non se tenente totâ creatione ex parte obiecti respectu volitionis,cum qua inadæquatè identificaretur creatio,sed respicere terminum & creationem illius inadæquatam tenentem se ex parte obiecti respectu decreti, cum quo creatio inadæquatè identificatur. Moueor ad constituendam rationem adæquatam creationis distinctam à volitione Dei, quia illud,quod hi auctores inadæquatam creationem vocant à volitione distinctum per se ipsum est connexũ cum omnipotentia, & cum decreto terminato ad illud , ita vt implicet existere in aliqua temporis mensura , in qua decretum non existat;decretum verò etiamsi connexionem habeat cum obiecto,tamen potest per æternitatem existere sine obiecto illo , quod aduersarij creationem inadæquatam appellant , decretum enim creandi Angelum in tempore ab æterno extitit,& Angelus in tempore incepit esse, ac proinde per æternitatem decretum præcessit suum obiectum:ergo in hoc obiecto essentialiter in quacumque duratione,& pro quacumque duratione connexo cum decreto constituenda est adæquata creatio, & nihil illius in illo decreto , quod licet in omni duratione connexionem habeat cum obiecto, non tamen pro quacumque duratione, cum possit per æternitatem obiectum præcedere. Consequentiam probo : in eductione,quæ numquam separatur à decreto efficaci Dei circa terminum educendum,in qua nulla est ratio,cur dicamus totam illam consistere in causalitate creata distincta à decreto Dei, nisi quia per se dependet à Deo,& à decreto libero Dei,ita vt implicet existere in aliquo instanti , in quo non existat decretum Dei, quod per æternitatem illam præcedet : sed idem contingit respectu termini creati : ergo eodem modo philosophandum. Si non te conuincit hæc ratio , assigna aliquam propter quam dicendum sit actionem , ex vi cuius Deus cum igne calorem produceret consistere adæquatè in modo creato,& non inadæquatè in hoc modo, & inadæquatè in decreto, à quo modus iste procedit, adæquatéque in modo superaddito, & in decreto Dei ; eamdem tibi reddam vt dicas creationem adæquatè consistere in obiecto decreti diuini , & non in obiecto , & decreto. Si dicas in diuinis generationem actiuam constitui ex parte principij producentis cum illo identificatam,& generationem passiuam ex parte termini producti cum eodem identificatam eadémque ratione in creatione procedendum est respectu termini creati,solutio præsto aderit petita ex ratione suprà tradita. In diuinis æqualem connexionem habet principium producens cum termino producto , quam habet terminus productus cum principio producente , & sicuti per se coniungitur productum cum producente , ita similiter coniungitur producens cum producto , & æquè essentialę est principio producere,quàm termino,produci, & ita iure optimo dicitur terminus per se ipsum produci, & habere secum identificatam productionem, seu generationem passiuam, & eodem iure dicitur principium per se ipsum producere , & generare , & habere secum identificatam productionem,seu generationem actiuam. Similiter constituo ego influxum actus imperantis voluntatis creatæ in actum imperatum,in coëxistentia vtriusque,quia imperans potest esse sine imperato , & imperatus sine imperante,vbi autem id,quod se tenet ex parte principij non habet connexionem cum illius termino , quam terminus habet cum illo,causalitatis ratio ponenda est ex parte obiecti seu termini connexi cum principio, & nihil illius ex parte principij à termino absoluti. Ratio à priori huius doctrinæ petitur ex natura causalitatis,cuius est annectere terminum productum, & principium , quod illum producit, & ipsa ponenda est in illa entitate , quæ annectit hæc duo extrema , quapropter si æquè sint absoluta , vel æquè causalitas est ponenda : si autem connexio mutua non sit ex parte illius extremi quod per se est connexum, causalitas ponenda est , si causalitas ab extremis non distinguatur, vel si distinguatur, in illa entitate, quæ per se ipsam connectitur cum principio producente, & termino producto.

Tertia conclvsio. Creatio distinguitur à termino,qui naturaliter educitur ex subiecto. Probo: terminus 5
ille creatur, verbi gratia , quantitas Eucharistica , potest educi,& non creari, & de facto fuit eductus antequam in consecratione corrupta esset substantia panis: ergo non creatur per se ipsum , neque secum identificatam habet creationem. Probo consequentiam : quidquid conuenit alicui entitati per se ipsam , & cum illa est identificatum, ab illa separari nequit : sed creatio separatur à quantitate : ergo non conuenit quantitati per se ipsam , neque cum illa est identificata. Hoc argumentum multum premit , quotquot hanc sententiam amplectuntur. Respondet P. Vasquez suprà num.18. in his entitatibus non distingui terminum à creatione , quia terminus creationis est entitas per se existens , & ita ex parte termini quantitatis creatæ duo dicuntur , & entitas termini , & modus per se existendi , à quibus simul sumptis non distinguitur creatio , quia numquam ab illis separatur , quantitas enim per se existens numquam educitur aut est inhæsiuè in subiecto. Contrà : quantitas illa cum modo perfeitatis tenentis se ex parte termini vel dependet adæquatè à Deo per se ipsam,vel per illum modum perfeitatis,quem habet adiunctum:si per modum perfeitatis, modus iste erit creatio,& causalitas, ex vi cuius dependet à Deo, si immediatè,& per se ipsam vt distinctam ab illo modo,eodem modo dependebit , cum sit vnita subiecto.& illo careat modo, quia eadem remanet entitas : ergo superfluit alia eductio,imò impossibilis est in doctrina Patris Vasq.asserentis adhuc de potentia Dei absoluta non posse effectum depẽdere per duplicem causalitatem,sed tantùm per illam,quæ necessariò indiget,& sine qua nequit subsistere. Secundò: modus ille:accidentalis est,vel ergo habet subiectum, vel non , si non habet iam concedis accidens sine subiecto, quod ne concederes creationem negas , & sicuti modum illum admittis facilius poteras creationem concedere. Si subiectum habet illud , erit terminus creatus , alius enim non superest : ergo terminus ille debet intelligi priùs existens,quàm existat modus,qui ab illo dependet:ergo actio, ex vi cuius terminus existit priùs debet intelligi terminata ad terminum , qui existit ex vi illius , quam intelligatur modus ille:ergo actio respicit terminum creatum,quantitatem videlicet vt distinctam à modo illo:ergo terminus creationis non est quantitas cum illo modo , sed quantitas nudè sumpta.

Hoc argumento conuictus doctus quidam magister è 6
nostris nobilis Patris Vasquij discipulus illiusque magnus assecla singularem constituit viam. Docuit res , quæ semel à causis secundis educuntur non posse à Deo creari, quia per ipsas non creantur , aliàs semper crearentur , neque per creationem superadditum possunt creari , quia hæc repugnat. Ex hoc infert calorem , & frigiditatem, aliasque formas substantiales, & accidentales non posse à Deo creari. De quantitate,de qua negare non potest à Deo creari in Eucharistia , asserit numquam ab efficiente creato fuisse productam , neque actionem eductiuam aut passionem terminasse , etiam quando inerat substantiæ panis, sed per se ipsam semper adæquatè efficienter dependere à

Deo,

Deo, à materia autem dependebat per modum superadditum inhærentiæ, qui neque est passio, neque identificatur cum actione, sicuti quando est in Eucharistia fit independens, & per se modo alio superaddito perseitatis. Multis se implicat hic auctor, vt sententiam, quæ semel animo insedit defendat, à quibus difficillimè se poterit expedire: breuiter expendo quantis sumptibus hæc malè fixa machina construatur. In primis totâ hac doctrinâ admissâ infero ex illa quantitatem non generari, neque creari per influxum secum identificatum, ex vi cuius dependet à Deo, sed per modos illos, quibus constituitur materiæ inhærens, vel ab illa indepẽdens, quod sic probo. Quantitas eadem per se ipsam dependens à Deo cum eadem dependentia indifferens est vt educatur, & vt creetur, & ex materia educitur quando illi aduenit modus ille, ex vi cuius dependet à materia, & creatur quando illi adiungitur modus ille superadditus, quem habet in Eucharistia: ego per hunc modum superadditum formaliter constituitur creata, & non per suam entitatem, quæ antea erat dependens à materia: ergo creatio in hoc modo superaddito consistit, & non in quantitate: ergo creatio saltem inadæquatè distinguitur à materia. Vrgeo: dependentia, quam per se ipsam habet quantitas, vel est sufficiens vt ex vi illius existat, vel non: si est sufficiens superfluè additur modus perseitatis quando est in Eucharistia, & modus alius, vt dependet à materia quando inhæret substantiæ panis, quia posità depẽdentia, ex vi cuius entitas potest existere quæcumq; alia superfluit, & naturaliter dari nequit, neq; supernaturaliter in sententia P. Vasq. & Magistri quẽ impugno.

7 Dices dependentiam identificatam cum quantitate sufficientem esse vt existat, & vt dependeat à Deo, non tamen sufficientem vt dependeat à materia prima quando inhæret substantiæ panis, neque vt sit per se independens à subiecto quando est in Eucharistia. Dependentia, quam habet quantitas in Eucharistia sufficiẽs est vt existat quantitas & ex alio capite non cõstituit quantitatẽ positiuè dependentẽ à materia: ergo ex vi illius potest existere quantitas positiua, nullo respectu habito ad materiam: ergo non indiget modo alio, vt constituatur independens à materia, esse enim quantitatem independentem à materia nihil aliud est, quàm entitatem existere, ex vi cuiusdam influxus nullo modo materiam respicientis. Dices hanc esse independentiam negatiuam, terminum autem creatum habere independentiam aliam positiuam. Contrà: deme independentiam aliam positiuam, & da mihi terminum existẽtem ex vi positiui influxus sine vllo respectu ad subiectum, & nihil in illo desiderabis, vt ita existat, vt deficiente, vel non deficiente subiecto, eodem modo perseueret, quia illius existentia, vel negatio eiusdem erit per accidens termino creato: quid ergo independentiæ præstabit modus ille positiuus, quem tu fingis? id vnum aduerte', ne frustrà modos istos fingas, hoc quod est non depẽdere formaliter semper esse quid negatiuum, & illam entitatem dici independentiam positiuam, ex qua oritur negatio dependentiæ, in quo sensu necessariò independentia dicendum est, quicumque influxus qui nullum dicit respectum ad subiectum, & ex vi cuius adæquatè potest existere effectus, quia eo ipso, quod effectus existens constituatur existens sine positiuo respectu ad subiectum, subiecto non indiget, ex quo oritur negatio positiuæ dependentiæ à subiecto. Illud quod dicebatur videlicet influxum identificatum cum quantitate sufficiẽtem esse vt dependeat à Deo, non verò vt dependeat à materia, cui inhæret, dum quantitas est cum substantia panis, breuiorem, sed non leuiorem habet impugnationem. Influxus ille, ex vi cuius quantitas sufficienter depẽdet à Deo, vel est sufficiens vt ex vi illius quãtitas existat, vel est non sufficiens: si est sufficiẽs est adęquatè productio quãtitatis, quia posita productione adæquata cuiusuis effectus nihil potest desiderari ad illius existentiã: si nõ est sufficiẽs, nõ erit productio adæquata: ergo productio adæquata quãtitat. nõ erit idenficata cũ quantit.

8 Peregrinum est etiam in scholis dici dari influxũ quemdam seu dependentiam quantitatis à materia, qui non sit actio, neque passio, neque ego scio quid in illo desideretur vt passio, dici posset. Si dicas desiderari identitatem cum actione faciliùs percipi poterit passio ab actione distincta, quam illa dependentia tenens se ex parte materiæ, quæ neque sit actio, neque passio. Addo dependentiam illam formæ à materia non solùm passionem, quia ex vi ipsius forma à materia dependet, esse dicendam, sed etiam actionem, quia ipsa dependentia à Deo procederet tanquam à principio effectiuo, media qua Deus diceretur principium efficiens termini, quem dependentia respiceret, quia esse principium efficiens nihil aliud est, quàm esse principium, à quo efficienter procedit causalitas, ex vi cuius terminus existit. Demum contra modum perseitatis, quem constituit, hæc opinio in quantitate creata redeunt argumenta, quæ supra contra eumdem faciebam, scilicet non habiturum subiectum, vel si illius subiectum est terminus creatus, hunc debere supponi prius naturâ ad modũ illum, & consequenter actionẽ, ex vi cuius producebatur.

Faciliùs defenderetur creationem identificatam cum 9
quantitate si diceretur, quantitatem per se ipsam creari, & adhuc dum est vnita materiæ panis esse creatam eadem creatione, qua est dum existit in Eucharistia, quod posset componi cum miraculo Eucharistico, quia etiamsi quantitas esset creata, non posset sine miraculo extra subiectum constitui, quia illius subiectum videlicet materia prima à nullo agente naturali posset destrui, & subiecto permanente non posset naturaliter pelli ab illo, quia quantitas nullam habet formam incompossibilem, ex vi cuius possit expelli à subiecto, quod informat, quam si haberet melius expelleretur, vel saltẽ æquè benè modo quãdo est educta, & casu, quo esset creata. Hanc ego tenerẽ viã si cogerer defendere non posse dari creationẽ à termino distinctã, verum non ad has trahor angustias, ideò affirmo cum cõmuni sententia quantitatẽ educi ex materia, dum illi est vnita, & in Eucharistia creari, per creationẽ illi superadditã.

Qvarta conclvsio. Possibilis est terminus per 10
se ipsum creatus, ita vt de potentia Dei absoluta non possit non creari: possibilem esse creationem identificatam cum termino constat ex dictis Controuers. præcedenti, Punct. 1. vbi probaui non esse de conceptu actionis distinctionem à termino, ex quo infero, non esse de conceptu actionis creatiuæ, si enim aliqua actio potest identitatem habere cum termino, nihil in creatiua speciale reperietur, per quod hæc illi identitas repugnet, neque in eductiua valebit aliquid speciale excogitari, ratione cuius habet capacitatem, quam non habeat creatiua ad habendum cum termino identitatem. Talem terminum non posse de potentia Dei absoluta existere nõ creatum constat ex rationibus, quibus probauimus in conclusione præcedenti non posse identificari creationem cum termino, qui potest non creari, quarum præcipua petitur ex separatione creationis quæ signum est euidens distinctionis: ergo terminus identificatus cum creatione non poterit ab illa separari: ergo non poterit non creari. Dixi terminũ hunc nõ posse non creari, nõ tamẽ dixi termino huic eductionẽ repugnaturã, quia adhuc dubitant recẽtiores an entitas per se ipsã creata possit per aliquid superadditũ educi, de quo Punct. 4.

Qvinta conclvsio. Omnis terminus, qui potest 11
creari à Deo tantùm, & à Deo, & à creatura per actionem, ex vi cuius vnicè producitur non habet secum identificatã creationẽ. Probo clarè: terminus iste potest depẽdere ex vi huius, vel illius creationis: ergo non depẽdet ex vi creationis secũ identificatæ, quia creatio identificata cum termino semper esset eadẽ, dum esset idẽ terminus. Dixi per creationem, ex vi cuius vnicè producitur, quia qui sentiũt terminum per se ipsum creatum à Deo posse per actionem aliam superadditam simul educi, faciliùs dicent posse eumdem retenta creatione secum identificata creari à Deo & ab alia causa per aliam creationem superadditam.

Sexta conclvsio. Possibilis est terminus, cui re- 12
pugnet educi ex aliquo subiecto, & terminare actionem creatiuam procedentem ab aliquo principio etiam inadæquato distincto à Deo, qui creetur per actionem superadditam procedentem à Deo. Probo hanc conclusionem: aliud est entitatem non posse non dependere ab hac causa, & non posse dependere ab alia, aliud dependere ab ista formaliter per suammet entitatem: ergo ex eo, quod non possit non dependere hic terminus à Deo creante, & quod non possit dependere ab alia entitate non infertur per se ipsam formaliter dependere. Antecedens probo: quælibet creatura eo ipso, quod creata sit, habet repugnantiam ad existendum sine dependentia à Deo, & tamen saltem illa, quæ producitur à Deo, & à causa secũda, & posset produci tantùm à Deo dependet ab illo per aliquid superadditum: ergo non rectè infertur ex eo, quod non possit non dependere ab hoc, dependere ab illo per suammet entitatem. Neque ex eo, quod non possit dependere ab

alio

alio principio nisi vnicè ab isto, posset hæc fieri illatio, quia ex eo præcisè, quod non habeat virtutem terminandi causalitates distinctas ab illis, quæ ab hoc principio procedunt, etiamsi ab hoc non dependeat per se ipsam non poterit ab alio procedere: ergo neque hoc, quod est non posse non dependere ab hoc principio, neque hoc, quod est non posse dependere ab alio arguit dependentiam identificatam huius termini cum hoc principio. Neque eo eo quod in his entitatibus non posit separari creatio à termino licet inferri identitatem cum termino, licet enim hæc sit optima consequentia: separantur: ergo non sunt idē, hæc non est legitima: non separantur: sunt idem, possunt enim dari entitates ita inter se connexæ vt non obstante illarum distinctione separari non possint. Qua solutione subsistere poterit doctrina tradita etiam respectu entitatis, quæ tantùm posset ex vt vnius creationis produci à Deo, non tamen id necessum est concedi respectu entitatis, quæ non potest existere nisi creata tantùm à Deo tanquam à principio adæquato, quia adhuc de hac entitate dici potest, posse separari ab hac, & illa creatione determinatè sumpta, licet non collectiuè ab omni creatione, sicuti de præsentia quantitatis multi sentiunt, asserētes non posse corpus adhuc de potentia absoluta sine præsentia existere, tamen distinctionem inferunt inter corpus, & 13 præsentiā ex eo, quod à quacumq; præsentia possit separari.

Obiic. Hurtad. Angelus per suam entitatem est independens à subiecto: ergo non indiget creatione distincta. Probat consequentiam ex eo quod effectus formalis creationis est reddere terminum independentem à subiecto. Respondeo effectum formalem primarium creationis esse, vt ex vi illius existat effectus, ex quo resultat effectus secundarius, videlicet terminum illum non habere subiectum, seu repugnantia in termino vt dum existit ex vi talis creationis à subiecto dependeat. Ex his duobus effectibus primarium præstabit Angelo creatio ab illo distincta, item secundarium, quia ex eo, quod Angelus creationem terminet est impeditus & constituitur incapax dependendi à subiecto, licet ex se incapacitatem habeat ad talem dependentiam, quia effectus negatiuus potest à pluribus formis præstari, possunt enim esse plura impedimenta adæquata ad vnam formam positiuam. Verum est creationē in Angelo non destruere in illo capacitatem dependendi à subiecto, quia illam non habebat, tamen illum iam ex se incapacem habendi dependentiam hanc, iterum incapacem constituit, taliter vt si ex sua natura dependere posset à subiecto, ex vi creationis haberet non posse ab illo de- 14 pendere.

Septima conclvsio. Verisimilius est, de facto creationem animæ rationalis, & creationem Angeli ab illis distingui. Trado hanc conclusionem magna cum formidine, quia nihil firmum pro altera parte contradictionis inuenio. Trahor in istam à prioritate creationis, quam agnouimus in quātitate Eucharistica, & reliquarum actionum, quas omnes (demptis vitalibus intentionalibus) distinctas agnouimus: ergo eodem modo possumus philosophari de aliis actionibus existentibus, quas non nouimus. Quod si in his specialem habemus rationem, quia experimur posse ab hoc principio, & ab illo, ex vi huius, illiusve actionis dependere ex eodem fundamento paritatem desumo: termini, quos hucvsque potuimus experiri, dependere possunt ab eadem causa ex vi huius, vel illius actionis: ergo idem erit de aliis existentibus creatis, qui de facto dantur, quorum notitiam non possumus experientiā acquirere: ergo sicuti termini producti, quos hucusque experti sumus à productione ipsorum distinguuntur, sic erit de aliis creatis existentibus, experientia enim non solum ducit in cognitionē illorum, quæ experimur, sed aliorum similium: si enim à paritate multa in Philosophia non affirmemus, innumera nobis supersunt omni fundamento destituta ad alteram contradictionis partem affirmandam. Ex quo fundamento dicis albedinem vniri mediâ vnione superaddita, & posse à subiecto separari, nisi id in quantitate experiris? Ex quo capite affirmabis passiones superadditas, intellectum & voluntatem, si ab animo distinguuntur, produci mediâ actione, & posse ex vi huius, vel illius actionis produci, nisi à paritate illorum accidentium, in quibus distinctionem actionum pores experiri, quæ in his non nisi à paritate innotescere potest. Si non acquiescit animus partem, quam malueris defendendam elige, quam facilius defendere, quàm statuere poteris.

Pvnctvm III.

An creatio à termino distincta subiectum habeat.

Præcipua difficultas, quæ Doctores coëgit ad negandam actionem creatiuam distinctam à termino desumitur ex natura accidentis, quæ necessario connotat subiectum, cui inhæret, ac proinde si daretur actio creatiua deberet esse accidens propriúmque subiectum respicere, quod repugnat conceptui quidditatiuo actionis creatiuæ vt iam probo. Actio creatiua si haberet subiectum, vel esset distinctum à termino, vel esset ipse terminus: non distinctum, quia si subiectum distinctum à termino respiceret, esset actus huius in hoc & à passione non distingueretur. Deinde quia nullum apparet subiectum à termino distinctum, creatio enim quantitatis tantùm respicit quātitatem, si enim subiectum aliquod respiceret ab illo dependeret quantitas, ad quam terminaretur hæc actio, & ex vi illius non creata, sed educta diceretur. Terminum non potest creatio tanquam subiectum respicere, probaui enim Controuersia præcedenti puncto 3. actionem non posse subiectari in termino: ergo nullum subiectum potest habere creatio: ergo non potest esse accidens: ergo non potest esse actio distincta à termino. Neque dici potest creationem esse modum substantialem, quia omnis actio à termino distincta est propter illum, & essentialiter ad illum ordinatur tanquam ad id, propter quod actio intenta est in rerum natura: ergo non est substantia, cuius conceptus est, esse per se, & propter se intenta. Secundò si respectu termini substantialis actio posset excogitari, hanc respectu termini accidentalis concedi omni probabilitate alienum est. 1

Propter hanc rationem nonnulli dixerunt creationem respicere tanquam subiectum proprium terminum, à quo in genere causæ materialis dependet, & se protegunt mutua dependentia in diuerso causarum genere, affirmantque creationem esse priorem termino in genere causæ efficientis, & posteriorem in genere causæ materialis. Probaui hanc mutuam dependentiam in nullis entitatibus admitti posse, sed adhuc admissa in aliis causis non posse reperiri inter causalitatem, & terminum, quia idemmet terminus esset prior, & posterior se ipso, & à se ipso dependeret. Melius respondetur actionem creatiuam esse accidens non tamen respicere subiectum, à quo in genere causæ materialis dependeat. Ad rationem desumptam ex natura accidentis dico non esse de conceptu accidentis respicere subiectum, à quo in genere causæ materialis dependeat, vt probabo in Metaphysica, Controuersia 6. Punct. 1. sed ordinari ad aliud propter quod intentum sit à natura, vt latiùs explicabo loco citato. Tradunt doctrinam hanc Soar disput. 20. Metaphysic. sect. 5. n. 27. Hurtadus disp. 12. sect. 4. Arriaga disp. 9. sect. 3. subsect. 4. 2

Obiicies. Actio creatiua est modus termini: ergo ab illo dependet, non in alio genere causæ distincto à genere causæ materialis: ergo in hoc genere ab illo dependet. Respondeo, creationem esse modum termini, & ab illo dependere non tanquam à causa, sed tanquam ab extremo, cum quo habet necessariam connexionem, licet illum non supponat prius natura in aliquo genere causæ, sicuti vnio integralis partium quantitatis dependet ab extremis vnitis, cum quibus est connexa, non tamen in aliquo genere causæ ab illis dependentiam habet. Idem dico de modo vnionis essentialis educto ex materia respectu formæ. Rationes aliæ, quæ contra nostram conclusionem adducuntur facillimè ex doctrina tradita solui possunt. 3

Pvnctvm IV.

An virtus creatiua creaturæ competere possit.

Lata se offerebat disputationis materia, si vellemus rationes omnes, quæ pro negatiua parte quæstionis præfixæ à multis adducuntur, quæ ideò plures quia inefficaces omnes, cum enim nullâ illarum acquiescat animus ad aliam inuestigandam quácumque auditâ semper conuertitur. Adducam præcipuas, quas apud doctores inuenio, & iuxta propriam sententiam quæstionem definiam, quæ procedit de virtute naturali, & obedientiali ad creandum. 1

§. I.

Aliorum placita ipsorumque fundamenta.

2 EX doctoribus Scholasticis vnus fuit Durand. in 2. dist. 1. quæst. 4. qui negauit ad creandum requiri virtutem infinitam, & consequenter repugnare creaturæ aliquid efficere absque subiecti mutatione. Aliquantulum huic sententiæ fauet Gabr. in 2. dist. 1. quæst 4. art. 2. vbi licet affirmet creaturam non posse creare, dicit huius rei rationem reddi non posse, nisi petitam ab experientia, qua constat hanc esse creaturarum conditionem, quæ transgredi non potest. Gabrielem rogarem quando, quomodoque expertus sit vnum Angelum alium non creare. His non parum adhæret Arriaga, qui asserit disput. 11. sect. 5. subsect. 2. nulla ratione probari repugnantiam creationis procedentis à principio creato, & probabilius apparere posse à Deo produci creaturam aliquam habentem virtutem ad creandum, non solùm vt causam instrumentalem, sed etiam vt causam principalem. Communis Scholasticorum sententia fert repugnare creaturam habentem virtutem, & causam principalem creatiuam, ita Mag. in 4. dist. 5. & Diu. Thom. 1. part. quæst. 45. artic. 5. & apud hos plures. Scotus in. 4. dist. 1. quæst. 1. quem sui sequuntur. Ocham in 2. quæst. 7. Henr. quodlib. 4. quæst. 37. & Ægid. quodlib. 5. quæst. 1. Eamdem sententiam amplectuntur Pater Vasquez, 1. part. disput. 175. c. 2. P. Soar in Metaph. disp 2. sect. 2. P. Hurtad. disp. 12. sect. 6. P. Albert. tom. 1. coroll. quæst. 17. Theolog. ex primo principio philosophico, & alij innumeri. De potentia obedientiali creatiua negant D. Thom. suprà, Scot. ibi Caiet. 3. part. quæst. 62. Fonf. 5. Metaph. cap. 2. Vasquez suprà, P. Granad. 1. part. ad quæst. 44. & alij plurimi. Creaturam posse à Deo eleuari vt instrumentum ad creandum defendunt Soar. ibid. sect. 3. num. 9. P. Albert. tom. 1. quæst. 1. Theologica in 1. coroll. ex 2. princip. philosoph. num. 14. Pater Hurtadus suprà, & Arriaga ibidem.

3 Probat Angelicus Doctor nullam causam creatam posse virtutem habere creatiuam, hac ratione. Effectus vniuersalissimi tribuendi sunt causæ vniuersalissimæ, scilicet Deo: sed terminus creationis est vniuersalissimus, quia est ratio entis: ergo tantùm potest tribui Deo causæ vniuersalissimæ illius. Hanc rationem difficilem putant Hurtad. & Arriag. suprà: obiicit iste vniuersaliorem non esse terminum creationis, quàm generationis, quia non est vniuersalior Angelus terminus creationis, quàm aquæ gutta generationis terminus. Additque obscurum esse quid sit creationem terminari ad rationem entis, cum tantùm differat creatio, & generatio ex eo, quod hæc subiectum respiciat, & non illa. Ibidem ostendit ille: asserit creationem non terminari ad rationem entis abstracti, sed ad rationē entis contracti ad tale ens, qua ratione generatio similiter terminatur ad ens, quia terminatur ad tale ens. Neque vlla est actio generatiua, seu creatiua, quæ terminetur ad rationem entis abstractam, sed omnis actio terminatur ad terminum singularem, & contractum ad talem entis rationem. Assentior doctrinæ adductæ ab Hurtado, & Arriaga, sed existimo abs re adduci ad rationem Diu. Thom. expendendam. Asserit Angelicus Doctor creationem terminari ad ens eo sensu, quo sæpè dicit causam primam concurrere ad rationem communem entis, & non ad rationes speciales, hoc est virtutem Dei se extendere ad omnia singularia, quibus inest prædicatum entis, & non circunscribi aliqua ratione speciali, sicuti reliquæ causæ creatæ, quarum effectus non æquè se exrendunt ad ens, sed continentur intra certam speciem: sic ignis potest producere singularia, quibus inest hoc prædicatum ignis, non verò illa, quæ hoc prædicato non gaudent. Eodem sensu dicimus potentiam visiuam seu visionem ferri in colorem non quia aliquando ratio abstracta coloris aliquo percipiatur actu, sed quia varij actus singulares, seu diuersæ rationes possunt terminari ad omnia indiuidua contenta sub ratione communi coloris. Sic existimat Sanctus Thomas virtutem creatiuam terminari ad rationem entis, ita vt eo ipso, quod hæc causa habeat virtutem creandi, illam possit exercere respectu omnium entium, & in eodem sensu asserit creationem respicere vniuersalissimum terminum, non quia hæc numero creatio rationem communem respiciat, sed quia creationes, quę possūt à virtute creatiua procedere possunt attingere quidquid est creabile, quia virtus creatiua refertur ad creabile, vt creabile est, sicuti potentia visiua ad colorem, vt color est, & sicuti hæc eo ipso, quod respiciat colorem vt color est, potest quemcumque colorem singularem respicere, ita eo ipso, quod respiciat creabile vt creabile, potest quodcumque obiectum creabile producere. Hac ratione docuit Sanctus Thomas Angelum non posse creare sibi similem, quia posset creare omnes Angelos. Id mihi in hac ratione difficile est, cur quæcumque virtus creatiua debeat respicere tanquam obiectum omne creabile vniuersalissimè sumptum, & non possit respicere aliquod speciale genus creabilium, sicuti virtus generatiua hominis non respicit omne generabile, sed certam speciem generabilem.

Secundam rationem sic efformant Henr. & Ric. Inter 4
ens, & nihil est distantia infinita: ergo requiritur infinita virtus vt aliquid ex nihilo extrahatur ad rationem entis. Antecedens probatur: maior distantia est inter ens, & non ens, quam inter ens positiuum & positiuum, sed inter Deū, & hominem est distantia infinita: ergo inter hominem, & non hominem erit etiam distantia infinita. Confirmatur: esse, & non esse distant contradictoriè: ergo summè: ergo non potest distare magis Creator à creatura, quam creatura à suo extremo contradictorio: ergo sicuti Deus distat à creatura infinitè; ita creatura distabit infinitè à nihilo, quod est sui contradictorium. Si discursus iste rectè inspiciatur, eo tendit vt probet nihil posse produci à virtute finita, non solùm per actionem creatiuam, verùm neque per generationem quod sic ostendo. Quicumque effectus producatur fit ex nihilo sui, siue fiat ex subiecto, siue ex nullo præsupposito subiecto, quod fieri ex nihilo dicitur respectu termini creati: sed nulla entitas opponitur contradictoriè cum nihilo subiecti, sed cum nihilo sui, verbi gratia, calor non opponitur contradictoriè cum nihilo subiecti, in quo potest recipi, sed cum nihilo eiusdem coloris: ergo quando calor producitur ex aliquo subiecto & ex nihilo sui, extrahitur in illa productione ex contradictoria distantia, quam intendit argumentum suprà factum: ergo non potest hoc fieri, neque calor extrahi ab extremo infinitè distanti nisi virtute infinita: ergo non potest calor produci adhuc dependenter à subiecto, nisi à Deo infinitè potente.

Huius rationis fundamentum acutè euertunt Scot. 5
& Durand. hac ratione. Distantia inter extrema immediata, tanta potest esse præcisè quantum vnum extremum est maius altero, quia dum medium non est inter vtrumque extremum nulla potest esse distantia nisi excessus supra alterum: sed vnum extremum tantùm potest aliud excedere ratione totius suæ entitatis: ergo si tota sua entitas non sit infinita, sed finita, excelsus non erit infinitus, sed finitus. Secundò eatenus distat non esse hominis ab esse hominis quatenus deficit ab esse quod habet homo: sed esse, quod habet homo est finitum: ergo tantùm deficit ab esse finito, quantum deficit finitè, nihil enim potest ab esse finito per purum non esse illius infinitè deficere. Vltimò impugnatur hæc ratio. Creatio termini ex nihilo tantùm attingit entitatem positiuam termini: hæc est finita & limitata: ergo tantùm attingit quid finitum, & limitatum, quidquid sit de distantia ipsius termini à nihilo, quia distantiam hanc non attingit creatio, sed tantùm vnum extremum illius, distantia autem cum sit interiacens inter extrema, debet vtrumque dicere, videlicet nihilum termini, & ipsum terminum, quorum creatio tantùm attingit extremum positiuum, non negatiuum, seu nihilum, seu negationem termini, quia negatio tantùm potest attingi per actionem tanquam terminum *à quo*, vt notum est, quia in se ipsa actionem non terminat vt terminus *ad quem*, neque illius est subiectum: vbi autem non est subiectum, quod transeat, terminus *à quo* esse non potest. Ex his facilè est argumentum dissoluere, admissa enim distantia infinita inter nihilum termini creati, & ipsum terminum creatum non arguitur virtutem creatiuam fore infinitam, quia hæc tantùm attingit extremum finitum distantiæ, non vtrumque, in quo distantia consistit vt dictū est. Secundò falsum est distantiam inter nihilum termini creati, & ipsum terminū esse infinitā, vt iam ostendi. Ad confirmationes adductas dico extrema cōtradictoria habere tantùm oppositionem, quæ potest esse inter ipsa, non tamen vnum extremum habere summam distantiam

ab altero, quam potest habere à quocumque alio, magis enim distat esse hominis ab esse Dei, quam esse hominis à non esse ipsius, quia à non esse hominis tantùm distat secundum suum esse hominis, & ab esse Dei secundùm infinitas creaturas possibiles perfectiores homine, & imperfectiores Deo, & secundum infinitum Dei esse.

6 Tertia ratio est Caietani, quam sic format: Quando duo principia concurrunt ad eumdem effectum, quo magis decrescit virtus vnius magis debet accrescere virtus alterius respectu eiusdem effectus, sed in actione creatiua causa materialis decrescit in summum vsque ad non esse sui: ergo virtus actiua debet crescere in summum vsque ad sui perfectissimum: ergo debet attingere perfectionem infinitã: ergo virtus finita, & limitata non potest esse principium creationis. Respondeo deficiente causâ materiali principium efficiens debere supplere virtutem illius, & influxum, quem causa materialis præstaret, ex quo infertur virtutem effectiuam debere esse infinitam, quia si principio, quod cum causa materiali poterat producere effectum, totidem perfectionis accrescat, quod haberet causa materialis, non ideò infinitè perfectum euadet, quia perfectiones duplicis causæ creatæ effectiuæ, & materialis simul sumptæ non æquiualent simplici perfectioni infinitæ. Ad formam argumenti. Respondeo tantam perfectionem debere addi principio effectiuo, quanta deficit in materiali, in hoc autem non deficere perfectionem infinitam, cùm tota illius perfectio finita sit, & ita non debere addi principio effectiuo infinitam perfectionem. Idem dico de influxu, cùm enim influxus causæ materialis, & effectiuæ vnus, & idem sit finitus, & limitatus, influxus principij creantis, qui loco vtriusque est abrogandus in influxum principij suppleturus non debet esse infinitus, sed finitus esse debet, sicuti est de facto influxus, quem Deus præstat respectu cuiusuis effectus creati.

7 Quarta ratio est Scoti, quâ vtitur Vasquez. Si aliqua virtus creatiua daretur, deberet esse spiritualis, materialis enim cùm à materia dependeat non potest non operari dependenter à materia, virtus autem spiritualis operatur media volitione, quæ cum accidens sit improportionata est ad actionem creatiuam. Posset responderi non esse de ratione rei materialis dependere à materia, potest enim dari corpus simplex, quod à matetia non dependeat, & forma materialis creata, quæ licet ordinem dicat ad materiam & ad illius dispositiones, sicuti rationalis anima, non dependeat ab aliqua materiali causa, à qua formâ posset alia similis creari. Sed esto, possibilis non sit virtus creatiua, quæ spiritualis non sit, & necessariò media volitione hæc sit operatura. Volitio non est virtus, à qua physicè operatio procedit, sed tantùm conditio applicans virtutem ad operandum: ergo quamuis accidens sit, potest conducere ad creationem non tanquam formalis ratio causandi, sed tanquam virtutis applicatio, seu determinatio, sicuti conducit approximatio localis causæ substantialis, quæ consistit in præsentia accidentali ad effectum substantialem producendum.

8 Quinta ratio est P. Soarij, qui ex eo, quod nulla ex existentibus creaturis virtutem habeat creandi, infert, non esse possibilem talem creaturam, quia si talis creatura possibilis esset constitueret alium gradum, & ordinem præter eos, qui nunc sunt, quia haberet distinctum, & altiorem operandi modum: ergo pertineret ad perfectionem vniuersi vt esset talis gradus: dicendum ergo possibilem non esse talem creaturam, ne dicamus vniuersi ordinem esse imperfectum, & mancum. Confirmat hanc rationem auctoritas D. Thomæ, qui eadem probat 1.p. Deum Angelos creasse. Rationem hanc valde sensatam dicit esse N. Albertinus, quam inefficacem esse sic ostendo. Possibiles sunt plures species creaturarum longè perfectiores his existentibus: ergo non rectè infertur: non existit creatura, quæ habeat hanc virtutem: ergo non est possibilis, alias non posset Deus creaturas diuersi ordinis existentibus perfectiores producere, quod admitti nequit, vt probabo Controuersia sequenti. Neque in principiis eiusdem Soar hæc consequentia firma esse potest, cum ipse concedat possibile esse corpus simplex carens compositione essentiali materiæ, & formæ, licet de facto non detur, & sit diuersi ordinis ab his, quæ existentiâ cognscimus. Ad auctoritatem D. Thomæ qui hac ratione vtitur ad probandum dari in rerum natura Angelos existentes, respondeo in materia de qua agebat D. Thomas rationem hanc esse valde probabilem licet Metaphysicè intentum non includat, quia multum perfectionis deesset vniuerso, si Angeli non essent in illo creati, qui valde sunt necessarij ad hominum custodiam, cæterorum gubernationem, & alia plurima, creatura autem, quæ virtutem haberet creandi etsi perfectionem daret vniuerso, non tamen ita necessariam, sicuti est illa quæ mundo accrescit ex Angelorum creatione. Inquires, an si talis creatura daretur, esset perfectior Angelis. Respondeo rem esse incertam, quia etsi illos superaret in modo producendi effectus, forsan non posset producere effectus æquè perfectos, ac producit Angelus, neque haberet alia prædicata æquè perfecta ac Angelus, & ita excessus perfectionis in modo producendi posset compensari, & excedi ex perfectione effectuũ, & ex aliis prædicatis, ita vt omnibus pensatis perfectior esset Angelus non habens virtutem creatiuam illa creaturâ hac virtute gaudente.

Sexta ratio est P. Hurtadi, quam sic expendit. Omnis actio est proportionata modo essendi, quam habet illius 9
principium, sed nulla est entitas creata, quæ non habeat aliquam compositionem, vel ex materia, & forma, vel ex subiecto, & accidenti, vel ex natura & supposito: ergo nulla creatura potest habere aliquam actionem, quæ non sit pars alicuius compositionis, vel subiectum illius: sed creatio nullam facit compositionem, neque tanquam forma neque tanquam subiectum: ergo non potest procedere à creatura. Hæc ratio nihilo magis aliis præstat. Do omnem virtutem productiuam habere aliquam compositionem, parco illationi, & primum consequens admitto, nego tamen actionem creatiuam ad aliquam compositionem non pertinere, quia in primis ipsa in se potest habere compositionem integralem, si ad terminum integraliter compositum ordinetur. Secundò potest esse subiectum suæ præsentiæ. Item durationis, & relationis, in opinione, quæ admittit durationem, & relationem esse accidentia realiter à subiectis distincta.

§. II.

Propria sententia.

Affirmo nullam creaturam existere neque possibilem 10
esse, quæ virtutem habeat creatiuam, rrahit me ad hanc conclusionem etsi non forti aliqua ratione suffultam auctoritas Patrum, & scholasticorum à quibus sine grauissimo fundamento non licet recedere, in præsenti autem licet rationem nimis efficacem pro hac sententia non inuenerim nullam vidi, quæ oppositam positiuè suadeat. Probo conclusionem ex D. Cyrillo Alexand. lib. 2. contra Iulianum: *Inacc essanaturæ sunt ea, quæ propria sunt solius, & omnium summæ substantiæ. Quorum vnum esse dicimus efficaciter producere posse vt creatorem, & producere res, quæ aliquando non erant.* Tradit eamdem conclusionem Augustinus lib. 12. de ciuitate Dei cap. 24. & 3. de Trinit. cap. 8. *Nec boni* (verba sunt Augustini,) *nec Angeli mali possunt esse creatores alicuius rei,* & cap. 15. lib. 9. de generatione ad litteram: *Creare naturam nullus Angelus potest neque seipsum.* Athanasius serm. 3. contra Arrianos sic habet: *Administrare creaturarum, & seruorum est, conducere autem, & creare solius Dei, eiusque Verbi, & sapientiæ.* Ad affirmandum creaturas quæ de facto dantur virtutem non habere creatiuam, negatiuo tantùm indigeo fundamẽto, quod simul cum Doctorum, & Patrum auctoritate firmissimum est. Illud esto, nullam esse rationem, vel leuem coniecturam quæ suadeat alicui enti creato virtutem inesse creandi: ergo non sine magna temeritate potest dici dari de facto creaturam potentem earecr, vt enim sæpè dixi ad non concedendam de facto virtutem existentem sufficit nullam esse rationem, quæ illius existentiam propugnet, præcipuè cum tanta Doctorum, & Patrum auctoritas illam impugnet. 11

Circa creaturas possibiles difficile admodum est rationem reddere, cur non possit dari aliqua hac virtute prædita. Vidimus rationes suprà adductas inefficacies esse, aliam propono. Non potest dari creatura, quæ operetur immanenter nisi per actionem receptam in ipsa: ergo non potest dari creatura, quæ operetur transeunter, nisi per actionem in alio subiecto receptam. Probo consequentiam: sicuti non est de ratione actionis transeuntis recipi in subiecto, si quidem Deus per actionem transeuntem in nullo subiecto receptam operatur, ita non est de conceptu operationis immanentis recipi in subiecto, à quo procedit, Deus enim immanenter operationes intelligendi & amandi

amandi exercet,quæ non recipiuntur in Deo,sed cum illo identificantur : ergo hoc quod est non posse creaturam operari immanenter,nisi per actionem,quæ subiectum recipiat non oritur ex prædicato immanentiæ abstractè sumpto, sed ex eo quod talis actio à creatura procedat:ergo eo ipso,quod actio procedat à creatura petit recipi in subiecto : ergo implicat procedere actionem aliquam à creatura,quæ non exigat recipi in subiecto : ergo implicat à creatura procedere creationem, cuius conceptus quidditatiuus est independentia à subiecto. A priori potest desumi ratio ex natura agentis creati, quod ex ipso quod creatum est, est capax receptionis passiuæ, & potest esse subiectum aliquorum accidentium, (quod intendunt, qui dicunt omne ens creatum esse immersum potentialitate, seu habere aliquid potentialitatis, & non esse purum actum) eo ipso quod in se sit capax receptionis principiũ est actionum, quæ in se sint receptiones,& subiectum exigant, in quo per se ipsas recipiantur. Ex quo prouenit actionem immanentem procedentem à creatura debere recipi in proprio subiecto, non præcisè quia immanens sit,sed quia ex eo,quod sit actio procedens à principio receptionis capaci recipi potest,& eo ipso, quod sit immanens recipienda non est in subiecto distincto à principio; quibus sit in ipso principio recipiendam esse. Non me latet plures solutiones, quæ possunt huic rationi adhiberi, quod attendas obsecro, si illam impugnes : verumtamen illa vtor, quia nullam aliam cum maiori probabilitatis specie inuenire potui,& me cogit Doctorum, Patrumque consensus conclusionem traditam non deserere, quapropter dum aliam efficaciorem rationem non inuenio, licet non animus omnino huic acquiescat, disputatioui supersedeo, nolo enim aliâ destitutus hanc solutionibus,impugnationibusve inquietare.

12 Creaturas existentes non posse assumi vt instrumentum ad creandum mihi certum est. Non moueor ratione, qua alij vtuntur, videlicet instrumenta debere aliquid præuium ad actionem operari,quod putant esse contra rationem creationis, quia falso dicunt quamcumque præuiam operationem esse contra rationem creationis,plures enim dispositiones præcedunt ex parte materiæ ad animi rationalis creationem,cum hac enim tantùm opponuntur dispositiones, quæ subiectum ad receptionem passiuam termini præparant. Secundò : quidquid sit de natura instrumenti inquiritur an possit dari creatura, quæ possit per modum principij inadæquati determinati à Deo concurrere ad creationem,addita à Deo non solùm tanquam à causa prima, sed tanquam ab alio comprincipio inadæquato specialiter concurrente. Cui difficultati non satisfit ex eo, quod instrumentum debeat aliquid præuiè operari,quia si hæc est instrumenti natura, non inquiro de instrumentali, sed de causa inadæquata minus principali adiuta ab alia magis principali. Censeo creaturas de facto existentes non ita concurrere posse,neque posse eleuari à Deo ad creationem, quia illis innata, seu obedientialis virtus non est ad creationem. Vide dicta Controuersia 9. vbi probaui, non esse admittendas virtutes obedientiales in creaturis distinctas ab illis, quas à posteriori nouimus, & sine fundamento multiplicandas non esse, cum autem nullum sit fundamentum,ex quo possimus has obedientiales potentias in creaturis ad creationem agnoscere,illas negare tenemur. De creaturis possibilibus est difficultas an repugnet creatura cum potentia obedientiali ad creandum:in negatiuam partem feror, vix enim repugnantiam aliquam inuenimus respectu creaturæ naturaliter potentis creare,quod si velis adhuc repugnare potentiam obedientialem respectu creationis, dicito esse de conceptu actionis procedentis à quocumque principio creato etiam inadæquato, & obedientiali, exigere subiectum, in quo recipiatur, aliámve quære rationem, ego enim illam non inuenio.

Pvnctvm V.

De his, quæ possunt creari.

1 MAteriam primam,& Angelum creari, est per se notum,cum enim materia prima subiectum aliud non supponat, non potest fieri ex præsupposito subiecto, eadem est ratio de Angelo, qui est entitas simplex,& completa non ordinata ad componendum aliquod totum constituendum ex ipso & ex præsupposito subiecto. Idem eadémque ratione dicendum est de toto corporeo simplici : quod dari possit probaui Controuers.5. Rationalem animum creari probat efficaciter illius incorruptibilitas, & independentia,quam habet à materia;item illius natura spiritualis, quæ naturaliter à subiecto materiali dependere non potest. Reliquas formas tam substantiales, quàm accidentales educi ex præsupposita materia, siue sint res siue modi, est certum apud omnes, quod probaui Controuers.3. Punct.4. Fatentur etiam omnes,formas substantiales & accidentales, quæ res sunt & non modi posse creari. Probant à paritate ex quantitate, quam sine materia credimus conseruari in Eucharistia, & consequenter per creationem, quia actio, ex vi cuius conseruatur nullum præsupponit subiectum. Huic rationi hanc à priori ferè omnes adiungunt. Formæ substantiales non educuntur per se & immediatè,sed media actione superaddita:ergo potest eductio separari ab illis,& loco illius substitui creatio. Acquiesco priori rationi, non huic posteriori, quam sic impugno. Ad hoc vt entitas creetur non solùm requiritur vt non repugnet ex ratione eductionis cum illa non identificata,sed etiam necessaria est capacitas ex parte termini ad terminandam creationem, sed hæc non infertur ex eo quod eductio non sit identificata cum termino:ergo ex distinctione eductionis à termino non infertur ipsum posse creari. Rem declaro, & confirmo ; ex eo, quod calor per vnionem superadditam vniatur subiecto, non infertur,posse cuicumque subiecto vniri,neque posse quamcumque vnionem terminare,& hæc est inepta consequentia : calor non vnitur per se ipsum media vnione ligno: ergo potest vniri Angelo:ergo non rectè infertur,hic terminus non producitur per se ipsum ab agente : ergo potest à quocumque produci, & quamcumque actionem terminare, quam enim repugnantiam inuenies in entitate potente terminare diuersas eductiones superadditas incapaci terminandi creationem. Fateor plurimùm conducere vt creari possit terminus, ipsum non esse eductum per suam entitatem, quia licèt eductio distincta non inferat capacitatem terminandi creationem, eductio identificata, vel infert negationem capacitatis terminandi creationem, vt dicam postea, vel saltem illam difficiliorem reddit, ad hoc enim vt res per se ipsam educta creetur, requiritur posse simul educi, & creari, in quo multi repugnantiam esse defendunt, & simul requiritur posse actionem ad actionem terminari, & dari actionem actionis, quod implicare fert communis sententia. Concludo ergo formas omnes,quæ sunt res,& non modi posse creari, quia ex vna parte non repugnat ratione eductionis cum illis identificatæ,& ex alia parte capacitatem ex parte ipsarum ad terminandam creationem à paritate quantitatis colligere debemus, absque fundamento enim diceretur in formis materialibus & accidentalibus speciale esse quantitati posse actionem creatiuam terminare.

De formis modalibus poterat esse difficultas an possent 2
creari, quæ si attentè inspiciatur, leuissima est. Affirmo, modos, sicuti præsenriam,& vnionem aliósve huiusmodi posse terminare actionem creatiuam : ita tenet Hurtadus disput. 12. sect. 5. Moueor à paritate reliquarum formarum, quia in his non specialem repugnantiam inuenio,vt possint actionem creatiuam terminare. Quod vt explicem aduerto, creationem tantùm dicere independentiam ab aliquo tanquam à causa materiali, non verò negationem connexionis rei creatæ cum alia. Quo posito sic arguo : si aliqua esset specialis repugnantia in formis modalibus,esset, quia per se ipsas dependent à re cuius sunt modi : sed dependentia, quam per se ipsas habent, non est tanquam à causa materiali:ergo non opponuntur cum creatione. Minorem probo, cætera patent:vnio integralis inter duas partes quantitatis tantùm per se ipsam dependet ab extremis, & media passione superaddita à materia:sed ab extremis non dependet tanquam à causa materiali,sed à materia prima, cui inhæret : ergo dependentia identificata, quam habet illa vnio non opponitur cum creatione. Ex quo infero, vnionem integralem quantitatis Eucharistiæ de facto creari, quia etsi dependeat ab extremis de facto non dependet ab aliquo præsupposito subiecto,quod exerceat causalitatem causæ materialis respectu illius, quæ tantùm opponitur cum creatione.

3 De modis aliis, qui per se ipsos afficiunt subiecta, ex quibus educuntur, & illorum dicuntur modi, sicuti præsentia, & viuersim de omnibus modis sic probo. Præsentia, quam de facto habet hæc quantitas dependet ab illa in genere causæ materialis: non per se ipsam, sed per passionem superadditam: ergo non est aliqua specialis ratio in præsentia, neque in aliis modis, quæ non reperiatur in formis, quæ sunt res, propter quam non possit creari forma modalis. Antecedens probo: præsentia quantitatis potuit produci ab hoc, vel ab illo principio actiuo: ergo potuit dependere per hanc, vel per illam actionem à principio actiuo; forma enim indifferens vt dependeat à diuersis principiis indifferens est vt dependeat per diuersas actiones, quia non potest eadem actio à diuersis principiis procedere: ergo potest dependere per hanc, vel per illam passionem à quantitate: ergo non dependet per se ipsam à quantitate tanquam à causa materiali: ergo non est specialis ratio in forma modali, quæ non sit in formis realibus, propter quam non possit creari, cum non eo ipso, quod modus sit, per se educatur, licet per se dependeat dependentia connexionis distincta à dependentia quæ est in genere causæ materialis, quæ non est dependentia propriæ causalitatis; modus enim non præcisè ex eo, quod sit modus in aliquo genere causæ dependet à re, cuius est modus, sed tantùm habet cùm illa connexionem strictam; ratione cuius neque de potentiâ Dei absoluta possunt separari.

4 Confirmatur: Passio mediâ qua vnio recipitur realiter distinguitur ab illius vnione, quia præsentia per se ipsam vnitur subiecto, & recipitur per passionem superadditam identificatam cum actione, vt probat manifestè ratio adducta ex diuersitate principiorum, à quibus actio eiusdem termini procedere potest: ergo non ex eo, quod non possit vnio modi ad rem, cuius est modus, separari ab illo, infertur, non posse passionem ab eodem separari.

5 Dices ad creationem termini requiri independentiam non solùm à subiecto, sed etiam ab omni quocumque alio. Contrà: definitio creationis tantùm dicit terminum produci ex nihilo, hoc est, ex nullo præsuppositio subiecto: ergo dependentia à termino, seu ab alio, cum quo modus connexionem habeat creationi non obest. Confirmatur: in communi sententia materia prima non potest conseruari sine forma, & nihilominus, quia ab illa non dependet per causalitatem causæ materialis, dependentia à posteriori, quam à forma habere dicitur non opponitur cum creatione materiæ: ergo creatio non dicit negationem cuiuscumque dependentiæ. Vrgeo efficaciùs: Possibilis est actio terminata ad modum existentem, ex vi cuius non dependeat ab aliquo subiecto in genere causæ materialis, etiamsi retineat connexionem essentialem, quam habet cum re, cuius est modus, vel si neges esse possibilem, illam tibi mente fingito: hæc actio non esset eductio, quæ essentialiter dicit dependentiam termini à subiecto: ergo esset creatio: ergo de ratione creationis tantùm est constituere terminum independentem à subiecto, non verò illum constituere absolutum à quacumque alia connexione.

6 Inquires, an creato modo vnionis composito diceretur totum compositum creatum. P. Vasquez 1. part. disput. 174. cap. 4. num. 18. negatiuam partem defendit, quia compositum illud fieret ex aliquo videlicet ex partibus. Feror in partem affirmantem, quia eatenus producitur totum, quatenus producitur vnio, & ex vi productionis vnionis dicimus totum esse productum. Sic homo, cuius partes creantur, & vnio gignitur, genitus dicitur: ergo si illius modus vnionis crearetur, totus homo diceretur creatus, etiamsi per impossibile materia & forma hominis gignerentur, quia vt bene Hurtadus, illa dicitur totius productio, quæ est productio modi vnionis, qui est ratio formalis compositi, quo posito non potest non esse compositum. Potest etiam dici tunc cõpositum non creari, non quia fiat ex partibus, sed quia ratione formæ dependet à materia, de quo iterum Controuers. 2. de generatione, Punct. 1. ad finem. Ad rationem Vasquez respondeo, aliud esse totum constare ex materia & forma tanquam ex partibus componentibus, aliud fieri ex præsuppositio subiecto, & illius actionem præsupponere subiectum tanquam causam materialem, & passionis subiectum. Primum competit essentialiter toti compositio quod cum creatione non opponitur: secundum illi accidentaliter competit, quando vnio media passione producitur, quæ non intercedet, si creetur vnio, & ita verum non erit actionem totius esse ex præsuppositio subiecto, neque totum constare ex subiecto quod in genere causæ materialis media passione influat in totum, quod requiritur ad generationem, & creationi opponitur.

PVNCTVM VI.

An illa, quæ naturaliter creantur educi possint de potentia Dei absoluta.

TOta procedit quæstio de anima rationali, & de aliis formis, quæ naturaliter petunt per creationem produci, quia de materia prima, & de toto completo, Angelo, verbi gratia, certum est non posse educi ex subiecto, quia materia prima nullum potest supponere, neque totum adæquatum, quod non ordinatur ad aliud componendum. De formis substantialibus possibilibus, & de anima rationali existenti inquiri potest, An possint formæ, quæ media creatione distincta naturaliter producuntur, ex potentia subiecta educi. Secundò an formæ quæ immediatè per se ipsas creantur possint educi per aliam actionem superadditam. De omnibus absolutè loquendo negat Hurtadus disput. 12. sect. 3. Oppositam sententiam tenent recentiores affirmantes posse formam etiam per se ipsam creatam educi simul per passionem superadditam, quia non opponuntur contradictoriè rem per se ipsam creari, & simul educi per aliquid superadditum. Mediam teneo viam, quam iam explicabo. 1

Anima rationalis existens de facto educi non potest de potentia subiecti etiamsi creetur per actionem superadditam. Ratio est: ad hoc vt anima rationalis possit educi, debet supponi ex parte ipsius animæ capacitas ad terminandam actionem eductiuam, & capacitas ex parte subiecti ad recipiendam talem formam media passione, sed nullum est fundamenrum ad ponendam talem capacitatem in anima rationali existenti, neque in aliquo subiecto ex his, quæ existunt: ergo non est ponenda iuxta regulam sæpe repetitam, videlicet non esse concedendam aliquam potentiam, seu prædicatum aliquod positiuum rei existenti sine positiuo fundamento. Confirmatur ratione adducta Punct. præcedenti, vbi dicebam non inferri ex eo quod res educatur media actione superaddita posse creari: ergo neque infertur ex eo quod media creatione superaddita creetur posse generari. 2

Cum hoc compono possibilem esse formam spiritualem naturaliter exigentem creari media actione superaddita, quæ possit supernaturaliter educi ex potentia subiecti spiritualis, vel materialis, si non repugnat rem spiritualem ex subiecto materiali educi. Hanc conclusionem probo ex eo, quod nulla sit repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens creationem possit eductionem supernaturaliter terminare, sicuti non est repugnantia in eo, quod forma naturaliter exigens per generationem produci, possit per creationem supernaturaliter procedere. 3

Obiicit primò Hurtadus: Generatio est imperfectior creatione, sed quod est imperfectius non potest substitui loco perfectioris: ergo generatio non potest substitui loco creationis. Concedo maiorem, & nego minorem, quam gratis supponit Hurtadus. 4

Obiic. secundò: forma spiritualis per se ipsam est independens à materia: ergo non potest ab illa dependere. Distinguo antecedens: per se ipsam petit esse independentem à materia, concedo antecedens per se ipsam habet independentiam, nego, quia supponimus produci per creationem superadditam, ex vi cuius supponitur independens. 5

Obiic. tertiò: Si illa forma educeretur ex potentia materiæ, viuens per illam constitutum non posset nutriri, quia indiuisibiliter à tota materia dependeret. Ne nutriatur dum forma est educta contra propriam exigentiam, ex vi cuius creari debebat, quid tunc postea? Vel dicito posse nutriri per extensionem formæ ad nouam partem materiæ, à qua non dependeret. 6

Obiic. quartò: forma, quæ naturaliter creatur, est incorruptibilis, sed si dependeret à materia esset corruptibilis: ergo non potest ab illa dependere, aliàs eadem forma esset corruptibilis, & incorruptibilis. Respondeo negando minorem, quia forma illa, etiam quando esset educta peteret creari, & casu quo deficeret actio ex vi cuius educebatur, semper illi esset debita creatio, ac proinde peteret non corrumpi. 7

De

8 De formis, quæ per se ipsas creantur sentio non posse de potentia Dei absoluta educi, quia cum ab illis non possit separari creatio, eductio superaddita ex natura sua esset superflua, necessariò enim respiceret terminum, qui in quocumque casu æquè benè existeret illa deficiente. Hac ratione dixi non posse idem influere in se ipsum per secundam actionem, quia hæc essentialiter supponeret terminum independentem ab illa, & non posse actionem per se ipsam dependentem à principio ab eodem vel ab alio per aliam actionem superadditam dependere, quod contingeret si generatio terminaretur ad terminum, qui per se ipsum crearetur, quia ille terminus esset creatio, ad quem generatio terminaretur. Eadem ratione dicendum est non posse terminum per se ipsum genitum, per creationem superadditam à Deo produci.

9 Vltimò inquiri potest de formis, quæ possunt successiuè educi, & creari, an possint simul terminare actionem creatiuam, & eductiuam. Supponimus posse eamdem entitatem duplicem actionem totalem terminare, quod iam probaui Controuersia 7. & in præsenti tantùm est specialis dubitandi ratio ratione peculiaris oppositionis, quam habet creatio cum eductione propter diuersum modum respiciendi terminum. P. Soar. tom. 1. in 3. part. disput. 14. sect. 1. §. *Vltima ergo*, ait repugnare idem accidens esse per se, & inhærere, quod idem videtur esse ac creari & educi. Posse supernaturaliter eumdem terminum educi, & creari per actiones distinctas plurimi recentiores docent, quibus subscribo, nulla est enim specialis ratio repugnantiæ inter eductionem, & creationem, quam Deus vincere non possit, quod sic probo. Accidens esse independens ex vi creationis nihil aliud est, quàm actionem creatiuam non dependere à subiecto, quod propriùs significaretur si diceretur accidens fieri independenter, ex quo faciendi modo fit accidens ex vi illius nullam trahere dependentiam, quod formaliter non dicit negationem absolutam dependentiæ in accidenti, sed negationem dependentiæ ortæ ex illa actione, seu per illam actionem non dependere. Similiter accidens esse dependens ex vi generationis dicit illam actionem esse dependentem, ex quo resultat accidens ipsum dependere à subiecto quatenus habet esse per talem actionē, ita vt si ex vi aliùs actionis illud nō habeat deficiente subiecto deficiet accidens, quia deficiet actio, ec vi cuius vnicè existebat. Sed esse dependentem à subiecto hanc actionem eductiuam, & illam creatiuam terminatam ad eamdem entitatem non esse dependentem, non opponuntur contradictoriè: ergo accidens esse eductum, & creatum contradictoriè non opponuntur. Rem confirmo, & illustro. Pone calorem productum adæquatè ab igne & à Sole per duplicem actionem eductiuam, quam posse terminare supponimus in præsenti quæstione. Ex vi actionis procedentis à Sole calor recipit esse independenter ab igne, ita vt igne deficiente idem permanebit: ex vi actionis procedentis ab igne idem calor dependet ab igne per veram actionem, & dependentiam: ergo non repugnat idem accidens ex vi huius actionis esse independenter ab hac causa, & ex vi aliùs ab eadem dependere. Sic fit in termino creato, & genito, vt ex vi creationis non dependeat à subiecto, sicuti calor, de quo dicebamus, ex vi actionis procedentis à Sole non dependebat ab igne, & ex vi generationis dependet à subiecto sicuti idem calor ex vi alius actionis dependet ab igne.

10 Ex his solutio facilis est: ad fundamentum oppositæ sententiæ respondeo calorem eductum, & creatum esse dependentem, & independentem positiuè, quæ contradictoriè non opponuntur, sicuti non opponuntur, Christū esse extensum in Cœlo, & inextensum in Eucharistia. Ad illud quod dicitur sequi terminum dependere, & non dependere negandum est sequi terminum non dependere, quia terminus, qui per vnam actionem dependet, etsi non dependeat per aliam, absolutè dependet, tantùm dici potest terminum non dependere ex vi actionis creatiuæ seu non dependere ex vi huius actionis, ex quo non infertur absolutè non dependere, non enim valet consequentia à restricto ad non restrictum negatiuè. Neque idem sonat, terminus est independens, ac terminus non dependet, quia terminū non depēdere dicit absolutè non dependere ex vi alicuius actionis, ita vt neq; per hanc, neq; per illam actionē dependeat, negatio enim omnia distribuit; terminū, verò esse indepēdentem, tantùm dicit terminū ex vi alicuius actionis non dependere, siue per aliam dependeat, siue non dependeat, cùm enim copula huius propositionis, terminus est independens, non sit negata, sufficit hanc vel illam independentiam termino inesse, vt verificetur, etsi alias idem terminus dependentiam habeat.

CONTROVERSIA XIV.

De Infinito.

AGGREDIMVR materiam meâ quidem sententiâ difficillimam omnium, quas tota amplectitur Philosophia, existimo enim infiniti naturam longè explicatu difficiliorem esse continui compositione quam ingenui, acuti, doctique viri insuperabilem putarunt: tota enim illius difficultas disputationis hîc nos premit, ea enim est, finitâ nostræ mentis acie infinitam molem euolui, quæ vix apprehensione tangi potest, tantùm abest vt intellectus illam metiri valeat. Nihilominus ne videar mancum reliquisse hoc opus, de Infinito disputo, cuius difficultates, etsi non penitus exhaurire præsumam, illas tamen explicare conabor.

PVNCTVM PRIMVM.

Infiniti definitio.

1 PRimo Infinitum diuiditur, in Infinitum secundùm essentiam, seu perfectionem, & in infinitum secundùm accidens. Infinitum *secundùm essentiam* est illud, quod includit summam perfectionem possibilem, vltra quam non potest maior alia excogitari: hoc infinitum constat non quantitate molis sed perfectionis, illa enim, quæ excellentiora sunt maiora vocamus, vide August. libr. 6. de Trinitate capit. 8. ait: *In his, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse.* Hæc infinitas tantùm competit Deo, qui vnicè habet perfectionem, supra quam non sit alia: quæcumque enim perfectio à Deo distincta inferior est perfectione Dei, & defectibilis, & depēdens, in quibus magna imperfectionis mixtura reperitur. Infinitum *secundùm accidens* triplex est: secundum extensionem, intensionem, & multitudinem. Secundùm *extensionem*, erit quantitas infinitè extensa: secundum *intensionem* qualitas erit, cuius gradus eidem subiecto inhærentes infiniti sunt: Infinitum secundum *multitudinem* erit multitudo ex infinitis vnitatibus coagmentata. Non est disputatio de infinito secundùm essentiam, sed de infinito secundùm accidens, cuius definitiones iam expendo.

2 Antiqui definiebant infinitum: *cuius nihil est extra*: quos sequuti sunt Bacconius in 1. distinct. 44. quæst. 1. art. 2. Durand. in 1. dist. 43. quæst. 2. & in 2. distinct. 1. q. 3. Aur. in 1. distinct. 44. quæst. vnica art. 1. part. 1. §. *etsi quæratur*, vbi probat in continuo non esse infinitas partes: *Quia infinitæ partes* (inquit) *sunt omnes partes, & infinita puncta sunt omnia puncta.* Definitionem hanc impugnat Philosophus 3. physic. text. 62. & 63. quia si intelligendum sit illud: *cuius nihil est extra*, pertinens ad id, quod infinitum dicitur, competit definitio omni toti perfecto, quod definiuit Arist. 5. Metaphysicæ capit. 16. per eadem verba: *totum perfectum est, cuius nihil est extra.* Si intelligatur illud *cuius nihil est extra* etiam pertinens ad aliud compositum, non rectè definitur infinitum, quia posito hic quodam infinito, posset aliud esse infinitum, imò alia infinita eiusdem rationis extra illud reperiri, potest enim Deus cuicumque multitudini Angelorum etiam infinitæ, Angelum, & Angelum, infinitosque Angelos superaddere. Secundò eamdem definitionem sic impugno: detur infinitum hominum vel Angelorum & ab illius multitudine remoueat Deus vnum indiuiduum, quæ remanent necessariò erunt infinita, quia si essent finita per additionem vnius vnitatis non possent fieri infinita: ergo illa multitudo esset infinita,

& extra illam esset aliquid videlicet illud indiuiduum, quod Deus ex illa adimeret. Nec poterit dici illud indiuiduum non posse adimi, quia posita infinita multitudine Angelorum Deus cognoscit hunc indiuiduum Angelum, verbi gratia, Gabrielem distinctum realiter ab omnibus aliis: ergo cognoscit illos Angelos à Gabriele distinctos esse finitos, aut infinitos: non finitos, quia etiamsi illis Gabriel adiungeretur non constituerent multitudinem infinitam: ergo infinitos: ergo cognoscit multitudinem infinitam Angelorum distinctam ab aliquo Angelo in illa non incluso: ergo cognoscit extra illam multitudinem Angelorum esse aliquem Angelum: ergo non est de essentia infiniti vt extra illud nihil sit.

3 Doctissimi Magistri hanc infiniti definitionem sunt amplexati, qui negant infinitum adhuc possibile, seu rerum possibilium, quos ego sic conuenio. In sententia horum non datur infinitum adhuc possibile: ergo tenentur dicere conceptum explicatum, quem ipsi probant, non esse possibilem, vel esse conceptum rei finitæ: non dicent esse conceptum rei finitæ, aliàs vanè dicererur infiniti definitio: ergo tenentur dicere esse conceptum rei chimæricæ. Tunc sic: Inquiro an conceptus significatus per vulgarem definitionem ab Arist. traditam, quam postea exponam, sit rei possibilis, vel impossibilis: si rei impossibilis, & chimæricæ: ergo vtraque definitio ad chimæram terminatur, cur ergo potius suam definitionem, quam Aristotelicam probant, cum vtraque ad chimæram terminetur. Si dicant definitionem formalem ab Aristotele traditam terminari ad obiectum possibile, & in se non repugnans, iam admittunt conceptum illum, quem tota Schola infinitum appellat, & quem ipsi latè impugnant: ergo admittunt infinitum. Neque dicere possunt illud, *cuius semper est vltra aliquid accipiendum*, esse non repugnans, finitum tamen, quia omnia argumenta quibus vtuntur ad hanc definitionem reiiciendam, ostendunt vt probent illius obiectum esse repugnans, & fore finitum, & infinitum, quod etiam opponunt contra obiectum definitionis, quam tradunt, quod simílem repugnantiam habere dicunt: ergo omnia, quæ in nostram definitionem accumulant, in suam aggerant: ergo eamdem aleam apud ipsos vtraque definitio subire debet. Conceptum obiectiuum illius definitionis *cuius semper est vltra accipiendum*, fore infinitum, si in se repugnantiam non inuoluat, & rem finitam, & infinitam, non dicat, certum est quia omne ens reale finitum partes habet finitas, quæ ita accipi possunt, vt ad vltimam perueniatur, & alia non restet accipienda, potest enim illarum vna vltima assignari, vltra quam non sit alia. Debent ergo, qui docent infinitum adhuc possibile chimæricum esse, nullam sibi propriam definitionem confingere, neque aliquam approbare, sed ostendere conceptus obiectiuos significatos per definitiones ab aliis traditas esse conceptus repugnantes, & fictitios, vel esse conceptus rei finitæ & limitatæ: quocumque enim ex his probent, rectè conuincent non dari infinitum: quo si ipsi illius definitionem constituant, gratiæ illis habendæ non sunt, si infinitum efficaciter impugnauerint, facile enim cuique erit infinitum ita constituere vt nulla opera ab ipso destrui possit.

4 Secundò arguo contra hos recentiores. Affirmant infinitum esse cuius nihil est extra: ergo saltem tota collectio rerum possibilium erit infinita. Probo consequentiam: extra totam illam collectionem nihil est: ergo illi conuenit infiniti definitio, quam ipsi probant: ergo est infinita, ergo non rectè componunt esse bonam definitionem infiniti *cuius nihil est extra*, & non dari infinitum adhuc rerum possibilium. Respondent vltra collectionem finitam rerum, verbi gratia, Angelorum possibilium non repugnare alium Angelum ex eo quod illa collectio ex se non sit componibilis cum alio Angelo, vel quia ipsa repugnat accretioni alius Angeli, sed quia non est Angelus alius, qui possit collectioni ex se augmenti capaci superaddi, infinito autem esse repugnare aliam entitatem, quæ posset superaddi, ita vt præcisè ex eo quod hæc Angelorum collectio esset infinita, illi repugnaret alium Angelum superaddi, & aliquid illius generis esse extra illam, quod non habet tota collectio Angelorum possibilium, quæ de facto existit, ac proinde infinita non est. Doctrinam huius solutionis falsam esse probabo Punct. 5. vbi ostendam, posse collectioni infinitæ aliquid superaddi, & non infinitæ collectioni repugnare augmentum eo ipso quod sit infinita. Sed esto, non repugnet ratione totius collectionis Angelorum, quæ de facto existit, alium Angelum superaddi, sed quia in se repugnat alius Angelus superaddens, ex quocumque capite oriatur repugnatia de facto repugnat dari alium Angelum extra hanc collectionem: ergo non est aliquid vltra accipiendum extra hanc collectionem: ergo huic collectioni conuenit definitio infiniti: ergo est infinita.

Tenenda est definitio tradita ab Aristotele, *cuius semper est vltra accipere*, id est, cuius partes accipienti semper 5
aliæ & aliæ in infinitum restant accipiendæ. Quod intelligendum est vt intra ipsum infinitum, ea sit partium multitudo, vt quantumuis ex illis successiuè sumantur semper aliæ restent accipiendæ quin possint successiuè exhauriri incipiendo ab vna, quæ dicatur prima, & definendo in aliã quæ vltima dicatur. Ex hac definitione deduxit Aristot. text. 65. & 66. infinitum potius habere rationem partis, quàm totius, quod intelligendum est respectu nostri, quia si ab illo per partes incipiamus accipere semper quidquid acceptum habemus habet rationem partis, quod cum aliis compartibus, quæ restant accipiendæ totum infinitum componunt. Quando verò partes totius finiti accipimus, tandem ad vltimam peruenimus, qua accepta totum finitum comprehendimus, quod respectu totius infiniti præstare non possumus. Eadem ratione dixit Philosophus infinitum non esse totum actu, sed potentiâ, quod similiter respectu nostri intelligendum est, cùm enim illius partes accipimus modo explicato numquam totum apprehendimus, sed partes, quibus aliæ, & aliæ respectu nostri successiuè accipientium superadduntur, quin aliquando superaddantur omnes illæ, quæ totum infinitum actuale constituunt.

PVNCTVM II.

Quid interſit inter infinitum categorematicum & ſyncategorematicum.

CElebris est diuisio infiniti in categorematicum, & 1
syncategorematicum, cuius membra diuidentia non omnibus nota, licet nulli non familiaria sint. In primis in eo differunt hæc infinita, quod infinitum categorematicum componitur ex entitatibus actu existentibus, quæ infinitum actu existens secundùm se totum constituunt: infinitum verò syncategorematicum dicit entitates existentes permixtas entitatibus possibilibus, itaque dicit aliquas entitates existentes, alias verò possibiles. Entitates existentes, quas includit infinitum syncategorematicum terminum possunt habere, non tamen terminum determinatum vltra quem augeri non possunt, quia eo ipso quod detur infinitum syncategorematicum ex entitatibus existentibus, & possibilibus constitutum, entitates existentes licet terminum habeant semper possunt illum excedere, & magis ac magis augeri. Exempli gratiâ, numerus terminum habet, eo enim ipso, quod sit numerus, debet habere terminum, & aliquam habere vnitatem, quæ sit vltima, non tamen est aliquis terminus, quo ita circumscribatur, vt non possit aliũ habere, quo magis illius producatur extensio. quantumuis enim millia milliaria millionum annumeres, nihil prohibet toti huic multitudini aliquem terminum superaddere, ita vt dicat multitudo vnam vnitatem supra millia milliaria millionum. Itaque entitates existentes infiniti syncategorematici semper possunt augeri, semper tamen in quocumque augmento aliquem terminum habebunt, quo multitudo finita circunscribatur. Ratio est manifesta, quotiescumque additur illi infinito, si adhuc syncategorematicum remanet, adduntur vnitates finitæ, sed vnitates finitæ coniunctæ aliis finitis vnitatibus non possunt multitudinem infinitam componere: ergo infinitum syncategorematicum semper dicit multitudinem finitam entitatum existentium: differentiam hanc inter infinitum categorematicum, & syncategorematicum assignant ex Aristot. 3. Physic. text. 33. & 34. Doctores omnes, qui de hac re disputant.

Si naturam termini indeterminati quem habere diximus entitates existentes, ex quibus infinitum syncategorematicũ componitur percalleas, optimè noueris aliud esse rem posse in infinitum crescere, aliud rem posse esse 2
infinitam

infinitam. Posse in infinitum crescere est nullam partem esse assignabilem, vltra quam non possit alia designari, quæ termino licet præcedenti maiori claudatur. Rem posse esse infinitam non dicit relicto hoc termino alio maiori definiri, sed absolutè carere omni termino, ita vt nullo res infinita cingatur. Ex his inferes non esse bonum arguendi modum: res potest in infinitum augeri: ergo potest esse infinita; ostendi enim numerum posse augeri in infinitum, vt notum est, quia quantumuis fingatur auctus, alia entitas poterit accrescere, & tamen infinitus esse non potest. Similiter iuxta communem sententiam continuum in infinitum potest diuidi, ita vt numquam ad aliquam diuisionem perueniamus, cui aliam superaddere non possumus, tamen numquam poterunt dari infinitæ diuisiones continui. Loquor iuxta communem sententiam. Similiter ab hoc die poterunt in infinitum dies pertransire, non tamen possunt infiniti pertransisse, quia ab hoc die vsque ad illum vltimum, qui pertransiuerit, quemcumque assignes tantùm erunt dies finiti, cum omnes duobus diebus extremis hodierno videlicet, & illo vltimo assignato vtrinque claudantur.

3 Cæterum infinitum constitutum ex entitatibus actu existentibus, vel præteritis, & aliis possibilibus, vel futuris, potest partes possibiles in duplici differentia continere. Quædam sunt creaturæ possibiles, quas Deus potest omnes distributiuè, & collectiuè in actum reducere, sic se habent infiniti Angeli possibiles, si non repugnat infinitum Angelorum actu existens. Aliæ sunt creaturæ possibiles, quæ licet illarum quælibet possibilis sit; imò & futura, non tamen poterunt adhuc de potentia Dei absoluta ad actum reduci omnia collectiuè, ita vt verum sit dicere omnia illa possibilia actu existunt. Sic se habent dies futuri per æternitatem à parte post, qui omnes collectiuè sumpti numquam poterunt simul existere, neque collectiuè extitisse. Ratio est manifesta: si omnes dies ex quibus æternitas constat à parte post aliquando extitissent, iam nihil superesset æternitatis: ergo æternitas fuisset præterita, & finita, sed implicat finiri æternitatem à parte post: ergo implicat extitisse omnes dies ex quibus æternitas à parte post componenda est. Dices: dies illi numquam possunt existere, neque poterunt coëxtitisse: ergo repugnat illorum existentia: ergo non sunt futuri, neque possibiles sed tantùm chimærici. Respondeo distinguendo illud antecedens: dies illi non possunt existere, neque extitisse collectiuè, concedo: distributiuè, nego. Hoc est datur aliquis dies ex his, qui æternitatem componant, qui non possit existere, aut extitisse nego, quicumque enim dies quem tu assignes, ex his quæ æternitatem à parte post componunt aliquando existet, & aliquãdo extiterit, ita vt sit verum dicere in aliqua mensura, hic dies iam præteriit, collectiuè, concedo: ergo illi dies sunt chimærici, distinguo consequens: distributiuè sumpti, hoc est datur aliquis illorum dies, qui sit chimæricus, nego consequentiam: collectiuè, subdistinguo: omnes dies æternitatis collectiuè sumpti secundum se sunt chimærici, nego; si considerentur vt iam præteriti, concedo, quia chimæra est dicere totam æternitatem à parte post iam præteriisse.

4 Instabis: Quidquid est futurum in hac mensura in aliqua erit præsens, & in aliqua erit præteritum, sed æternitas à parte pòst est futura: ergo in aliqua mensura erit præterita. Distinguo antecedens: quidquid est futurum aliquãdo erit præsens, & aliquando eritpræteritum secundùm quamlibet partem sui seorsim sumptam, concedo: secundùm se totum subdistinguo: quidquid est futurum in tempore aliquando erit præteritum, concedo: quidquid est futurum per æternitatem aliquando erit præteritum aut præsens secundùm se totum, nego. Est enim de ratione æternitatis successiuæ, vt semper aliquid illius restet, neque id quod per æternitatem successiuè futurum est in tempore esse potest, & ita neque in tempore potest esse præteritum. Itaque consequentia illa: hæc entitas est modo futura: ergo aliquando verum erit dicere, est præsens: rectè infertur de re futura in tempore non de re futura per æternitatem successiuè futurum est non est in tempore, sed in æternitate futurum, & ita non erit verum dicere, aliquando, hoc est aliquo tempore est, sed semper erit verum dicere, est secundùm aliquid sui, & erit per totam æternitatem secundùm se totum.

5 De multitudine rerum, quæ distributiuè sumptæ existere possunt & non collectiuè exemplum præbet communis doctrina in collectione creaturarum possibilium, in qua nulla includitur, quam Deus non possit producere, non tamen potest omnes collectiuè producere, quia quacumque multitudine & quocumque infinito creaturarum producto rursus poterit Deus aliam producere creaturam. Idem cernitur in diuisionibus continui Aristotelici, quarum quælibet potest exhiberi à Deo, non tamen potest Deus omnes diuisiones continui collectiuè exercere. In hoc sensu rectè dixit Durand. in 1. dist. 39. quæst. 2. singula possibilia esse quidem possibilia, non tamen omnia esse possibilia, hoc est possibilem non esse collectionem rerum existentium, quarum quælibet existere potest.

Dubitant nonnulli an infinitum syncategorematicum 6
essentialiter includat creaturas possibiles, quarum omnium collectio simul existere, vel successiuè extitisse repugnet, vel an sufficienter constituatur per creaturas possibiles, ex quibus in infinitum existentes augeri possint, etiamsi tota illa collectio possibilium de potentia Dei absoluta existere possit, sicuti de multitudine infinita Angelorum multi sentiunt. P. Albertinus tom. 2. de prædic. quantitatis disp. 4. quæst. 2. num. 8. asserit infinitum syncategorematicum essentialiter includere multitudinem possibilium, quæ collectiuè existere non possint. Probat ex eo, quod infinitum categorematicum, & syncategorematicum non distinguerentur. Sufficientem ego distinctionem inuenio inter vtrumque infinitum, si categorematicum componatur ex rebus existentibus in eodem statu. Verbi gratia, ex rebus actu existentibus, & syncategorematicum sit permixtum ex rebus finitis actu existentibus, & ex aliis possibilibus quibus possit in infinitum augeri. Infinitum hoc modò constitutum infinitum dicitur cum addito, & finitum secundùm id, quod dicit existens, quod infinitum syncategorematicum omnes appellamus: vtriusque natura, atque differentia satis est nota, de nomine contendendum non est, quod ex libera tantùm hominum impositione dependet.

Grauior alia suboritur difficultas de differentia vtriusque infiniti. An videlicet differant non solùm in diuerso statu rerum, quas in se continent, sed etiam in multitudine. An verò in multitudine rerum conueniant, & tantùm differant ex eo, quod infinitum categorematicum dicat multitudinem rerum in eodem statu existentium, & syncategorematicum dicat finitas entitates existentes, & reliquas possibiles. P. Albert. suprà num. 11. asserit infinitum differre ab infinito categorematico in numero partium, quia infinitum syncategorematicum non includit partes infinitas, neque intrinsecè includit infinitatem, sed tendit in illam. Refert pro hac sententia num. 2. Durand. & Gabr. oppositam sententiam defendit P. Fasolus 1. p. tom. 1. quæst. 7. art. 2. dub. 2. vbi clarè ostendit à num. 12. neque Durandum, neque Gabrielem defendere Alberti sententiam, sed potius Durandum oppositam quam docet Fasolus tradidisse, eamdemque Gabrielem indicasse, quam D. Thom. & Scot. apertè tradunt, verba Fasolus ipse refert. Hanc existimo esse communem Doctorum sententiam: quod si aliqui dixerint infinitum syncategorematicum non esse simpliciter infinitum, sed finitum ideò est, quia loquuntur præcisè de entitatibus actu existentibus, quas includit infinitum syncategorematicum, vt distinctis ab illis possibilibus. Sic Hurt. disp. 13. sect. 1. §. asserit infinitum categorematicum secundum id, quod actu habet esse finitum, & hac ratione illud finitum appellat, additque secundum ea, quæ non habet, sed actu habere potest esse infinitum, quia potest illi fieri additio sine termino. Itaque ne in æquiuocũ laboremus, aduerto nonnullos infinitum syncategorematicum appellare vnitates, seu partes existentes ex eo præcisè, quod possint addi per alias, & alias, quas ab infinito syncategorematico tantùm in existentibus constituto distinguunt. Sic loquitur Hurt. nuper citatus. Alij infinitum syncategorematicum appellant multitudinem includentem partes existentes, quæ possunt magis, & magis augeri per productionem actualium partium possibilium & simul includentem partes possibiles, quarum productionibus possunt augeri iam productæ. Si infinitum syncategorematicum primo modo sumatur tantùm pro partibus acceptis nullus est dubitandi locus, certum enim est tantùm dicere entitates finitas, & in multitudine differre ab infinito categorematico includente entitates, seu partes finitas, si sumatur posteriori modo, hoc est non solùm pro partibus acceptis iam existẽtibus, sed pro his & pro acceptibilibus,

quæ sunt tantùm possibiles, in quo sensu quæstionem exagitant Fasolus, & Albertinus potest procedere disputatio.

8 Affirmo cum Fasolo, & aliis, quos ipse refert infinitum syncategorematicum desumptum modo explicato pro partibus existentibus, quæ possunt magis, & magis augeri, & pro possibilibus non differre multitudine ab infinito categotematico, sed includere entitates iafinitas simpliciter. Conclusionem hanc his verbis tradit Scotus in 1. dist. a.q.2.§.*ostensu proposito. Quæcumque sunt infinita in potentia, ita quod accipiendo alterum, nullum possunt habere finem: illa omnia si simul actu sunt, sunt infinita actu.* Probat subtilissimus Doctor conclusionem prædictam his verbis: *Quia omnia talia acceptibilia quando sunt simul existentia, aut sunt actu finita, aut actu infinita: ergo accipiendo alterum post alterum, tandem possunt omnia esse actu accepta: ergo si non possunt omnia esse actu accepta, si actu simul sunt, sunt actu infinita.* Hæc ratio robustissima est, & ad illam reducuntur plures aliæ quæ contra sententiam Albertini doctè expendit Fasol.

9 Aliter contra eamdem sententiam argumentor: Infinitum categorematicum quantumuis augeatur secundum partes existentes ex possibilibus, quas dicit, semper potest magis augeri: ergo quantumuis sumantur partes ex possibilibus, semper restant aliæ & aliæ accipiendæ. Consequentia est legitima, & consequens tenentur non solùm ex vi illationis admittere, sed supponere omnes, qui infinitũ categorematicum admittũt, quia si non semper ex partibus possibilibus aliæ, & aliæ restarent accipiendæ, sed omnes essent acceptæ, iam postquã illæ erant acceptæ partes existẽtes possent augeri, quia nulla restat possibilis per quam augerentur, & tunc inquirerent: an partes existentes erant finitæ, vel infinitæ simpliciter: si infinitæ, iam concedis fuisse acceptam multitudinem infinitam ex possibilibus, & consequenter creaturas possibiles fuisse infinitas, in quo mecum consentis, & in aliud incidis absurdum, quia concedis multitudinem infinitam fuisse acceptam, & successiuè trãsactam. Si dicas esse finitas: ergo das multitudinem finitam, quæ non possit augeri neque per simplicem vnitatem: ergo illa multitudo, neque categorematicè, neque syncategorematicè est infinita, debes ergo concedere ex partibus possibilibus semper restare alias, & alias accipiendas: Ex quo legitimè infero multitudinem illam esse infinitam. Probo hanc illationem. Illud est infinitum partium existentium, ex quo, si partes existentes sumantur, semper restant aliæ, & aliæ accipiendæ: ergo illud est infinitum partium possibilium, ex quo si partes possibiles sumantur semper restant aliæ, & aliæ accipiendæ: sed ex partibus possibilibus, quæ sunt in infinito syncategorematico quantumuis aliæ, & aliæ sumantur semper aliæ restant: ergo illius partes possibiles sunt infinitæ.

10 Confirmatur: si per impossibile reducerentur ad existentiam omnes illæ partes possibiles essent infinitæ in statu existentiæ: ergo in statu possibilitatis sunt infinitæ, eædem enim essent quæ tunc existerent, quæ modò sunt possibiles. Antecedens probo: si partes illæ reductæ ad existentiam essent finitæ verum esset dicere, hæ partes finitæ existentes non possunt vltra augeri, quia supponimus existere omnes possibiles: ergo partes illæ non essent infinitæ adhuc syncategorematicè, quia de ratione infiniti syncategorematici est posse augeri partes existentes supra quamcumque multitudinem finitam in particulari assignatam. Dices hæc indiuidua non posse simul produci. Esto ne producantur, quod ego non contendo, sed tantùm assero fore infinita ex suppositione, quod producerentur, ex qua conditionali impossibili rectè infero nunc actu esse infinita. Ne tamen adhuc hoc leue tibi effugium pareat illud præcludo.

11 Deus cognoscit totam collectionem rerum possibilium secundum omnia illa indiuidua, seu secundum omnes partes, quæ includuntur in infinito syncategorematico, ita vt nihil sit extra obiectum diuinæ cognitionis: de illo ergo obiecto adæquatè sumpto inquiro an includat partes infinitas, aut finitas? si infinitas habeo intentum, si finitas: ergo cognoscit Deus partes possibiles, quas includit infinitum syncategorematicum tot esse, & non plures, neque pauciores: ergo cognoscit multitudinem illam non posse exercere tantùm numerum determinatum: ergo multitudo illa non constituit infinitum, adhuc syncategorematicum, quod essentialiter dicit posse exercere quamcumque multitudinem finitam assignatam quantumuis magnam. Dices Deum videre partes illas esse finitas, & habere terminum indeterminatum, non tamen determinatum, sicuti nos dicimus de partibus existentibus. Contrà: nulla multitudo neque rerum existentium, aut possibilium potest esse in se determinata, neque partibus indeterminaits constans, quidquid enim est siue existens, siue possibile in se ipso determinatum est, nihil enim vacuum datur, neque dari potest in rerum natura: ergo cum multitudo illa, quæ est possibilis cognoscatur à Deo vt in se est, debet cognosci in se ipsa, & in partibus, quas includit determinata, vel sine vllo termino, quo finiatur, vel cum termino determinato. Quod nos dicimus de creaturis existentibus, quæ non habent terminum determinatum, alium longè diuersum sensum habet, non enim dicimus creaturas de facto existentes, non habere terminum de facto determiaatum, sed posse carere termino determinato, quem habent, & alium acquirere per additionem aliũs creaturæ quod non est non habere terminum determinatum, sed non exigere determinatè hunc potius, quam illum, quod est longè diuersum, sicut est diuersum dicere me equitare sine equo determinato, quod implicat, & dicere me non determinatè agere hoc equo ad equitandum, quod verum est. In creaturis possibilibus, quas Deus cognoscit, non ita se res habere potest. Quia eo ipso quod sint finitæ debent habere aliquem terminum, vltra quem non poterit illis alius contingere, quia hic debebat accrescere per augmentum aliũs creaturæ possibilis denuò aduenientis, quæ aduenire non potest, quia implicat omni collectioni possibilium creaturarum aliquam addi, quia extra collectionem omnium possibilium nulla restat creatura possibilis.

Ex his inferes semper dari infinitum possibilium ex quo 12
modo res existentes possunt in infinitum crescere. & hanc esse legitimam consequentiam: numerus in infinitum potest magis, & magis augeri, licet semper cum termino: ergo vnitates ex quibus numerus augeri potest sunt infinitæ si enim finitæ essent vltra illum finitum numerum non posset augeri numerus creaturarum existentium. Nota me non inferre: numerus potest magis, & magis augeri, seu potest in infinitum augeri: ergo potest esse infinitus, hæc est enim mala consequentia. Sed infero: ergo vnitates, ex quibus potest augeri sunt infinitæ, semper enim vnitates in numero acceptæ finitæ sunt, & acceptibiles, quæ restant sunt infinitæ. Eadem ratione hæc est legitima consequentia. Continuum potest magis, ac magis in infinitum diuidi: ergo diuisiones possibiles sunt infinitæ: licet diuisiones de facto exercitæ, seu quasi iam acceptæ finitæ sint, infinitas enim semper se tenet ex parte acceptibilium. Itaque in infinito syncategorematico duplex potentialitas partium reperitur: vna, qua partes secundùm se possibiles sunt; alia, qua partes possibiles sunt non solùm secundum se, sed secundum simultaneã actualitatem. Possibilitas illa est partium infinitarum, hæc verò partium finitarum, quæ ex illis infinitis possunt in infinitum augeri, licet non possint esse infinitæ. Dixi infinitum categorematicum, & syncategorematicum non differre multitudine, vt loquerer cum auctoribus, qui hanc quæstionem exagitant cum quibus tantùm intendo significare infinitum syncategorematicum includere infinitas vnitates, has verò longè plures esse in syncategorematico, quàm in categorematico ostendo, Punct. 5. num. 4.

PVNCTVM III.

An creaturæ possibiles sint finitæ, vel infinitæ.

SApientissimi Magistri claritate ingenij, quâ mire fulgent, ægrè ferunt tenebrosam caliginem partium infinitarum, multúmque propendent in sententiam negantem creaturas possibiles esse infinitas. Vt rem attemperent, & ne videantur sententiam auctoritate nudam tutari, notant Aureol. in 1. dist. 44. quæst. vnica art. 2. propos. 2. apertè concessisse terminum in extensione, idémque insinuasse Henrr. quodl. 5. quæst. 3. In intensione terminum cognouisse dicunt Scot. in 3. dist. 13. quæst. 4. Bonauentur. in 1. dist. 17. art. 2. Aureolum in 1. distinct. 17. 3. part. quæst. 1. art. 3. Henrr. quodl. 5. quæst. 22. Durand. in 1. distinct. 17. quæst. 9. Palud. in 3. dist. 13. quæst. 1. art. 2. & in eamdem partem inclinari Caietan. 2. part. ad quæst 7. art. 12. §. *sisse hoc in loco lector.* Longum esset testimonia adducere, quibus apertè constaret de horum Doctorum mente, vnum tantùm

1

assero

affero nullum illorum dixisse creaturas possibiles, quas Deus cognoscit posse produci productione simultanea, & etiam successiuâ, & quæ sunt obiectum omnipotentiæ esse finitas: legatur Fasolus suprà num. 13. & 14. vbi expressa horum Doctorum verba refert, quibus ipsi creaturas, quæ possunt à Deo produci infinitas esse testantur. Præter hos Doctores, quorum testimonia habes apud Fasolum, eamdem sententiam defendunt Sanctus Thomas 1. part. quæst. 14. art. 12. & tota illius Schola. Ex nostris P. Molina 1. p. quæstion. 14. artic. 12. P. Valent. tom. 1. disput. 1. quæstion. 14. Punct. 16. P. Vasquez 1. part. tom. 1. distinct. 63. cap. 2. P. Fasolus suprà, P. Hurt. disp. 13. sect. 1. P. Arriag. disp. 13. sect. 2.

2 Contra sententiam afferentem creaturas possibiles esse finitas adducitur auctoritas Concilij Constantiensis, vbi damnatur error Vvicleffi, quem ex illo didicit Ioannes Hus, his verbis relatus à Vvaldensi ex sectione 15. eiusdem Concilij: *Deus nihil potest annihilare ne mundum maiorare, vel minorare, sed animas vsque ad certum numerum creare, & non vltrà.* Sententiam relatam esse eamdem cum errore Vvicleffi probatur. Dicebat Vvicleffus Deum non posse vltra certum numerum creaturas producere, dicit hæc opinio, creaturas, quæ possunt à Deo produci, non excedere certum numerum: ergo dicit Deum non posse vltra illum numerum creaturarum aliquam producere: ergo incidit hæc opinio in errorem Vvicleffi, & Hussij, & Respondet Arriaga Concilium tantùm damnasse errorem hæreticorum asserentium Deum operari ex necessitate naturæ, & ita non potuisse plures paucioresve creaturas producere, his, quas de facto creauit, à quo errore longè abest Catholicorum sententia asserentium creaturas possibiles esse finitas, hi enim asserunt potuisse has quas de facto produxit non produxisse, & destruere illàs, quas semel produxit, & alias, quas in statu possibilitatis reliquit in lucem edere: ita censet Arriaga: errorem autem prædictum damnatum fuisse non secundum quamlibet truncatam illius propositionem, sed secundum omnes sui partes collectiuè sumptas, ratione aliquarum, quæ pessimam continebant doctrinam, & partem illam vltimam verborum, quibus error referrur, videlicet: *Deus non potest vltra determinatum numerum creaturas producere,* damnatam non fuisse, neque de hac propositione, sicuti neque de aliis Philosophicis Patres egisse. Addunt recentiores in fronte huius Concilij inueniri admonitionem ad lectorem, in qua notatur propositiones Ioannis Hussij ibi relatas desumptas esse ex facultate Theologiæ Colonienſi, & ob hanc rationem minusculis characteribus esse notatas. Insuper notat inter triginta propositiones, quas Concilium damnat in Hussio hanc non reperiri, neque in Bulla, qua Martinus Papa hoc Concilium confirmat, & hunc hæreticum iterum damnat, illiusque refert errores huius propositionis mentionem aliquam fieri, cuius tantùm meminit catalogus ille Colonienſis. Hoc nota pro opinione, quæ continuum ex indiuisibilis componit, quæ inter propositiones Hussij illo catalogo recensetur.

3 Secundò arguitur contra eamdem sententiam. Si entia possibilia sunt finita, demus fuisse sexcenta millia, positis his nulla erit repugnantia, si Deus creet aliud distinctum ab his: ergo nullus potest assignari numerus entium possibilium, vltrà quem non possit aliud produci: ergo non continentur aliquo finito, & determinato numero: ergo sunt infinita. Retorquet argumentum Arriaga contra illos qui dicunt creaturas possibiles esse infinitas, & arguit in hunc modum. Dato illo infinito creaturarum possibilium, cur non poterit alia produci? non quia aggregatum illud includat infinitas creaturas, quia potest dari vnum infinitum maius alio. Si respondeas in alio infinito esse creaturas omnes possibiles, inquirit Arriaga cur in illo infinito sint omnes possibiles, cùm non sit de ratione infiniti omnes includi in illo, & possit infinitum augeri, & in argumento non supponitur in illo infinito includi omnes creaturas possibiles? Non conuincor: Auctores, qui asserunt creaturas possibiles esse infinitas, dicunt vltrà quodlibet infinitum assignatum creaturarum possibilium posse Deum non solùm aliam creaturam, sed etiam aliud infinitum creaturarum producere. Quod si non assignetur infinitum aliquod creaturarum vtcumque, sed infinitum, quod totam illarum collectionem contineat, facilis erit ratio, cur extra illam collectionem non sit alia creatura possibilis, tota enim collectio creaturarum possibilium essentialiter dicit negationem alicuius creaturæ possibilis existentis extra collectionem, quia si extra illam collectionem aliqua esset creatura possibilis, illa collectio nó contineret omnes possibiles. Hi verò qui defendunt creaturas esse possibiles tenentur assignare numerum determinatum, quo posito nullâ alia factâ suppositione non possit creatura aliqua possibilis extra illum reperiri.

Melius forsan responderes si diceres te non teneri, etiã- 4
si defendas craturas possibiles esse finitas, rationem reddere, propter quam sint mille, & non octo supra mille, quia tu non asseris esse mille, & non plures, sed tantùm dicis creaturas possibiles habere aliquem terminum, quo claudantur, quem tu non agnoscis, neque potes assignare, quia non annumerasti creaturas possibiles. Huius conclusionis petetr reddi ratio petita ex impugnatione creaturarum possibilium infinitarum, ratio enim, quæ probat repugnare infinitas creaturas possibiles, probat omnes possibiles esse finitas, & habere aliquem terminum hunc, vel illum, cuius tantùm teneris rationem reddere, non verò cur potiùs detur hic, quam ille, cum tu non defendas hunc esse terminum, quo finiuntur creaturæ possibiles, & non alium distinctum ab isto. Instabis, si à nobis non assignetur terminus peculiaris, in re tamen singularis terminus datur, vltra quem non procedunt creaturæ possibiles: de illo ergo inquiritur cur ille sit, & non alius, quo creaturæ possibiles circunscribantur. Respondeo, te non posse reddere rationem conclusionis, quam omnino ignoras, ac proinde cum nescias, quis sit terminus creaturarum possibilium, mirum non est te ignorare, cur ille præ aliis sit illarum terminus. Sicuti si ego modo ignorarem quis rempublicam regeret, ineptè à me peteretur ratio, cur potius ille qui de facto guberbat præ aliis gubernet. Vnum tantùm tibi constare rectè dices secundum hanc sententiam videlicet creaturas esse finitas, cuius rationem reddes petitam ex repugnantia infinitarum possibilium. Adde repugnantiam illam, quam Deus cognoscet, si vera esset opinio, quæ creaturas possibiles veras esse affirmat, non petendam esse ex numero præcisè, neque ex eo quod ratione illarum, quæ existunt repugnaret alia creatura, qua numerus creaturarum augeretur. Quia præcisè ex simultate creaturarum tantùm repugnat illarum infinitas, & posset numerus ille quicumque esset, magis augeri, quin multitudo illius infinita euaderet: petenda ego est repugnantia aliùs creaturæ possibilis non ex simultate illius cum præexistentibus, sed ex sua natura, sicuti modò non petitur repugnantia hircocerui ex simultate cum aliis creaturis, sed ex sua natura. Itaque si creaturæ possibiles essent finitæ: verbi gratia, mille repugnaret vna supra mille, non quia non posset cum illis componi, seu quia simultas vnius supra mille diceret specialem repugnantiam, sed quia illa entitas secundùm se repugnaret. Ex eo autem quod repugnent infinitæ creaturæ ratione simultatis infertur esse certum illarum numerum, & repugnare augeri secundum vnam creaturam, non ratione simultatis, sed quia illa vna creatura in se repugnaret.

Tertiò obiicitur contra eandem sententiam Post diem 5
iudicij potest Deus mouere Cælum in infinitum: ergo sunt possibiles infiniti Cæli motus. Respondent nonnulli, motus Cælorum posse in infinitum procedere, nihilominus non esse infinitos, sed finitos, non termino aliquo determinato, sed indeterminato, & vago. Solutionem hanc latè impugnaui Puncto præcedenti, vbi probaui necessum esse entitates possibiles esse infinitas, vt existentes possint in infinitum augeri. Aliter respondet Arriaga, qui asserit posse auctores illius opinionis respondere Deũ non posse in infimitum Cælos mouere semper diuersis motibus, sed eorumdem repetitionibus. Eodem modo docet responderi posse ad argumentum, quod peti potest ex cogitationibus animarum futuris per totam æternitatem quæ repeti debent, ne animus ad aliquod tempus perueniat, in quo cogitationes omnes insumpserit, ita vt non possit aliquid vltra cogitare. Contra hanc solutionem sic argumentor. Vt animus per æternitatem duraturus *ſpet* totam æternitatem vt se possit cogitationibus exercere, illas debet repetere. Inquiro an animus possit infinitas repetitiones cogitationum finitarum conficere, vel finitas. Si finitas, perueniet ad statum, in quo, finitas illas repetitiones insumpserit, & iam vltra non possit, neque per repetitionem cogitationum, neque per nouas alias cogitationes intelligere. Si infinitas: ergo dantur infinitæ repetiones

cogitationum

cogitationum futuræ : ergo poterunt dari infinitæ aliæ entitates. Eadem enim est possibilitas, seu repugnantia infinitæ multitudinis in quacumque materia. Posset dici disparem esse rationem quia infinitudo cogitationum simpliciter est infinitudo, quia diceret infinitas vnitates distinctas, ex quibus multitudo infinita accrescit. Infinitudo autem repetitionum non esset simpliciter infinitudo, quia non diceret infinitas vnitates distinctas, quia repetitio cogitationum nihil dicet distinctum ab ipsa cogitatione cum qua identificatur, & sicut entitas repetita identificatur, sic repetitio identificata cum entitate, & vnitas repetitionis identificata cum eadem repetitioue, & eadem entitas eamdem habet identitatem, vnde id quod nos significamus hoc conceptu : *hæc entitas fuit ter repetita*, tantùm dicit vnam simplicem entitatem cum vna simplici vnitate, quæ per connotationem ad negationem sui semper immediatè præcedentem repetitio dicitur. Ex simplici autem vnitate non potest consurgere infinita multitudo, imò neque finitus numerus, qui essentialiter dicit multitudinem vnitatum, à quibus non distinguitur, tantùm enim supra illas potest dicere quid extrinsecum, & intentionale, actum videlicet numerantis. Dices per repetitiones cogitationũ multiplicari actiones, & durationes. Respondeo non multiplicari actiones, quia hæ non distinguuntur à cogitationibus vt ostendo Contr. 5. de anima punct. 1. Quod si distinguerentur propter eamdem rationem, propter quam repeterentur cogitationes essent etiam actiones repetendæ. Ad illud, quod dicitur de durationibus respondeo in mea sententia durationem non esse accidens reale superadditum rei duranti, & ita durationem repetendam esse secundùm totum id, quod diceret intrinsecum, tempus autem imaginarium extrinsecum non est quid reale, ac proinde de illo curandum non est, an sit quid finitum vel an sit quid infinitum.

6 Prædictam doctrinam non vulgarem esse existimo, nihilominus recedendum non est à communi sententia, quæ docet creaturas possibiles esse infinitas propter præcedens argumentum, quantumuis enim repetitio cogitationum dicat eamdem entitatem, & eamdem productionem, nihilominus si eadem cogitatio repetatur, potest Deus, & Angelus propriam cogitationem cognoscens dicere, hæc cogitatio nunc primò producitur, & postea dicere : hæc cogitatio nunc secundò producitur, & primò repetitur, & postea : hæc cogitatio ter fuit producta, & bis repetita : ergo illæ repetitiones poterunt annumerari : ergo constituent numerum, & si per totam æternitatem exhibeantur, multitudinem complent infinitam. Secundò incongruè, essent præuisæ cogitationes animo per æternitatem duraturo, si in eamdem cogitationum inopiam incideret, vt illi necessum sit ad cogitationes iam præteritas & exercitas recurrere vt possit per æternitatem de obiectis pro suo arbitrio cogitare, quod respectu Beatorum indecentiam quandam præ se fert.

7 Tandem communi sententiæ adhæreo, quia multis durum videtur Deum non posse infinitas creaturas producere & adeò exiguos terminos omnipotentiæ assignari, vt extra determinatum numerum creaturarum non possit aliam producere. Neque ignoro hoc argumentum Metaphysicè loquendo non multùm vrgere, quia omnipotentia Dei etiamsi omnes creaturæ repugnarent, intrinsecè eadem esset eademque potiretur infinitá perfectione, quia tunc non posse Deum infinitas creaturas producere prõueniret ex defectu possibilitatis creaturarum, non ex defectu omnipotentiæ, quod eodem modo contingeret in nostro casu, si Deus non posset infinitas creaturas producere quod tribuendum esset ipsis creaturaris repugnantibus, & nihil imperfectionis omnipotentiæ impingeret. Hæc ita se habent, nihilominus negari non potest dignius de Deo loqui, si dicamus ipsum posse infinitos effectus producere, & quibuscumque infinitis consideratis adhuc alios, & alios infinitos posse efficere, quam si illius omnipotentiæ exiguam quamdam materiam assignemus, vltrà quam non possit suam infinitam exercere virtutem. Demum quidquid sit de mente Concilij Constantiensis, & de auctoritate illius Catalogi, plerique viri docti censuræ notá inurunt sententiam asserentem Deum posse certum numerum creaturarum producere, quibus productis non valeat aliam efficere, quorum censura aliquando non sine magnâ opera forsan excuteretur. His moueor ad deferendam prædictam sententiam, etiamsi multis difficultatibus absolutus abirem si illam amplecterer, itaque ex dictis concludo neque ratione simultatis seu collectionis, neque ratione singularium creaturarum repugnare infinitas creaturas possibiles.

Obiicit Arriag. sect. 4. n. 45. Omnis multitudo finita potest successiuè percurri : ego si incipiamus annumerare creaturas omnes possibiles percurremus omnẽ multitudinem finitam illarum : ergo perueniemus ad numerum quemdam, vltrà quem non possimus procedere, cui si vna creatura addatur, iam multitudo illa erit infinita, finita enim esse non potest, cum multitudo, cui illa creatura superadditur includat omnes creaturas finitas : ergo erit finita, & non erit finita : non erit finita propter rationem iam traditam : erit finita quia vnitas addita finitæ multitudini non potest illam infinitam constituere, sed finitam multitudinem complet simplici vnitate excedentẽ priori, quam supponit. Respondent aliqui apud Arriag. posse attingi numerum quemdam finitum, cui Deus non possit simplicem addere vnitatem, neque finitas aliquas, sed teneatur infinitas illi adiungere, si vellet multitudinem numeri augeri. Hæc solutio probabilitate caret, quia vt benè Arriag. in numero illo, demus esse hominum, esset numerus oculorum duplo maior : neque est quod liget manus Deo ad producendum vnum hominem ex infinitis possibilibus suprà quamcumque multitudinem productam. Sed demus Deũ non posse aliquem hominẽ producere supra numerum illum. Deus cognoscit numerum illum, quem adueharij maximum appellant, cur non poterit mente illi adiungere vnum hominem ex infinitis aliis, quos possibiles agnoscit? Certè id non tantùm Deus, verum etiam quilibet Angelus præstare potest, & eadem redit difficultas de numero maximo, quem confingit solutio, & de vnitate mente addita, sequitur enim multitudinem ex vnitate & numero mente cognitis resultare multitudinem finitam & infinitam. 8

Ait Arriaga ibid. n. 46. hoc argumentum apud neminem vidisse, & ingenuè fatetur nullam illi solutionem occurrere, ac proinde malè apertè dicere, solutionem non occurrere, quam aliquam exhibere, quam neque ipse, neque alius intelligere possit. Conabor ego solutionem adhibere, quam omnes facilè valeant percipere. Respondeo distinguendo illud primum antecedens : omnis multitudo finita, potest successiuè percurri : quælibet multitudo finita hìc & nunc assignata determinatè sumpta potest percurri, concedo antecedens : multitudo vaga quæ potest infinitum assignari potest percurri, ita vt non maneat multitudo alia maior finita percurrenda, nego antecedens. Est enim de ratione infiniti, vt semper sit vltra accipiendum, ita vt quod accipiatur sit semper finitum, & quod acceptibile restat infinitum sit. Neque in numero finito datur aliquis numerus determinatus, intra quem contineatur tota finita multitudo, sed assignata qualibet multitudine finita potest assignari maior alia, & rursus alia maior, & sic in infinitum. Itaque neque Deus potest percurrere omnes finitos homines contentos in multitudine finita, ita vt multitudini alicui finitæ non posset alium hominem addere, quo multitudo illa accrescat, & finita maneat, quia cum numerus finitus non habeat terminum determinatum, sed tantùm vagum, nullum habet vltimum, & ita Deus non potest terminum vltimum assignare, quia talis terminus non est. 9

Dices non dari multitudinem vagam in rerum natura, quam videtur solutio supponere. Respondeo omnem multitudinem finitam clausam in multitudine infinita, & ipsam infinitam multitudinem esse certam, & determinatam. Dicitur autem vagus terminus requisitus ad constituendam multitudinem finitam, vt sic in abstracto, sicut dicitur vagus equus requisitus ad equitandum, licet hìc, & nunc equitatio necessariò facienda sit equo determinato.

Obiicit rursus Arriag. Cognoscat Deus pyramidem infinitam saltem possibilẽ, tunc cognosceret primam lineam post punctum, in quo conuenirent ambæ costæ tantùm constare duobus punctis, secundam tribus, &c. Deinde cognosceret omnes lineas, quæ essent in pyramide illa, & cognosceret, quæ essent finitæ, quæ infinitæ. Deinde necessariò cognosceret inter finitas omnium maximam, quia aliqua illarum necessariò esset maxima, cum nulla esset alteri æqualis. Rursus inquiritur : an linea illa, quæ succedit post maximam sit finita, vel infinita : non est finita, quia est maior maxima finitarum : non infinita, quia tantùm excedit 10

lineam

lineam præcedentem finitam quantitate finita: ergo neque esset finita, neque infinita. Rursus esset finita, quia excederet tantùm quantitate finita præcedentem lineam finitam: esset infinita, quia excederet maximam finitarum: ergo implicat linea illa, in qua tot contradictiones includuntur. Respondeo facilè: possibilem non esse pyramidem infinitam, neque adhuc diuina mente concipi posse, quia de ratione infiniti est non habere terminum, neque figuram, & de ratione essentiali constitutiua pyramidis est habere figuram, & terminum.

12 Occurrit Arriag. & idem argumentum conficit in multitudine infinita Angelorum, quam Deus potest in instanti percurrere annumerando duos, tres, quatuor, &c. quousque perueniat ad multitudinem infinitam, transactis iam multitudinibus finitis, de illa ergo multitudine immediatâ multitudini maximæ omnium finitarum inquiritur an sit finita, vel infinita? non finita, quia est maior maxima finitarum, non infinita, quia excedit tantùm vnitate finita multitudinem finitam: finita propter hanc rationem: infinita propter præcedentem: ergo incidimus in manifestas implicationes, si concedimus multitudinem infinitam adhuc rerum possibilium. Hoc argumentum est difficillimum omnium, quæ contra naturam infiniti fieri possunt, tamen difficultati cedendum non est. Respondeo, multitudinem infinitam Angelorum possibilium intuitiuè cognosci à Deo vt est in se infinita, & eodem modo cognoscere vnitates singulas contentas in tali multitudine infinita, similiter infinitos numeros, seu infinitas multitudines finitas contentas in multitudine illa infinita. Insuper concedo posse Deum in infinitum annumerare finitos numeros inuicem se excedentes; nego tamen posse cum hac proportione infinitos percurrere numeros, & posse cum eadem proportione multitudinum se inuicem secundum vnitatem simplicem excedentium totam multitudinem infinitam percurrere, quia omnes illæ multitudines cum hac proportione se inuicem excedentes licet in infinitum possint augeri, tamen sunt finitæ, ac proinde vltra illa extant aliæ infinitæ vnitates in illa multitudine infinita. Ad argumentum in forma adductum respondendum est negando illud antecedens: Deus potest producere totum infinitum annumerando duo, tria, quatuor, &c. ita vt accedat ad aliquam multitudinem finitam infinitæ immediatam, quia Deus non potest reperire in multitudine infinita multitudinem finitam, quæ in illa non est, & cum non sit in multitudine infinita aliqua multitudo finita immediata infinitæ multitudini, ita vt inter ipsam, & multitudinem infinitam non sit alia maior multitudo finita, mirum non est Deum non posse illam reperire: semper tamen concedendum est Deum posse in infinitum multitudines finitas inuicem se excedentes annumerare, quia excessus inter entitates finitas, in infinitum potest augeri, numquam tamen potest esse infinitus.

Punctum IV.

An repugnet infinitum corporeum.

POtest inquiri an repugnet aliquod corpus infinitè extensum, & an repugnent infinita corpora extensa, quorum quodlibet finitam habeat extensionem, quæ vix inter se differunt, & ita vtrumque simul definiam.

§. I.

Propria sententia.

1 SEntio repugnare corpus infinitum infinitè extensum absque vlla penetratione, & similiter infinita corpora non penetrata. Fauent huic conclusioni, quotquot affirmant absolutè repugnare infinitum corpus, & corpora infinita simul existentia. Hi sunt D. Thom. 1. part. quæst. 7. art. 3. & 4. Vasquez ibid. disp. 26. n. 1. Conimbr. lib. 3 cap. 8. q. 2. art. 1. Pereira lib. 10. Physic. c. 11. Rub. 3. Physic. tract. 2. q. 3. n. 85. Albert. de prædicam. quantitatis disp. 4. quæst. 4. qui omnes absolutè asserunt repugnare corpus infinitum & multitudinem infinitam corporum. Ex his, qui infinitum actu existens non repugnare defendunt, nostræ conclusioni partim fauet Fasolus 1. p. quæst. 7. art. 3. & 4 dub. 8. n. 4. vbi asserit non posse dari infinita corpora non penetrata, licet concedat ibid. num. 3. posse dari vnum corpus infinitum absque vlla penetratione, quæ ego non annecto, quia in illo corpore infinito infinitè extenso, quod concedit Fasol. posset Deus infinitas diuisiones efficere, quibus factis membra diuisa idem possent occupare spatium ac antea: ergo si corpus infinitum potest occupare infinitum spatium absque vlla penetratione, poterunt infinita corpora, in quæ diuidi potest existere absque vlla penetratione, negatio enim vnionis, seu diuisio non exigeret penetrationē, sine qua eadem corpora vnita poterant existere.

Vulgare est argumentum ad probandum repugnare corpus infinitum desumptum à duabus lineis in modum pyra- 2
midis ductis ab aliquo puncto profunditatis ad circumferentiam, quæ quo magis distarent à centro magis inter se distarent sed distant infinitè à centro; ergo inter se infinitè distant: ergo illarum intercapedo esset infinita vt probat agumentum, & alias esset finita, quia clauderetur duobus terminis: ergo esset finita, & infinita. Non fido huic rationi, nam dicebam puncto præcedenti non posse dari adhuc possibilem pyramidem infinitam & consequenter dicendum est non posse duci ab vno puncto duas lineas infinitas semper ductas per modum pyramidis, licet possint à puncto quolibet ad aliud in illo corpore assignatum in illam figuram duci, & in infinitum duci, hoc est longius, & longius illam figuram retinere, non tamen infinitè distare à centro sub illa figura, ita vt aliquod punctum lineæ pertinens ad pyramidum figuram possit à centro distare infinitè, hoc est infinita intercapedine interiecta.

Aliter conclusionem probo: Si daretur corpus infini- 3
tum infinitè extensum, posset Deus corrumpere aliquam illius partem. Verbi gratia viginti vlnarum, qua parte corrupta partes contiguæ parti corruptæ manerent diuisæ ab aliis. Demus ergo Deum illas partes diuisas, & distantes vnire, & localiter approximare: tunc vt partes illæ approximarentur, deberet totum corpus mouere: ergo relinqueret aliquod spatium, quod antea occupabat: ergo aliquod spatium antea occupatum illo corpore infinito iam non illo occuparetur: ergo posset assignari illud spatium, & dici corpus non pertingit hoc spatium, quod antea tangebat: ergo poterit assignari terminus talis corporis, spatium enim relictum esset terminus extrinsecus talis corporis, & spatium non relictum immediatum spatio relicto, seu pars occupans tale spatium esset terminus intrinsecus illius: ergo tale corpus esset infinitum vt supponitur, & esset finitum vt probat obiectio: ergo esset finitum & infinitum. Respondet Hurtad. Deum non posse vnire partes diuisas nisi per rarefactionem aliarum præcedentium, vel per nouam productionem partium supplentium spatium, quod occupabant partes corruptæ. Hoc tamen gratis & absque fundamento dicitur: imò contra rationem, quia quælibet pars corporis infiniti potest moueri, ergo totum corpus. Secundò demus Deum creasse à principio illud infinitum absque illis partibus, quas supponimus fuisse creatas, atque corruptas: certe tale infinitum non occuparet sine illis partibus idem spatium adæquatum, quod cum illis occuparet: ergo daretur aliqua pars spatij non occupata infinito producto sine illis partibus, quæ occuparentur, si cum illis produceretur: ergo talis pars spatij esset vltimus terminus corporis infiniti: ergo tale corpus esset finitum, & infinitum. Idem sit argumentum de quocumque infinito: quod si cum illis vlnis quantitatis super illas, quas habere supponitur, viginti vlnas spatij occupabit, quas modo non occupat, quæ partes spatij occupandi si producerentur illæ vlnæ, quæ modò non sunt productæ, essent vltimus terminus spatij quod modò corpus illud occuparet: ergo illud spatium esset finitum, & infinitum: finitum, quia haberet terminum; infinitum, quia occuparetur corpore infinito non penetrato.

Respondet Arriaga non esse inconueniens infinitum 4
claudi duabus vnitatibus vltra quas non progrediatur, dummodo partes contentæ intra illas duas vnitates, vel duo puncta sint impertransibiles. In hoc sensu asserit Arriaga infinitum posse habere vltimum, quam doctrinam prius docuerat Hurtadus. Eamdem amplexati sunt plures recentiores asserentes illa duo puncta vltima non esse propriè terminos, sed impropriè, quia terminus connotat rem terminatam pertransibilem, quæ si impenetrabilis sit etiamsi vltimum habeat, non dicitur propriè terminos habere. Ego sanè numquam percipere valeo infinitum

habens

habens partem vltimam, neque hanc à propriissimo termino distinguo, quam non posse distingui sic probo. De ratione infiniti non est, vt absolutè non possit pertransiri, quia æternitas, quæ fuit à parte antea fuit infinita & pertransiit, & dicimus Deum hucusque per æternitatem duraſſe: ergo de ratione infiniti est non posse ita pertransiri, vt perueniatur ab aliquo primo ad aliquod vltimum, ex ea parte, qua infinitum est: rem explico: Æternitas, quæ hucusque præcessit fuit infinita, in qua non potest aliquod instans reperiri, quod sit primum: quod si reperiretur quæcumque mensura præteriisset infinita non diceretur, quidquid enim confingas inter certos, & determinatos dies, est tempus finitum, & non æternitas, alias dicam ego spatium viginti annorum esse infinitum, quia licet habeat primum & vltimum hoc non est contra rationem infiniti, neque quod id, quod est inter primum & vltimum iam pertransierit, erit contra eamdem rationem, quia etiam tota æternitas, quæ fuit à parte antea pertransiit. Dices in tota æternitate pertransisse infinitas partes, & in spatio viginti annorum tantum finitas præteriisse. Contrà: assentirem ego in spatio viginti annorum infinitas partes præteriisse, & ex nullo capite in tua sententia conuinci potero esse finitas, cùm asseras inter primum & vltimum posse dari infinitum. Neque tu probare poteris ex alio capite partes præteritas in æternitate esse infinitas, nisi quia nulla est illarum prima: ergo tota ratio infinitatis desumenda est ex negatione primi, & vltimi, neque aliter docti & indocti infinitum concipiunt, nisi carens fine, & absque vlla parte extrema, seu prima vel vltima versùs illam partem, qua est infinitè protractum.

5 Simili ratione probatur non posse Deum creare infinitam multitudinem corporum absque vlla penetratione. Sic illam expendo: Nulla potest assignari multitudo infinita corporum, quæ occupet totum spatium, quod potest occupari: ergo quælibet relinquit aliquod spatium, quod non occupet: ergo spatium ab illa occupatũ circumdatur spatio illo, quod non occupat illa multitudo: ergo habet terminum: ergo est finitum: ergo multitudo illa corporum est finita, quia quidquid finitum spatium occupat necessariò est finitum. Antecedens probo: Demus multitudinem esse lapidum habentium extensionem vnius palmi: potuit Deus eosdem lapides producere cum extensione duorum palmorum, sed si haberent extensionem duorum palmorum occuparent plus spatij, quàm occupant cum extensione vnius palmi: ergo cum hac extensione non occupant totum spatium, quod cum illa occuparent: ergo non occupant totum spatium, quod potest occupari: ergo spatium illud, quod non occupant terminus erit spatij his corporibus occupati: ergo hoc spatium occupatum erit finitum. Simile argumentum fit si Deus crearet infinitos montes, & in quolibet illorum crearet formicam, & postea destructis montibus relinqueret formicas, formicæ illæ immediatè applicatæ vel occuparent totum spatium, quod ipsis formicis & montibus occupabatur, vel non totum, sed totidem spatij, quod antea occupabant. Si non totum, ergo spatium occupatum terminaretur spatio non occupato: ergo esset finitum: ergo formicæ non essent infinitæ: ergo si velis defendere esse infinitas, cogeris asserere esse finitas & infinitas: Si dicas occupare formicas solas totum illud spatium, quod ipsæ & montes occupabant, & singulos vngues infinitorum hominũ, occupare totum spatium, quod occuparent infiniti homines, quorum erant vngues, quod dicit Maior in 1. dist. 4. q. 3. in 3. quem nonnulli sequuntur, rem dicis mirabiliorem, difficiliorémq; intellectui hircoceruis, & hippocentauris, in quibus nullus repugnantiam adeò manifestam inueniet, sicuti in tuo asserto reperitur. Mille modis eadem ratio expendi potest. Creet Deus infinitos montes, & in quolibet illorum infinitas formicas, vniat ex vna parte quantitatẽ formicarum, ex alia quantitatẽ montium: penetrentur hæ quantitates: quãtitas formicarum, quæ infinita erit commensurabitur adæquatè cum quantitate montiũ, itavt nulla sit pars montium cui quantitatis formicarum pars non respõdeat? Si negatiuè respondeas: ergo pars illa quantitatis montiũ, cui non correspondeat pars quãtitatis formicarum erit terminus, cui non se extendet formicarum quantitas. Si affirmes quantitates has adæquatè commensurari, mirã animi magnitudinem ostendes, minoribus difficultatibus semper meus cedet. Singulæ formicæ singulis montibus penetratæ dum erant diuisæ vix minutulam partem montium occupabãt, & postea sine additione nouæ quantitatis, eo præcisè, quod vniantur, vel quod contiguæ sint (non enim obiectio vnionem exposcit, quæ eodem modo procedet de his corporibus contiguis) ita turgescent vt totos repleant montes absque noua quantitate, aut rarefactione?

Vltimò dico non repugnare infinitam multitudinem corporum penetratorum, neque corpus infinitum, cuius 6
partes ita sint penetratæ, vt finitum tantùm occupent locum. Conclusio hæc probanda est ex solutione impugnationum, quas adducunt auctores oppositæ sententiæ, quarum plures procedunt contra multitudinem infinitam etiam rerum spiritualium, aliæ verò specialiter contra corpus infinitum, & multitudinem infinitam corporum. De his §. seq. dicam vbi præcipua argumenta, quæ contra doctrinam traditam adduci solent referam, & soluam, aliis plurimis omissis, si enim omnia argumenta quæ contra infinitum auctores sunt meditati, referenda essent, infinitum hoc opus euaderet. Legatur P. Fasolus suprà, qui per otium rem hanc acutè, doctè, & eruditè tractat.

§. II.

Argumenta soluta.

EX S. Thoma q. 7. art. 3. hæc argumenta fieri solent: Om- 7
ne corpus superficiem habet, sed infinitum non potest habere superficiem: ergo non potest dari corpus infinitum. Respondet Richard. in 1. dist. 43. art. 3. q. 5. §. 3. *Non oportet vt in corpore ex hoc, quod corpus est, sit superficies, quia non oportet quod sit superficies, nisi ex hoc quod sit finitum: finito enim accidentale est & comitans, & ideo ad imaginandum corpus non est necesse, imaginari corpus finitum.* Hæc Richardus.

Ego semper auctoritatem D. Thom. ex corde venerans 8
respondeo corpus infinitum ad spatium finitum redactum vltimam posse habere superficiem in ordine ad locum, licet illam non possit habere corpus infinitum non penetratum, ideo concedo posse dari corpus infinitum penetratum, quod figuram habebit non infinitam absque vlla interpretatione, quod illa carebit. Eodem modo respondeo ad alia argumenta, videlicet esse de ratione corporis posse moueri & habere figuram, quæ non possunt conuenire corpori infinito, ex quo inferri intenditur implicare corpus infinitum, quidquid enim sit de veritate maioris, & de bonitate illationis, corpori infinito ad finitum spatium redacto motus, & figura competere possunt.

Specialius contra nostram sententiam arguit Albertinus: 10
repugnat quantitas infinitè extensa: ergo repugnat infinita quantitas. Probo consequentiam: Infinita quantitas exigit infinitam extensionem, sed implicante infinita extensione implicat exigentia ad illam: ergo implicat quantitas, cui hæc exigentia intrinseca est. Dicam in Metaphys. Controuers. 10. Punct. 2. posse dari relationem transcendentalem & virtutem productiuam realem, etiamsi illius terminus implicet, & eadem ratione possem concedere posse dari exigentiam infinitæ extensionis, etiamsi extensio infinita implicet. Volo tamen iuxta communiora principia argumentum dissoluere, essentia quantitatis non consistit primariò in exigentia extensionis, sed in exigentia impenetrationis, quæ conuenit toti quantitati ratione partium, quibus constat ex eo præcisè, quod quælibet illarum petit esse extra omnes, seu propriùs loquendo petit non penetrari cum alia à se distincta, ex quo fit positis quatuor partibus quantitatis, nullam esse intra aliam, & consequentèr esse extra tres alias existentes, quod est per accidens respectu huius partis, quia cum hæc petat existentiarum aliarum trium non petit esse positiuè extra tres illas, sed tantùm non esse intra illas, quæ exigentia eadem est, siue existant tres partes siue mille, siue infinitæ, quia hæc pars tantùm petit non esse intra aliam. Ex hoc infero, quod sicuti possibilis est terminus exigentiæ huius partis, quãdo existunt tantum finitæ compartes, sic possibilis est quando infinitæ partes eidem coëxistunt cum semper sit idem. Ex hoc infero, data quantitate infinita possibilem esse exigentiam quam habet quælibet pars illius, quod sufficit vt possit dari exigentia in quacumque parte quantitatis, & consequenter vt possit existere tota exigentia, quam habet quantitas, quia hæc non est distincta ab illa, quam habent partes, & sicuti respectu huius vlnæ quantitatis per accidens se habent aliæ vlnæ mediatè tantùm illi vnitæ, sic respectu exigentiæ, quam habet hæc vlna quantitatis per accidens se habet exigentia, quam habent aliæ

vlnæ

mediatè, & ita, etsi repugnet coëxistentia terminorum, quos respiciunt exigentiæ diuersarum vlnarum, cum non repugnet per se terminus huius, vel illius exigentiæ, neque repugnat hæc aut illa exigentia, neque vtriusque coëxistentia, quæ per accidens se habet respectu vlnarum habentium exigentias, & respectu exigentiarum. Ad argumentum in forma propositiones has distingue. Quantitas exigit extensionem immediatè, nego; exigit impenetrationem immediatè, & mediatè extensionem, subdistinguo: indiuisibiliter ratione totius quantitatis, nego, non enim petit tota quantitas esse exrra se ipsam: ratione singularium partium, concedo. Propositionem aliam videlicet infinita quantitas petit infinitam extensionem hac ratione distingue: infinita quantitas petit infinitam extensionem immediatè ratione sui, nego. Iam enim dixi corpus non exigere vnam partem esse extra aliam ratione totius, sed ratione partium, quarum vna petit esse extra aliam: ratione partium subdistinguo, ita vt aliqua illarum petat extensionem infinitam, nego, ita vt quælibet petat extensionem finitam, & per accidens, ex coëxistentia infinitarum partium, exigatur infinita extensio, concedo: ergo repugnante infinita extensione repugnat terminus, quem exigit infinita quãtitas indiuisibiliter ratione totius, nego suppositum, quem exigit quantitas ratione partium, subdistinguo; quem exigit aliqua pars illarum vel quem per se exigunt omnes, nego consequentiam, quem per accidens exigunt ex coëxistentia infinitarum partium, concedo consequentiam: ergo repugnante infinita extensione, repugnat infinita quantitas, nego consequentiam.

Aliter alij obiiciunt: Multitudo illa corporum, quam nos dicimus posse creari à Deo, & esse infinitam, si poneretur in spatio absque illa penetratione occuparet spatium finitum: ergo quando est penetrata est finita, corpora enim quæ sine penetratione finitum spatium occuparent necessariò sunt finita. Respondeo corpora illa infinita, quæ nos dicimus posse coëxistere penetrata absque vlla penetratione posita, occupatura spatium infinitum ex eo, quod infinita sint, & spatium finitum vt intendit obiectio, quæ contradictio vt bene notat P. Fasolus non infertur ex eo quod dentur infinita corpora, sed ex eo quod dentur absque vlla penetratione. Alia argumenta, quæ non specialiter pugnant contra multitudinem infinitam corporum, sed contra omnem multitudinem etiam rerum spiritualium soluam Puncto sequenti.

Punctum V.

An repugnet multitudo infinita rerum spiritualium & infinita intensio.

1 Sit Conclusio. Non repugnat infinita multitudo Angelorum, neque infinita qualitatis intensio. Ita P. Fasolus 1. p. art. 3. & 4. Hurtadus disput. 13. sect. 2. Arriaga distinct. 13. sect. 4. & alij plures apud P. Fasolum, vnica conclusionis ratio esto: non posse assignari aliquam repugnantiam his infinitis, hanc probat solutio argumentorum, quibus intendi ostenditur repugnantia.

2 Obiic. primò. Dentur infiniti Angeli, quorum singuli singulos habeant gradus gratiæ: si Deus vellet ex eisdem gradibus gratiæ dare cuicumque Angelo duplicem gradum gratiæ, nullo facto additamento graduum, vel posset dare omnibus Angelos binos gradus gratiæ, vel non. Si dicas posse, manifestam dices implicationem, quia tot erant gradus gratiæ, quot Angeli, & non plures: ergo iidem gradus modo inter eosdem Angelis ita distribuendi sunt, vt quilibet Angelus duos sortiatur gradus. Sanè si fieret vt in solutione traditur, nulla illustrior chimæra mente poterit fingi, quàm re conceditur. Si non potest Deus omnibus Angelis duos gradus gratiæ dare: ergo illi gradus finiuntur: ergo non sunt infiniti. Respondeo Deum non posse dare singulis Angelis duplicem gradum gratiæ, sed tot sine aliquo esse futuros, quot essent qui duplicem gradum sortirentur, & hos futuros esse infinitos, sicut illos, nego tamen hinc inferri gradus gratiæ non esse infinitos, quia non est contra rationem infiniti totum insumi, & finiri, si ex illo sumantur simul infinitæ partes, sed tantùm est contra illius rationem finiri, si successiuè ex illo sumantur in quolibet instanti partes finitæ incipiendo ab hac parte temporis. Si enim Deus ab æterno Angelos creasset vsque ad hoc instans in singulis horis creationes infinitæ pertransissent, quod si hos omnes Angelos infinitos in hoc cubiculo constituisset, etsi infiniti essent, Angelos non haberet vt in duplici cubiculo Angelos constitueret. Ita si Deus resumeret singulos gradus gratiæ, quos infiniti Angeli haberent, & ab hoc instanti inciperet conferre duplicem gradum gratiæ huic Angelo in hoc instanti, & duplicem alium gradum alij Angelo in instanti sequenti, & sic in reliquis, numquam insumerentur illi gradus gratiæ, ita vt ad vltimum binarium perueniretur. Si tamen illos vellet Deus in instanti per binarios simul distribuere singulis Angelis, gradus non haberet in illa multitudine, vt omnes possent duplicem gradum distinctum sortiri.

Instabis: In illa collectione graduum essent infinitæ vnitates: ergo essent infiniti binarij, quia ex finitis binariis fieri non possunt infinitæ vnitates: nulla enim vnitatum finita multitudo bis repetita potest infinitam multitudinem constituere: ergo possent infiniti binarij inter infinitos Angelos distribui, ita, vt quilibet Angelus binos gradus reportaret. Rursus si Deus ex illis binariis singulas vnitates corrumperet, manerent iterum infinitæ vnitates: ergo manerent similiter infiniti binarij, ex quibus eadem multitudo Angelorum posset ita gradibus binis gratiæ donari, vt quilibet Angelus duobus potiretur gradibus, & sic in infinitum possent infiniti binarij fieri, ex quibus singulæ vnitates corrumperentur, & iterum ex relictis vnitatibus alij binarij fierent, & sic in infinitum procedi potest, quod quidem eximium videtur infiniti sacramentum non fidem, sed fictionem exuperans. Mysterium facilè aperiam. Ex illis gradibus infiniti fierent binarij, quos infiniti Angeli ferre possent singuli singulos gratiæ binarios, non tamen omnes Angeli, qui antea simplici gradu gratiæ gaudebant binos gradus gratiæ consequentur, aliud enim est infinitos Angelos infinitis binariis donari: aliud omnes Angelos, qui vnum gradum habuerant, modò duplicem obtinere. Primum est verum: hoc secundum est falsum, multitudo enim Angelorum, qui habuerunt simplicem gratiæ gradum esset duplo maior multitudine illorum, qui modò duplicem habet, etsi vtraq; sit multitudo infinita, quia dari potest vnum infinitum maius alio. Ex hac doctrina facilè soluuntur reliqua quæ supra obiiciebantur: dico enim in quacumque multitudine infinita esse infinitos binarios, quorum si singulæ vnitates corrumpantur remanebunt infinitæ vnitates, ex quibus fieri poterit alia multitudo binariorum, quæ si iterum per binarios distribuerentur inter Angelos qui ex multitudine præcedenti corruptionem singularem vnitatum binos gradus habuerant, tunc sufficeret, vt dimidia pars illorum binos gradus reportaret, quæ pars dimidia includeret infinitam multitudinem Angelorum vix repetendam, ne superaretur multitudine præcedenti vnitatum corruptionem. 3

Obiic. secundò. Infinitum categorematicum includit in actu totum illud, quod syncategorematicum includit in potentia: sed non potest dari in actu totum illud, quod infinitum syncategorematicum includit in potentia: ergo non potest dari infinitum categorematicum. Maior probatur, quia infinitum categorematicum, & syncategorematicum ex eo distinguuntur quod categorematicum dicit actu existens, quod syncategorematicum dicit in potentia. Minorem probo: Producta quacumque multitudine potest rursus produci aliud indiuiduum eiusdem rationis: ergo illa multitudo producta non includit totum, quod includit infinitum syncategorematicum, in quo includebatur indiuiduum illud, quod remanet producibile, & hac multitudine producta nondum productum est. Respondeo infinitum categorematicum includere finitam multitudinem, quam syncategorematicum includebat, quia syncategorematicum non solùm dicit quamcumque multitudinem infinitam possibilium, sed totam illorum collectionem & infinitas multitudines infinitas, & non solùm omnes infinitas multitudines, sed omnia indiuidua possibilium. Categorematicum autem etsi dicat infinita indiuidua existentia, non tamen dicit existentia omnia existibilia, vnde non solùm distinguuntur infinitum categorematicum, & syncategorematicum, ex eo, quod categorematicum dicat entitates existentes, & syncategorematicum possibiles, sed ex eo quod categorematicum tantùm dicit multitudinem infinitam, extra quam aliæ possunt superesse, syncategorematicum autem dicit totam collec- 4

ctionem possibilium, extra quam neque singularis vnitas existit.

5 Obiic. tertiò. Si qualitas posset esse infinitè intensa, posset esse visio Dei infinitè intensa: ergo posset dari visio comprehensiua Dei. Concedo antedens, & nego consequentiam, non enim ex eo, quòd visio esset infinita esset comprehensiua, quod constabit ex dicendis Controu. 5. de anima, Punct. 5. vbi naturam comprehensionis explico.

6 Obiic. quartò. Si daretur grauitas infinitè intensa motus localis esset infinitè velox: ergo esset in instanti: Antecedens probatur: quo intensior est grauitas, velocior est motus: ergo si grauitas est infinitè intensa motus erit infinitè velox. Respondeo negando primum antecedens, & distinguendo secundum, quod in confirmationem primi adducitur. Quo intensior est grauitas velocior est motus intra certam latitudinem, vltra quam non potest motus velocitas crescere, concedo: absolutè, nego. Deinde nego consequentiam. Ratio distinctionis adductæ est, quia in mea sententia motus, quo indiuisibile mobilis per quatuor indiuisibilia temporis quatuor indiuisibilia spatij percurrit est summè velox, & de potentia Dei absoluta non potest dari velocior alius, nisi fiat sine transitu per medium, vel præsentiam repetitam eiusdem mobilis in duplici loco in eodem tempore, quod cùm non possit præstare grauitas, non potest quantumuis intensa sit motum velociorem producere. Vnde cùm ad illum velocitatis gradum peruenerit motus, vt absque vlla morula fiat, quantumuis accrescat grauitas non accrescet illius velocitas, quæ iam tetigit summum gradum, quem habere potest.

7 Obiic. quintò ex P. Valentia 1. part. quæst. 7. art. 3. punct. 3. §. *mihi verò*. Omnis multitudo eo ipso quod existat, habet vltimum: ergo non est infinita, est enim de conceptu infiniti vltimum non habere. Antecedens probatur: Vltimum est illud vltra quod simul cum reliquis omnibus non est aliud, sed in omni multitudine existente præter vnam aliquam eius partem simul cum reliquis omnibus collectiuè sumptis non est alia pars eiusdem magnitudinis: ergo illa est vltima. Rectè notauit Pater Fasolus secundùm hanc vltimi definitionem mensem Ianuarium vel Aprilem posse dici vltimum mensem anni, quia præter Aprilem simul cum reliquis mensibus non est alius mensis eiusdem anni. Respondendum est, negando primum antecedens, & secundum, in quo adducitur definitio vltimi. Vltimum enim est, *quod existens post omnes alias compartes illud præcedentes, non habet aliam posteriorem se.* Et cùm possit dari multitudo, in qua nulla sit pars, quam reliquæ omnes præcedant, potest dari multitudo, quæ non habeat partem vltimam.

8 Obiic. sextò. Si posset dari infinita gratia habitualis, posset homo constitui in statu, in quo non posset, vltra mereri, consequens est falsum. Respondeo negando antecedens, quia postquam homo haberet finitam gratiam, posset hæc augeri per nouos gratiæ gradus: quod si fieri non posset, non esset ex defectu valoris meritorum, sed ex impossibilitate augmenti. Adde, quod si ex hoc capite repugnaret gratia infinita, non ideo repugnaret infinitus calor, quia hæc repugnantia etiamsi in gratia reperiretur, in calore reperiri non posset.

9 Obiic. septimò ex Albertino. Si darentur infiniti Angeli, hi omnes distinguendi essent in specie, sed omnes species inæquales in perfectione sunt: ergo daretur species infinitè perfecta. Hæc obiectio impugnat infinitas species, non solùm existentes, sed etiam possibiles, cui ex professo faciam satis Punct. 7. vbi probabo ex hoc excessu specierum infinitarum non sequi illarum aliquam esse infinitam. Eodem argumento vtuntur aliqui ad probandum repugnare infinitam intensionem, si gradus qualitatis sunt infiniti intensi, & vnus perfectior alio, quod hîc non expendo, quia idem est de his gradibus, ac de speciebus distinctis. Reclamant illius Patroni asserentes hic specialem habere difficultatem, quæ non est in speciebus, quia ipsi non inferunt aliquem gradum intensum habere infinitam perfectionem, sed toti intensioni infinitam perfectionem inesse, quia tota graduum perfectio ineſt vni qualitati intensæ, & tota infinitarum specierum perfectio non ineſt alicui composito ex illis speciebus. Si semel concedatur gradus singulos finitam perfectionem habere, eadem est ipsissima ratio, siue gradus sint æquales, & non subordinati, siue subordinati, & se inuicem excedentes. Eadem enim ratio, seu repugnantia est vt ex infinitis entitatibus æqualibus, quarumque quælibet finitam habet perfectionem, resultet vna perfectio simpliciter infinita, ac vt resultet ex finitis entitatibus inæqualibus, quarum quælibet habet finitam perfectionem. Ad illud quod dicitur de intensione quæ includit perfectionem omnium graduum, Respondeo, non dari in intensione aliquâ perfectionem, quæ immediatè afficiat indiuisibiliter totam intensionem, ac proinde etiamsi intensio includat totam perfectionem graduum, illam includit dispersam per infinitos gradus & semper intra genus perfectionis creatæ, & secundùm quid cum dependentia à principio effectiuo, quæ opponitur cum ratione infiniti simpliciter, & per essentiam, quod dicit essentialiter independentiam ab omni causa.

10 Obiiciunt octauò docti & peracuti recentiores omnibus præcedentibus longè difficilius argumẽtum. Designet Deus Angelos mente sua omnibus diebus, quos per æternitatem cognoscit successiuè esse futuros, ita vt cuilibet diei singularis Angelus correspondeat, hi Angeli erunt infiniti, quia tot erunt, quot sunt dies imaginarij per æternitatem futuri, & quot essent dies reales, si cælum per æternitatem esset perpetuò mouendum; aliàs erunt finiti: ergo finiti, & infiniti: ergo implicat illa Angelorum multitudo. Illos Angelos futuros, esse finitos sic probo. Si Deus ex hoc instanti in qualibet hora vnum Angelum ex illis produceret, nulla hora relicta in qua non produceret Angelum, non posset ex illa multitudine in omnibus horis Angelum distinctum producere, quia horarum multitudo maior est multitudine dierum, & consequenter maior multitudine Angelorum, quæ æqualis est dierum multitudini: ergo essent aliquæ horæ, quibus nullus Angelus producendus responderet: ergo cognosceret Deus, ad has horas non peruenient productio Angelorum, quæ ab hac hora incipit: ergo illi Angeli correspondebant horis, quæ haberent primam, & vltimam: ergo horis finitis: ergo essent finiti. Diceret aliquis ex Maiore, cuius doctrinam Conimbr. sunt sequuti multitudinem illam infinitam correspondentem singulis diebus sufficientem, esse, vt corresponderet singulis horis, & singulis instantibus æternitatis, quia in infinito multitudinis non sunt plures numeri centenarij, quàm millenarij, neque plures vnitates quàm centenarij numeri, & ita in infinito horarum plures non erunt dies, quæ viginti & quatuor horas includunt, quàm sunt singulæ horæ. Quod si obiicias illud principium: totum est maius suâ parte, respondent Conimbr. 3. Physic. cap. 8 q. 2. art. 4. ad 2. intelligendum esse de toto finito, non de infinito, in quo locum non obtinet. Sanè huius conditionis naturam infiniti defendere non est, illud tueri, vt bene notauit P. Fasolus dubit. illâ 12. n. 40. sed omnibus irridendum proponere, est enim lumine naturæ notum infinitam multitudinem plures vnitates, quàm numeros millenarios includere, siquidem quilibet numerus millenarius, mille dicit vnitates millenario numero respondentes.

11 Viderunt recentiores hoc argumentum ipsam æternitatem animorum à parte post futuram impugnare, in qua manifestam habet instantiam, & ita non illud proponunt vt animum conuincant, sed vt illius difficultate seu fallaciâ, quam asserunt hucvsque deprehensam non esse, intellectum cuiusque vincant. Intendo prædictæ difficultati satisfacere; sic respondeo. Affirmo multitudinem illam Angelorum, quos Deus singulis diebus æternitatis designauit esse infinitam. Deinde nego, posse Deum ab hac hora per singulas horas perpetuò absque vlla interruptione singulos Angelos producere, ita vt nullus restet producendus. Et similiter nego, posse Deum mente designare singulos Angelos singulis horis incipiendo ab hac hora, ita vt nullus illi Angelus supersit, cui hora non correspondeat, neque vlla sit hora intermissa sine Angelo in tota illa serie horarum, quæ Angelos productos, vel mente diuina continet assignatos. Forsan rationis facilitas difficultatem cõclusionis superabit: supercilio depositio, attendas obsecro: Vt Deus assumat horas, quibus illi Angeli, vel reali productione, vel mentali assignatione adæquatè correspondeãt, ita vt nulla hora sine Angelo supersit, ex his, quas desumpsit, neque vllus Angelus supersit sine aliqua illarũ horarũ debet Deus sumere infinitas horas, quia Angeli sunt infiniti: ex alio capite non debet sumere omnes horas, quæ sunt ab hoc instanti per totam æternitatẽ, quia harũ multitudo superat multitudinem Angelorum, vt per se notum

est.

est. Sed incipiendo ab hac hora non potest sumere infinitas horas nullâ interceptâ, quin totam æternitatem assumat, quia vbicumq; sistat horarum assumptio terminum habebit, & erit verũ dicere, hæc est vltima hora assumpta, & illa fuit prima: ergo ab hac hora non potest Deus assumere horas non interruptas, quibus illa Angelorum multitudo correspondeat, quælibet enim multitudo continua horarum, quæ ab vna incipit hora, & non replet totam æternitatem finita est, quæ non sufficit vt infinitæ Angelorum multitudini infinitæ correspondeant. Debet ergo Deus vt illi multitudini Angelorum horas assignet, quæ ab hac incipiet illas assignare cum aliqua interruptione, quia ex horis interruptis bene potest Deus infinitas assumere, quin totam assumat æternitatem: si enim Deus tertiam quamque horam ex his quas agnoscit desumat, alia intermedia semper relicta, tam horæ relictæ, quam assumptæ erunt infinitæ, quia neque multitudo horarum, quas Deus assumit, neque multitudo horarum, quas reliquit, aliquam vltimam habebit, neque vna multitudo erit post aliam, neque erit alterius terminus, & hac ratione incipiendo ab hac hora poterit Deus duplicem multitudinem horarum distinctarum assignare. Si verò ex hac hora velit duplicem multitudinem horarum non interruptarum mente designare, non poterit vtramque infinitam assignare, quia cùm horæ æternitatis sint futuræ successiuè, si horæ vtriusque multitudinis non permiscentur, vna multitudo erit adæquatè post aliam, cuius multitudinis prima hora erit terminus multitudinis præcedentis, & ita multitudo, quæ priùs præcedebat terminum habebit à parte post, & cùm ab hac inceperit hora, illum habebit à parte antea, & à parte pòst, & ita vtrimque erit finita.

12 Ex hac doctrina infero pro solutione aliorum argumentorum quæ eamdem continent difficultatem, quod si Deus ex omnibus diebus quos videt per æternitatem futuros vellet certum numerum dierum v. g. viginti dies mente excludere, non posse reliquam multitudinem ab hac die absq; vlla dierum interruptione cognoscere. Ratio est manifesta, quia vel cognosceret multitudinẽ illam, à qua decem dies sunt ablati ab hac die absq; vlla interruptione tendere per totam æternitatem, vel cognosceret non peruenire ad totam æternitatem; si cognoscit tendere ab hac die per totam æternitatem: ergo nullus dies ex illa fuit ablatus: si cognoscit non tendere vsque ad totam æternitatem, illud, quod restat, & hæc dierum series non attingit, erit æternitas, quia post quemquem diem æternitatis assignatum adhuc restat æternitas; ergo non solùm decẽ dies æternitatis sunt ablati ab hac dierũ multitudine, sed quædã integra æternitas. Secundò si hæc series dierum, quæ ab hoc die incipit, totam æternitatem non attingit, datur aliquis dies, quem non attingit: ergo ille erit terminus seriei dierum, quia cum tota illa sit absque vlla interruptione, si non includit hunc diem, neque includet alium, qui post hunc existet. Rationem totius doctrinæ claram accipe: vt ego à diebus, quos includit annus decem demptis reliquos omnes absque vlla interruptione assumam incipiens à prima die Ianuarij, necessariò debeo relinquere decem vltimos, & non alios, quia si relinquo aliquos existentes ante decem vltimos, postea vel assumo dies illos, qui sunt post decem relicti, vel non. Si non illos assumo iam non tantum relinquo decem dies, sed decem & alios, qui sunt post illos. Si illos assumo: ergo iam non assumo dies omnes distinctos à decem, quos relinquo absque vlla diuisione interceptos, sed interruptos decem diebus relictis. Ex hoc infero, quod si essent assumendi dies omnes, qui ex hac die erunt in æternitate absque vlla interruptione decem tantùm relictis, & assumptio dierum ex hac die esset inceptura, relinquendos esse decem dies vltimos, post quos nullus alius esset, & cum in æternitate non sint aliqui dies vltimi, post quos alij non sint, fit non posse incipiendo ab hoc die recenseri sine vlla interruptione dies omnes ab hac die futuros per æternitatem decem tantùm demptis, sed dies absque hoc recensendos absque interruptione debere esse omnes, qui in æternitate erunt, vel debere relinqui infinitos non recensitos, & recensitos omnes esse finitos, quia haberent primum, & vltimum. Hanc obserua doctrinam, pro pluribus argumentis, quæ fieri possunt, contra infinitum permanens & præcipuè successiuum, quæ ex illa facilè soluentur, & non sine maxima mei scribentis, & tui legentis molestia possent hic adduci. Deficiet enim æternitas argumentis, quæ contra æternitatem, & contra quodlibet infinitum possunt adduci.

PVNCTVM VI.

Nonnulla expediuntur de infinito.

DEfiniendum est an vni infinito possit aliquid addi, vel detrahi, an sit capax augmenti, an possit dici maius, vel minus, æquale vel inæquale respectu alterius. Plerique hæc disputant antequam naturam infiniti, & possibilitatem, aut repugnantiam illius vt existentis definierint, ex quo fit ipsos confundere repugnantias, quas includit subiecti existentia, quam supponunt, illisque vti ad probandum nullam ex his proprietatibus infinito competere posse. Statuendum est vt ordinatè procedat disputatio, quodnam infinitum existat, vel existere possit, & de illo inquirendum an capax sit proprietatum, de quibus procedit disputatio. Vel si velimus disputationem hypotheticam facere, debemus supponere infinitum existere, etiamsi repugner, & deuoratis repugnantiis, quas diceret illa existentia, inquirere, an alia noua assurgeret ex proprietatibus, quas inquirimus. 1

Dico primò. Infinitæ multitudini Angelorum potest addi & adimi alia multitudo finita, aut infinita. Probo clarè: In multitudine infinita Angelorum sunt infiniti binarij: ergo si mente Deus adimat vnam vnitatem à quocumque binario permanebunt infinitæ vnitates: ergo illis ablatis adhuc maneret multitudo infinita. Neque dicere potes Deum non posse adhuc mente præscindere singulas vnitates à singulis binariis, quia hoc non repugnat ex connexione entitatum inter se, quia quilibet Angelus, ex his, quos claudit hic binarius, est independens ab alio in esse & cognosci, potuit enim Deus suppositâ creatione cuiuscumque alterum non creare, neque repugnat ex natura infiniti, quia ex eo quod multitudini infiniti repugnaret illa separatio, non fieret non posse Deum illam exhibere, sed illa exhibita infinitam multitudinem esse extinguendam, sicuti ex eo quod à numero binario non possit demi aliqua vnitas, non fit Deum non posse demere vnitatem ab illa multitudine, quæ denarium perficit, sed demptâ illâ vnitate non permanere denarium, ac probaui demptâ vnitate à quocumque binario incluso in multitudine Angelorum manere vnitates infinitas & multitudinem infinitam: ergo non est contra rationem infiniti vt sic, ab illo aliquid adimatur, neque consequenter vt illi aliquid addatur, quia potest illi restitui, quod demptum fuit, vel potuit creari sine illo, quod illi postea ablatum, illúdque acquirere in mensura, in qua fuit ablatum, aut in alia posteriori, quod esset propria infiniti additis. 2

Addit P. Fasolus dub. 4. num. 3. infinitum esse capax multitudinis quatenus est finitum, non verò quatenus est infinitum. Id ego perciperem, si P. Fasolus loqueretur de infinito extensionis, quod versus vnam partem infinitam extensionem haberet, & non versus aliam, in infinito vero multitudinis Angelorum, in quibus nullus est ordo, id ego non percipio, neque scio, quomodo potest addi illi multitudini, nisi quatenus est infinita, cum ipsa si tota sumatur vnitates infinitas semper includat. Hanc diuersam acceptionem infiniti quatenus est finitum, & quatenus infinitum est, explicat doctus Fasolus dub. 3. num. 8. his verbis: *Etenim cùm quodlibet infinitum nihil aliud sit, quàm vnitas infinities replicata, & consequenter quodlibet infinitum replicatum infinities est impossibile dari aliquod infinitum, in quo non sint assignabiles partes finitæ, & partes infinitæ: vnde oritur, vt quodlibet infinitum considerari possit, aut debeat & quatenus finitum, & quatenus infinitum: quatenus constat partibus formaliter vt infinitis, est infinitum, quatenus constat partibus formaliter finitis est finitum.* Hæc sunt Fasoli verba, quid rei habeant videamus. Continuum constat partibus finitis, & infinitis, & nihil aliud est, quàm vnitates infinities repetitæ vt doctè docet Fasolus, ita tamen constat partibus finitis, & infinitis, vt finitæ partes includantur in infinitis, quibus constat infinita multitudo, & ita constat his partibus finitis inclusis in infinitis, vt partes finitæ per se solas quatenus distinguuntur ab aliis non possint constituere adæquatè multitudinem infinitam, neque illa multitudo infinita, seu illud infinitum 3

possit constare partibus tantùm finitis, vt per se notum est. Deinde certum est, partes illas, quæ in multitudine sunt infinitæ, & totum infinitum quatenus infinitum componunt consideratas distributiuè, & seorsim sumptas esse finitas, hoc est, illarum quamlibet finitam esse. Ex his examino propositionem illam Fasoli infinitum consideratum quatenus constat partibus, vt formaliter finitis finitum est. Illud vt formaliter finitis, dicit vt formaliter in multitudine finitis vel vt formaliter quælibet illarum partium est finita: si dicat vt formaliter quælibet illarum seorsim sumpta est finita, falsa est propositio, quia infinitum vt formaliter infinitum constat vnitatibus infinities repetitis, quarum quælibet est finita, non enim potest aliter infinitum, vt infinitum constitui, nisi per partes quarum quælibet sit finita. Si dicat quatenus constat partibus formaliter finitis in multitudine, vel dicit quatenus adæquatè constat partibus hoc modo finitis, vel quatenus inadæquatè constat ex illis, hoc est ex illis, & ex aliis infinitis. Si dicat quatenus adæquatè constat ex illis finitis præcisè sumptis, nego suppositum, infinita enim multitudo non potest considerari sub nullo respectu constans partibus finitis sumptis præcisè, id enim, quod ex illis constat præcisè non est infinitum, sed pars quædam finita inclusa in infinito. Si dicat quatenus constat partibus finitis, & aliis infinitis, ex quibus essentialiter constat multitudo infinita, & sine quibus sub nullo respectu potest cognosci, nego sub hac ratione multitudinem illam esse finitam, sed infinitam, quia quæcumque multitudo infinita assignata formaliter constat ex hoc millenario finito in illa incluso, & ex aliis vnitatibus infinitis, quæ simul cum millenario componunt hoc infinitum.

4 Infinitum secundùm extensionem quantitatiuam dari nequit, vt suprà dixi: quod si daretur vel esset infinitum vndequaque, vel infinitum tantùm versùs vnam partem: si esset infinitum vndequaque addi non posset, quia additio debet fieri per extensionem ad aliquod spatium, quod antea non attingebat: cùm autem nullum deberet esse spatium, quod infinitum non attingeret, aliàs illo terminaretur spatium, quod occupat, & infinitum non esset, nullum esset spatium, in quo posset fieri additio. Quod si intendas probare futurum esse spatium, quod illud infinitum non attingebat, in quo additio fieri posset, destruis suppositum, videlicet corpus illud occupare infinitum spatium, quia eo ipso, quod probes dari aliud spatium vltra illud, quod occupabat corpus, probas spatium occupatum esse finitum: vel ergo non supponas existere infinitum, vel illud iam suppositum non impugnes. Si corpus esset finitum versùs vnam partem, & infinitum versùs aliam: v.g. si daretur linea, quæ ab hoc puncto inciperet, & versùs Orientem in infinitum procederet, esset infinita, non posset addi versùs illam partem, quæ est infinita, nec incrementum recipere. Prior pars conclusionis in præcedenti cõtinetur. Posterior suadetur facilè: primus palmus lineæ, qui vnitur secundo, eodem modo se habet siue secundus vniatur tertio siue non vniatur, sed si secundus non esset vnitus tertio, & tertius quarto, & sic in infinitum posset vniri alij palmo versùs illam partem, quà terminum habet: ergo etiam quando talem vnionem mediatam habet cum aliis palmis poterit versùs illam partem, quà est finita alij palmo vniri. Secundò si à linea, quæ incipit ab hoc puncto spatij *A*, præcideretur primus palmus, maneret infinita: ergo non est contra rationem infiniti, vt ab illo aliquid detrahatur: ergo non erit contra illius rationem vt aliquid illi superaddatur. Recognosce dicta suprà de additione, & detractione infiniti secundùm numerum.

5 Obiic. recentiores: si lineæ, quæ incipit ab hoc puncto, & tendit versus Orientem posset addi palmus quantitatis postquam haberet illum palmum posset incipere ab eodem puncto: tunc vel occuparet aliquod spatium versùs Orientem, quod antea non occupabat, vel idem indiuisibiliter occuparet. Si dicas idem occupare, teneris componere quomodo eadem linea cum hoc palmo quãtitas, & sine illo idem spatium occupet: si occuparet maius spatium: ergo antea non occupabat spatium infinitum. Vt primum hanc obiectionem legi, decreui priùs tractare an posset dari infinitum, & postea an posset addi, ne difficultates confunderem. Hoc argumentum procedit contra infinitam extensionem lineæ, non contra illius additionem, quod manifestè ostenditur, quia idem omnino argumentum conficies si fingas, vel supponas eamdem lineam sine aliqua additione incepisse ab alio palmo magis immediato orienti, quàm iste, à quo incipit; & ob hanc rationem, aliásque huiusmodi nego lineam infinitam infinitè extensam, quam non posse dari probat obiectio, non verò non posse addi ex suppositione, quod detur. Eodem modo philosophandum est de infinito, secundum temporis extensionem, seu de motu successiuo infinito, qui ab æterno, vel in æternum procederet, qui addi non posset versùs partem, qua esset infinitus, bene tamen versùs illam, qua terminum haberet; quapropter si vtrimque esset infinitus, versùs nullam partem posset illi aliquid addi, neque detrahi portio aliqua finita, saluâ immediatâ à successione partium, quæ supereesset. Si roges cur infinitum secundùm multitudinem possit addi formaliter quatenus infinitum, & non possit additionem recipere infinitum secundùm extensionem temporis, & loci, opportunum reddam discrimen. Nulla extensio potest addi, neque in ordine ad spatium loci, vel temporis, nisi per acquisitionem noui termini, & ratione vltimæ superficiei, cui alia pars corporis adiungitur, vel quæ ad nouum se extendit spatium, quia cùm extensiones dicant partes cum successione & diuersum spatium occupent, non potest dari noua pars extensionis sine nouo spatio acquisito, quod antea non erat, quod esset immediatum spatio antiquo, & esset illius terminus, qui terminus infinito repugnat. Multitudo verò cùm vnitates coaceruatas idicat sine ordine prioris, aut posterioris, & non habeat aliquam partem, versùs quam sit augenda ex suppositione quod augeatur, non eo ipso quod augeri possit terminum habet, & ideo ex eo quod illi terminus repugnet, eidem non repugnat augmentum.

Affirmo similiter omne infinitum eo ipso, quod augmen- 6
tum recipiat, fieri maius non mensurabiliter, ita vt totum valeat mensurari, quod maius formaliter dici solet, sed immensurabiliter secundùm rationem totius quatenus includit augmentum, & illud, quod augmentum recipit. Ratio Durandi quam refert Fasolus dub. 4. num. 4 est per se nota: omne illud, quod continet aliquid cum aliquo alio est plus illo; sed infinito potest fieri additio: ergo fiet facta additione plus illo, cui fit additio secundùm totum illud, quod importat additio. Respondet Fasolus additum augere illud, quod est capax augmenti, non verò illud quod incapax est, vt augeatur: & ita additum non augere infinitum, quia hoc non potest augeri. Exemplum adducit de quantitate addita indiuisibili, quæ illud non facit maius; de sapientia finita, quæ addita infinitæ non facit maiorem sapientiam. Exempla non probo, & solutionem impugno. Non probo exempla, quia ex sapientia creata, & increata, non fit vna sapientia, & ita augeri non potest vna ex vi alterius, augeri enim est acquirere partem vnitam ex vnione, quam dicit totum constitutum vnione physica, si totum sit physicum, & vnione morali, seu aggregationis, si totum sit morale, seu aggregatum. Et ita cùm nullo modo totum constituant sapientia creata, & increata, nisi quatenus numerum dualem constituunt, ita sapientia creata non augetur, nisi forsan dicas augeri secundum illam rationem extrinsecam numeri, quam constituit cum sapientia creata, quod augmentum est extrinsecissimum, & sapientiam increatam omnino eamdem relinquit, neque adhuc hoc modo augetur secundum rationem sapientiæ increatæ, quia illa sapientia, quæ illi adiungitur, & illi quasi extrinsecè vnitur in ordine ad existentiam tantum, non est sapientia increata, sed creata. Exemplum de quantitate etensa addita puncto eiusdem est rationis cũ præcedenti, in opinione enim Arist. in qua procedit Fasolus, punctũ neque extensionem habet, neque illam potest fundare, cuicumque enim adhæreat penetratur. Vnde cum illi extensio adiungitur non additur extensioni extẽsio neque fundamentum extensionis. Vnde mirũ non est non fieri maiorem extensionem, augmentum enim cuiuscumque rei consistit in additione partis eiusdem rationis cum toto præcedenti, cui additur. In opinione Zenonis, quæ continuum componit ex indiuisibilibus, quorũ quodlibet aptum est fundare extensionem, linea addita puncto quoddam totum maius constituit. Hæc de exemplis; venio ad solutionem. Rem esse capacem augmenti nihil aliud est, quam esse capacem constituendi totum, quod includat rem augendam, & partes alias eiusdem rationis cum illis quibus ipsa constat, sed multitudo infinita est capax constituendi multitudinem, quæ includat eamdem multitudinem, quæ supponitur, & partes alias eiusdem rationis cum illis,

illis, ex quibus componitur, videlicet alias vnitates eiusdem rationis cum illis, ex quibus tanquam ex primis elementis constat prima multitudo infinita: ergo est augmenti capax. Si maiorem neges, dicito, quid sit aquam, ignem, hominem, & equum augeri, nisi sibi vniri partes alias eiusdem rationis cum illis, quibus constabat totum illud, quod augeri dicimus, neque alio modo Philosophi de augmentatione disputantes illius naturam explicarunt,

7 Communiter Philosophi negant æqualitatem inter duo infinita, quia æqualitas dicit mensurabilitatem, & cùm infinita non possint mensurari, hinc est, quod æqualia esse non possint. Ita fert communis sententia, verumtamen quis dicet in infinito hominum non esse tot oculos dextros, quot sinistros, non esse tot manus quot pedes, tot capita, quot corpora in infinito Angelorum, quorum quilibet habet vnum gradum gratiæ, non esse tot Angelos, quot gratiæ gradus, & alia huiusmodi. Sentio æqualitatem definiendam esse: duorum mensurabilium commensuratio, ita vt duo requirantur ad æqualitatem, & quod quodlibet extremum in se sit mensurabile, & quod vnum alteri cõmensuretur. Hæc secunda æqualitatis proprietas poterit vni infinito respectu alius competere, vt exempla adducta cõuincunt, non prior, quia quodlibet infinitum secundum se est incommensurabile, & ita ex defectu huius non datur propria æqualitas inter extrema infinita, dicetur illa, cõmensuratio ipsorum, quam æqualitatem negatiuam multi appellant. Multa argumenta vidi apud recentiores, quibus has infiniti proprietates impugnare intendunt, verumtamen omnia eo immediatè tendunt vt infiniti repugnantiã suadeant: pleraque illarum solui, & alia ex doctrina tradita facilè solui poterunt: huiusmodi sunt plura, quæ petuntur ex positione rerum infinitarum cum ordine prioris, & posterioris in ordine ad locum, quam positionem dixi repugnare, quia repugnant corpora infinita non penetrata, & ex illorum extensione absque illa penetratione inferentur absurda, quibus nos impetunt aduersarij. Eadem ratione respondendum, si Angeli in diuersis spatiis collocentur, eadem enim ratione, propter quam repugnat poni infinita corpora in spatiis adæquatè distinctis, repugnat poni infinitos Angelos in eisdem spatiis.

PVNCTVM VII.

An Deus possit producere creaturam omnium possibilium perfectissimam, item & imperfectissimam.

1 INquirit præfixus titulus, an Deus possit producere creaturam aliquam ita perfectam vt non possit aliam perfectiorem producere, & an possit creaturam ita imperfectam efficere, vt non valeat aliam imperfectiorem facere. Difficultatem trado de perfectione specifica, & suppono ad præsentem quæstionem, claritatis gratiã, omnia indiuidua eiusdem speciei esse perfectione æqualia, quod enim definitum fuerit de perfectione omnium specierum poterit applicari perfectioni indiuiduorum vnius speciei in opinione, quæ indiuidua inæqualia intra eamdem speciem constituit: loquor de creatura omnium perfectissima negatiuè, hoc est, quæ non possit ab alia excedi secundùm perfectionem, quod moneo propter eos, qui admittunt posse dari duas species distinctas æquè perfectas, secundùm quam sententiam facilè defendi poterit, non posse dari aliquam speciem omnium perfectissimam, quia non poterit dari species ita perfecta, quæ non possit habere aliam speciem perfectione sibi æqualem, licet nullã perfectione excedi possit. Moneo insuper eodem modo tractandam esse quæstionem de specie omnium perfectissima, & de specie imperfectissima ne tamen multiplicatione terminorum res confundatur, loquor tantum de specie perfectissima, de qua communiter Doctores disputant, & quod de illa definiam, tu speciei imperfectissimæ applica.

2 Pater Arriaga disp. 13. sect. 3. sequutus Aureolum in 1. dist. 44. quæst. vnica art. 4. & Durandum in 1. dist. 44. q. 2. Bacconum in 1. dist. 44. q. 1. art. 2. docuit Deum posse producere creaturam ita perfectam vt non possit aliam perfectiorem producere. Oppositam sententiam, quam amplector defendit P. Fasolus disput. 11. n. 4. sequutus D. Thom. q. 1. de potentia art. 2. ad nonum, eandem defendunt plures Thomistæ apud eumdem Fasolum, pro qua est egregium testimonium D. Dionisij de diuinis nominibus c. 8. circa princip. *Dicamus* (verba sunt Dionysij) *Deum infinitã vi, ac potentia præditum non solùm quod vim omnem in lucem proferat, sed etiam quod omnem quoque vim ipsum multum superat: quodque possit etiam infinite infinitas alias potentias, præter eas, quæ sunt in lucẽ proferre; neque vmquam potentiæ infinitæ, & infinitæ in lucem probatæ, effectionem potentiarum effectricis eius potentiæ, quæ omnem infinitatem superat obscurare, & obruere possint.* Ratio adducta à Sancto Thoma hæc est: Quæcumque creatura supponatur producta, quantumuis perfecta sit, infinitè distat à Deo: ergo poterit alia perfectior excogitari media inter illam creaturam, & Deum, quæ creaturam iam productam perfectione exuperet, & maneat longè inferior Deo: ergo non repugnat creari illa creatura. Hac creata idem argumentum fiet, & sic in infinitum procedetur. Confirmatur eadem conclusio à paritate numeri, qui semper potest in infinitum crescere, & quocũque dato restat alius possibilis maior, ita vt implicet aliquem numerum omnium maximum excogitari, & nihilominus totum hoc numerorum augmentum est intra lineam finitæ multitudinis: ergo eodem modo poterit de creaturarum perfectione philosophari. Accedet his argumentorum solutio, quæ in similibus quæstionibus est omnium optima ratio.

Obiicit Arriaga: Non est repugnantia in eo quod Deus 3
producat creaturam omnium perfectissimam: ergo poterit illam producere. Insto ergo: non est repugnantia vt producta quacumque creatura, quantumuis perfectam illam cõsideres, Deus perfectiorem aliam producat: ergo poterit illam producere. Resp esse repugnantiam in eo quod creetur illud quod non est in statu possibilitatis, & in statu possibilitatis nullam esse creaturam omnium perfectissimã, sicuti in numeris possibilibus non est aliquis omnium maximus, & ita est repugnantia in eo, quod Deus producat creaturam omnium perfectissimam. Addo argumentum sumptum ex non repugnantia, non Arriagæ, sed mihi fauere, qui omnipotentiam Dei propugno, & extensionem possibilitatis defendo, quæ tantum repugnantia terminatur. Est enim quæstio an supra quamcumque creaturam quamtumuis perfectam possibilis sit perfectior alia, quam Deus possit producere.

Obiicit secundò Arriag. In hac collectione omnium 4
creaturarum possibilium non omnes species excedentur: ergo aliqua est, quæ non excedetur. Antecedens probat: si omnes excederentur essent plures excessæ, quam excedentes, hoc fieri nequit: ergo non omnes exceduntur. Antecedens suadet incipiendo ab homine: species hominis exceditur & non excedit, reliquæ omnes excedunt, & excedũtur: ergo incipiendo ab homine species excessæ sunt vna amplius speciebus excedẽtibus. Insuper nõ est vna amplius, quia quælibet, quæ exceditur habet aliam excedentẽ: ergo tot sunt excessæ, quot excedentes. In flagranti fallacia detego: quælibet excessa habet excedentem, distinguo: excedentẽ tantùm, nego: excedentẽ, & excessam, cõcedo: deinde nego consequentiam, quia si incipio numerare ab homine & per Angelũ (pono modo speciẽ Angeli esse immediatam homini) ad alias species ascendo, annumero duas species excessas Angelũ & hominem, & vnam excedentẽ, videlicet Angelũ, & eadem proportione procedo connumerando simul vnitatem aliã excedentem & excessam supra duas excessas, & vnam excedentẽ, & ita semper excessarum numerus vincit vnica vnitate excedentem numerũ. Negandum ergo est illud antecedẽs, videlicet non omnes species distributiuè sumptas excedi, hoc est esse aliquam non excessam, & respondendum est prædicto modo ad contradictoria quæ intendebantur inferri. Idem omnino argumentum fit in numeris, potest enim inferri eadem fallaciã ex eo quod omnes excedantur esse plures, & non esse plures excessos excedentibus.

Obiicit tertiò Arriaga. In collectione omnium creaturarũ possibilium est summa propinquitas cũ Deo, quia extra illam collectionem non potest excogitari aliqua creatura, quæ sit vicinior Deo: sed hæc propinquitas nõ potest conuenire collectioni ratione omniũ specierũ, neq; ratione duarum, quia ex duabus imperfectior non habet summam propinquitatẽ cum Deo, quia perfectior altera propinquior est: ergo debet illi conuenire ratione vnius speciei: ergo illa erit summè propinquior Deo, & perfectissima omnium possibilium. In numeris idem argumentum conficis prorsus eodem modo. In tota collectione numerorum possibiliũ est summa propinquitas cum multitudine 5

infinita

infinita hæc non potest conuenire collectioni ratione omnium numerorum, neque ratione duorum, quia minor altero non potest esse immediatus multitudini infinitæ: ergo datur aliquis numerus omnium maximus, cui conueniat hæc immediatio. Respondeo collectioni omnium creaturarum possibilium conuenire summam propinquitatem cum Deo, non ratione alicuius creaturæ in particulari, sed ratione infinitarum inclusarum in illa collectione, quæ collectiuè sumptæ dicunt negationem aliùs creaturæ possibilis mediantis inter Deum, & talem collectionem.

9 Obiicit quartò: Deus incipiendo ab homine cognoscit, quæ species hominem excedat, & quæ excedat excedentem hominem, & sic in instanti percurrit vsque ad aliquam, quæ non excedatur: ergo illa erit summè perfecta. Idem argumentum conficio in numeris. Deus incipiendo à binario procedit ad ternarium, deinde ad quaternarium, & sic in instanti mente percurrit omnes numeros possibiles: ergo perueniet ad aliquem omnium maximum. Respondeo Deum ab æterno, & in quolibet instanti cognoscere res eo modo, quo sunt, & cùm non sit species, quæ non possit excedi ab alia, sicuti neque numerus, qui non habeat alium maiorem possibilem excedentem, ita non potest Deus cognoscere aliquam speciem, quæ ab alia non excedatur, etiamsi omnes possibiles cognoscat.

7 Obiicit quintò: Deus potest producere creaturam summè perfectam, quam potest producere, quæ propositio est identica, ac proinde videtur non posse negari: demus ergo illam produxisse: vel potest producere aliam perfectiorem, vel non potest producere: si non potest producere, illa producta erit omnium perfectissima: si potest producere: ergo antea produxerat perfectissimam, quam poterat producere, vt iam supposuimus, & non produxerat perfectissimam, siquidem modo perfectiorem aliam producit. Argumentum hoc fallaciam habet latentem valde, vno tamen verbo illam aperio, & argumentum dissoluo. Nego suppositum, quia cum dicitur, Deus potest producere creaturam perfectissimam, quam potest producere, supponitur inter creaturas, quas potest Deus producere, esse aliquam perfectissimam, quæ dicitur posse à Deo produci. Hæc autem suppositio est falsa, quæ propositionem quantumuis identicam falsam reddit, propositio enim de subiecto non supponente affirmatiua, etiamsi sit identica est falsa, vt patet in hac propositione *Antichristus iustus est Antichristus iustus*, quæ est identica, & falsa, ex eo quod non subsistat subiectum, quod supponitur, videlicet Antichristus iustus. Similis fallacia reperitur in aliis plurimis propositionibus, quæ necessariò hac ratione explicanda est. Hæ sunt: Deus potest facere in hoc instanti omnes diuisiones continui, quas potest facere. Deus potest in hoc instanti mente recensere numerum maximum, quem potest recensere. Deus potest producere in hoc instanti totam multitudinem possibilium, quam potest producere. Quæ propositiones omnes sunt identicæ, & omnes falsæ ex defectu subsistentiæ subiecti, non enim est vltima diuisio continui, vltra quam non sit alia in opinione Aristotelis, iuxta quam procedit instantia, neque est numerus omnium maximus, neque aliqua collectio possibilium producibilis, supra quam non possit alia creatura produci.

Hac ratione doctè & subtiliter dixit Caietanus tom. 3. tract. 2. de infinitate Dei, §. *Sed quoniam*, aliquando Deum posse velle vti totâ suâ virtute infinitâ in aliquo effectu, vt in motu sempiterno, quem possibilem putat, aliquando verò non posse, vt in velocitate motus localis, quam putat posse crescere, positâ quacumque velocitate, ita vt nullus possit assignari motus, qui sit summè velox, ita vt in possibilibus non sit velocior alius. 8

LIBER

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

INTER motus omnium præcipuus lationis motus annumeratur, cuius terminus est præsentia, & locus, ideò postquam Aristoteles egerat de motu, & de illius affectione, videlicet infinitudine, modò agit de præcipuo illius termino, seu de termino præcipui motus loco, & vbi. Disputationi de loco disputationem de vacuo annectit Aristoteles quæ quasi priuatiuè opponuntur, & his adiungit disputationem de tempore propter affinitatem materierum, & quia sicuti ens naturale est in loco, similiter in tempore existit.

CONTROVERSIA XV.

De loco, & vacuo.

DOCET nos oculata experientia corpora huc illucque moueri, & diuersas acquirere distantias, diuersasque cum aliis approximationes sortiri. In quocumque motu seu acquisitâ præsentiâ apprehenditur corpus præsentiâ cauitatem quamdam replere, quæ antea alio corpore occupabatur, & vacua esset, si nullum illi corpus adueniret, quàm cauitatem, spatium imaginarium appellamus. Hinc triplex huius controuersiæ materia. Quid locus extrinsecus? Quid spatium, seu illa cauitas apprehensa sit? Quid præsentia, seu vbi intrinsecum, & quomodo hæc omnia corpori conueniant.

PVNCTVM PRIMVM.

De loco extrinseco reali.

1 NOnnulli locum extrinsecum ab *vbi* intrinseco non distinguunt quorum aliqui *vbi* intrinsecum rei superadditum negant, alij verò illud concedentes asserunt, non ab illo locum extrinsecum distingui. Antiqui alij, quos hic impugnat Philosophus, asseruêre locum esse interuallum reale, seu spatium interstitium, & hoc quidem asserunt esse immobile, & indiuisibile, non quia careat partibus extensis, sed quia nulla vi secari possit; sententiam hanc sequuti sunt postea Galenus, & Philosophus eodem 4. Physicorum. Alij mitius hoc interuallum explicant asserentes non esse reale, sed esse capacitatem realem habentem hanc trinam dimensionem, quam capacitatem spatium imaginarium appellant, non quia non sit à parte rei, sed quia neque habet, neque habere potest existentiam realem. Locum intrinsecum in hac capacitate, seu in hoc imaginario spatio formaliter constitutum prædicti cognoscebant.

2 Sententias has omnes confutat definitio loci extrinseci ab Arist. tradita in hoc 4. Physic. cap. 4. n. 42. *Vltima superficies corporis continentis immobilis primo*, id est, concaua superficies alicuius corporis, quod intra suum gremium aliud continet, quod contentum locatum dicitur, & continens locans appellatur. In hoc corpore continenti rationem loci extrinseci sitam esse probat communis omnium loquendi modus, & omnium apprehensio, dicimus enim Petrum esse in cubiculo non alia ratione nisi quia cubiculi parietibus continetur, & aquam esse in vase, aliaque huiusmodi, quorum nulla alia est ratio nisi quia corpora contenta in continentibus tanquam in locis apprehendimus. Hæc corpora continentia seu localia distingui ab vbi intrinseco locatorum constabit punct. 3. vbi naturam *vbi* intrinseci explicabo. Ex hoc reiecta manet prima sententia: duplex alia ex eodem principio reiicitur, secundò quia spatia illa sunt purè fictitia, & tantùm obiectiuè in intellectu existentia, vt ostendam puncto sequenti. Deinde quia percipi nequit aliquid reale, quod existentiam realem habere non possit.

Secundùm hanc definitionem locus extrinsecus corporis est superficies illa corporis contigui, qua cingitur, vt superficies aëris respectu turris, & superficies aquæ respectu nauis secundum partes illas, quæ aquis submerguntur. 3
Difficultas est quomodo intelligenda sit illa particula *immobilis*. Nominales, quibus adhærent Conimb. quæst. 1. art. 2. dicunt locum extrinsecum esse immobilem motu locati, hoc est non moueri motu locati, quia si eodem motu locatum, & locans mouerentur, numquam possent separari, & semper locatum eodem loco contineretur. Fateor non eodem motu moueri motum, & locatum, verumtamen ex hoc capite locus immobilis non dicetur, eadem enim ratione locatum immobile dici potest, sicut enim locus non mouetur motu locati, ita neque locatum loci motu mouetur. Neque ex eo quod diuerso motu moueantur infertur non posse simul moueri sicuti de facto mouetur aqua in vase contenta, de qua insurgit difficultas, an cum mouetur intra idem vas locum extrinsecum mutet, quam difficultatem vitare contendebat prædicta sententia. Vera explicatio huius particulæ, quam apud Rubium lib. 4. tr. 2. de loco quæst. 2. & apud Tolet. lib. 4. Physic. cap. 4. plurimi tradunt, subsistet, si dicamus locum esse immobilem, quia dicit continentiam locati cum hac distantia. Vnde si aqua in vase moueatur iam non retinet eumdem locum, quia licet eadem sit superficies, in qua continetur, hæc tamen non continet aquam cum eadem distantia, seu æquè distantem ab aliis corporibus. Hac ratione locus immobilis est, quia tantùm in hoc spatio potest superficies continere corpus hoc modo distans ab aliis.

Verumtamen adhuc restat explicandum, an locus dicat 4
formaliter hanc superficiem ambientem, & hanc locati præsentiam, secluſa præsentia superficiei ambientis à ratione formali loci, licet ipsa necessaria sit vt superficies possit corpus existens cum hac præsentia ambire. Multi sentiunt locum dicere formaliter hanc superficiem continentem, & hanc præsentiam corporis contenti, qui locum extrinsecum inadæquatè tantùm distinguunt ab vbi extrinseco, & asserunt aquam in vase contentam simul cum illo motam mutare locum extrinsecum non formaliter ex

eo, quod vas præsentiam mutet, sed quia ipsa aqua mutat præsentiam, & distantiam ab aliis corporibus, ratione cuius non continetur ab eadem superficie cum eadem distantia in ordine ad alia corpora. Addunt insuper locum extrinsecum supra intrinsecum vbi addere non hanc numero superficiem ambientem, sed hanc, vel illam sub disiunctione, ita vt dum corpus contentum sit idem cum eadem præsentia existens, & aliqua superficie circundetur, siue hac, siue illa distincta semper eumdem retineat locum, sicuti erit idem homo cum sit eadem natura cum aliqua subsistentia, etiamsi subsistentia non sit eadem, sed modo hæc, modo illa. Hac ratione defenditur turrim in eodem spatio permanentem semper habere eumdem locum, etiamsi modo hac aëris superficie postea alia distincta ambiatur. Alij sentiunt locum pro materiali dicere superficiem ambientem, & pro formali præsentiam huius superficiei secluſa præsentia locati à ratione formali loci. Ego sentio locum dicere superficiem ambientem pro materiali, & pro formali præsentiam huius superficiei, ratione cuius locus immobilis dicitur, quia concretum, videlicet superficies hic præsens, seu superficies cum hac præsentia immobilis est. Addo locum in actu secundo formaliter locantem dicere formaliter præsentiam corporis locati, quia formaliter dicit continentiam locati, & hæc importat talem approximationem locantis ad locatum, quæ intelligi nequit sine vtriusque præsentia. Hoc de loco in actu secundo, seu de loco actu locante, & continente locatum certum puto. De loco in actu primo, seu quatenus dicit capacitatem continendi locatum censeo dicere ordinem ad præsentiam corporis locati, non tanquam ad aliquid, quod constituit actum primum potentis continere localiter, sed tanquam ad ipsam locationem quæ dicit applicationem inter locantem, & locatum, quæ approximatio essentialiter includit præsentiam vtriusque, quæ præsentiarum simultas se habet per modum actus secundi respectu loci, qui se tenet ex parte actus primi, locus enim dicit corpus potens continere, & continentia, quæ est actus secundus huius potentiæ consistit in coexistentia præsentiarum loci, & corporis locati.

5 Ex his infero idem corpus existens in diuersis spatiis non posse habere eumdem locum, quia eo ipso, quod corpus contentum sit in diuerso spatio, corpus continens, quod illi est approximatum est etiam in diuerso spatio, & diuersam habet præsentiam, quæ est forma constitutiua loci, ac proinde est diuersus locus formaliter superficies aëris continentis existens in hoc spatio ab eadem superficie in alio existenti. Secundò infero diuersam esse locationem respectu eiusdem corporis ambientis cum eadem præsentia eo ipso quod sit diuersa præsentia locati etiam in eodem spatio adæquato vel ratione diuersi locati, vel quia idem locatum in eodem spatio adæquato secundum omnes sui partes diuersas acquisiuit præsentias, sicuti cum rota mouetur motu circulari. Infero tertiò motum localem per se, & primariò non terminari ad locum extrinsecum, neque ad locationem adæquatam, quia tantùm terminatur ad propriam præsentiam locati, quæ locum non constituit, neque per se solam est locatio, quia hæc consistit in præsentia locati, & in præsentia loci. Dicitur motus localis secundariò terminari ad locum non secundum se, sed vt acquirendum, hoc est ad locationem, quia terminatur ad præsentiam, quæ ex eo quod coniungatur per accidens cum præsentia loci constituit cum illa locationem, per quam locus in actu primo dicitur actu secundo locans, & corpus contentum dicitur actu locatum.

Punctum II.

Quid sit spatium imaginarium.

1 Antequam corpus præsentiam acquirat concipimus semper præexistere capacitatem quamdam, quam corpus aduenies replet, ita vt illo posito non possit in sensu composito corpus aliud illi aduenire, quam capacitatem spatium imaginarium Philosophi appellant. Est quæstio an hoc spatium verè detur à parte rei, vel an sit solum, quod ipsa vox indicat aliquid tantùm imaginarium, seu mente confictum. P. Albert. tom. 2. disp. vnica de prædic. Vbi, quæst. 2, multum inclinat in sententiam asserentem dari hoc spatium à parte rei, & argumenta, quæ oppositum suadent dissoluere procurat. Pert communis sententia spatium hoc esse purum figmentum tantùm habens existentiam obiectiuè in intellectu. Ita P. Vasquez, P. Fasolus, P. Moncæus, P. Hurtadus, P. Arriaga quos infrà dabo, & ferè omnes, qui de hac re accuratè tractant, quibus ego subscribo. Ratio huius conclusionis omnibus præsto adest. Hoc spatium imaginarium concipitur existens ab æterno, sed nihil reale creatum fuit existens ab æterno: ergo non est ens creatum: sed non est aliquid increatum: ergo neque creatum, neque increatum: ergo nihil. Confirmatur: si spatium imaginarium esset aliquid creatum, dependeret à Deo: ergo Deus posset subtrahere concursum, quo illud conseruabat: ergo posset illud destruere, & in nihilum redigere, sed non potest Deus destruere, seu annihilare spatium imaginarium: ergo non est aliquid dependens à Deo, sed non potest esse aliquid independens, quia quidquid est à parte rei distinctum à Deo dependet ab illo: ergo neque aliquid dependens neque independens: ergo nihil, quia inter hæc extrema non datur medium.

Respondet P. Albert. num. 15. non esse absurdum illud 2
spatium secundum illam non repugnantiam, quam habet semper fuisse, & semper fore, nec fuisse efficienter factum à Deo, quia non est aliquid reale, licet aliquo modo dependeat à Deo, quia si non esset Deus, non esset corpus reale, neque consequenter daretur tale spatium, quod est essentialiter capacitas receptiua corporis realis. Sæpè fatetur Pater Albert. spatium hoc non posse habere existentiam realem ita expresè num. 14. & iterum hoc num. 15. & 17. asserit tamen, hoc spatium non esse negationem, seu capacitatem negatiuam, sed capacitatem positiuam, ita num. 16. Affirmat similiter dari à parte rei, ita num. 3. & n. 12. sanè mens mea hæc conciliare non valet, neque concipere potest dari aliquid positiuum à parte rei, & hoc non habere, neque posse habere existentiam; quid enim est aliud, esse à parte rei, quàm esse existens? & quomodo illud quod existentiam habere nequit, erit à parte rei? Vrgeo, non ex alio capite dicimus chimæram purum esse figmentum, & tantùm habere esse obiectiuè in intellectu, nisi quia non potest habere existentiam à parte rei, sed spatium imaginarium in sententia Albertini non potest existere à parte rei: ergo est purum figmentum.

Alij magis attemperatè respondent spatium imagina- 3
rium esse quid negatiuum, ita non indigere actione positiuâ vt existat, & potuisse esse ab æterno. Solutionem hanc rectè impugnat Albertinus num. 16. & Moncæus quem postea referam, & alij plurimi in hunc modum: Si spatium imaginarium esset quid negatiuum, esset negatio repugnantiæ corpori ad existendum in illo: sed repugnantia est negatio: ergo esset negatio negationis: sed negationis nulla datur negatio, quia non esse negationis est esse habitus cuius est negatio: ergo non repugnantia non potest consistere in negatione, sed necessariò sita est in non esse negationis, quod est esse habitus positiui, cuius est negatio, cum qua priuatiuè opponitur oppositione mutuâ inter extrema, quorum quodlibet est non esse alterius. Secundò spatium, non consistit in negatione corporis cum hac præsentia, quia hæc dicit negationem corporis cum hac præsentia, quæ destruitur per existentiam corporis cum hac præsentia, sed spatium imaginarium non destruitur per existentiam corporis cum hac præsentia, ex vi cuius constituitur in hoc spatio: ergo spatium non consistit in negatione corporis cum hac præsentia. Maior ex ipsis terminis patet: consequentia est legitima: minorem probo, si corpus ex vi huius præsentiæ destrueret spatium, non posset ex vi illius constitui in spatio: sed si datur hoc spatium corpus ex vi huius præsentiæ constituitur in hoc spatio, & illud occupat: ergo ex vi eiusdem præsentiæ non potest illud destruere. Maiorem probo: cætera patent. Nihil potest occupare id, quod non est in rerum natura, neque esse in aliquo, quod non est: ergo si corpus occupat locum quando habet præsentiam hanc, & est in tali loco, tunc debet esse locus occupatus, in quo sit.

Obiicit Albertinus: Deus potest extra Cælum facere 4
plures mundos, & vnũ distantem ab alio: ergo inter vnum, & aliud intercederet hoc spatium. Probat antecedens: potest Deus supra vltimam Cæli sphæram ponere columnam quamdam sicuti de facto dicit Sanctus Thomas esse corpus Christi pedibus tangens vltimam partem Cæli reliquo

corpore

corpore in vacuo constituto : sed tunc vna pars columnæ distaret ab alia, seu clariùs in Christi corpore, tunc caput Christi distaret à pectore per spatium omnino vacuum: ergo seclusò alio quocumque corpore est distantia inter corpus & corpus : ergo seclusò alio quocumque corpore est spatium inter corpora distantia, ratione cuius distare corpora dicuntur. Secundò sic antecedens confirmat, fingatur funis à pariete in parietem, seu, à primo Cælo vsque ad vltimum, & per diuinam potentiam annihilentur reliqua corpora intermedia: tunc primum Cælum ab vltimo distabit per tantam distantiam, quanta est distantia funis: ergo etiam illi mundi, qui essent extra Cælum distarent, de quibus eadem est ratio.

5 Rationes Albertini antecedens non extorquent, non enim dat casum, in quo duo corpora distent inter se nullo alio termino posito inter vtrumque, quia partes corporis Christi in illo casu distarent ratione aliarum partiũ eiusdem corporis interiacentium inter partes distinctas v. g. caput à pedibus distaret ratione corporis inter pedes & caput interiacentis, & primum cælum ab vltimo distaret ratione funis protracti ab vno cælo in aliud, cui esset in vtrumque cælum, cui posset, & non spatio distantia tribui. Hæc de rationibus quibus Albertinus antecedens illud stabilit, quid de illius veritate paucis dicam. Corpora extra cælum posita non sibi neque alij corpori contigua, & parietes huius cubiculi destructo aere intermedio, præsentias haberent ex se capacitatem continendi alia corpora inter se tanta extensione affecta, quod ex natura præsentiarũ proueniret, possent enim iidẽ parietes aliis præsentiis affici, ratione quarum plura corpora, vel pauciora imò nullũ corpus possent inter se continere: Capacitas hæc alia corpora continendi intra se ab ipsis præsentiis non distinguitur, & semper remanebit, etiamsi nullum corpus intra parietes his præsentiis affectos reperiatur. Continentia actualis addit supra capacitatem corpus interceptum ex vi talis præsentiæ ratione cuius dicitur contẽtum esse intra hos parietes & esse in cubiculo, quod ex illis consurgit tanquam in loco. Hoc in re apud omnes firmum esse debet, ex quo diuersitas in modo loquendi apud aliquos reperitur. Quidam distantiam appellant aptitudinem continendi alia corpora, & hi tenẽtur dicere parietes huius cubiculi retinẽtes has numero præsentias, quas modo habent, inter se distare, etiamsi aër intermedius destruatur, & nullum aliud succedat corpus, quæ distantia non ratione spatij quod dicimus non esse, sed ratione præsentiarum parietibus huius cubiculi in hoc casu conueniret. Alij capacitatem illam identificatam cum præsentiis alia corpora circunscribendi vocant distantiam aptitudinalem, & distantiam formalem appellãt ipsam locationem corporis interpositi, iuxta quorum loquẽdi modum dicendum est non esse distantiam formalem, sed tantùm aptitudinalem intra corpora, quæ aliud tertium intra se non continent. Et ita casu, quo Deus duo corpora extra Cælum crearet, neque sibi, neque aliis cõtigua, non essent iuxta hanc sententiam formaliter distantia, sed aptitudinaliter tantùm; in casu autem, quo tracto fune ab hoc pariete (in illum aër intermedius destrueretur distarent parietes ratione funis intermedij, similiter caput corporis existentis extra Cælum distaret à pedibus eiusdem corporis ratione aliarum partium, quæ inter pedes, & caput interponerentur, non autem formaliter distarent, sed tantùm aptitudinaliter per lineas alias, quas possumus concipere ab humeris ad pedes per diuersum spatium ab illo, quod reliquæ partes corporis occupant. In his diuersis loquendi modis fere nullam de re differentiam inuenio, quapropter parum refert iuxta vnum, vel alterum loqui, nullum enim efficaci aliqua ratione impugnari, aut propugnari poterit.

Punctum III.

An Deus sit in spatio imaginario, etiam extra Cælum, & quid de aliis entitatibus.

1 De existentia Dei in spatio imaginario diuerso modo videntur authores sentire. Pater Vasquez 1. part. disp. 29. cap. 2. negat Deum esse in spatio imaginario, & Deum de facto esse extra cælum in aliquo spatio. Oppositam sententiam defendunt P. Molina 1. part. quæst. 8 artic. 1. disput. 3. §. *secunda, Deus ex infinitate.* Pater Soar in Metaph. disp. 30. sect. 7. num. 3. & seqq. Hurtad. disput. 14. sect. 3. Arriag. disp. 14. sect. 4. In primis conuenio Hurtadum inconsequentiæ notam nostro Vasquio inutentem, postquam enim illum pro sententia negatiua retulerat asserit oppositam docere eadem disput. 19. num. 14. Profectò attentè non legit Hurt. Vasq expressè enim semel & iterum eodẽ loco constanter negat Deum esse in spatio imaginario, illius do verba. *Quare si corpus extra cælum non dicitur esse in alio, quam in se ipso, nulla ratione potest dici Deus, aut Angelus extra cælum in alio, quam in se ipso.* Sic ille, sed sequentibus verbis deceptus est Hurtadus. Sic se habent. *Quod si Doctores oppositæ sententiæ contendant Deum in se ipso existere extra cælum sicut existeret corpus, itavt dicatur in se habere spatium, & situm, & distantiam, & aduerbia loci ei conuenire: concedemus Deum esse in se ipso* (ne decipiare cum Hurtado, in se ipso dixit non in spatio) *cætera omnia, nempe situm, & distantiam, & aduerbia loci, & extra cælu esse ei tribui nullo modo posse subinde patebit.* Quid inconsequentiæ in his verbis inuenire potuit Hurtado? Certe nihil, omnia enim inter se summè consonant vt pote à tanto magistro tradita in quo nec lynceis oculis inconsequentiæ næuum inuenies.

2 Venio iam ad Arriagam, qui sententiam Vasquez dicit illi maximopere displicere, & oppositam esse communem ferè omnium antiquorum, quos apud Hurtadum legi vult disp. 14. sect. 3. legi Hurtadum apud quos tantùm, citatos inueni Soar, & Molinam, & per impostaram nostrum Vasquium, vellem ego meminisse Arriagam, quos pro sententia Vasquez legerat apud ipsum, videlicet Altisiodorensem, Bonauent. Richard. Scotum, Durand. & Capreolum, qui sententiam nostri Vasquez expressè defendunt, & Alex. Albert. & Ægid. Argent. Gabr. & sanctum Thomam, qui illi maximopere fauent, & ex Patribus Aug. Bern. Theodor. & Tert. omnes apud Vasquez suprà. Referuntur etiam iidem auctores pro hac sententia à Patre Fasolo 1. part. quæst. 8. artic. 2. dub. 3. suprà quos addit eamdem sententiam tenentes Lychetum, Bartigium, Tartaretum, Vrgerium, Nicolaum de Orbellis, Abulensem, Marsilium, Gallium, & Bañes, Radam, Nazarium, Nauarrete, Patrem Valentiam, & Patrem Becanum, quibus subscribit idem Fasolus, his accedit Pater Moncæus disp. 1. c. 2. qui postquàm initio capitis dixerat, illi semper placuisse sententiam negantem Deum fuisse in spatio imaginario, hæc addit: *Cæterùm Doctores Scholastici, qui nostram sententiam amplectuntur magno numero sunt, imò hoc in genere de omnibus fere Ioanne Maiore antiquioribus, dici potest neminem illi esse contrarium,* & postea adducit expressa testimonia S. Bonauenturæ, Scoti, & Capreoli, quibus negant Deum esse in spatiis, & tandem refert Patres suprà relatos Augustinum, Bernardum, & Tertull. Profectò si hos auctores meminisset Arriaga, forsan non dixisset tantopere illi displicere sententiam nostri Vasquez, neque oppositam esse communem omnium ferè Doctorum antiquorum.

3 Sed iam videamus quid contra hanc sententiam excogitauerit Arriaga; sic ille num. 70. *Quando ergo Deum in his spatiis constituo, solum dico illam ex essentia sua habere talem immensitatem, ratione cuius ita existit, vt nequeat produci aut concipi productã aliqua res cui Deus eo ipso non sit intimè præsens etiamsi Deus eam creaturam, neque produceret, neque cognosceret, qui sunt duo alij modi præsentiæ, quos hi auctores præcise videntur Deo concedere.* Nihil docet Arriaga, quod ex nostro Vasq discere non potuerit; Deum enim necessariò esse intimè præsentem omni creaturæ veritatem esse Catholicã probat sapientissimus Pater disp. 27. & Deum non posse nõ esse intimè præsentẽ creaturæ existenti, neque illi esse liberũ, esse in vna potiùs, quàm in alia ex suppositione, quod existat, probat disp. 28. c. 4. n. 13. & hanc intimam Dei præsentiam non probari efficaciter ex eo, quod sit illarũ causa, docet eadem disp. 28. c. 5. & disp. 29. cap. 5. n. 28. expressè docet hanc intimam præsentiam rebus creatis aduenire Deo sine aliqua sui mutatione, ex quibus conuincitur nihil dixisse Arriagam, quod prius Vasquez non docuerit. Addit Arriaga num. 76. *Aduerte à me non dici Deum ante mundum vere, & realiter coexistisse, nam coexistentia dicit duorum existentiam; præter Deum nihil fuit ante mundum, non ergo coexistit proprie, existit tamen, quia ad hoc non requiritur reale tempus nec realis creatura.* Hæc ille, quæ desumpta sunt ex Vasquez disp 29. cap. 3. quapropter nescio quosnam alloquatur Arriaga, dum addit immediatè verbis relatis: *Et in hoc non recte discurrunt, qui vtrumque confundunt,* neque inuenio quid in sententia Patris Vasquez quam illi maxi-

mopere

mopere displicere dicit, eidem displicuerit,qui neque in modo loquendi , neque per exiguum vnguem ab illa discedit.

4 Videamus iam quomodo Hurtadus, & Arriaga rationibus Vasquij respondeant. Arguit Vasquez:spatium imaginarium non est quid reale,sed fictitium , & chimæricum: ergo Deus non potest esse in illo, aliàs Deus esset in chimæra. Discursum hunc prior Vasquio confecerat Angelicus Doctor in 1.dist.37. art.3. in argumento *sed contrà*,vbi sic ait : *In quocumque est aliquid, illud oportet esse, quia in nihilo nihil omnino est.* Respondet Hurtad.num.20.latum esse discrimen inter spatium imaginarium,& chimæram, quia hæc non apprehenditur vt internallum,& intercapedo ad explicandas vbicationum essentias, sicut apprehenditur spatium imaginarium vt aptitudo ad recipienda corpora. Certè plurimùm casus apprehensioni tribuit Hurtadus, qui refert hoc , vel illo modo apprehendi , vt Deus sit in spatio vel vt non sit in chimæra : Constituitur ne Deus præsens per fingentem apprehensionem ? Quæstio est de existentia reali Dei in spatio,ad quam existentiam impertinens est mea apprehensio : ergo si secluſa apprehensione spatium imaginarium , & chimæra non differunt , & sunt æquè nihil , eadémque apprehensione seclusâ non Deus magis existit in spatio imaginario,quàm in chimæra.

5 Concludo, neque Deum, neque Angelum, neque creaturam aliquam esse realiter in spatio imaginario propter prædictam rationem , quam hoc syllogismo cingo. Nihil potest esse realiter in illo , quod realiter non est , sed spatium imaginarium realiter non est : ergo nihil potest esse realiter in illo. Secundò vt rectè ex Vasquio dicebat Arriaga, coëxistere est simul existere , sed spatium imaginarium non existit:ergo non potest aliquid illi coëxistere: ergo nulla entitas potest existere in illo. Hæ rationes efficacissimæ sunt,& æquè probant de ente creato existenti, & possibili. De Deo , & Angelis conclusionem istam tradidit Vasquez in cuius sententia vnum difficile apparet videlicet aliter de ente corporeo , quàm de spirituali videri ipsum loquutum esse,cum illius rationes æquè probent de omni ente. Si tamen attente legatur , idem in re docet de ente corporeo, & spirituali. Asserit corpus tantùm replere vltimam superficiem ambientem, & sine illa in nullo fore,sed tantùm in se ipso,& corpus extra cælum productum non fore in spatio,sed in se ipso, quam doctrinam vniuersaliter tradit , etiam de ente corporeo , additque modò concipi corpus esse in spatio, quia cùm resistat penetrationi alterius,illud concipimus,quasi occupans,& replens spatium , impediénsque, ne aliud corpus idem repleat , quod tantùm importat non posse duo corpora esse sibi mutuò intimè præsentia,neque se attingere secundùm partes profundas, non verò realiter spatium occupare,quia cum spatium realiter non sit,realiter occupari non potest. Entitates verò spirituales cum possint adinuicem esse intimè præsentes,& simul cum alio corpore, non concipiuntur spatium occupantes , ac proinde non habemus fundamentum vt illas in spatio concipiamus , sicut concipimus entitates corporeas,vel si fundamentum aliquod habemus saltem non æquale cum fundamento impenetrationis, quod in corpore reperimus.

6 Obiicit Hurtadus. Si Deus non est extra cælum sequitur Deum realiter posse mutari,quia potest creaturam aliquam extra cælum producere,cui necessariò inciperet esse intimè præsens : ergo inciperet Deus esse in aliquo spatio in quo non erat:ergo mutaretur. Respondeo : producta in tempore aliqua creatura extra cælum Deum in tempore incipere esse illi præsentem sine aliqua mutatione ipsius Dei,quia Deus modo ab æterno habet secũ identificatam immensitatem,ratione cuius inuariatè existentis est intimè præsens cuicumque creaturæ, siue intra cælum, siue extra cælum , quam intimam præsentiam in tempore incipit Deus habere,quia illam tota æternitate præcedenti non habuisse non proueniebat ex defectu immensitatis, seu præsentiæ Dei , sed ex defectu existentiæ creaturæ, qua incipiente per coëxistentiam ipsius , & immensitatis Dei quæ fuit ab æterno , incipit Deus esse illi intimè præsens.

7 Obiicit Arriaga : Deus fuit in spatio imaginario temporis ante mundi creationem:ergo similiter erit in spatio imaginario loci etiam extra cælum. Respondeo : Deum fuisse ab æterno lumine naturæ cognitum esse, ac proinde verum esse Deum fuisse ante mundi constitutionem ; fallsum autem fuisse in spatio imaginario temporis, quia spatium imaginarium tẽporis nihil est,ac proinde in illo Deus esse non potuit, sed tantùm fuit ab æterno in se ipso. Ne tamen ex modo loquendi in re graui æquiuocatio aliqua oriatur ad illam propositionem, *Deus fuit ab æterno in spatio imaginario temporis.* Respondeo negando assumptum,videlicet fuisse ab æterno spatium imaginarium ; cùm enim hoc tantùm sit chimæricum , existit tantùm dum mente fingitur , respectu cuius habet esse obiectiuum , & non aliud. Quapropter ideò solum nego Deum esse ab æterno in spatio imaginario temporis , quia nego ab æterno fuisse spatium imaginarium temporis , quod neque modo est, nisi per fictionem,quod non est esse:quod si ab æterno realiter fuisset spatium imaginarium temporis,negari non posset Deum ab æterno in illo fuisse, quia Deus habet intrinsecam immensitatem, ratione cuius illi repugnat non coëxistere,seu non condurare (liceat sic loqui) omni enti, quandocumque duret.

Addit P.Fasolus Deum esse extra cælos in se ipso , etsi 8
verum sit non esse in spatio, quod tantùm importat Deum esse in se ipso, & non cælorum ambitu circumscribi, sed tantam habere immensitatem, vt ratione illius quamcumque præsentiam habeat creatura siue intra cælos,siue extra illos, eo ipso quod talis creatura existat,Deus illi est actu intimè præsens, quod non tantùm vtcumque verum, sed etiam Catholicum est:ob hanc rationem dixit P.Vasquez verbis suprà adductis Deum ab æterno esse in se ipso, quam existentiam in se lumine naturæ notum est non posse aliquo corpore circumscribi,& ideò existente cælo potest dici Deum esse extra cælum , hoc est non definitum cælorum terminis,ita vt indigeat noua extensione, vt incipiat intimam habere præsentiam cum creatura extra cælorum ambitum producta. Huc tendunt plura testimonia Scripturæ & Patrum, quæ contra nostram sententiam adduci solent,in quibus Deum non posse cælis contineri,& alia huiusmodi traduntur.

PVNCTVM IV.

Quid sit vbi *intrinsecum ?*

TRiplicem de hac re sententiam inuenio. Prima do- 1
cet, *vbi* intrinsecum, seu præsentiam ex vi cuius corpus in loco constituitur non esse accidens physicum superadditum,sed tantùm quamdam extrinsecam denominationem. Sententiam hanc defendit Pater Ægidius Conink 3.p.q.35. dub.1. Secunda sententia asserit hoc *vbi* esse formã intrinsecam,dicit tamen hanc formam resultare in re vbicata ex circumscriptione loci , & esse prædicamentalem relationem distantiæ à polis mundi:tribuitur hæc sententia Alberto Magno lib.de sex principiis tractat. 1. cap.1. Tertia sententia docet *vbi* esse formam realem , & accidens quoddam physicum superadditum rei vbicatæ, ex vi cuius formaliter constituitur præsens. Ita ferè omnes nostri Doctores P.Vasquez 1.part.tom.2. disp.180.cap.7.n.17. P.Suarez 2.Metaphysic.disp.50. sect.1.num.13. P.Hurtadus disp.16.sect.2.P.Albert.tom.2.de prædicam.*vbi*,disp.vnica, quæst.5.

Primò reiicienda est secunda sententia quæ præsen- 2
tiam , seu *vbi* in relatione constituebat resultante ex circumscriptione loci quod sine magna opera efficaciter præstabo.Circumscriptio loci, vt dicit formaliter præsentiam rei locatæ,& loci,vt probabo Punct.1.dicit enim locatum contineri intra locum, & hæc duo esse inter se applicata; ergo præsentia non potest consistere in aliquo, quod resultet ex illa circumscriptione. Secundò mente adime relationem illam resultantem ex circumscriptione loci, & da mihi corpus loco circumscriptum : eo ipso, quod sit loco circumscriptum locatum erit contentum intra locum, & illi approximatum : ergo superfluit posità circumscriptione relatio illa resultans, quæ essentialiter supponit iam corpus præsens , seu vbicatum. Tertiò vltima superficies cælorum nullo circumscribitur , & tamen habet præsentiam:ergo præsentia non resultat ex circumscriptione.

Præferenda est omnibus tertia sententia , quæ asserit 3
præsentiam,seu vbi esse accidens reale, & formam intrinsecè afficientem rei vbicatæ:eisdem rationibus illam probo,& primam impugno. Sit prima ratio. Motus localis est actio:ergo aliquid ex vi illius producitur,aliàs dabitur

actio

actio sine termino, quod repugnat. Si dicas motum localem non esse actionem, inquiram cur in nihilo agendo defatigeris cùm locum acquiris, & aliquod spatium percurris? Respondent alij motum localem esse actionem adductiuam mobilis ad locum extrinsecum, non verò alicuius termini productiuam. Hæc sunt pura verba re vacua. Ex vi huius actionis, quam non vis productionem esse, sed adductionem, mobile est adductum ad locum: Rogo quid est in termino esse adductum? non nuda termini entitas: ergo aliud distinctum, quod modò est & antea non erat: hoc ergo erit præsentia.

4 Secundò efficacissimè arguo. Corpus per suam entitatem non magis determinatum est ad hoc spatium, quàm ad aliud, videmus enim modò hoc, modò illud occupare (semper de spatio loquimur, ac si esset aliquid reale, intendentes tantùm significare præsentias corporum, & eorumdem distantias, quæ semper in ordine ad spatium concipiuntur & explicantur) ergo datur aliquid superadditum, per quod constituatur in hoc spatio, sed hoc superadditum non potest esse spatium, quia nullo spatio in rerum natura producto incipit corpus acquirere hoc spatium, seu hanc habere præsentiã: ergo est aliquid superadditum corpori locato. Dices corpus habere hãc præsentiam non tantùm esse corpus, & spatium, sed corpus provt in spatio. Bene est: Corpus provt in spatio, vel tantum dicit esse in rerum natura corpus, & spatium, vel dicit esse aliquid supra corpus, & spatium: non primum, quia existente hoc corpore, & hoc spatio non est hoc corpus provt in hoc spatio: ergo est aliquid distinctum supra corpus, & spatium illud ergo quod dicit corpus vt in spatio supra corpus, & spatium erit præsentia. Indulgeo in modo loquendi hæc spatia admittentibus, quæ si negentur omnino, & adhuc illis non vtantur ad diuersas præsentias explicandas idem robur meum seruabit argumentum, & in modo loquendi magis premet, spatio enim adhuc à disputatione relegato argumentabor. Idem corpus est indifferens ad habendam hanc vel illam præsentiam: ergo præsentia distinguitur ab illo, & adhuc solutionem iam impugnatam dare non poteris, videlicet distingui præsentias extrinsecè per diuersas connotationes eiusdem corporis ad diuersa spatia.

Dices præsentiam consistere non in aliqua forma superaddita, sed in hac vel illa distantia huius corporis ab 5 illo. Contrà: secundùm hanc solutionem', esse corpora contigua erit esse indistantia, quid ergo erit esse corpora penetrata? Dices corpora penetrari esse idem spatium vtrobique occupare. Non inficior, sed adhuc vrgeo: idem spatium duobus corporibus penetrari non solùm dicit existentiam corporum, & spatium, quia dato spatio, & existentibus corporibus possunt non occupare idem spatium: ergo est aliquid distinctum à corporibus, & spatio: hoc ergo *vbi*, seu præsentiam esse dico. Secundò ad distantiam redeo. Duo corpora esse distantia non est tantùm corpora quæ distant, & spatium, quod interiacet, & corpora intermedia, quia his omnibus existentibus in rerum natura possunt eadem corpora distare, & non distare, & nullo corpore producto, nullóque spatio addito per motum localem fiunt distantia corpora, quæ non distabant: ergo esse corpora distantia includit aliquid distinctum à corporibus, quæ distant, & quæ interiacent, & spatio, hoc distinctum, ex vi cuius formaliter distant, importat præsentias corporum distantium, & interiacentium. Dices corpora intermedia non posse esse inter illa, quæ dicuntur distare, quin formaliter sit illorum distantia. Fateor, sed non explicabis quid sit corpora hæc esse inter illa, quæ distare dicuntur, nisi præsentias superadditas admittas, eadem enim corpora, quæ modò sunt extrema respectu aliorum interiacentium, possent in eodem statu esse intermedia respectu illorum, quæ modò interiacent, quæ essent extrema: ergo hæc corpora esse inter illa dicit præsentias superadditas corporum, quas ego propugno.

Eamdem distantiam aliter impugno: Deus potuit creare 6 hunc mundum constantem eisdem partibus, eodem ordine collocatis in alio spatio, & tunc mundus, & omnia illius elementa haberent alias præsentias: ergo occupare hoc spatium, seu corpora habere has præsentias, non tantùm est ordo, seu collocatio rerum, ex vi cuius hæc corpora mediant inter illa, hæc illa continent, & illa continentur. Antecedens probatur. Potest Deus extra hunc mundum alium creare: ergo potuit creasse hunc in illo spatio, in quo modò potest creare alium. Confirmatur: Deus potest modò totum mundum mouere, eo modo, quo mouetur nauis cum aliis corporibus intra illam contentis, sed tunc mundus, & omnia illius elementa alias acquirerent præsentias, & tamen omnia corpora haberent inter se eamdem collocationem, & eumdem ordinem, eadémque essent continentia, & contenta respectu eorumdem: ergo corpora has præsentias habere, non consistit in hoc ordine corporum interiacentium respectu illorum, quæ distantia dicuntur.

Dicunt alij, me esse hîc, dicere negationem essendi alibi, quos sic impugno. Quando ego sum Matriti, habeo ne- 7 gationem essendi Toleti: ergo quando migro Toletum destruitur negatio essendi Toleti, quam antea habebam: ergo aliquid positiuum producitur, quia nullo alio modo potest destrui negatio, nisi per productionem habitus positiui', cum quo opponitur, & cuius est non esse. Secundò, quando desino esse Matriti, incipit negatio essendi Matriti, ergo desinit esse aliquid positiuum, quod antea erat: ergo esse Matriti erat aliquid positiuum, in qua præsentia Matritana sita erat.

Connotatores dicunt præsentiam identificatam cum corpore aliquando suum effectum formalem tribuere, & 8 aliquando non, ratione connotati existentis, vel non existentis. Doctrinam impugno in Metaphysic. Controu. 4. Punct. 6. §. 2. disputans de distinctione relationis prædicamentalis à fundamento, sed adhuc illa admissa in hac materia locum inuenire non potest. Affirmant connotatores eamdem formalitatem identificatam cum fundamento diuersos tribuere formales effectus ratione diuersorum connotatorum. Vnde ad hoc vt nouus effectus formalis reperiatur, requiritur noua productio connotati, etsi non requiratur productio nouæ formalitatis: sed non potest nouum aliquod connotatum assignari, ratione cuius incipiat præsentia mecum semper identificata tribuere modò effectum formalem, quem antea non tribuebat, & me Matriti constituere, vbi antea non eram: ergo hæc connotatorum doctrina non potest in hac materia subsistere. Non posse dari aliquod connotatum denuò productum satis probatum est, dum illud connotatores non assignent, & facilè suadetur, nihil enim supponitur ad præsentiam denuo productum in mobili, aut in principio mouente, aut in alio subiecto: ergo nullum est nouum connotatum, cum nouam acquiro præsentiam, ratione cuius hæc, quæ antea fuerat quoad entitatem tantùm, modò incipiat, esse quoad formalitatem. Si dicas hoc connotatũ esse motum inquiro an motus iste qui essentialiter est actio terminum habeat, vel illo careat, hoc vltimum dici nequit, actio enim essentialiter dici terminum. Si terminum habeat, hunc ego præsentiam esse dico, & non tantùm connotatum. Secundò præsentias superadditas negas, ne multiplices entitates: ergo absre cum loco præsentiæ, quam neges connotatum aliud admittis. Addo, quod si daretur motus localis, seu actio sine termino in hac formaliter præsentiam esse constituendam, & dicendum motum habere secum terminum identificatum; qui enim affirmant actionem dari sine termino, tantum in modo loquendi differunt ab his, qui dicunt terminum esse identificatum cum actione, vt in simili probabo Controuers. 5. de anima, Punct. 1. contra illos, qui dicunt intellectionem actionem esse termino carentem.

Obiic. primò. In primo instanti, in quo res producitur, 9 est in loco, & in illo instanti non mouetur: ergo rem esse in loco non importat motum aliquem. Respondeo præsentiã acquiri semper per actionem productiuam illius, siue hæc actio proueniat à re præsente, siue à causa hanc producente, hanc tamen actionem non dici motum respectu subiecti, quod prius tempore non fuit existens, quia actio supra motum dicit negationem termini præcedentem in subiecto tempore immediatè antea existenti.

Obiic. secundò. Si motus consistit in actione superaddi- 10 ta, talis actio continua esse non potest, quia quando aduenit hæc pars, iam alia abiit, & non est, & ita numquam poterunt partes motus vniri. Hæc obiectio compositionem successiuorum non præsentias superadditas intendit euertere. Respondeo motum localem dici continuum successiuè, quia illius partes sunt successione continuæ, id est nulla facta interruptione fluunt, vna immediata post aliam, & hoc tantum modo continuari præsentias, quas acquirit homo, cum per spatium diuisibile mouetur, & per hanc vnionem ordinis, & successionis, neque præsentias

tias productas, neque actiones, ex vi quarum producuntur, vnionem aliam habere. Instabis: sequi ex hac solutione dari infinitas præsentias, & infinitas actiones in motu, quo homo ex hac parte prima cubiculi in illam vltimam mouetur. Respondeo in opinione, quæ continuum componit ex infinitis partibus, & indiuisibilibus concedendam esse sequelam, in qua nullum est absurdum supposità hac continui compositione: in opinione verò, quæ continuum ex indiuisibilibus finitis statuit, facilè sequelam nego, quia in quocumque motu sunt partes finitæ, quibus partes finitæ termini correspondent.

11 Obiic. tertiò. Subiectum non potest supponi tanquam causa materialis præsentiæ: ergo præsentia non potest illi inhærere. Probatur antecedens; ad hoc vt subiectum formam recipiat, debet supponi approximatum agenti, sed subiectum non potest supponi approximatum ad ipsam præsentiam, quia per istam formaliter approximatur: ergo nullum subiectum potest supponi vt principium recipiens præsentiam. Respondeo subiectum non debere supponi præsens ad causandam propriam præsentiam, sicuti neque natura debet supponi subsistens ad producendam, seu recipiendam subsistentiam etiam in opinione, quæ asserit subsistentiam se tenere ex parte actus primi respectu actionum, quæ à substantia effectiuè procedunt. De hoc latiùs Contr.10. Punct.4.

12 Obiic. quartò. Antequam corpus producat præsentiam superadditam debet supponi approximatum spatio: ergo per hanc præsentiam superadditam non potest constitui præsens. Probatur antecedens: si non deberet supponi approximatio ad spatium priusquam produceretur præsentia, possem ego modò Compluti existens producere præsentiam Romæ sed non possum illam producere: ergo ex eo est, quod non sum Romæ approximatus: ergo ante productionem præsentiæ debet supponi approximatio subiecti ad spatium, in quo producenda est præsentia. Respondeo, me non posse ex hoc spatio immediatè producere præsentiam in alio non esse ex eo quod non possim agere in distans, quia si præsentiam distantem ab hac immediatè producerem, semper in me ipsum agerem, & non in aliud distans, quia quando produco præsentiam, ex vi cuius Romæ præsens fio, non ago in spatium Romanum, sed in me ipsum & approximatio tantùm supponitur ad effectum producendum inter principium passiuum, & actiuum, quorum neutrum est spatium, & ita ad producendam præsentiam non debet supponi principium productiuum illlius approximatum spatio, vt falsò concedit obiectio, quod si immediatè post præsentiam Complutensem non possim producere præsentiam Romanam, non est ex defectu huius applicationis sed ex natura præsentiarum, quæ petunt certo ordine produci, ita vt inter Romanam & Complutensem aliæ præsentiæ producantur, quod aliqui tantùm intendunt cum dicunt subiectum debere supponi negatiuè spatio approximatum, hoc est, debere immediatè antea habuisse præsentiam non distantem, quia præsentiæ, quæ distant non possunt immediatè produci.

13 Obiic. quintò. Eo ipso quod entitas intelligatur correspondens spatio, est formaliter præsens: ergo non indiget præsentia superaddita vt sit præsens. Concedo antecedens, & nego consequentiam, quia ad hoc vt correspondeat spatio indiget illo modo cum ex se indifferens sit vt huic vel illi spatio correspondeat. Alia huic argumento similia fiunt, in quibus ex parte antecedentis supponitur superadditus modus, quo posito, formaliter corpus constituitur præsens, & postea infertur in consequenti necessarium non esse talem modum: eorum sunt, in quibus infertur non dari præsentiam superadditam ex eo quod si res sit constituta cum hac distantia, vel quod sit contenta intra illud corpus, vel quod inter illam, & aliam, hoc, vel illud corpus sit interpositum, quocumque alio secluso sit formaliter præsens, in quibus verum est antecedens, & falsum consequens, & illatio pessima, supponitur enim in antecedenti, quod negatur in consequenti, quia rem intra aliam contineri, & hunc vel illum ordinem positionis seruare formaliter includit præsentiam superadditam rei, quæ poterat non ita intra illam contineri, & talem positionis ordinem non seruare.

PVNCTVM V.

An in toto composito singulis entitatibus distincte præsentia correspondeant.

EXistimarunt nonnulli recentiores non posse in quæstionem vocari an in homine anima rationalis sit præsens per præsentiam materiæ primæ, aut quantitatis ex eo quod anima rationalis definitiuè existat, & materia prima, illiúsque quantitas circumscriptiuè, quæ præsentiarum differentiæ videntur non posse in eamdem confluere. Alienus longè sum ab hac mente, & ideo primum statuo eodem modo philosophandum esse de forma hominis, ac de quacumque alia formâ materiali, rationem do. Ex eo quod hæc pars formæ equi vniatur huic parti materiæ existenti in hoc spatio præcisâ aliâ præsentiâ tenente se ex parte formæ (id suppono de forma equi, vt consequentiam faciam de forma hominis,) pars formæ est in eodem spatio, in quo est pars materiæ, cui vnitur, & si tota forma equi vniretur eidem parti materiæ, ex vi illius vnionis tota forma esset in spatio, in quo est illa pars materiæ: ergo ex eo quod tota anima rationalis vniatur huic parti materiæ tota debet esse in eodem spatio, in quo est pars cui vnitur, verbi gratia, ex eo quod tota anima rationalis vniatur huic indiuisibili materiæ capitis debet esse in spatio, in quo est illud indiuisibile: ergo ex eo quod eadem anima tota vniatur indiuisibili materiæ pedis debet esse in eodem spatio, in quo est illud indiuisibile: ergo ex eo quod tota anima rationalis vniatur singulis partibus, & singulis indiuisibilibus huius materiæ diuisibilis, præcisâ quacumque aliâ præsentia tenente se ex parte formæ, debet tota esse in singulis partibus, & indiuisibilibus spatij, in quibus sunt singulæ partes. & singula indiuibilia materiæ, & anima rationalis secundùm se totam esse intimè præsentem ex vi vnionis singulis indiuisibilibus, & partibus materiæ, siquidem singulis vnitur, & forma ex vi vnionis ad subiectum constituitur præsens in eodem spatio, in quo est subiectum. 1

Ad illud, quod adducebatur de differentia præsentiæ definitiuæ, & circumscriptiuæ respondeo, posse eamdem præsentiam diuisibilem esse circumscriptiuam respectu vnius subiecti, & definitiuam respectu alterius, si secundùm singulas sui partes toti subiecto correspondeat, respectu cuius definitiua dicitur, ita vt quælibet pars illius totum subiectum afficiat, & respectu alterius ita se habeat vt diuersis subiecti partibus diuersæ præsentiæ partes correspondeant, ita vt nulla pars subiecti, duplici parte illius præsentiæ afficiatur. Hac ratione se haberet præsentia materiæ primæ respectu materiæ, & respectu animæ rationalis, si vtramque afficeret, quælibet pars distincta præsentiæ semper distinctam partem materiæ respiceret, diuersæ tamen partes eiusdem præsentiæ respicientes diuersas partes materiæ respicerent omnes simul, & illarum quælibet totam eamdem indiuisibilem animam. De hoc iterum, Puncto immediatè venturo. Concludo ergo eodem modo philosophandum esse de anima rationali, ac de reliquis formis, eadémque probabilitate posse dici esse præsentem per præsentiam materiæ, aut quantitatis, dum est materiæ vnita, ac de quacumque alia forma materiali. Quid de omnibus tenendum sit, iam dico. 2

Pater Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 199. n. 29. ait materiam primam, & reliquas formas substantiales, & accidentales, quæ sunt in composito, esse præsentes per præsentiam quantitatis. Vasquium sequutus est Albert. de prædicam. quantitatis disp. vnica, q. 6. Omnibus entitatibus distinctis à præsentia, & motu, ex vi cuius producitur, distinctas respondere præsentias defendunt P. Suarez in Metaph. disp. 41. sect. 5. P. Rub. tract. de loco, quæst. 6. contrariâ opinione relicta quam in prioribus commentariis fuerat amplexus. Eamdem tenet Hurtadus disp. 14. sect. 4. Addítque Hurtadus sententiam nostri Vasquez non multum habere ponderis, neque rationis: sed videamus quantum roboris, & ponderis habeant rationes quibus illam impugnat. 3

Arguit primò Hurtadus. Quantitas habet idem *vbi*, etiamsi pereant accidentia, quæ illi inhærent: ergo non habet præsentiam illis communem. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia quantitas habet 4

habet proprium *vbi* tantum illi essentialiter connexum, ex vi cuius erunt præsentia quæcumque alia vniantur quantitati, quæ si non vniantur,non illa desiderabit præsentia quantitatis, quæ proprio subiecto, quod essentialiter respicit quantitate videlicet, contenta est. Eadem solutione respondeo ad aliam Hurtadi obiectionem, quæ in eamdem coincidit, videlicet permanere vbi quantitatis destructis accidentibus, ex quo inferebat non esse modum illorum, concedo enim non esse modum illis intrinsecum, assero tamen posita vnione cum quantitate constituere in loco accidentia terminata ad talem vnionem, sicut vnio materiæ primæ ad quantitatem denominat materiam vnitam remotè albedini, quando albedo est vnita proximè quantitati,& hanc denominationem non tribuit eadem permanens,quando albedo quantitati non est vnita. Ait Hurtadus, formas tantùm communicare suum effectum formalem subiecto immediato, & non mediato, quia albedo non dicitur dulcis,etiamsi subiectetur in subiecto habente dulcedinem : addit tamen num.37. effectus formales modorum posse adscribi remotè subiectis formarum, quas afficiunt. Ex quo infero contra ipsum formas modales non tantùm communicare suum effectum formalem subiecto proximo, sed etiam remoto,vt in exéplo vnionis supra adducto ipse fatetur. Ad illud quod adducit de albedine, quæ non vocatur dulcis, etiamsi sit in eodem subiecto, in quo est dulcedo respondeo id tantùm dici dulce, quod est radix dulcedinis, & ideo etiamsi dulcedo subiectetur in quantitate, & non in substantia sacchari dicimus saccharum esse dulce,& non appellamus dulcem sacchari quantitatem. Insuper denominatio dulcis est denominatio obiecti potentis talem sui sensationem producere, quæ potentia non conuenit formæ ex eo quod sit vnita subiecto, cui talis vnitur potentia, sicut quantitas non est potens videre ex eo quod sit vnita materiæ animalis, cui est vnita potentia visiua, quia hæc neque ipsam materiam, cui vnitur constituit potentem videre. Ex quo inferes manifestum discrimen inter has, similésque formas, & extensionem & alia; potentia enim visiua in homine siue distincta, siue identificata cum anima materiæ vnita,non illam constituit potentem videre, & extensio, seu præsentia localis necessariò constituit præsens, & extensum subiectum cui vnitur. Secundò, etiamsi albedo ex eo quod sit vnita quantitati externæ, non sit extensa fotmaliter, in omnium opinione præcisè ex vi illius vnionis saltem exigit extensionem ex vi cuius formaliter constituatur extensa,& tamen ex eo quod vniatur quantitati habenti dulcedinem, neque constituitur dulcis, neque exigens dulcedinem, ex vi cuius dulcis constituatur : ergo longè diuersa est ratio de his formis, ac de extensione est.

5 Instat Hurtadus. Deus potest conseruare accidentia in eodem loco, in quo erant quantitati vnita, destructa iam quantitate : ergo non erant præsentia per præsentiam quantitatis. Respondeo Deum posse conseruare qualitates in eodem loco, ac modò sunt destructa quantitate tribuendo illis nouam præsentiam, ratione cuius de nouo producantur in eodem loco, non verò posse illa conseruare præsentia in eodem loco ex vi præsentiæ,quam antea habebant, quæ destructa quantitate necessariò periit. Vide quàm facilè soluantur argumenta, quæ contra Vasquez adducit Hurtadus, & quàm leuia sint illius fundamenta,quibus comparata non parum ponderis, neque rationis adducta à Vasquio habere videbuntur.

6 Eamdem ferè sententiam cum Hurtado defendit Arriaga, qui asserit omnes formas, seu modos separabiles à materia habere proprias, distinctásque præsentias, & probabile esse materiam & quantitatem habere præsentiam communem, & indistinctam. Ad probandum formas separabiles à quantitate habere proprias præsentias præter Hurtadi fundamenta hoc adducit. Potest albedo vnita quantitati non esse in eodem loco,vbi est quantitas:ergo præsentia albedinis distinguitur à præsentia quantitatis. Consequutio euidens est. Antecedens probat : quantitas habens albedinem potest poni in duplici loco, & albedo tantum in vno : ergo potest quantitas præsens esse in aliquo loco, in quo non sit albedo illi vnita. Antecedens asserit à nemine negandum esse, sed fiducia vana fefellit Arriagam, mihi enim illud negare placet iuxta opinionem Vasques, quia cùm præsentia quantitatis formaliter constituat in loco omnia accidentia illi vnita, tot præsentias habebit accidens, quot quantitas; ac proinde si quantitas sit in duplici loco, accidens illi vnitum non poterit non esse in eodem duplici loco. De hac doctrina dubitabit nemo,qui sententiam Patris Vasquez amplectatur.

Hæc dixi, vt probarem non grauis ponderis esse rationes hucusque adductas contra Vasquium, nihilominus sto pro sententia concedente omnibus entitatibus, quæ non sunt essentialiter spatiis affixæ, sicuti præsentia, & motus,seu actio, ex vi cuius hæc producitur, præsentias distinctas. Moueor hac ratione, quam acuti recentiores excogitarunt. Quando video albedinem non tantùm video nudam albedinis entitatem, sed etiam illius præsentiam, vt probabo Controuers. 12. de anima, Punct.1. §.3. ergo præsentia albedinis distinguitur à præsentia quantitatis, & vnione ipsius albedinis ad quantitatem. Probo consequentiam : quantitas visibilis non est : ergo neque est visibilis modus proprius quantitatis : ergo præsentia quantitatis non videtur : sed præsentia albedinis videtur: ergo distinguuntur. Secundò, etiamsi videretur præsentia quantitatis ex eo quod videatur hæc quantitatis præsentia, & videatur albedo, non videtur albedinem esse in eodem loco cum quantitate, quia esse in eodem loco non tantùm dicit præsentiam quantitatis, & albedinem, sed etiam vnionem : ergo ad hoc vt videretur albedo præsens per præsentiam quantitatis debebat videri vnio albedinis ad quantitatem : sed hæc vnio videri nequit : ergo neque albedo potest videri præsens per præsentiam quantitatis. Vnionem albedinis cum quantitate videri non posse sic probo : si poneretur albedo intimè præsens cum quantitate sine aliqua vnione eodem modo videretur, ac quando est vnita : ergo vnio non terminat actum videndi. Secundò, nemo audebit dicere se habere notitiam intuitiuam vnionis inter albedinem,& quantitatem, ergo non videtur talis vnio. Scio te posse respondere vnionem videri, non tamen posse discerni. Sed quo fundamento asseris te videre id, quod numquam discernis, neque probabilis aliqua ratio videri suadet? quod adhuc fortiùs vrget respectu præsentiæ quantitatis. 7

Præsentiam, & actionem ex vi cuius producitur non indigere aliis præsentiis fatentur omnes,quia sicuti actio non indiget actione, vt ab agente dependeat, quia ipsa est ratio dependendi, & per ipsam dependet, ita præsentia non indiget alia præsentia, vt præsentetur,quia est ratio formalis præsentandi alia corpora,& per se ipsam præsentatur. De actione productiua huius præsentiæ probatur ex eo quod essentialiter, & per se ipsam est termino affixa, & ita per ipsum terminum constituitur in eodem spatio cum illo.Secundò à posteriori,quia actio productiua præsentiæ indigeret aliâ præsentia,rursus illa præsentia per actionem produceretur, quæ aliâ præsentiâ indigeret, & sic in infinitum procederetur. 8

Obiicies primò pro sententia P.Vasquez Eo ipso,quod albedo sit vnita quantitati, est determinata vt sit in eodem loco cum quantitate:ergo non indiget aliâ præsentiâ vt determinetur ad existendum in tali loco:ergo absolutè non indiget alia præsentia. Probo consequentiam : præsentia superaddita datur,vt entitas indifferens ad hoc vel illud spatium occupandum determinetur specialiter ad hoc determinatum, sed albedo vnita quantitati non est indifferens, sed determinata per vnionem ad quantitatem, & præsentiam huius : ergo non indiget alia præsentia. Respondeo distinguendo primum antecedens : albedo eo ipso,quod sit vnita quantitati est determinata, vt sit in eodem spatio cum illa : est determinata in actu primo, concedo antecedens, est determinata in actu secundo, nego : est dicere : albedo eo ipso quod sit vnita quantitati exigit præsentiam,ex vi cuius sit in eodem loco cum quantitate, non tamen formaliter ex eo præcisè est in eodem loco cum illa, sicuti ignis eo ipso quod sit applicatus ligno cum reliquis prærequisitis ad producendum calorem in illo,est in actu primo determinatus ad agendum in illud lignum,non tamen est in actu secundo, & formaliter determinatus quousque adueniat actio,sic similiter albedo vnita quantitati præsenti est in actu primo determinata, vt sit in eodem spatio cum quantitate,non tamen est determinata in actu secundo,& formaliter præsens, quousque illi adueniat præsentia Ad confirmationem dico præsentiam non solùm requiri, vt determinet subiectum in actu primo ad spatium,sed vt illud in actu secundo determinet,& formaliter præsens constituat. 9

Obiic. secundò. Si singula accidentia haberent præsentias, sequeretur materiam primam moueri tot motibus, quot haberet accidentia. Respondeo negando sequelam, quia licet cùm mouetur totum cómpositum tot dentur motus, quot accidentia, non omnes materiam primam afficiunt, sed quilibet subiectum præsentiæ productæ ex vi illius.

PVNCTVM VI.

Quotuplex sit præsentia, & quòmodo differat circumscriptiua à definitiua.

1 PRæsentia Dei, immensitas dicitur, ex vi cuius sine mensura est intimè præsens omnibus rebus existentibus, ita necessariò, vt implicet existere creaturam aliquam, cui Deus non sit intimè præsens. Hæc immensitas indistincta est ab ipso Deo, in quo nulla accidentium compositio reperitur. Hanc ab omnibus quibuscumque præsentiis creatis specie differre, per se notum est, quid enim magis differens quam in creatum à creato, infinitum, & immensum à finito, & limitato. Præsentia creata duplex est, quædam definitiua, alia circumscriptiua. Præsentia circumscriptiua dicitur, qua corpus præsens secundùm se totum toti spatio correspondeat, & secundùm singulas sui partes singulis partibus spatij, ita vt ex vi illius nulla pars spatium cum alia communè habeat. Præsentia definitiua est illa, ex vi cuius totum, siue diuisibile siue indiuisibile correspondet secundùm se totum toti spatio diuisibili, & secundùm se totum cuilibet parti, & cuilibet indiuisibili spatij. Præsentiam circumscriptiuam habent omnia corpora, quæ naturaliter existunt. Definitiuâ gaudent Christi corpus in se diuisibile hoc modo indiuisibili præsens in Eucharistia, & rationalis anima, & quilibet Angelus indiuisibilis secundùm entitatem, & spatio diuisibili præsens.

2 Audiendi non sunt, qui apud Albert. de prædicam. *vbi* disput. vnica, quæst. 7. dicunt, præsentiam definitiuam, seu modum, quo res est indiuisibiliter in spatio indiuisibili esse tantum negationem extensionis, contra quos eisdem argumentis probatur præsentiam definitiuam esse accidens superadditum, ac de reliquis præsentiis probatum est Punct. 4. quia Angelus, & anima rationalis definitiuè sunt præsentes, modò in hoc spatio, modò in illo, & in maiori, aut minori spatio: ergo per aliquid positiuum determinantur, vt sint potius in hoc spatio, quàm in illo, negatio enim extensionis semper est eadem, & non potest hanc determinationem præstare. Idem dico de Angelo, & de puncto quantitatis separato (si potest dari) existentibus in puncto indiuisibilis spatij, propter indifferentiam, quam habent vt sint in hoc vel in illo puncto spatij.

3 Præsentiam definitiuam, & circumscriptiuam in vniuersum specie distingui docuit P. Suarez in Metaphysic. disput. 51. sect. 6. num. 18. & cum illo re indiscussâ plures recentiores. Non id in dubium verto, si comparentur præsentia circumscriptiua quantitatis, & præsentia definitiua Angeli, hæ enim specie different ratione subiectorum, etiamsi vtraque esset definitiua, diuersa enim est in specie præsentia definitiua quantitatis Eucharisticæ à præsentia definitiua Angeli. Est dubitandi ratio; facta comparatione inter præsentiam definitiuam, & circumscriptiuam respectu subiecti eiusdem specie, vel numero. An videlicet præsentia definitiua, quam habet Christi quantitas in Eucharistia specie differat à præsentia circumscriptiua, quam habet in cælis eadem quantitas, & à præsentia circumscriptiua, quam habet alia quantitas eiusdem speciei cum quantitate Eucharistica. Arriaga disp. 1. de anima, sect. 4. subsect. 8. n. 113. in materia Eucharistica probat has præsentias specie non differre, quam sententiam iam diu docuêre perdocti magistri.

4 Sentio in sententia constituente continuum ex puris indiuisibilibus posse corpus esse definitiuè præsens per repetitionem præsentiarum circumscriptiuarum, nulla addita præsentia distincta in specie à circumscriptiua. Explicatio conclusionis solida erit illius probatio. Esse corpus definitiuè nihil aliud est quàm omnia indiuisibilia, quibus constat (procedo in sententia, quæ continuum ex indiuisibilibus componit) esse in quocumque indiuisibili spatio, quod dicit hoc indiuisibile corporis esse repetitum in omnibus indiuisibilibus spatij, & omnia indiuisibilia corporis esse penetrata in hoc indiuisibili spatij, & sic de omnibus indiuisibilibus tam corporis, quàm spatij: sed totum hoc potest fieri per præsentias circumscriptiuas repetitas: ergo ad hoc vt corpus sit definitiuè præsens non indiget præsentia aliqua specie distincta circumscriptiua. Maior certa est apud omnes, minorem probo. Penetratio eorumdem indiuisibilium, & repetitio eiusdem indiuisibilis in eodem spatio tantùm dicit multitudinem præsentiarum in eodem spatio, quia si corpori modò existenti circumscriptiuè alia præsentia circumscriptiua addatur, ex vi cuius indiuisibile capitis constituatur in spatio, in quo est indiuisibile pedis, & indiuisibile pedis in spatio, in quo est indiuisibile capitis, & rursus alia, ex vi cuius indiuisibile brachij constituatur in spatio, in quo est inuiuisibile pedis, & indiuisibile pectoris in spatio in quo est indiuisibile pedis, & semel & iterum replicentur præsentiæ, fiet, vt nullum sit indiuisibile spatij, in quo non sint omnia indiuisibilia corporis, & consequenter totum corpus ex illis indiuisibilibus compositum erit in toto spatio, & totum in quolibet indiuisibili illius spatij, quod est esse definitiuè, eodem omnino modo potest esse in hoc spatio, ac si esset circumscriptiuè totum corpus, & sic de omnibus aliis: ergo præsentia, quam habent omnia indiuisibilia corporis existentis definitiuè potest esse eiusdem speciei cum præsentia, quam haberent, si corpus existeret circumscriptiuè: ergo & præsentia totius compositi, quia præsentia compositi non distinguitur à præsentiis, quas habent partes, ex quibus componitur. Antecedens probo ex eo quod corpus sit præsens definitiuè tantum, infertur indiuisibile corporis existens in hoc indiuisibili spatij extiturum simul in aliis indiuisibilibus spatij, & omnia indiuisibilia corporis extitura in eodem indiuisibili spatij. Sed ex eo quod hoc indiuisibile sit futurum in aliis spatiis non variatur præsentia, quam habet in isto, quia hac perseuerante possunt aliæ aduenire, neque ex eo quod alia indiuisibilia sint extitura in eodem spatio, quia indiuisibile penetratum cum alio, sicuti quodlibet aliud corpus potest habere eamdem præsentiam, quam haberet si non esset penetratum: ergo ex eo quod corpus sit definitiuè non variantur præsentiæ, quas haberent singula illius indiuisibilia in singulis spatiis, sed tantum multiplicantur: ergo non variatur præsentia totius, sed tantum multiplicatur.

Ex hoc infero, quod si corpus aliquod prædicto modo definitiuè poneretur in spatio aliquo, quod posset correspondere adæquatæ præsentiæ circumscriptiuæ illius v.g. si consecraretur corpus Christi in quantitate panis correspondente quantitati hominis, posse ex vi præsentiæ inclusæ in definitiua solum per ablationem aliarum præsentiarum manere corpus circumscriptiuè præsens, quia indiuisibilia capitis possent retinere præsentiam, qua indigerent vt totum esset circumscriptiuè, & reliquas amittere, & sic de reliquis indiuisibilibus, ita vt nullum maneret cum alio penetratum, neque in duplici spatio repetitum, & omnia ac singula debitam positionem, & proportionem seruarent, vt totum quantitatiuum cum debita partium inter se distantia esset in toto spatio, & singulæ partes illius singulis partibus spatij responderent. Præsentia definitiua sic explicata à circumscriptiua differt, ex eo quod hæc dicit negationem multitudinis repetitæ præsentiæ, ratione quarum omnia indiuisibilia corporis inter se penetrata repetantur in singulis indiuisibilibus spatij, præsentia verò definitiua dicit harum præsentiarum multiplicitatem. 5

Rem ita compositi in opinione, quæ continuum ex indiuisibilibus componit, in opinione verò, quæ illud ex partibus semper diuisibilibus, & indiuisibilibus componit, existimo præsentiam definitiuam distinguendam esse specie à circumscriptiua, quod sic probo. In præsentia definitiua debet dari pars aliqua præsentiæ afficiens partem diuisibilem subiecti quæ illam adæquatè constituat in indiuisibili spatio, seu in quocumque indiuisibili illius spatij, sed in præsentia circumscriptiua nulla datur pars præsentiæ, ex vi cuius pars diuisibilis corporis constituatur adæquatè præsés & in indiuisibili spatij: ergo datur in præsentia definitiua pars, cui non correspondeat alia eiusdem speciei in præsentia circumscriptiua: ergo præsentia circumscriptiua, & definitiua specie differunt, quia eo ipso quod totum partem aliquam essentialem contineat essentialiter distinctam à partibus aliùs totiùs, essentialiter ab illo toto distingui necesse est. 6

Sentio

7 Sentio insuper adhuc in opinione, quæ continuum ex indiuisibilibus componit, posse dari respectu eiusdem quantitatis præsentiam definitiuam specie distinctam à circunscriptiua, quod facilè suadeo. Potest corpus existere definitiuè in hoc spatio diuisibili non per repetitionem præsentiarum circunscriptiuarum, sed ex vi vnius præsentiæ secundùm suam entitatem indiuisibilis, quæ indiuisibiliter respiciat totum subiectũ diuisibile, & totum hoc diuisibile spatium, ita vt secundum eamdem entitatem constituat hoc indiuisibile quantitatis in singulis indiuisibilibus spatij diuisibilis, vt de præsentia Angeli multi affirmãt & eadé, quæ hoc præstat respectu huius indiuisibilis quãtitatis, potest idem præstare per se ipsam respectu aliûs & aliûs indiuisibilis, ita vt ab omnibus seorsim, & simul sumptis dependeat eo modo, vt quocumque deficiente tota præsentia deficeret. Sed hæc præsentia essentialiter differet à circumscriptiua, ergo præsentia definitiua & circumscriptiua respectu eiusdem corporis in quacũque opinione de continui compositione possunt specie differre. Secundò, Potest etiam dari præsentia definitiua diuisibilis ex parte subiecti, & indiuisibiliter respiciens spatium diuisibile, ita vt diuersa pars præsentiæ esset, quæ respiceret hoc indiuisibile, seu hanc partẽ quantitatis ab illa, quæ aliam partem respiceret, non tamen esset diuersa pars præsentiæ, ex vi cuius hæc quantitatis pars constitueretur in hac parte spatij, & in alia distincta ab hac, sed per eamdemmet præsentiam indiuisibiliter sumptam hæc quantitatis pars constitueretur in hac, & in illa parte, & in toto spatio indiuisibili, & per idem indiuisibile præsentiæ hoc indiuisibile quantitatis constitueretur in omnibus indiuisibilibus spatij contentis in spatio diuisibili. Hæc præsentia diuisibiliter subiectum respiciens, & spatium indiuisibiliter specie distingueretur ab alia, quæ tam subiectũ diuisibile, quam spatium indiuisibiliter respiceret, vt per se notum est, haberet enim prædicatum notabiliter differens à prædicatis aliûs præsentiæ, quod posset esse multis commune, quod necessariò essentiam distinctam constituit.

8 Dixi punct. 5. num. 2. eamdem præsentiam posse esse circunscriptiuam respectu vnius entitatis, & definitiuam respectu alterius, quod iterum confirmo, & explico de præsentia etiam respiciente vtramque entitatem diuisibilem secundum se. Ratio est illa, quam ibi reddidi. Potest dari præsentia, quarum partes singulæ respiciant singulas partes vnius subiecti, ita vt pars præsentiæ, quæ respicit hanc partem subiecti non respiciat aliam eiusdem, & similiter respiciat eodem modo diuisibiliter partes spatij, ita vt pars quæ respicit hanc partem spatij, non respiciat aliã quæ partes præsentiæ indiuisibiliter respiciant totum aliud subiectum diuisibiliter, ita vt quælibet pars præsentiæ, quæ tantùm respicit partem subiecti, quod constituit circunscriptiuè præsens respiciat omnes partes subiecti, quod constituit definitiuè præsens, & essentialiter dependeat ab omnibus partibus subiecti; quod definitiuè præsentat, & tantùm ab vna parte subiecti, quod circunscriptiuè præsens constituit, & tota illa præsentia diuisibiliter spatium, & subiectum ciruunscriptiuè existens respiciet, & indiuisibiliter secundùm quamlibet sui partem totum subiectum ex vi illius definitiuè existens: ergo potest dari præsentia quædam, ex vi cuius totum hoc corpus sit in toto spatio cum correspondentia partis corporis ad partẽ spatij, ita vt nulla pars sit cum alia comparte penetrata, quod est esse circunscriptiuè, & ex vi cuius totum corpus aliud diuisibile sit in quolibet indiuisibili spatij diuisibilis, quod est esse definitiuè præsens: ergo eadem met præsentia potest esse definitiua respectu huius corporis, & circunscriptiua respectu illius. Veritatem primi antecedentis commendat illius explicatio, ideò tam fusè illud proposui, neque repugnantia aliqua poterit assignari in natura modi, quam explicui; potest enim dari modus, qui indiuisibiliter afficiat plura subiecta, ac proinde poterit dari pars præsentiæ, quæ indiuisibiliter afficiat partem quamdã huius subiecti, & omnes partes illius, quæ simul cum aliis partibus, quarũ quælibet respiciat diuersam partem huius subiecti, & eadem omnes illius, constituet præsentiam huius subiecti circunscriptiuam, illiusque definitiuam.

9 Vltimò noto: Præsentiam hanc circunscriptiuam respectu vnius subiecti, & definitiuam respectu aliûs specie distinguendam esse à præsentia purè definitiua, & ab alia purè circunscriptiua, ex eo quod esset penetratiua respectu subiecti, quod definitiuè præsentaret, & extensiua respectu alius, quod circunscriptiuè præsens constitueret. Neq; in se contineret differentias essentialiter oppositas, quia differentiæ, quæ essentialiter opponuntur in præsentiis sũt ratio præsentiæ purè circunscriptiuæ, quarum neutra tali præsentiæ competeret, non verò ratio definitiuæ præsentiæ non excludentis rationem circunscriptiuæ, sed cum illa identificatæ, & ratio præsentiæ circumscriptiuæ non excludentis rationem definitiuæ sed identificatæ cum illa sicuti opponuntur in viuentibus purum sensitiuum competens bruto, & purum rationale competens Angelo, & non opponuntur in homine, sensitiuum, & rationale formaliter distincta, & realiter identificata.

Punctum VII.

An creatura possit ab omni præsentia absolui.

CReaturam adhuc de potentia Dei absoluta non posse conseruari sine aliqua præsentia, ex vi cuius in aliquo sit spatio, affirmat Pater Soar. lib. 4. de Angelis cap. 3. & Arriaga disp. 14. sect. 4. Oppositam sententiam defendunt Pater Vasquez tom. 2. in 1. part. disput. 195. cap. 3. & 4. & Pater Moncæus disp. 1. c. 2. & 8. qui sentiunt posse creaturam de potentia Dei absoluta absque vlla præsentia conseruari, quibus habens assentior. 1

Sententiam, quam defendendam suscepi, sic probo: Præsentia est accidens quoddam superadditum creaturæ, productum per actionem distinctam ab ipsa creatura: ergo poterit Deus, posita actione productiua creaturæ suspendere actionem, qua producenda erat præsentia. Probo consequentiam: actio ex vi cuius producitur creatura, prior est actione, ex vi cuius producitur præsentia illi inhærens: ergo illa prior actio non dependet à priori ab hac actione posteriori: ergo tantùm dependet à posteriori (si talis dependentia reperiri potest) quatenus hæc posterior, ex vi cuius præsentiæ producitur priorem consequitur, sed hæc dependentia à posteriori, quæcumque sit, poterit supleri à Deo, nulla enim ratio potest reperiri, propter quam causa tantum connexionem habeat cum effectu, vt non possit Deus productã causâ non producere effectum: ergo poterit Deus quamcumque creaturam sine præsentia cõseruare. Deinde probatur conclusiio in similibus difficultatibus omnium potissima ratione. Nulla est repugnantia, neque inferuntur duo contradictoria ex eo, quod conseruetur creatura sine præsentia: ergo poterit conseruari. Antecedens probabit argumentorum solutio. 2

Obiic. primò Soar, & Arriaga, nos non posse concipere creaturam nisi alicubi existentem, ex quo intendunt inferri non posse non alicubi esse. Concedo antecedens, & nego consequentiam, multa enim sunt, quæ non vt sunt, sed aliter, sẽper apprehendit intellectus, & ne ex alia materia exempla trahamus, cuius rei in quacumque abundant, nos non possumus concipere præsentiam, nisi essentialiter relatam ad imaginarium spatium, & tamen nullum respectũ dicit ad illud, sed in se est entitas quædam æquè absoluta, ac albedo, vt docet idem Arriaga, sect. 3. n. 36. 3

Obiic. secundò Soar: Creet Deus Angelum: vel est distans à mundo vel indistans, si est distans: ergo habet vbicationem alibi. Si est indistans: ergo est approximatus, ergo habet præsentiam, quia approximatio constituitur formaliter per præsentiam. Respondeo Angelum creatum sine præsentia fore indistantem negatiuè, hoc est, non fore distantem, non verò indistantem positiuè, neque approximatum, ex in distantia enim negatiua, hoc est, ex non distantia non infertur approximatio, quæ est forma positiua non necessariò connexa cum negatione distantiæ. 4

Obiic. tertiò Arriaga: Implicat de potentia Dei absoluta quantitatẽ non esse extensam, aut inextensam, quia hęc duo priuatiuè opponuntur; si est extensa: ergo habet præsentiã, ex vi cuius extenditur; si est inextensa: ergo partes illius sunt penetratæ: ergo sunt in eodem loco: ergo habent præsentiam, in qua formaliter penetrantur. Respond. eodem modo partes quantitatis sine præsentia fore inextensas negatiuè, hoc est habere negationem extensionis, ex quo non infertur esse penenetratas, aut esse in eodem loco, penetratio enim non est formaliter pura extensionis negatio, sed dicit præsentias positiuas respondentes eidẽ spatio, quibus carerent partes quantitatis non habentes præsentiam, 5

præsentiam, quas præsentias respectu eiusdem spatij vt plurimum significamus, cum dicimus corpus esse inextensum, intendentes modo negatiuo rem positiuam explicare, in quo sensu negandum est corpus sine præsentia esse inextensum, quia secundum hanc acceptionem huius termini *inextensum* pro re positiua, extensum, & inextensum non priuatiuè opponuntur.

6 Obiicit quartò. Partes quantitatis omni præsentia carentes vel essent intra alias, vel extra: si intra: ergo in eodem spatio: si extra: ergo in alio spatio: ergo quocumque modo erunt in spatio, & præsentiâ habebunt. Similiter solet argui: corpus sine præsentia vel est intra cælum, vel extra cælum: neutrum potest habere sine præsentia. Respondeo de corpore absoluto ab omni præsentia in ordine ad spatium philosophandum esse ac si in rerum natura non existeret, & sicuti corpus non existens non habet partes intra partes, neque extra partes, neque totum est intra cælum, sic dicendum est de partibus illius corporis, & de corpore, de quorum partibus tantùm posset dici non esse intra alias, & de illo non esse intra cælum, quod solet dici extra negatiuè, non tamen absolutè posset dici de partibus esse extra partes, aut de toto esse extra cælum, quia esse extra dicit esse in spatio, quod neque partibus illius corporis, neque corpori conueniret.

PVNCTVM VIII.

An corpus omni præsentiâ absolutum esset intimè præsens Deo.

1 STatui puncto præcedenti posse aliquam creaturam, Angelum, verbi gratia, existere sine aliqua præsentia nulli spatio respondentem, neque alicui approximatum, aut distantem. Inquiro modò de Angelo sic constituto: An esset intimè præsens Deo, & penetratus cum illo secundum suam entitatem eodem modo, ac si haberet præsentiam? quam quæstionem sine duce aggredior, nullum enim legi, neque audiui, qui rem hanc in quæstionem vocaret, quapropter me vtriusque partis affirmatiuæ videlicet, & negatiuæ patronum fingam, & arbiter postea alteri primas dabo.

2 Pro parte negatiua suppono non sequi per locum intrinsecum ex eo quod Deus sit causa rerum, esse illis intimè præsentem, vt doctè probat Vasquez 1. part. disp. 28. cap. 4. & 5. quia non est de ratione causæ intima præsentia cum effectu, & licet in causis creatis requiratur approximatio inter agens, & passum, non ita necessariè requiritur vt de potentia absoluta suppleri non possit. Secundò etiamsi requiratur approximatio inter agens, & passum non requiritur ex parte actus primi approximatio inter agens & effectum, creatio enim Angeli non potest supponere Angelum approximatum, aliàs iam illum existentem supponeret. Ex hoc infero non probari ex eo, quod creatura nullibi existens penderet à Deo illam fore intimè Deo præsentem. Deinde positiuè probo illam creaturam sic constitutam non posse intimè Deo esse præsentem. Talis creatura supponitur sine præsentia: ergo non esset præsens: ergo non esset præsens Deo. Probo priorem consequentiam: effectus formalis non potest esse sine forma: ergo non potest esse præsens sine præsentia: posteriorem confirmo. Hæc illatio, non est præsens: ergo non est præsens Deo, est à non restricto ad restrictum negatiuè, quæ semper tenet: benè enim valet, Petrus non loquitur: ergo Petrus non loquitur Ioanni: Petrus non est præsens: ergo non est præsens Romæ.

3 Pro affirmatiua parte efficaciores inuenio rationes, ob quas placet illam defendere, donec ab aliis de hac re aliter docear. Assero creaturam omni præsentia superaddita nudam fore Deo præsentem ac si præsentiam superadditam haberet. In hanc partem traho Patrem Vasquez, quam ex suis principiis clarè infero. Docet sapientissimus P. 1. p. disp. 28. c. 4. num. 13. veritatem esse Catholicam Deum esse intimè præsentem omni creaturæ, neque illi esse liberum esse in vna potius quàm in alia ex suppositione, quod illam creauerit, & insuper loco citato Puncto præcedenti docet posse Deum creaturam sine omni præsentia producere: ergo creatura sine præsentia esset præsens Deo, cum possit non habere præsentiam, & non possit non esse intimè Deo præsens. Ratio à priori huius conclusionis esto, creaturam non constitui Deo præsentem per præsentiam superadditam, sed per suammet entitatem, & per immensitatem Dei. Vnde repugnat esse in rerum natura entitatem aliquam, quæ non sit intimè Deo præsens, quia immensitas Dei talis est vt ipsum constituat intimè præsentem, cuicumque creaturæ, eo ipso quod existat, nullo alio modo desiderato, neque ex parte creaturæ. Eodem modo creatura per suammet entitatem supposita immensitate Dei, quæ non potest non supponi vt potè summè necessaria constituitur præsens Deo: quod si probem, meam conclusionem manifestè ostendo: ad id accingor.

Tota ratio, propter quam ponimus præsentias superadditas creaturis est, quia videmus illas modò cum hac distantia, modò cum illa creaturis secundùm suam entitatem inuariatis, vnde inferimus esse quid superadditum modum illum, per quem formaliter distantes constituuntur. Vnde si creaturæ essent affixæ certo spatio, in quo semper eamdem distantiam seruarent nullum esset fundamentum ad dandas præsentias superadditas, sed diceremus creaturas per se ipsas distare, sed numquam videmus creaturas distare à Deo, aut nouimus indifferentiam vt distent, & non distent, neque vt habeant hanc approximationem potiùs quàm illam, sed semper illas eodem modo approximatas per suasmet entitates independenter ab omni alia præsentia superaddita: ergo hac ablatâ creatura creatori approximata permanebit & illi intime præsens, quia quidquid conuenit entitati per se ipsam, non potest non quocumque alio secluso illi conuenire. Secundò eamdem intimam præsentiam habet Deus cum Petro existenti Matriti, & cum eodem existenti Toleti: ergo Petrus existens Toleti, & existens Matriti habet eamdem approximationem cum Deo, quia approximatio Petri cum Deo non dicit aliquid realiter distinctum ab illo quod dicit approximatio Dei cũ Petro: ergo si approximatio Dei cum Petro existenti Matriti & Toleti est eadem, approximatio Petri existentis Matriti, aut Toleti erit eadem: ergo approximatio, quam habet Petrus cum Deo quando existit Matriti, non dicit præsentiam superadditam, quã tunc habet Petrus, quia si hanc diceret approximatio cũ Deo non posset eadem approximatio esse Toleti, quia præsentia, quã Petrus habet Matriti essentialiter dependet ab illo spatio, & non potest non esse in illo, sed sic est quod approximatio, quam Petrus habet cum Deo potest esse in alio spatio, & non in illo: ergo approximatio Petri cum Deo non dicit præsentiam superadditam Petro. 4

Fundamentum, quod pro parte negatiua proposui facillimè ex dictis dissoluo. Concedo non posse dari effectum formalem sine forma, neque præsens sine præsentia, dico tamen quamlibet creaturam esse præsentiam sui ipsius, ex vi cuius constituitur præsens in ordine ad Deum, non verò in ordine ad aliud ens creatum. Ad illationem factam ex non restricto ad restrictum negatiuè, dico creaturam sine præsentia superaddita dici non esse præsentem absolutè, quia intelligimus propositionem illam de præsentia in ordine ad spatium, & ad alia entia creata: quæ si tacitè hanc restrictionem non inuoluat, falsa erit, & abstrahendo ab omni præsentia in ordine ad ens creatum & increatum dici non potest, creatura sine præsentia superaddita non est præsens, quia adhuc tunc est præsens Deo, & præsentiam habet secum identificatam. 5

Obiicies primò. Etiamsi repugnet creaturam aliquam non dependere à Deo, dependet per actionem superadditam: ergo etiamsi repugnet non esse Deo præsentem, erit præsens per modum superadditum. Respondeo, disparem esse rationem, quia licet repugnet creaturam non dependere à Deo, nosc imus eamdem creaturam posse diuerso modo dependere, & indifferentiam habere ad dependendum per eductionem aut per creationem, ex quo inferimus in actu secundo non dependere per suam entitatem, sed per aliquid superaditum, numquam autem nouimus creaturam habere indifferentiam ad habendam diuersam approximationem cum Deo. Secundò quod valdè notatu dignum est. Dependentia superaddita, quam damus creaturæ respectu Dei, non supponit existentiam creaturæ, & ita non possumus arguere: dependentia est superaddita: ergo potest creaturæ iam existenti non aduenire, non enim est creatura iam existens ante dependentiam. Approximatio autem si constitueretur in præsentia superaddita, constitueretur in aliquo, quod supponit creaturam iam existentem, ex qua suppositione licet inferri illam 6

approxima

approximationem posse creaturæ non aduenire, & illam posse non esse intimę Deo præsentem, ac proinde vt dicatur repugnare creaturæ non esse intimè præsentem Deo, ponenda est hæc intima præsentia non in aliquo posteriori ipsa creatura, quod illi potest non aduenire, arguimus enim ex eo quod præsentia sit superaddita creaturæ, posse creaturam existere absque omni præsentia, & non possemus arguere: actio est distincta ab effectu: ergo effectus potest esse sine omni actione, quia eo ipso, quod sit effectus supponit actionem, & non supponitur ad illam; entitas verò, quæ præsens constituitur non supponit præsentiam ad suam existentiam, potiùs sua existentia ad præsentiam supponitur.

7 Obiicies secundò. Creaturam esse præsentem Deo nihil aliud est quàm esse in eodem spatio cum Deo: sed creatura sine præsentia non est in spatio: ergo non est in eodem spatio cum Deo. Respondeo negãdo primum antecedens, iam enim probaui Punct. 3. Deum non esse in spatio. Fateor semper nos concipere intimam præsentiam per ordinem ad spatium, & vix posse hoc ordine secluso de illa loqui, constat tamen rationibus, quibus spatium imaginarium impugnauimus non dari talem ordinem, quapropter in re admittendus non est, licet sine illo rem concipere non possimus.

Punctum IX.

An corpus possit esse circunscriptiuè in duplici loco.

1 Corpus esse in duplici loco definitiuè, & in vno circunsriptiuè, & definitiuè in altero sanctum est fide, quia docemur Christum esse in Cælo circunscriptiuè, & definitiuè sub speciebns panis in omnibus locis, in quibus celebratur sacramentum Eucharisticum. Procedit quæstio de duplici præsentia circunscriptiua. Defendunt partem negatiuam Sanctus Thomas, D. Bonauentura, Capreolus cum aliis Thomistis, quos refert Pater Soar tom. 3. in 3. part. disp. 48. sect. 4. quibus consentit Pater Vasquez 3. part. disput. 169. cap. 5. Affirmatiuam partem, quam verissimam esse censeo, defendit Pater Soar cum Scoto & aliis plurimis, quos ipse refert ibid. quibus adde Patrem Vasquium tom. 4. disput. 6. quæst. 3. part. 1. §. 23. qui ait oppositam sententiam à Catholicis reiici, vt minùs congruentem veritati fidei; Conimbr. lib. 4. Physic. cap. 5. q. 5. art. 2. Rub. lib. 4. Physic. Ægid. Conink ad quæst. 75. 3. part. art. 4. dist. 3. Hurt. disput. 14. sect. 5. Arriag. disput. 14. sect. 8. subsectione 2.

2 Conclusionem suprà traditam probo. Repugnantia eiusdem corporis in duplici spatio tantùm oritur ex incompossibilitate formarum, quarum vna petit vt Deus subtrahat concursum, quo conseruabat alterã: ergo poterit Deus vincere hanc incompossibilitatem præstando concursum, quem subtrahi altera forma petebat, exigentia enim formę non cogit Deum, ita vt non possit contra talem exigẽtiam operari. Secundò probatur à paritate præsentiæ definitiuæ: sicut enim corpus potest habere vnam præsentiam definitiuam, & aliam circunscriptiuam, & duplicem definitiuam, & duplicem circunscriptiuam habere poterit, quia non est maior oppositio præsentiæ circunscriptiuæ cum alia circunscriptiua, quàm definitiuæ cum definitiua, & cum alia circunscriptiua. Vltimò confirmanda est conclusio ex eo quod nullam inuoluat repugnantiam corpus in duplici loco circunscriptiuè existens, quod solutiones argumentorum euincent.

3 Obiic. primò. De ratione præsentiæ circunscriptiuæ est constituere corpus intra hoc spatium, ita vt non possit esse extra illud: ergo posito corpore circunscriptiuè in hoc spatio non potest esse extra illud: ergo non potest esse in alio. Hæc obiectio videtur impugnare Eucharistiæ mysterium, quia si de ratione corporis præsentis circunscriptiuè est, vt corpus non sit in alio spatio, de ratione præsentiæ circunscriptiuæ, quam Christus habet in Cælo erit ita constituere corpus Christi in spatio cælesti, ita vt non possit esse in alio: ergo non poterit esse in Eucharistia: pessimum consequens, & illatio ad homines facta contemnenda. Dices de ratione præsentiæ circunscriptiuæ esse vt corpus non sit in alio spatio circunscriptiuè, non verò vt non sit in alio definitiuè. Catholicè dictum non tamen phylosophicè. Vnde hanc differentiam colligis: præsentiæ enim primarius effectus totus est positiuus, videlicet constituere corpus in hoc spatio, hoc autem quod est non esse in alio est quid negatiuum extra formalem rationem positiuæ præsentiæ, licèt hæc positiua præsentia illam exigat negationem eo modo, quo calor exigit negationem frigiditatis quæ omnino est extra constitutiuum caloris, & præsentia circunscriptiua æquè exigit negationem alius præsentiæ definitiuæ, & alius circunscriptiuæ in eodem subiecto, quia naturaliter cum vtraque incompossibilis est. Ad argumentum in forma negandum est primum antecedens, vel distinguendum maioris claritatis gratia: de conceptu præsentiæ circunscriptiuæ est constituere corpus in hoc loco, ita vt non sit in alio, distinguo: de conceptu primario inseparabili, nego antecedens, de hoc enim tantùm est constituere corpus in hoc spatio, adde si placet, & exigere vt non sit in alio, quod totum est quid positiuum: de conceptu secundario & separabili à primario tanquam effectus à causa, sicuti separari potest expulsio caloris ab informatione frigiditatis, concedo antecedens: deinde nego consequentiam.

Obiicies secundò. Si corpus poßeretur in duplici loco 4
diuideretur & separaretur à se ipso, hoc implicat: ergo implicat poni in duplici loco. Quam separationem potes inuenire in duplici præsentia circunscriptiua, quam meditari non possis in duplici definitiua respectu eiusdem corporis? Non vacat hæc latiùs expendere. Respondeo: corpus non diuidi per repetitionem præsentiarum, neque à se ipso separari, si separatio dicat aliquid negatiuum, seu negationem alicuius approximationis, quia totum corpus, quod erat in hoc spatio, seruatâ totâ approximatione, quam secum ipso, & cum aliis corporibus habebat, ponitur in alio loco per repetitionem, & multiplicationem præsentiarum, & non entitatis corporis secundùm se.

Obiicies tertiò. Non potest corpus occupare spatium 5
maius illo, sed si haberet duplicem præsentiam occuparet spatium maius illo: ergo non potest illam habere. Confirmatur: Corpus ex vi huius præsentiæ circunscriptiuæ commensuratur cum spatio, ita vt totum correspondeat toti spatio, & pars corporis parti spatij, & non vltrà: ergo posita hac commensuratione corpus non posset vltra hoc spatium. Vltrà: corpus per præsentiam circunscriptiuam constituitur intra hoc spatium: ergo non potest esse extra illud: ergo non potest esse in alio permanente hac præsentiã. Respond. corpus non posse occupare per vnam tantùm præsentiam spatium maius illo, posse tamen per duplicem præsentiam occupare spatium duplo maius illo, quia ex vi cuiuscumque præsentiæ occupat spatium sibi æquale, & duo spatia, quorum quodlibet est æquale corpori, simul sumpta illud excedunt. Alio modo dicito corpus cum duplici præsentia non occupare spatium aliquod maius illo, sed duo spatia, quorum quodlibet est æquale, quæ non vnum constituunt, quia spatia per ordinem ad præsentiam distinguimus, & sicuti duplex præsentia circunscriptiua non vnam maiorem constituunt, ita neque duplex spatium his præsentiis respondens non constituit vnum maius, sed est duplex, illorumque quodlibet æquale locato. Ad confirmationem dico corpus ex vi præsentiæ circunscriptiuæ commensurari huic spatio, ita vt non correspondeat alij spatio per eamdem præsentiam, quod verò per aliam præsentiam alij spatio correspondeat, vel non correspondeat, non pertinet ad rationem formalem constitutiuam huius præsentiæ. Ad illud, quod vltimò additur, dico corpus per præsentiam circunscriptiuam constitui intra hoc spatium, qua permanente non potest esse extra, si illud *extra* importet negationem, hoc est corpus non existere in hoc spatio, posse tamen esse extrà, si dicat aliquid positiuum, videlicet esse in spatio distincto ab isto.

Obiicies quartò. Si corpus posset esse in duplici loco, 6
posset esse vbique: ergo posset esse immensum, quod est absurdum, quia immensitas est propria Dei. Qui rationibus his fidunt, existimarent illarum non fugere difficultatem, si illas omitteremus: hac de causa illas refero, etsi nihil difficultatis in illis inueniam, quod quisque malè terminis philosophicis cinctus non dissoluet. Argumentum non retorqueo in præsentiis definitiuis, quia me vellem ad difficiliora seruare. Respondeo dato corpore posse esse vbique, adhuc non inferri esse immensum, qua esset vbique per repetitionem præsentiarum distinctarum, immensitas autem Dei est vna simplex entitas. Secundò immensitas Dei est identificata cum ipso Deo infinita &

indefectibilis, præsentiæ autem, ex vi quarum creatura esset vbique essent distinctæ à creatura finitæ & defectibiles. Dedi corpus posse vbique poni, quia ad difficultatem propositam soluendam nihil referebat, ne modò difficiliores mouerem quæstiones, licèt ita contingere non possit, quia non potest dari corpus infinitè extensum, neque ita extensum vt non possit magis extendi, vt probaui Controuersia 14 Puncto 4.

7 Vidit Pater Vasquez fundamenta Thomistarum, cum quibus in hac sententia fœdus inierat, solida non esse, quapropter aliud sibi quæsiuit, nescio an efficacius aliis. Sic arguit: si corpus posset poni in duplici loco, posset in vtroque naturaliter moueri: sed implicat corpus naturaliter moueri duplici motu: ergo implicat poni in duplici loco. Antecedens probatur: corpus positum in duplici loco vtrobique haberet grauitatem: ergo vtrobique grauitaret, vt moueretur: ergo moueretur vtrobique: ergo duplici motu, non enim potest corpus in duplici spatio distanti simplici motu moueri. Respondent nonnulli corpus posse naturaliter duplici motu moueri ex suppositione quod fuerit in duplici spatio constitutum. Non assentior, quia duæ præsentiæ acquirendæ essent per duplicem motum, & vna peteret negationem alterius, etiamsi duæ aliæ præcessissent, quod per accidens se habet respectu harum præsentiarum, non enim ex eo quod illæ præcesserint amittent istæ incompossibilitatem, quam habent ex natura sua: ergo etiamsi aliæ præcesserint non poterunt istæ naturaliter in eodem subiecto componi: ergo non poterunt simul ab agenti naturali in eodem subiecto produci. Respondent alij corpus nullibi mouendum esse, quia non potest vtrobique moueri, & non est maior ratio vt moueatur in hoc loco quàm in illo. Displicet etiã hic dicendi modus, quia si non sit maior ratio vt moueatur corpus in hoc spatio, quàm in illo, Dei erit decernere spatium per quod sit mouendum, & præsentiam producendam in corpore se mouente, quia sicuti cùm tantùm est applicatum vt moueatur per hoc spatium, decernit Deus præsentiam, producendam ex pluribus, quas potest producere in eodem spatio, inter quas non est maior ratio, vt potius hæc quàm illa producatur: Sic quando est corpus applicatum ad producendas præsentias in duplici spatio decernet Deus vnam præsentiam producendam, ex illis, quas potest in vtroque spatio producere.

8 Respondeo Deum conseruantem seu producentem duplicem præsentiam in eodem corpore vtramque simul conseruare contra exigentiam alterius, quia vtraque mutuò petit alterius corruptionem, quod si Deus non tantùm decreuit conseruare has præsentias contra exigentiam mutuam, quam habet quælibet vt destruatur altera, sed etiam contra exigentiam cuiuscumque aliùs agentis naturalis, tunc corpus non posse moueri ab aliquo agenti naturali, quia corpus non potest nouam præsentiam acquirere, nisi destruendo præcedentes: ergo si præcedentes destrui non possunt ab aliquo agenti, non potest ab aliquo noua alia produci. Idem contingeret si Deus decreuisset independenter à quocumque agente naturali oppositum exigente conseruare præsentiam vnicam, quam modò habeo, tunc enim à nullo agenti naturali posse moueri, quia non potest fieri motus, aut acquisitio nouæ præsentiæ nisi per destructionem præcedentis in eodem subiecto. Si verò Deus conseruaret duplicem illam præsentiam, etsi independenter ab exigentia mutua, quam quælibet haberet ne conseruaretur altera, dependenter tamen ab aliis causis naturalibus, quæ ex se haberent virtutem ad illas præsentias producendas, tunc corpus naturaliter moueretur, & acquireret nouam præsentiam, ex vi cuius corrumperentur duæ, quas antea habuerat. Corpus esse mouendum probatur ex eo quod grauitaret, & ex se haberet virtutem ad producendam præsentiam, & duplex præsentia præcedens illius productionem non impediret, quia si ob aliquam rationem duplex præsentia impediret productionẽ aliùs, maximè quia alia producenda esset incompossibilis cum illis: hæc tamen ratio sufficiens non est, quia etiam quando corpus habet vnicam præsentiam, illa est incompossibilis cum alia ventura, & tamen non impedit illius productionem, sed desinit esse ad aduentum aliùs, sic contingeret duplici illi præsentiæ, quia formæ incompossibiles non ex eo quod incompossibiles sunt, impediunt efficaciter productionem, aliàs nunquam expellerentur, sed tantùm infertur ex incompossibilitate non conseruari simul omnes, sed corrumpi antiquas adueniente alia incompossibili. Corrumpendam esse vtramque præsentiam antiquam aliã aduenientẽ, facilè probatur, quia cùm noua aduenies nõ possit naturaliter componi cum aliqua alia præsentia existenti in eodem subiecto, petit nullam conseruari in eodem subiecto, ac proinde omnem præexistentem corrumpi.

Ad argumentum adductum ad probandum corpus vtrobique esse mouendum, Respondeo, corpus vtrobique petere moueri in altero spatio, non tamen vtrobique petere moueri vtrobique, hoc est habere in vtroque loco exigentiam mouendi se in altero, non verò habere in aliquo exigentiam se mouendi in vtroque, quia tantùm exigit id, quo indiget ad sui conseruationem, & quod naturaliter potest habere; cùm autem tantùm exigat ad sui conseruationem acquirere proprium centrum, quod per motum in vnico tantùm spatio exercito potest acquirere, & cùm tantùm possit naturaliter vnicum habere motum, fit tantùm exigere moueri in vnico spatio, licet hæc exigentia sit in omni loco in quo est corpus. Si roges in quo spatio moueretur? Respondeo cæteris paribus mouendum esse in spatio centro viciniori, quia corpus semper tendit in centrum per lineam breuissimam; si autem in vno spatio sit minor resistentia medij quàm in alio, hæc minor resistẽtia ad motum conducet vt potiùs in hoc spatio fiat, quàm in illo, exempli gratiâ: si lapidem ponas Romæ in medio aëris, & Matriti supra saxum ingens, etiamsi breuior sit via in centrum per spatium Matritanum quàm per Romanum, per hoc fiet motus, & non per illud, quia lapis valens vincere resistentiam aëris Romæ non valet Matriti vincere resistentiam saxi impedientis motum. Si verò omnia sint paria, decernet Deus in quo spatio sit corpus mouendum. Hæc de motu grauium, & leuium; viuentia autem poterunt se determinare vt moueantur potiùs in hoc spatio, quàm in illo, sicut ego modò indifferẽs vt mouear versus Orientem, vel Occidentẽ, liberè motum versùs Orientẽ dirigo. 9

PVNCTVM X.

De accidentibus corporis existentis in duplici loco.

VAria sunt accidentia de quibus in quæstionem vertitur, an possint, & debeant comitari vtrobique corpus existens in duplici loco: quædam dependentia à loco sicuti præsentia, & motus, ex vi cuius hæc producitur: alia independentia à loco sicuti calor, & frigiditas: quædam dependentia in conseruari à causis primò producentibus, sicuti lux & species missæ ab obiectis externis sensibus: alia quæ hanc dependentiam ignorant. De his omnibus quid tenendum sit distinctè explicabo. 1

§. I.

De accidentibus dependentibus à loco.

NIhil hucusque certius fuerat in Philosophia, quàm præsentias esse omnino immobiles, ita essentialiter affixas huic spatio, vt illis repugnaret in alio existere, ac proinde implicare corpus Romæ habere præsentiam, ex vi cuius Matriti constituitur. Eo tamen ingenio pollent Nostri Magistri vt nouas quotidie solidis fundamentis quæstiones excitent, quæ priscos latuêre doctores. 2

Affirmant doctissimi recentiores corpus posse habere Romæ eamdem præsentiam, quam habet Matriti, non quia ex vi vnius præsentiæ Matriti, & Romæ constituatur, sed quia postquam ex vi vnius præsentiæ est Romæ constitutum, & ex vi aliùs Matriti constituitur, potest fieri præsens Romæ, & similiter præsentia ex vi cuius Romæ existit potest Matriti fieri præsens. Fundamentum recentiorum hoc vnicè est: Ex eo quod præsentia per se ipsam essentialiter respiciat hoc spatium tantùm infertur nõ posse nõ illud respicere, hoc tamẽ non impedit posse aliud respicere per modum sibi superadditum, ita vt duplex spatium simul respiciat, vnum per se ipsam essentialiter, quod non potest non respicere, aliud accidentaliter per modum superadditum, quod potest non respicere deficiente modo illo superaddito. Exemplum non incongruum huic materiæ ministrat vnio integralis partium quantitatis quæ per se ipsam respicit extrema, quæ vnit partes videlicet quãtitatis, & per modũ superadditũ materiæ primæ vnitur. 3

Sic

Sic volunt isti recentiores in præsentiis contingere per se ipsas respicientibus hoc spatiũ & potentibus per modum superadditum aliud spatium respicere. Eamdem doctrinam inuenio apud Arriag. disp. 4. Metaph. sect. 13. subsect. 2. vbi ait probabiliter dici posse substantiam creatam, etiamsi sit modus propriæ naturæ, posse naturam alienam terminare per modum alium superadditum, ita vt terminet duplicem naturam: propriam per se ipsam essentialiter, alienam accidentaliter per modum superadditum. Negat autem Arriaga id posse in præsentiis contingere, & tanquam certum statuit disp. 14. Physicæ sect. 9. non posse corpus habere in hoc loco præsentiam, quam habet in alio, in quo consequentiam ego desidero: eadem enim est ratio de præsentiis respicientibus essentialiter hoc spatium, & de subsistentiis respicientibus essentialiter hoc subiectũ, etsi hæ possint per modum superadditum extraneum subiectum respicere retento respectu ad proprium ipsis identificato. Similiter præsentiæ poterunt respicere per modum superadditum spatium alienum retento respectu ad proprium cum illis identificato. Consequentius philosophati sunt alij Magistri, qui eodem modo de omnibus hanc doctrinam tradunt & affirmant actionem per se ipsam dependentem ab hoc principio, hac dependentia retenta posse per modum superadditum ab alio dependere.

3 Affirmo cum communi sententia præsentiam respicientem hoc spatium non posse neque de potentia Dei absoluta aliud respicere per modum superadditum, & ita non posse corpus habere Romæ præsentiam, quam habet Matriti. Mouet me ad hanc sententiam defendendam consensus omnium doctorum in hac re, & debile fundamentum, cui opposita innititur, ea enim quæ contra communem sententiam traduntur singulari ratione debent probari, non purâ argumentorũ euasione, præter quam nihil inuenio, quod hanc singulare propugnet sententiam. Secundò illa quæ consequenter satis ad hanc doctrinam dicuntur de actione terminante aliam actionem, illam nihil difficiliorem reddunt, & pluribus absurdã esse suaderent, actionis enim actionem dari nullus hucvsque probatus Philosophus non absurdum esse putauit. Insuper quis non rideret hominem dicentem posse præsentiam quam modò hic habeo fieri Romæ præsentem me tantùm Compluti existente? quod inferri ex hac sententia sic suadeo: Si modò præsentiam hanc quam habeo Compluti poneretur Romæ per modum superadditum, illa esset Romæ, vt supponimus & ego non essem Romæ per præsentiam, quam hic habeo, & denuo Romæ est posita, quia licet ipsa modò sit Romæ, & antea non fuisset, tamen intrinsecè eadem est, & non potest per se ipsam præstare effectum, quẽ antea non præstabat, quidquid enim entitas præstabat per se ipsam quocumque alio adueniente, vel deficiente semper præstat, sed antequam haberet illum modum non me Romæ constituebat: ergo neque modo per se ipsam me Romæ constituet. Neque ego casu posito essem Romæ per modum superadditum meæ præsentiæ, quia ille modus non est modus mei, sed meæ præsentiæ: ergo non me, sed meam præsentiam præsentem constituet: ergo ex eo quod mea præsentia sit Romæ per modum superadditum, ego ex nullo capite ero Romæ: ergo secundum hanc sententiam potest mea præsentia esse Compluti & Romæ & ego tantùm Compluti. Quod si quis hoc velit deuorare, audacia non ingenio vincet eos, qui à communi Philosophorum consensu sine fundamento recedere nolunt.

4 A priori impugnanda est hæc sententia ex incapacitate præsentiæ ad recipiendam aliam, & ad determinandam vnionem cum alia præsentia, quam incapacitatem infero ex eo quod nullum sit fundamentum ad affirmandum præsentias talem capacitatem habere, quod saltem respectu existentium mihi firmum est, non enim debemus sine positiuo fundamento virtutes ignotas entitatibus cõcedere. Secundò quia præsentia ex sua natura essentialiter ordinatur vt subiectum præsens constituat, & spatium respicit propter subiectum vt illud in tali spatio constituat: ergo tantùm potest respicere spatium, in quo potest subiectum constituere: sed præsentia quam habeo Compluti non potest me constituere in spatio Romano, quod per se non respicit, quia præsentia tantùm constituit corpus in spatio, quod per se respicit: ergo non potest respicere spatium Romanũ, adhuc per modum alium superadditum. Vltimò impugnatur hæc ratio, ratione, quâ sæpè vsus sum ad probandum non posse vnam actionem aliam tanquam terminum respicere, quia ex natura sua esset superflua, semper enim terminũ respiceret, quia illa ablata esset per se ipsam existens, quod etiam contingeret in præsentia afficiente aliam quæ subiectum afficeret per se ipsum in spatio constitutum indepẽdenter à præsentia superaddita. Hæ rationes non ita rem demonstrant, vt non possit quis facilè respondere, verumtamen nullam adducunt, qui oppositam sententiam defendunt, quæ cum illarum aliqua possit comparari, illisque accedit totius scholæ consensus citra conclusionem, quam propugno, quibus inconcussa debet stare sententia ab omnibus admissa.

Ad exemplum adductum de vnione integrali quantitatis, quæ per se ipsam respiciẽs partes quantitatis per aliam vnionem respicit materiam, Respondeo, speciale esse fundamentum ad hanc doctrinam admittendam in omnibus, quâ caremus in actionibus, & præsentiis, constat enim vnionem integralem quantitatis vniri materiæ & separari ab illa: ex quo rectè inferimus terminare aliam vnionem superadditam, nunquam autem experti sumus præsentiam aliquando respicere, & aliquando non respicere spatium distinctum ab illo, quod semper per se ipsam respicit, sicuti neque experti sumus actionem aliquando dependere, & aliquando non dependere à distincto principio ab illo, à quo semper per se ipsam dependet: vbi autem diuersum est fundamentum, diuersa est philosophandi rario seruanda. Ratio huius diuersitatis hæc esto: Præsentia huius subiecti tantùm ordinatur ad subiectum præsens constituendum, & ita tantùm potest respicere spatium, in quo subiectum constituit vt suprà dicebam. Vnio verò integralis quantitatis non tantùm est propter vniendas partes quãtitatis, quas afficit, sed propter constituendũ quantum subiectum, ac proinde præter partes quantitatis, quas per se ipsam respicit, potest respicere subiectum, quod quantum constituit, quia materia prima non tantùm quanta constituitur partibus integralibus quantitatis, sed etiam vnionibus earumdem partium, tota enim quantitas secundùm partes, & vniones, quas includit materiam quantificat.

§. II.

Quæ accidentia possit corpus bilocatum habere vtrobique.

6 PRIMA CONCLVSIO. Omnia accidentia, quæ propter ipsorum incompossibilitatem formalem, aut propter incapacitatem subiecti non potest corpus habere simul naturaliter, aut supernaturaliter in eodem loco, eodem modo illa habere non poterit, etiamsi in duplici loco constituatur. Exempli gratia: non potest corpus naturaliter in vno loco esse calidum vt octo, & frigidum vt octo, neque constitutum in duplici loco poterit naturaliter esse in vno calidum vt octo, & frigidum vt octo. Similiter in probabili sententia non potest homo etiam supernaturaliter in vno loco constitutus habere assensum, & dissensum circa idem obiectum, neque supernaturaliter poterit postquam fuerit in duplici loco constitutus, in vno assentiri, & dissentiri in alio circa idem obiectum. Ratio facilis est: incompossibilitas formarũ non est in ordine ad spatium cõmune, sed in ordine ad subiectum commune: ergo quãtumuis loco seperentur, si subiectum commune maneat, habebunt eamdem incompossibilitatem, & eamdem repugnantiam inter se, quia calor introductus in hoc subiectum non petit præcisè ne frigiditas informet subiectum in hoc loco, sed absolutè petit ne frigiditas informet subiectum, seu negationem frigiditatis informantis hoc subiectum, quod est petere ne frigiditas in hoc loco, neque in aliquo alio subiectum informet. Similiter quando subiectum ex defectu capacitatis non potest dum extitit in vno loco duplicem formam recipere, etiamsi in duplici loco constituatur, manet cum eadem incapacitate: quia noua præsentia non addit nouam capacitatem subiecto: ergo si non poterat duplicem illam formam in vno loco recipere ex defectu capacitatis, neque in duplici loco poterit formas illas recipere. Quod si non posse duplicem formam recipere subiectum existens in vno loco, non ex defectu capacitatis, sed ex defectu applicationis proueniret, illas posset recipere existens in duplici loco, quia iam noua applicatio per nouam præsentiam illi aduenireret, ex defectu cuius non poterat formas illas recipere. Rem declaret exemplum: non potest idem ignis calefacere duo corpora, quorũ vnum Romæ, alterum existit

Matriti, non ex defectu virtutis quia si vtrumque corpus Matriti existeret, posset calefieri ab igne, quem suppono Matriti existere, si autem illi igni noua addatur præsentia, ex vi cuius Romæ constituatur, poterit vtrumque calefacere.

7 Ex hac conclusione infero, quod si corpus existens Matriti, & Romæ vtrobique calidum, vel tantùm Romæ, frigefieret, calorem à subiecto esse expellendum non tantùm Matriti, sed etiam Romæ. Rationem dedi: frigiditas petit negationem caloris in hoc subiecto: ergo petit ne calor Matriti, neque Romæ subiectum informet. Secundò frigiditas petit corruptionem caloris: ergo petit calorem nullibi manere, quod enim alicubi manet corruptum non est. Obiicies sequi ex hac doctrina agens naturale naturaliter agere in distans. Respondeo agens naturale posse naturaliter agere in passum distans, quando passum non tantùm est distans, sed etiam propinquum vt contingeret in nostro casu. Secundò, respondeo frigiditatem corrumpentem calorem non agere physicè sed moraliter, quia corruptio caloris non physicè, sed tantùm moraliter ab informatione frigiditatis procedit, & inconueniens non esset agens naturale moraliter agere in passum distans.

8 Secvnda conclvsio. Omnia accidentia absoluta à loco, quæ non dependent in conseruari à suis causis possunt naturaliter corpus vtrobique comitari (dico naturaliter secluso miraculo ponendi eamdem entitatem in duplici loco, quod in hac materia supponitur.) Ratio est perspicua: accidentia illa non sunt affixa loco: ergo possunt in quocumque loco constitui, aliàs sunt capacia duplicis præsentiæ: ergo possunt esse in duplici spatio, in quo corpus cui inhæret fuerit constitutum: ergo possunt corpus bilocatum vtrobique comitari.

9 Tertia conclvsio: Etiamsi accidentia dependeant in conseruari à causa in vno tantum loco applicata corpori bilocato possunt vtrobique naturaliter corpus comitari. v.g. potentia visiua existens Matriti, & Romæ potest vtrobique habere speciem impressam dependentem in conseruari à colore Romæ tantum existenti: Hæc conclusio potest duobus modis defendi. Primò dici potest speciem impressam productam à colore existente Romæ non egere actione existente Matriti terminata ad ipsam existentem Matriti, sed sufficere actionem esse Romæ tantum intimè præsentem speciei, vt ipsa species possit esse Romæ & Matriti. Secundò dici posset actionem, & terminum esse Matriti, & Romæ, etiamsi principium effectiuum talis actionis tantùm sit Romæ, quia actio vt sit in duplici loco non indiget in vtroque esse principio applicatam, sed sufficit in vno loco hanc habere applicationem, vt in multiplici esse possit. Vtroque modo conclusionem defendam. Assero actionem tantùm indigere esse applicatam principio in vno spatio, vt possit esse in multiplici, quod sic probo. Vt actio dependeat à suo principio tantùm indiget esse illi approximatam: ergo modò sit illi approximata poterit ab illo dependere etiamsi sit distans. Confirmatur: eatenus distantia potest esse impedimentum vt actio dependeat ab agente, quatenus impedit approximationem, sed casu quo actio in vno spatio esset approximata de facto, distantia non impediret approximationem hanc dependere ab agenti, seu non esset impedimentum, ne existeret actio, quæ per se ipsam ab agente dependet. Confirmatur: approximatio actionis ad suum principium tantum est conditio ad substantiam actionis: sed substantia actionis intrinsecè est omnino eadem, siue sit in duplici loco, siue in vno: ergo easdem omnino conditiones requirit ad substantiam suæ existétiæ, siue sit in vno loco, siue in multiplici: sed quãdo est in vno loco tantùm petit esse approximatam in vno loco: ergo quãdo est in duplici præcisè ad substantiam actionis tantùm petit esse approximatam in vno loco principio, à quo procedit: ergo substantia eadem actionis existens in duplici loco contenta erit ad sui existentiam, modo in vno loco sit approximata agenti.

10 Dices actionem indigere duplici approximatio[illegible]um suo principio, non præcisè sed ad existendum i[illegible]ci loco. Contrà: indigere duplici approximatione no[illegible]xistendum, sed ad existendum in duplici loco est indigere duplici approximatione, non actionẽ ipsam, sed duplicem illam præsentiam, ex vi cuius actio ponitur in duplici loco: sed duplex illa præsentia non indiget duplici approximatione actionis ad suum principium: ergo neque actio ratione sui, neque ratione præsentiarum indiget duplici approximatione ad suum principium vt possit esse in duplici loco. Minorem probo: cætera patent: præsentiæ afficientes actionem tantum exigunt approximationem cum principiis à quibus procedunt, non cum principio actionis, quam afficiunt: ergo præsentiæ afficientes actionem cum producantur à Deo, & non à principio producente actionem, non exigent approximationem cum principio producente actionem: ergo actio ratione præsentiarum quas recipit à Deo productas, & non à principio, à qua ipsa procedit, non indiget aliqua approximatione cum suo principio: ergo si ratione sui contenta erat vnica approximatione, eadem contenta erit, etiamsi habeat duplicem præsentiam à Deo productam.

Eodem modo defendo posse effectum existere in duplici loco, etiamsi in vno tantùm sit approximatus actioni. 11
Probatur à paritate actionis vnica tantùm applicatione indigentis cum suo principio, vt sit in multiplici loco. Non magis dependet terminus ab actione, quàm actio à principio, neque maiori indiget applicatione terminus cũ actione, quàm actio cum principio: sed actio potest esse in duplici loco, etiamsi principium tantùm sit in vno: ergo terminus poterit esse in duplici loco, etiamsi actio tantùm sit in vno. Redeunt etiam rationes suprà factæ, quia approximatio inter actionem, & terminum tantum est conditio ad existentiam substantiæ termini secundùm se, sed substantia termini est eadem in duplici loco, & in vno: ergo eadem applicatione erit contenta in duplici loco, ac in vno, sed terminus existens in vno loco vnam applicationem tantùm exposcit: ergo eamdem, & non aliam exiget, etiamsi existat in duplici loco. Secundò, distantia eatenus tantùm obest, quatenus impedit approximationem, sed dum terminus sit approximatus actioni in hoc spatio nulla distantia oberit termino, vt per actionem esse recipiat: ergo poterit esse ex vi actionis hîc approximatæ, etiamsi eadem actio ex vi alius præsentiæ distet ab agente.

Obiicies: Actio existens Matriti, & Toleti provt exi- 12
stens Matriti & Toleti dependet à suo principio: ergo provt existens Matriti, & Toleti debet esse approximata suo principio: ergo non sufficiet vt existat Matriti, & Toleti, esse approximatam suo principio tantum Matriti. Eodem modo fit argumentum de actione respectu termini: terminus existens Matriti, & Toleti, provt existens Matriti, & provt existens Toleti dependet ab actione, seu per actionem, ex vi cuius producitur: ergo vt sit Matriti, & Toleti vtrobique debet esse actioni approximatus, & non sufficiet esse approximatum tantum Matriti. Respondeo actionem dependere à suo principio, seu per se ipsam, ac proinde vbicumque sit habet secum identificatam dependentiam, & est essentialiter dependens, ad quam dependentiam existentem in quibuscumque locis sufficiens est conditio, approximatio in vno loco. Ad formam argumenti Respondeo. Actio provt existens Matriti dependet à suo principio, si illud *provt* reduplicet tantùm formalitatem actionis, concedo; si illud *provt* reduplicet supra actionem præsentiam, ex vi cuius est Matriti, sicuti reduplicare videtur, nego; quia secundùm hanc rationem ab illo dependet, à quo dependet præsentia, ex vi cuius constituitur talis actio Matriti, hæc autem præsentia potest produci à Deo, & non dependere proximè à principio à quo procedit actio, sed tantùm remotè, seu mediâ actione, non tanquam causalitate, sed tanquam causâ materiali huius præsentiæ quæ dependet à suo principio. Eodem modo respondendum est eidem argumento in termino respectu actionis facto, terminus enim formaliter vt existens Matriti reduplicando ly *vt* supra præsentiam, non dependet ab actione, ex vi cuius ipse producitur, sed ex vi cuius producitur præsentia per quam Matriti constituitur: quod si reduplicatio cadat supra terminum, per ipsam actionem quantumuis distantem dependebit vbicumque sit.

Ex his infertur, posità approximatione in hoc spatio in- 13
ter vnionem, & extrema, seu inter quemcumque alium modum, & suum subiectum, posse modum (loquor de entitatibus non affixis loco essentialiter) existere in quocumque alio spatio, etiamsi non ibi subiectum comitetur, quia quantumuis strictam approximationem exigat cum subiecto, dum in vno loco sit approximatus illam obtinet, & nihil prohibet in alio esse distantem. Recognosce rationes suprà factas de actione respectu principij, quæ eodem modo procedunt de termino respectu actionum.

§. III.

§. III.

De his, quæ necessariò vtrobique corpus comitantur.

14 DIxi iam quæ accidentia possint corpus existens in duplici loco comitari in vtroque, dicam modò, quæ necessariò illud comitentur.

15 QVARTA CONCLVSIO. Quotiescumque subiectum patitur aliquam corruptionem partis vel formæ inhærentis cuiusuis modi, aut entitatis, eamdem patietur vbicumque erit entitas illa corrupta, verbi gratia, erat corpus secundùm omnes sui partes infinitas, & secundùm omnia accidentia sibi debita Matriti, & Toleti, eo ipso quod Toleti diuidatur brachium, Matriti continget eadem diuisio, & eo ipso quod Matriti corrumpatur pars aliqua subiecti, vel aliquod accidens illi inhærens, vt si Matriti moriatur, similiter Toleti mori necesse erit, quæ omnia ita sunt necessariò connexa, vt aliter de potentia Dei absoluta contingere non possint. Ratio est facilis: brachium diuidi, seu corrumpi vnionem inter brachium & corpus, quod est idem, & corrumpi partem aliquam corporis vel accidens illi inhærens, seu viuens mori, non dicit tantùm negationem præsentiæ entitatis corruptæ in hoc loco, seu entitatem corruptam non esse in hoc loco, sed entitatem non existere in rerum natura: vnde vt dicatur hoc accidens alicubi corruptum, necesse est non esse illius entitatem in rerum natura, & consequenter nullibi esse, quia quod non est existens, alicubi esse non potest: ergo eo ipso quod corrumpatur entitas existens Matriti desinit esse in rerum natura: ergo desinit esse in omnibus locis, in quibus antea erat: ergo si erat Matriti, & Toleti definit esse, definit esse Matriti & Toleti: ergo implicat corrumpi entitatē existentem in duplici loco, & non corrūpi in vtroque, cùm desinat esse in vtroque, & in illo loco dicatur entitas corrumpi quando incipit non existere, in quo immediatè antea erat. Confirmatur: si existente homine Matriti & Toleti, illius vnio desineret esse Matriti, & Toleti permaneret, tantùm fuisset corrupta præsentia, quam habebat vnio Matriti, & non entitas vnionis, quæ Toleti permanebat: ergo ad hoc vt corrumpatur requiritur nullibi esse, seu permanere, & implicat vnionem corrumpi, & alicubi existere.

16 Ex hoc inferes, quod si viuens ponatur Matriti, & Romæ, & postea desinat esse Romæ illius forma, & tantùm ibi permaneat materia; Matriti verò perseueret materia & forma, tunc dici non posse, viuens Romæ esse mortuum, bene tamen Romæ non viuere, quia Romæ non erat illius vita, quod sufficit vt dicatur Romæ non viuere, non tamen vt dicatur mortuum esse, quia Romæ mortuum esse dicit immediatè antea Romæ extitisse, & modò non existere in rerum natura. Sic de Petro modò Compluti tantùm existente verè dicitur Romæ non viuere, & dici nequit Romæ esse mortuum, aliud enim est Romæ non viuere, aliud Romæ mori, vt sæpe dixi. Hæc si attentè inspiciantur, per se nota sunt.

17 QVINTA CONCLVSIO. Naturaliter loquendo omnia accidentia independentia à loco, etiamsi dependeant in conseruari à causis applicatis in vno tantùm loco, & omnes actiones, ex vi quarum accidentia producuntur, comitantur corpus vbicumque fuerit. Dico, naturaliter loquendo, non quia naturaliter possit poni aliquod accidens in duplici loco, sed quia ex suppositione, quod Deus de potentia absoluta corpus in duplici loco constituat, congruum est, vt eadem potentia ibidem simul accidentia constituat. De accidentibus, quæ non dependent in conseruari ab aliqua speciali causa applicata tantùm in vno loco, Probatur nostra conclusio ex sacrosancto Eucharistiæ mysterio, in quo ex vi verborum sub speciebus panis tantùm ponitur corpus Christi, & sub speciebus vini tantùm ponitur sanguis, quia tamen naturale est vt corpus sanguinem comitetur, & sanguis corpus, inferunt Theologi, Patres, & tota Ecclesia sub vtraque specie esse corpus, & sanguinem Christi: ergo naturale est vt vbicumque sit corpus illud comitentur omnia, quæ in vno loco naturaliter illud comitantur. Doctrinam hanc specialem non habere difficultatem in accidentibus, quæ in conseruari dependent à causa applicata in vno tantùm spatio, neque in actionibus per se ipsas dependentibus à causis in vno tantùm loco applicatis constat ex concluſ. 3. in qua probaui sufficere applicationem factam in vno loco, vt hæc accidentia & actiones per se ipsas dependentes à suis principiis possint esse in pluribus locis.

SEXTA CONCLVSIO. Non ita necessarium est hæc ac- 18
cidentia in omni loco corpus comitari, vt non possit Deus corpus Matriti album conseruare, & Toleti non album. Ratio est: albedo constituitur præsens per præsentiam distinctam à præsentia corporis, quod afficit: ergo potest Deus duplicem præsentiam corpori præstare, & vnicam albedini: ergo potest corpus esse Matriti, & Toleti per duplicem præsentiam, & albedo Matriti tantùm per vnicam præsentiam: ergo potest corpus esse album Matriti, & non esse album Toleti, quia non esse album Toleti, nihil aliud est, quàm non habere præsentiam Toleti. Secundò, quando corpus existit album Matriti & Toleti, præsentia, quam habet albedo Matriti est distincta à præsentia, quam habet Toleti, & à præsentiis quas habet corpus Matriti, & Toleti: ergo poterit deficere præsentia, quam habet Matriti, reliquis aliis permanentibus: ergo poterit corpus permanere Matriti, & Toleti, & esse album Toleti, & non esse album Matriti, non ex eo quod corpus non habeat albedinem, sed ex eo quod non habeat albedinem præsentem Matriti, quia corpus Matriti esse album non solùm dicit corpus Matriti existere, & habere albedinem, sed Matriti existere, & habere albedinem præsentem Matriti.

Ex hac doctrina friget ratio, qua intendit probare P. 19
Rub. tractat. de loco, quæst. 8. quem plures recentiores sequuntur, implicare corpus esse album in vno loco, & non in alio, quia sequeretur idem corpus esse album & non esse album, quæ sunt contradictoria, quia albedo & non albedo corpori conueniunt independenter à loco, ex quo inferri intendit hanc esse legitimam consequentiam: Corpus est album Matriti, & non est album Toleti: ergo absolutè corpus est album, & non est album. Ex dictis patet quam inefficax sit hæc argumentatio, & male inferatur ex eo quod corpus non sit album in hoc loco, verbi gratia, Toleti, absolutè non esse album, quia non esse album Toleti non dicit negationem albedinis, sed dicit negationem albedinis habentis præsentiam Toletanam, seu negationem prælentiæ, ex vi cuius albedo Toleti constituatur: & sicuti hæc est mala consequentia: albedo non est præsens Toleti: ergo albedo non est: ita hæc est mala illatio: corpus non est album Toleti: ergo non est album, arguitur enim à non amplo ad amplum negatiuè. Ad rationem dubij respondeo corpus esse album, & non esse album esse independens à loco, ac proinde si corpus sit album siue existat in hoc loco, siue in illo poterit dici *corpus est album*, esse tamen album Matriti, aut Toleti non esse independenter à loco, quia esse album Matriti dicit formaliter albedinem, & præsentiam ex vi cuius Matriti constituitur, & esse album Toleti formaliter dicit præsentiam albedinis. Hæc dixerim in mea sententia, quæ accidentibus proprias concedit præsentias, in opinione verò, quæ illa per subiecti, cui sunt vnita, præsentiam in loco constituit, existimo implicationem inuoluere esse accidens vnitum subiecto existenti in duplici loco, & ipsum accidens in vtroque loco non existere.

SEPTIMA CONCLVSIO. Quotiescumque passum exi- 20
stens Matriti, & Romæ immutatur ab aliquo agente extrinseco per receptionem alicuius accidentis, caloris, verbi gratia, eumdem calorem acquirit in vtroque loco, & eamdem receptionem vtrobique præsentem habet, poterit tamen, diuinâ interueniente potentiâ calorem in hoc loco recipere, & non in alio. Hæc conclusio ex duplici præcedenti infertur, quia sicut naturale est poni corpus cum omnibus suis accidentibus vbicumque ponatur, ita naturale est vt corpus, quod aliquod accidens in hoc loco recipit, illud recipiat vbicumque existat. Conclusio hæc neque propugnari, aut impugnari potest ex aliquo principio naturali, aut ratione metaphysica, sed tantùm nititur morali quadam congruentia, ex vi cuius Deus tenetur ex suppositione, quod corpus conseruet in duplici loco omnia accidentia, quæ illi superueniunt, in duplici loco constituere, quam si quis neget, & asserat ex hoc capite tantùm teneri Deum corpus primo collocare cum eisdem accidentibus in omni loco, in quo velit illud constituere, postea verò non teneri noua illa accidentia, quæ corpori in hoc loco contingunt, in alio constituere, nulla ratione conuinci poterit.

Obiicies contra conclusionem traditam: Posito passo 21
Matriti

Matriti & Romæ, si agens tantùm sit Matriti applicatum, tantùm poterit agere Matriti: ergo passum tantùm poterit Matriti recipere, quia actio, & receptio sunt idem: ergo non poterit Romæ effectum recipere. Multa latet æquiuocatio in primo antecedenti, illam aperio. Agens existens tantùm Matriti applicatum passo existenti Matriti, & Romæ tantùm posse agere Matriti, potest hunc sensum habere, tantùm potest agere per actionem præsentem tantùm Matriti: vel potest alium reddere: tantùm potest agere per actionem procedentem à principio existenti tantùm Matriti, siue actio existat Matriti tantùm, siue in pluribus aliis locis. In hoc sensu vltimo propositio vera est, in primo est distinguenda. Actio existens Matriti tantùm potest agere per actionem existentem tantùm Matriti ex vi agentis là quo procedit, seu quæ tantùm petit Matriti existere ex eo quod procedat ab agenti existenti Matriti, concedo: tantùm potest agere per actionem Matriti tantùm præsentem absolutè, ita vt ex eo quod hæc actio procedat ab hoc agenti existenti tantùm in hoc loco repugnantiam habeat ad existendum in alio loco, si fuerit principium aliquod, ex quo in alio loco ponatur, nego; itaque in casu dato agens applicatum tantùm Matriti ageret per actionem existentem Matriti, & consequenter per actionem existentem Romæ, quæ est eadé, non tamen ageret per actionem vt existentem Romæ formaliter, quia ita formaliter sumpta actio reduplicat præsentiam Romanam, quæ non est ratio agendi respectu principij existentis Matriti, & strictè loquendo, neque ageret per actionem vt præsentem Matriti, quia præsentia Matritana, quam habet actio non est ratio agendi, imò probabile est non dependere à principio actionis, tantùm est verum dicere, ex vi principij hoc modo applicati, debere actioni hanc præsentiam Matritanam, & non Romanam, quia principium Matriti præsens exigit subiectum præsens Matriti, & cum actioni debeatur præsentia in loco, in quo est subiectum, remotè debetur actioni præsentia Matritana ex eo quod principium sit Matriti applicatum.

21 Octava conclvsio: Omnes actiones vitales amandi, intelligendi, videndi, & audiendi comitantur viuens vbicumque sit. De actionibus vitalibus intelligendi, & amandi ferè omnes fatentur, quia actiones hæ non dependent à principiis obiectorum; & anima quæ est illarum principium cum speciebus, & habitibus supponitur in omni loco cum eisdem comprincipiis ad operandùm. De sensationibus externis negant nonnulli hanc conclusionem, contra quos tradidi conclus. 3. accidentia, & actiones dependentes in fieri & conseruari à suis principiis tantùm indigere esse applicata in vnico spatio, vt possint esse in pluribus.

22 Obiiciunt recentiores contra hanc repetitionem sensationum externarum: visio existens Toleti repræsentat arcem Regiam cum tanta distantia: ergo existens Romæ debet repræsentare eamdem arcem cum eadem distantia, sed non potest Romæ illam cum eadem distantia repræsentare, quia illam Romæ non habet, sed aliam longè maiorem: ergo talis visio Romæ esse non potest. Respondeo visionem existentem Toleti repræsentare arcem Regiam cum tanta distantia viginti passuum, verbi gratia, ab alio corpore existente Toleti à Cathedrali templo, v.g. & à me existente Toleti, quam distantiam inter eademmet extrema repræsentaret visio Romæ posita, ita vt visio existens Romæ repræsentaret arcem Toletanam non vt distantem à templo Romano S. Petri, neque à vidente vt existente Romæ, sed vt distantem à vidente vt existente Toleti & ab Ecclesia Toletana in qua nulla est repugnantia, quia tunc visio Romæ existens non repræsentaret distantiam, quæ esset Romæ, sed quæ esset Toleti. Eodem modo visio, quâ Romæ videretur templum D. Petri distans à Capitolio, per tot passus, si Toleti poneretur repræsentaret idem templum distans ab eodem Capitolio, non verò distans ab arce Toletana. Itaque Toleti esset visio repræsentans distantiam inter corpora Romana, quæ non repræsentaret distantia à Toletanis, & Romæ esset visio, quæ repræsentaret distantiam inter corpora Toletana, non verò inter corpus Toletanum, & Romanum, quia hæc distantia neq; per visionem existentem tantùm Romæ, neque per visionem existentem Toleti tantùm videretur, & repetitio præsentiarum Matriti & Toleti non constituit obiectum aliquod visum, quod non videbatur, dum quælibet visio simplicem præsentiam habeat. Si dubites an corpus existens Romæ & Toleti videns templum Capitolium Romæ existens, & arcem Regiam Toleti videat distantiam inter Capitolium, & arcem Regiam, negatiuè respondeo, quia distantia non videtur corporibus intermediis inter vtrumque obiectum non visis, cùm autem illud videns non videret corpora intermedia inter Capitolium, & arcem, non videret vtriusque distantiam.

Punctvm XI.

An duplex corpus possit esse in eodem loco.

Non posse naturaliter duplex corpus eodem continere spatio negare non poterit, qui non audeat manifestæ sensuum experientiæ contradicere. Cur enim si corpus posset corpus intra se recipere, glans ærea murum quateret, & toto illius impetu confracto resiliret. Quomodo si terra nobis penetrationis repugnantiâ aditum non occluderet, propria grauitate non præcipites ad centrum vsque rueremus, possemúsque pedem tutè solo figere? Quomodo nos nauis sustinet ne aquis demergamur, nisi quia dum nos in ptoprium non admittit spatium, nos cõtinet ne ad aquarum spatium perueniamus? Est ergo inter Philosophos omnino certum non posse corpus corpore penetrari. 1

Duo contra hanc veritatem leuis momenti solent obiici. Primum, vas plenum aquâ nummos in se continere, retentâ totâ aquâ, quàm antequam nummi iniicerentur continebat. Secundum vas cinere plenum tantàm in se aquam continere, quantam reciperet omnino vacuum cinere. Neutrum credo. Forsan tamen nummulum aliquem continere valebit aquæ vas, cuius labra siccitate aquam coërceant, ne diffluat, sed vt rursum attollatur ad occupandum nouum spatium, loco illius, quod nummus occupabat. Ad secundam experientiam dico cinerem aquæ pondere, vt humectatione comprimi, & multum aëris intra se contentum expellere, quo expulso plus spatij aquæ relinquitur, tum etiam ratione aliarum partium, quæ in subtilissimos spiritus euanescunt, numquam tamen tantum spatium aquæ permittitur, quantum daretur si vas omnino cinere vacuum esset. 2

Difficultas est quomodo corpus vnum loco pellat aliud. P. Rub. tractat. de loco, quæst. 6. num 71. ait corpus vnum formaliter aliud à loco expellere, & penetrationi resistere. Difficilis mihi hic resistendi modus est, quia corpus intendens ingredi spatium alterius non intendit subiectum commune informare, quia penetrata corpora non mutuo informantur, neque illorum præsentiæ idem respiciunt subiectum illis realiter neque quidquam est commune, spatium enim vt sæpe dixi est quid chimæricum, & corpora non realiter sunt in spatio: ergo nihil est in ordine ad quod hæc corpora penetrata formalem possint habere resistentiam, quam semper cognoscimus in ordine ad aliquod commune, à quo se expellunt, sic calor, & frigus quæ formaliter opponuntur, resistentiam habent non præcisè secundùm suas entitates, sed in ordine ad idem subiectum. Posset aliquis dicere præsentias illas ex vi quarum duo corpora essent penetrata opponi præcisè secundùm suas entitates sine aliquo respectu ad aliquid illis commune; ita vt præsentia huius corporis eo ipso quod existat in rerum natura exigat, ne existat præsentia, ex vi cuius subiectum illius præsentiæ, & huius subiectum penetrarentur. Hoc resistentiæ genus non ex alio capite potest impugnari, nisi quia gratis, & absque vllo fundamento fingitur, absque vllo exemplari in rerum natura inuento, nullas enim entitates agnouimus, quæ repugnantiam habeant inter se nudè sumptas, nisi in ordine ad aliquod subiectum, principium, vel terminum cõmunem. An talis præsentiarum incompossibilitas formalis resistentia dicenda esset, casu quo daretur, quæstio posset esse de nomine, cum enim non esset per informationem subiecti communis, sicuti est resistentia, quam habent calor & frigus, non ita propriè formalis resistentia diceretur, bene tamen ad hoc resistentiæ genus reduceretur, quia non esset per aliquem actiuum influxum, sed præcisè per exigentiam, quam per se ipsas haberent præsentiæ, vt vna posita Deus aliam præexistentem destrueret, vel non antea existentem ne produceret. 3

Facilius percipio hanc corporum resistentiam in genere 4

causæ

causæ efficientis per impressionem impulsus, ex vi cuius corpus adquirit præsentiam in spatio distincto ab illo, quod corpus imprimens talem impulsum intendit occupare, vel per immediatam productionem præsentiæ in spatio distincto ab illo, quod intédit occupare corpus se mouens, quod non solùm facit, ne corpus aliud quod loco pellit, illud spatium occupet, sed illi nouam aliam præsentiam producit, quæ formaliter antiquam expellit, qua corrupta succedit corpus aliud in spatio quod antea hoc occupabat, absque penetratione aliqua.

5 Obiicies: Quantitas actiuè tantùm resistit penetrationi: ergo poterit illius resistentia vi Angelica vinci. Maiorem enim impulsum poterit imprimere Angelus vt corpora penetrentur, quam corpora ne penetrentur. Respondeo, nullum impulsum posse imprimere Angelum ex vi cuius corpora penetrentur, quia vel illum imprimi vni tantum corpori, vel maiorem huic & minorem alteri, vel vtrique corpori æqualem impulsum imprimit. Si vtrique æqualem, cum quodlibet corpus intendat alterum proprio pellere loco versùs partem oppositam, versùs quam corpus impulsu sibi impresso se intendit mouere & æqualis sit virtus & resistentia vtriusque, nullum vincet, & ita vtrumque proprium locum seruabit, nulla penetratione facta. Si inæqualiter impellantur, corpus, quod maiorem habet impulsum remouebit alterum à proprio loco, & illi absque vlla penetratione succedet.

6 Posse duo corpora supernaturaliter penetrari omnium scholasticorum consensus tanquam omnino certum stabilit, si ab his Durandum excipias, qui in 4. dist. 44. quæst. 6. vtramque partem problematicè defendit; sentiunt multi sacris literis veritatem hanc stabilitam esse, ex quibus habes illæso purissimo Virginis vtero Christum Dominum in lucem editum esse, & clausis ianuis cœnaculum introisse, & apud Paulum ad Hebræos 4. legitur: *Habentes Pontificem, qui penetrauit cælos Jesum*, &c. Quæ absque penetratione corporum in eodem loco fieri nun potuerunt. Cæterum non multum hæc testimonia vrgere videntur, quia posset quis dicere Christum Dominum sine transitu per medium intemerato Virginis claustro ex vtero fuisse egressum, & simili modo cœnaculum introisse relicta vna præsentia, & immediatè alia distante producta. Ad illud Pauli dici potest verbum *Penetro* diuerso modo sumi inter Latinos, ac inter Philosophos, apud illos enim idem sonat corpus penetrare, ac ad illius intimas partes peruenire, sic dicitur maria penetrasse, qui summo se mari credidit.

7 Efficaciùs probo hanc sententiam ex Eucharistiæ mysterio, in quo omnes partes corporis Christi in quocumque indiuisibili spatij, sunt inuicem inter se penetratæ, & cum quantitate panis. Dices in Eucharistia corpus Christi habere præsentiam definitiuam, cui non repugnat penetratio partium, potius illam essentialiter inuoluit, corpus autem circumscriptiuè præsens ex vi huius præsentiæ fieri impenetrabile. Si hæc solutio posset subsistere ex illa posset responderi testimoniis scripturæ adductis potuisse Christum præsentiam assumpsisse definitiuam circumscriptiua relicta, dum percurrebat spatium occupatum Beatissimæ Virginis corpore, & cœnaculi ianuis vt posset se penetrare. Admitto præsentiam definitiuam distinctam esse à circunscriptiua, & arguo à paritate vtriusque, non est enim de ratione præsentiæ definitiuæ penetrare corpus definitiuè existens cum alio corpore existenti circunscriptiuè, & tamen quantitas Christi existens definitiuè in Eucharistia penetratur cum quantitate panis existente circunscriptiuè: ergo eodem modo poterunt duæ quantitates circunscriptiuè existentes idem spatium occupare.

8 Ratione prædicta sententia probatur: nullum est caput, ex quo in ordine ad potentiam diuinam penetratio corporum circunscriptiuè existentium repugnet: ergo poterunt penetrari. Antecedens probo: repugnantia capacitatis non oritur ex incapacitate subiecti, aut spatij vt probaui, sed tantum ex influxu actiuo, quo vnum corpus aliud remouet à loco quem intendit occupare, vel ex eo quod vna præsentia exigat non esse alterius. Sed potest non concurrere actiuè cum quantitate vt moueat aliud corpus, & concurrere vt producat præsentiam, & similiter potest contra exigentiam huius præsentiæ aliam conseruare: ergo potest Deus non obstante natiua impenetrabilitate duorum corporum, illa contra propriam exigentiam atque virtutem penetrare, in quo nulla potest excogitari repugnantia.

9 Maior est difficultas, an duplex corpus graue penetratum moueretur naturaliter. Negat Pater Vasquez, quia sequeretur naturaliter denuò penetrari, quia vel mouerentur simul, & sic acquirerent aliud nouum spatium vtrique commune, & naturaliter daretur alia penetratio, vel moueretur vnum, & non aliud, & sic similiter daretur noua penetratio, qui partes profundæ corporis acquirerent spatium quod habebant partes aliæ alius corporis; cum quo facta fuerat penetratio, & ita pars quæ antea fuerat penetrata cum hac parte per motum cum aliis penetraretur. Censeo propter hanc rationem non posse ex duobus corporibus diuisibilibus inter se penetratis vnum moueri immoto alio. Affirmo tamé duo illa corpora naturaliter simul esse mouenda, rationem accipe. Corpus tantùm resistit penetrationi per impressionem impulsus, quo semel deuicto naturaliter durat penetratio, quæ non nisi supernaturaliter potest dissolui, quia dissoluenda erat per motum vnius quantitatis altera immota, vel se versùs aliam partem mouente, quod contingere non potest, vt suprà dicebam, aut per destructionem subiecti: quantitas verò, cui penetratio contingit corrumpi non potest secundùm aliquam partem sui ab aliquo agenti naturali. Quod si supposita hac penetratione miraculosè facta naturaliter durat, quia non est agens naturale, à quo possit destrui, sic posita penetratione corporum poterit alia eisdem corporibus contingere naturaliter propter eamdem rationem, nulla enim erit causa, quæ illam impediat, quia nullum corpus poterit aliud impedire, ne acquirat spatium, quod intendit, & cum vtrumque corpus penetratũ idem spatium intendant acquirere, illud naturaliter acquirent. Non posse hæc corpora impediri mutuo, ne quodlibet acquirat spatiũ, quod intendit, sic probo. Vnum corpus impedit aliud ne hoc spatium acquirat imprimendo illi impulsum, ex vi cuius ab illo remouetur, & in alio spatio constituitur: Corpus graue penetratum cum altero si illi impulsum aliquem imprimeret esset vt illum secum traheret versùs illam partem, versùs quam se mouere intendebat cùm se non posset mouere, nisi corpus aliud secũ traheret: ergo potius vnum corpus alterum penetratum iuuaret, vt moueretur, quàm illud impediret per impulsum, sed nullo alio modo potest corpus impedire motum alteriùs: ergo nullo modo poterit corpus penetratum secum penetrati motum impedire: ergo vtrumque simul mouebitur.

Ex his soluta manet obiectio, quæ sese præ oculis offert. 10
Idem corpus positum supernaturaliter in duplici spatio non potest naturaliter duplex aliud spatium acquirere: ergo duplex corpus positum supernaturaliter in eodem spatio non potest aliud spatium vtrique commune acquirere. Cuius disparitatem ex doctrina tradita facilè reddo. Corpus supernaturaliter positum in duplici loco nõ nisi supernaturaliter in eodem conseruari potest, quia præsentiæ, ex vi quarum est in duplici loco per se ipsas repugnant, & ita semper remanent cum eadem repugnantia, & simile aliam haberent, quæcumque aliæ duæ, quæ denuò producerentur, & ita naturaliter produci non poterunt, penetratio verò semel supernaturaliter facta naturaliter potest conseruari, & alia loco illius succedere, quia repugnantia penetrationis non est per resistentiam præsentiarũ, quæ semper remanet, sed per impulsum, quem vnum corpus imprimit alteri, ne cum illo penetretur, & cùm hunc non possit imprimere, nisi supponatur non penetratum cum illo, & in diuerso loco constitutum, postquam semel est penetratum cessat resistentia penetrationis quousq; ie iterum constituantur duo illa corpora positiuè vnum extra aliud. Hæc ita composui in sententia asserente corpora actiuè tantùm penetrationi resistere, quam veriorem puto, si autem dicatur præsentias ipsas, ex vi quarum fit penetratio per suasmet entitates opponi, & quasi formaliter resistere, dicendum est corpora penetrata non posse naturaliter moueri, etiam versùs eamdem partem, quia præsentiæ acquirendæ inter se essent repugnantes, & ita non possent naturaliter produci.

Punctum XII.

De vacuo.

VAcuum vulgò definitur: *Locus non repletus corporibus, aptus tamen repleri.* In qua definitione redundare videtur illud *aptus repleri*, quia eo ipso quod sit locus, & non sit repletus 1

repletus habet aptitudinem vt repleatur. Differt ab inani seu vacuitate illa, quam extra cælos concipimus, quia illa nullis terminis circunscribitur, vacuum autem dici superficiem concauam corporis terminantem spatium, quod replere possunt corpora intra illam contenta. Vacuum naturaliter dari non posse eruditè probant nostri Lusitani lib. 4. q. 1. quod satis monstrant nouissimæ experientiæ; videmus enim attracto aere per fistulam aquam sursus ascendere vt repleat spatium relictũ ab aere ne detur vacuum, & aquam detineri in cucurbita, etiamsi ore aperto illam effundere conemur, quousque via pandatur aëri occupaturo spatium ab aqua relictum. Ex his constat hanc esse rerum naturam, vt vacuum abhorreant, quam, vt postea ostendam, neque Angelus inuertere potest, vt non bene docuêre plures recentiores.

2 Receptissima omnium ratio, propter quam corpora intendunt vacuum vitare, est, ne priuentur sublunaria corpora cælesti influxu. Non illi acquieuit Arriag. disp. 14. sect. 11. qui sic arguit. Etiamsi corpora sublunaria nullum supra se haberent, possent per corpora lateralia cælestes fugere influxus: ergo non indigent corpora esse contigua aliis corporibus supra se positis ad hos influxus habendos: ergo ex hoc capite non repugnabunt separationi locali omnium corporum, quæ suprà poni possunt. Inermis ratio vt contra communem sententiam omnium ferè Philosophorum possit prævalere. Respondeo corpora recipere influxus cælestes non solùm per alia corpora lateralia, sed per illa quæ supra se habent, imò præcipuè per hæc, quàm per illa, & ideo omnium contiguitatem appetunt, quia omnium contiguitas illis est proficua. Eamdem rationem eneruare intendit Arriaga ex eo quod non continenter cælestia corpora influant in sublunaria, vnde per breue tempus ex hoc capite vacuum permittere poterant. Respondeo corpora sublunaria semper appetere perpetuam contiguitatem vt opportuno tempore influentias à cælestibus recipiant, quia si per breue aliquod tempus, quo illis indigerent, vacuum paterentur, & distantiam corporum permitterent, postea cum contiguitas deperdita illis esset necessaria, nó possent eamdem recuperare, neque distãtia corpora ad se vocare.

3 De causa actiua, quâ corpora mouentur ad supplendum vacuum dissident Doctores. Asserit Arriaga non aliam ob causam non posse dari vacuum, & moueri corpora ad illud replendum, nisi penetrationis vitandæ causa, quia Deus illa corpora intra concauum Lunæ creauit, quæ illius spatium iustè replerent, ac proinde si daretur aliquod spatium vacuum, alicui corpori deesset spatium, quod necessariò in nihilum esset redigendum, vel cum alio penetrandum. Iuxta hanc philosophandi rationem asserit causam mouẽtem corpus ad replendum vacuum esse ipsum corpus attractum, quod impulsum imprimit in corpus immediatum vt illi locum præstet, & illud in aliud in cuius spatium est successurum quousque mediis aliis corporibus impellit corpus quod ascendit, & hoc vacuum supplet, vt locum præstet corpori impulsum imprimenti quod suum spatium relinquit corpori primo attracto, seu moto. Hic dicendi modus difficilè poterit efficaciter impugnari, verumtamen non sine difficultate apprehenditur, quomodo possit aër qui est intra fistulam mouere aërem qui est in ore hominis, & hic alium aërem, & hic alium quousque vnus aquam contentam in vase à parte inferiori moueat vt ascendat ad replendum spatium relictum ab aëre.

4 Assero cum Patre Vasquez & communi plurimorum sententia, quodlibet corpus virtutem habere attractiuam attrahendi corpus aliud sibi contiguum, qua efficienter aliud mouet per impulsum illi impressum, quem talis esse naturæ affirmo, vt non valeat mouere corpus quod aliud sibi contiguum nequit attrahere. Hac ratione explicatur quomodo neque vi Angelica possint folles contigui clauso foramine aerem recipiente inter se separari nisi rumpantur, quia si Angelus alteri follium tabulæ maiorem impulsum imprimit quàm alteri, illa secum rapiet integros folles nulla tabularum factâ separatione; si verò vtrique æqualem impulsum imprimit vtraque tabula impulsa versus partes diuersas intendet aërem secũ trahere, qui æquè versus partes oppositas impulsus versus nullam mouebitur, & ita neque aliqua follium tabula poterit moueri ex vi impulsus, quem patitur, quia hic, vt dicebam, non habet virtutem mouendi corpus, quod non potest aliud contiguum attrahere, & cùm nulla tabularum possit aërem contiguum secum trahere, illorum nulla potest dimoueri.

Inquiritur hîc, an in vacuo possit dari motus localis. Respondeo: grauia, & leuia posita in medio aëre mouẽda esse versus proprium cuiusque centrum quia defectus corporis occupantis spatium motum non retardaret, imò ratione illius, motus velocior fieret, quia corpus se mouens nullum haberet impedimentum remouendum, quod haberet si spatium illud vacuum non esset, quia corpora illud occupantia donec remoueantur impulsu corporis se mouentis illius motum retardant. Si tamen semel grauia, & leuia contigua sint superficiei continenti spatium non repletum corpore, nullatenus possent moueri, nisi tantus esset illorum impetus, vt possent secum rapere illam superficiẽ; quia, vt dicebam modò, nullum corpus potest se mouere, quod secum contiguum trahere non possit: ergo si modò constituas intra totum hoc Lunæ concauum tantùm lapidem vnum contiguum parti superiori huius superficiei, moueri non poterit, si non valet Cæli superficiem secum trahere: quod si hoc præstare non potest neque se mouere valebit. Motus progressiuus nullus posset dari in vacuo, quia in medio illius animal non se posset sustinere, & vt primum superficiem aliquam pede attingeret, hunc non posset ab illa remouere. Posset homo brachiũ sursum leuare, dum numquam corpori contiguũ poneretur, quod si semel contiguitatem cum corpore haberet, numquam posset moueri non moto toto corpore, & omnibus partibus illi contiguis. Destructis Cælis in omnino inani grauia, & leuia non mouerentur, quia nullum haberent centrum, quod peterent, neque hoc spatium esset illis magis naturale, quam quodcumque aliud. Viuentia vix possent motu progressiuo moueri, quia cum primum pede pedem tangerent non possent itterum separari, & partium separatio motui progressiuo necessaria est. Possent eadem viuentia saltare & alios similes motus edere versus quamcumque partem, qui iuxta mensuram impulsus extenderentur, & non vltra, quia corpora propria grauitate deorsum non descenderent: in omnino enim inani deorsum non est, neque grauia & leuia mouentur, tantùm intensione aut remissione impulsus posset taxari motus.

Vltimò inquiri solet, an motus factus in vacuo vel in inani esset instantaneus, vel successiuus. Respondeo fore successiuum, quia spatium percurrendum à quolibet indiuisibili corporis diuisibile esset, & ita non posset in instanti percurri, quia in illo instanti non poterat totum illud occupare, quod necessariò occupandum erat relicta hac præsentia, & alia acquisita, & rursus illa alia relicta, & alia acquisita, quod in instanti fieri non potest. 5 6

CONTROVERSIA XVI.

De duratione.

SIcvti res dicitur esse in loco, & correspondere spatio imaginario loci, sic in tempore esse dicitur & spatio imaginario temporis respondere. Diximus iam quid sit rem esse in loco, dicendum modo quid sit esse in tempore, & in quo consistat duratio, quæ rei correspondentia ad tempus reale, & imaginarium dicitur. In hac re vna nos tantùm premit difficultas, videlicet, in quo consistat ratio formalis durationis, seu correspondentiæ ad spatium imaginarium temporis, adeò tamen grauis, vt eos tantùm non oppresserit, qui illam non tetigere, existimo enim quodque maximum angendum ingenium, si rem hanc radicitus euoluat, illamque velit reipsa, & dicendi modo iustè componere.

Punctvm Primvm.

Quid sit duratio.

§. I.

Doctorum placita.

LEuis poterit in ipso materiæ limine insurgere difficultas, an videlicet prima temporis correspondentia, quam 1

quam nulla alia præcessit, duratio diceretur, & an res in primò instanti temporis in quo existit posset dici durans: in qua quæstione veluti tota de loquendi modo modus loquendi prævalere debet, iuxta quem res non dicitur durare, sed incipere in primo instanti, in quo existit, duratio enim dicit rei perseuerantiam, in primo autem instanti existentiæ rei non potest dici perseuerãs, & ita neque durans, quia perseuerantia, & duratio connotant rei existentiam in tempore præcedenti. Itaque duratio, & inceptio differunt accidentaliter eo modo, quo prima productio, & conseruatio, eadem enim correspondentia ad tempus, quæ inceptio dicitur, potuit esse duratio, illam enim potuit alia correspondentia præcedere, quia illius subiectum primò productum in hoc instanti *B*, potuit produci in instanti *A*, seu in instanti *B*, eamdem correspondentiam ad tempus haberet in instanti *B*: Iuxta hunc dicendi modum res successiuæ non deberent dici durare, quia nihil illarum perseuerat, neque aliquid illarum est in hoc instanti, quod fuerit in præcedenti, nihilominus prævaluit vsus vt motus diceretur durans quando vna pars alij præcedenti succesit, quia motus, qui fuit in instanti præcedenti, & qui modo est, idem moraliter dicitur, sicuti dicitur idem fluuius, qui modò abluit hæc littora, & qui eadem multis retro annis abluebat, licet nulla pars aquæ quæ antea fuit perseueret modò.

2 Pater Soar in Metaph disp. 50. sect. 2. varias refert sententias de natura durationis, quarum primo loco reiicienda est relata num. 3. quæ durationem in negatione superaddita constituit, quia assignari nequit cuius habitus sit illa negatio, quia negatio destructionis est conseruatio positiua rei, sicuti destructio est negatio conseruationis, neque huius negationis alia datur negatio. Neque maiori negotio reiicienda est Thomistarum opinio, quam refert idem Soar num. 7. asserentem rationem durationis consistere in ratione mensuræ quam sic impugno. Ratio mensuræ accidentalis est entitati adhuc formaliter vt duranti: ergo non constituitur durans ex vi illius. Probo antecedens: ratio mensuræ est extrinseca dependens ab alio extremo & ab intellectu mensurante: sed entitati adhuc vt duranti extrinsecè nimis contingit intellectus mensurans vnum extremum cum alio: ergo ratio mensuræ rei duranti formaliter vt duranti extrinseca est: ergo ex vi illius non constituitur res formaliter durans. Dices durationem tantùm importare mensurabilitatem, seu fundamentum mensuræ actualis, ex vi cuius res constituitur apta, vt possit cum alia commensurari, & esse mensura alius entitatis. Benè est, sed de hac mensurabilitate inquiro, quidnam sit: an modus superadditus, an ipsa entitas? æquè enim nobis est ignota ratio constitutiua durationis.

3 D. Bonauentura in 2. dist. 2. in 1. p. art. 2. quæst. 3. PP. Conimbr. hîc cap. 14. quæst. 3. & 4. P. Rub. ibid. quæst. 4. & apud hunc Ric. May. Arg. Henr. Iacob. & Scotus, quibus consentit Arriaga disp. 15. docent durationem dicere modum quemdam superadditum rei duranti. Ex his auctoribus quidam putant durationem rerum permanentium esse secundum suam entitatem essentialiter successiuam, ita vt distinctus sit modus durationis, ex vi cuius Angelus durat in hoc instanti à modo, ex vi cuius durabit in instanti immediatè venturo, & sic in omnibus. Ita Arriaga, & omnes recentiores qui hanc sententiam tuentur. Alij cum Rubio, & plurimis ex antiquis docent durationem rei permanentis esse intrinsecè permanentem, & per eumdem modum durationis superadditum Angelum durare hodie, durasse heri, & cras duraturum.

4 Doctissimus noster Lugo qui semper doctrinâ solidus nihil difficile sine nouitate tangit, tom. de Incarnat. disp. 19. sect. 1. num. 20. durationem distinctam à re durante esse affirmat, non tamen illam constituit in modo aliquo superueniente rei iam existenti, sed in actione, ex vi cuius entitas constituitur existens. Itaque ait Lugo res omnes produci, & conseruari per actiones essentialiter successiuas, ex vi quarum constituitur in diuersis temporis instantibus, secundum diuersas actiones, quæ rei contingunt, ita vt hæc actio formaliter rem constituat durantem in hoc instanti temporis, quæ sicuti non potest rem in alio instanti temporis constituere, ita neque ipsa potest in aliquo ab hoc distincto existere, sed transacto hoc instanti necessariò transit actio, ita vt non possit Deus de potentia absoluta actionem, quæ in hoc instanti existit in instanti venturo existentem constituere, neque adhuc antecedenter potuit illam constituere in aliquo instanti distincto ab hoc, cui est essentialiter affixa, sicuti præsentia spatio imaginario loci, quæ ex suppositione quod existat determinato tantùm spatio, & non alij potest respondere.

Durationem non distingui realiter à re durante, sed eamdem entitatem durare per se ipsam nullo alio extrinseco superaddito defendunt Pater Soar suprà num. 9. P. Vasquez 1. part. disp. 33. cap. 3. P. Mol. 1. part. quæst. 3. P. Val. tom. 1. disp. 1. quæst. 10. p. 3. P. Pereira lib. 1. cap. 1. & 5. P. Hurt. disp. 17. sect. 3. subsect. 4. & ex antiquis Scotus, Gabr. Greg. & Ocham cum aliis plurimis. 5

§. II.

Omnis duratio rei duranti intrinsecè superaddita reijcitur.

VEnio primò ad Rubium, & alios, qui durationem rei permanentis totam simul esse, & me eâdem duratione heri, & hodie durare defendunt, contra quos efficaciter arguo. Duratio ab his auctoribus constituta indifferens est vt sit in hoc tempore, vel in illo: ergo non est in hoc tempore per se ipsam, neque per ipsam potest subiectum in hoc tempore constituere. Consequentia est eadem, quam aduersarij constituunt ad concedendam durationem superadditam. Antecedens probo: Hæc duratio heri me constituebat in diuerso tempore ac me constituit hodie: ergo est indifferens ad hoc vt me constituat in die hodierno, vel hesterno, quia si per suammet entitatem me in die hodierno constitueret, non posset non me semper in hoc hodierno die constituere, quidquid enim entitati per se ipsam conuenit, non potest eidem existenti non conuenire in quocumque tempore. Dices hanc durationem esse determinatam vt me successiuè constituat in die hesterno, hodierno, crastino heri in hesterno, hodie in hodierno, cras in die crastino, ac proinde licet me in diuersis diebus constituat secundum diuersum diem actu existentem, non ideò esse indifferentem, vt me in illis constituat prædicto modo. Contrà: hæc determinatio, quam habet modus iste non est determinatio in actu secundo ad me in hodierno die actu constituendum, sed tantùm in actu primo, ac proinde indiget die hodierno modus ille vt determinetur in actu secundo ad me constituendum durantem die hodierna: ergo actu me esse die hodierno aliquid aliud distinctũ dicit supra modũ illum: ergo modus ille non est formaliter duratio. Dices modum illum connotare tempus, seu quidquam aliud extrinsecum, ex vi cuius determinatur in actu secundo ad me constituendum actu durantem in die hodierno. Contrà: ergo illud extrinsecum, quod tu dicis determinare modum superadditum vt me constituat existentem die hodierno, & vt ipse actu existam hodierno die poterit immediatè meam entitatem determinare ad existendum die hodierno modo illo secluso: ergo modus omnino est superfluus. 6

Secundò difficillimè modum istum impugno: Me hodie existentem potuit Deus antecedenter heri corrumpere, suppositis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam: ergo si modus ille, ex vi cuius duro hodie est idem cum modo, ex vi cuius heri duraui, modus ille antecedenter potuit heri corrumpi à Deo: ergo potuit non existere hodie: ergo eamdem indifferentiam habet ac mea entitas ad existendum, vel non existendum die hodierno, siquidem potuit existere heri, & non existere hodie: ergo vel modus ille indiget aliquo modo extrinseco vt determinetur ad existendum die hodierno, vel illo non indiget mea entitas, sed poterit determinari ad existendum die hodierno, vel illo extrinseco, à quo determinandus est modus ille: ergo superfluè ponitur talis modus, & adhuc positus non potest me determinare ad existendum die hodierno, quia heri indifferens erat ad existendum, vel non existendum die hodierno, sed heri, & hodie est idemmet modus intrinsecè sumptus: ergo hodie præcisè si attendatur ad nudam illius naturam intrinsecam, modus ille eamdem indifferentiam habet. Deum potuisse meam entitatem heri destruere suppositis etiam omnibus accidentibus, quæ heri habebam, non potest absque ingenti temeritate negari: an verò possit esse aliqua entitas quæ ex suppositione, quod sit producta non possit per tantùm tempus determinatum corrumpi dicam Contr. 6. de anima, Puncto 1. §. 4. 7

8 Venio iam ad P.Arriagam qui durationem permanentium cum recentioribus constituit in modo essentialiter successiuo rei iam productæ superueniente, & ad P.Lugum, qui modum istum successiuum ab actione, ex vi cuius entitas producitur non distinguit, contra quos sic argumentor. Deus durat per suam essentiam sine aliquo intrinseco superaddito, & præcisè per tempus extrinsecum dicitur modò durare in hoc tempore, & crastino die dicitur in alio tempore durare: ergo creatura sine aliqua mutatione intrinseca poterit similiter dici durans in hoc die per aduentum extrinsecum diei hodiernæ, & postea poterit dici durans die crastina per aduentum extrinsecum diei crastinæ, eadem semper intrinsecè inuariata. Respondet P. Arriaga Deum per suam entitatem determinatum esse ad existendum in omni tempore, ac proinde non indigere modo superaddito, vt constituatur durans in hoc tempore, quo indiget creatura, quia indifferens est vt duret, vel non duret die hodierno. Admitto discrimen assignatum inter Deum, & creaturã, & adhuc vrgeo: etiamsi Deus per suammet entitatem intrinsecè sit æternus, & illi repugnet ex vi suæ intrinsecæ entitatis non esse in aliquo tempore, tamen in actu secundo modò non est in die crastina, neque dies crastina erit in die hodierna, quia esse in die hodierna dicit coëxistere hodiernæ diei, & licet Deus semper existat, & intrinsecè semper idem sit, cum dies hodiernus tantùm hodie existat, tantùm hodie Deus illi coëxistit, quia coëxistere dicit existentiam vtriusque, coëxistentis: ergo Deum existere die hodierna, quod est idem, aliquid dicit extrinsecum Deo, per quod æternitas intrinseca, quam Deus habet secum identificatam determinatur extrinsecè ad existendum modò in actu secundo in die hodierna, potiùs quàm in crastina. Hoc posito, sic argumentor: Etiamsi Deus sit intrinsecè determinatus ad existendum in omni tempore, & implicet in aliquo tempore, non existere, hìc & nunc per aliquid extrinsecum determinatur, vt existat modò die hodierna, potiùs quàm in crastina, & die crastinâ determinatur vt existat potiùs in die crastina, quàm in hodierna: ergo creatura, quæ omnino indifferens est ad existendum in hoc tempore, vel non existendum poterit suppositâ illius existentia per tempus extrinsecum determinari, vt potius sit in hoc tempore, quàm in illo. Probo cõsequentiam: determinatio intrinseca non conducit ad extrinsecam determinationem, potiùs illam impedit, & intrinseca indifferentia non impedit determinationem extrinsecam, sed ad illam conducit: ergo potiori ratione poterit creatura indifferens ad existendum, & non existendum die hodierna, determinari per aliquid extrinsecum ad existentiam hodiernam, quàm Deus intrinsecè & ex natura sua determinatus ad existendum in omni tempore: sed Deus non obstante sua determinatione intrinseca ad existendum in omni tempore, modò existit in die hodierna, & non actu in die crastina determinatus ab aliquo extrinseco: ergo potiori ratione poterit creatura ab eodem, extrinseco determ nata existere eadem die hodierna: ergo eademmet creatura, & eadem physica actio poterunt determinari per aliquid extrinsecum ad habendam existentiam hodiernam, vel crastinam, & ad habendam durationem, quam posset non habere.

9 Idem argumentum conficio contra P. Arriagam in creatura, quam ipse ait n.64. possibilem esse, quæ per suam entitatem duret tempore aliquo diuisibili, ita vt ex suppositione quod sit extitura non possit non existere toto illo tempore: illa creatura, quæ per suam entitatem duraret per integrum annum mense Ianuario non esset præsens mensi Iulio, neque mense Iulio esset præsens mensi Ianuario, & mense Ianuario, & Iulio esset eademmet indiuisibilis entitas: ergo non per suammet entitatem constitueretur præsens mensi Iulio, neque mensi Ianuario, quia si hæ præsentiæ conuenirent illi entitati per se ipsam semper conuenirent, ac proinde toto anno, in quo eadem esset, omnibus mensibus esset præsens, & mense Ianuario esset præsens mensi Iulio, & mense Iulio præsens esset mensi Ianuario: ergo duratio adhuc in illa creatura, quantumuis fingatur per suammet entitatem durans, dicit aliquid extrinsecum, ex vi cuius creatura determinatur ad existendum potiùs in hoc mense, quam in illo, ex vi cuius formaliter est huic tempori præsens: ergo duratio intrinseca entitati, siue superaddita, siue identificata cum re durante semper est superflua, & impertinens.

Alio modo efficacissimè P.Lugum, & P.Arriagam impugno: Creaturam esse in hoc tempore, & esse in alio est accidens quoddam physicum, siue idẽtificatum cum actione vt ait P.Lugo, siue superueniens rei iam productæ vt tenet cõmunis sententia: ergo ex eo tantũ dicor durare hodie quia actu habeo tale accidens: ergo poterit Deus modò facere vt statim durem anno venturo. Probo consequẽtiam; poterit Deus modò producere modum illum ex vi cuius anno venturo potero durare, vel me conseruare ex vi eiusdem actionis, quâ me poterit conseruare anno vẽturo, sed eo ipso quod producat talem modum, vel talem exhibeat actionem, me constituet durantem anno venturo: ergo potest modo me constituere actu durantem anno venturo similiter potest producere modum illum, ex vi cuius anno præterito durabam, & me conseruare ex vi actionis, qua me conseruabat anno præterito: ergo modo me potest præsentem constituere anno præterito. Dices ipsis terminis implicationem inuolui, quia eo ipso quod sim hodie non sum die crastina, neque hesterna, ac proinde implicat hodie me Deum constituere durantem die crastinâ, aut hesterna. Paulisper opperire & absque vlla implicatione terminos explicabo. Existere in hoc die est habere hoc accidens positiuũ, seu existere ex vi huius actionis in tua sententia, ex hac ego intendo in te inferre me posse simul existere die hodierna, & die crastina, quod sic probo: Potest Deus mihi duo illa accidentia, ex vi quorum successiuè possum per te existere die crastina, & die hodierna, simul infundere, vel me simul conseruare ex vi duarum illarum actionum: ergo poterit me Deus cõstituere simul durantem die hodierna, & die crastina: ergo non bene respõdebis si dicas ex suppositione quod hodie durem, non posse simul durare cras, quia licet hoc in re verum sit, intendo ego probare verum non esse in tua sententia, & non inferri iuxta illius principia ex eo quod actu durem hodie, non actu cras durare. Sed esto, implicẽt modi illi, seu illæ actiones inter se coëxistentes, ex hoc capite implicabit me existere simul in duabus mẽsuris temporis, & posse simul existere die hodierna, & die crastina: non tamen implicabit me non existere die hodierna sed crastina, dum actu dies hodierna & non crastina existit, quod ego in te probare intendo tanquam absurdum ex tua sententia deductum, quodque hæc extorquet ratiocinatio: me existere die hodierna, vel die crastina tantùm dicit habere talem modum seu produci ex vi talis actionis: ergo dum existit dies hodierna in illo priori naturæ, in quo indifferens fuit Deus ad me conseruandum, vel non conseruandum; ex vi talis actionis in qua consistit duratio iuxta sententiam Patris Lugi, seu in illo priori, in quo fuit indifferens ad producendum, vel non producendum modum durationis, quem de facto produxit, ex vi cuius duro hodierno die, potuit se Deus determinare ad producendum modum alium, ex vi cuius duro crastina die, seu ad producendam actionem conseruatiuam, ex vi cuius crastina die me cõseruabit, vel ad producendum modum illum, seu repetendam actionem illam ex vi cuius heri durauí: ergo poterit Deus antecedenter facere, vt dum existat dies hodierna, non existam ego die hodierna, sed die crastina, vel hesterna, quarum nullla existit. Confirmatur: Deus produxit in hac entitate hos modos, seu illam conseruauit ex vi harum actionum quibus fuit anno 34. postea modos alios, seu alias actiones, quibus durauit anno 35. & postea alios modos, seu actiones alias, quibus durauit anno 36. Inquiro, cur non potuerit Deus immediatè post modos, seu actiones, quibus durauit entitas anno 34 producere modos, seu exhibere actiones, quibus durauit anno 36. difficilè poteris repugnantiam assignare, quam si non assignes in te inferam posse aliquam entitatem immediatè post anum 34. transire ad 36. & cum post annum 34. immediatè succedat annus 35. inferetur necessariò entitatem anno trigesimo quinto durare anno trigesimo sexto.

10

11 Dices modum istum durationis, siue superadditum rei productæ, siue identificatum cum productione ipsius rei essentialiter respicere hoc spatium, & ita non posse in alio prodnci hoc spatio transacto, & ita repugnare produci modum, ratione cuius hodie duro in alia mensura distincta ab ista, & eadem ratione repugnare modò repeti durationem, quam heri habui, quia iam spatium, cui essentialiter ex natura sua est affixa, transactum est, & modò anteponi durationem, quam habeo crastina die, quia nondum illius

illius spatium aduenit. Hæc solutio destruxit potissimum fundamentum opinionis constituentis durationem superadditam, quia si ad spatium imaginarium patet aditus, latissimus patet campus, quem tela propugnantium, durationes superadditas attingere nequeunt: dicam enim me existere in hoc tempore esse correspondere huic spatio imaginario; & magis, minusve durare esse correspondere maiori, vel minori spatio imaginario temporis, quod acriter impugnant qui durationes superadditas defendunt, ex eo quod spatium imaginarium non est aliquid reale adhuc negatiuum, sed primum figmentum, quod tantùm habet esse obiectiuè in intellectu, quod respectu durationis, quæ secluſa omni fictione extrinsecè, vel intrinsecè rem afficit, perinde est, ac si non esset. Doctrinam hanc de spatio imaginario temporis verissimam censeo quam de spatio imaginario loci probaui Controuers. 15. Puncto 2. & ita in omnium opinione secludendum est spatium imaginarium: illo ergo secluso dicant qui durationes ponunt esse modos reales, & physicos, cur durationes quibus successiuè duro hodie & cras non poterunt inuerso ordine produci, ita vt priùs existeret modus, ex vi cuius constituor cras durans, & postea modus ex vi cuius duro hodie, ita vt priùs durarem cras, quam hodie, quod absurdissimum esse, & naturis rerum repugnans esse non nego, sed intendo hoc absurdum, istúdque obiectum in se repugnans inferri legitimè ex sententia, quæ durationem constituit in modo aliquo ex vi cuius res producatur, vel qui rei iam productæ superueniat.

12 Alio modo qui parum à præcedenti differt, posses dicere durationem, ex vi cuius hodie duro esse essentialiter affixam huic tempori, & ita non posse adhuc antecedenter in alio distincto ab isto produci, & sic de omnibus aliis durationibus. Contrà: deficiente hoc motu cælorum & alio loco huius modò existente, vel etiam deficiente omni motu, cuius duratio est tempus reale, possem ego habere eamdem durationem, quam modò habeo: ergo hæc duratio nulli tempori reali est affixa: ergo ratione temporis realis potuit in quacumque mensura seu cum diuerso ordine prioris, & posterioris ab illo quê habet cum durationе hesterna, & crastina produci. Deinde duratio motus non distinguitur ab ipso tempore: ergo dici nequit durationem motus non posse produci cum alio ordine prioris, & posterioris ex eo quod sit tempori affixa. Instari solet exemplo præsentiæ localis, in quo facilè disparitatem assigno: esse in hoc loco, vel in illo nihil aliud esse quam habere hanc vel illam præsentiã. ac proinde quotiescumque Deus velit hanc in me præsentiam producere, dicat esse in hoc loco, quod si simul cum hac præsentia velit aliam in me præsentiam producere, duplici affectus præsentia dicar esse in duplici spatio, quod in re nihil aliud est, quàm duplex *vbi*, seu duplex accidens superadditum esse in me productum, ac proinde sicuti semper liberum est Deo duplicem, vel vnicam hanc, vel illam præsentiam in me producere, liberum est semper Deo me in duplici loco aut in hoc vel illo constituere: De duratione autem non potest ita philosophari, quia si dicatur esse in hoc tempore, vel in illo nihil aliud esse quam habere hoc, vel illud accidens, seu produci ex vi huius, vel illius actionis non potest sufficiens reddi ratio cur Deus non possit producere modò quamcumque durationem, & absque vlla interruptione hanc durationê immediatè post illam & me constituere durantê anno trigesimo octauo dũ reliqua entia durant anno 35.

13 Vltimò posset dici non posse modò produci durationem præteritam vel futuram, neque durationem crastinam immediatè post hesternam hodierna non intercedẽte, quia durationes essentialiter petunt hoc ordine produci, & hãc esse priorem, deinde subsequi aliam, & illam posteriorem esse. Contra hanc solutionem insurgo sic. Hæc duratio, quam modò habeo, non petit aliam sibi immediatè antea præcessisse, neque aliam succedere post istam, quia potuit esse prior, & potest esse posterior omnium, quas habebam, potui enim incipere in hoc instanti, & tunc hæc duratio esset prior, & possum desinere in instanti venturo & tunc eadem esset posterior: ergo talis ordo prioris, & posterioris essentialis non est huic durationi. Dices non esse essentialem absolutè hunc ordinem durationi, sed tantùm ex suppositione, quod producendæ sint durationes aliæ, quæ si producantur non poterunt non hoc ordine produci. Contrà: do durationes petere hoc ordine produci, cur etiã si illum exigant non poterit Deus contra exigentiam illarum hunc ordinem inuertere? Secundò cur omnes hæ durationes, quæ cum hoc ordine inceperunt à die hodierno non potuerunt eodem ordine à die crastina incipere: quod si posset contingere, durationes ipsæ indifferentiam haberent ad existendum in hoc tempore potiùs, quàm in illo. Hæc contra opinionem constituentem in modo intrinsecè superaddito rei duranti, siue distincto, siue identificato cum actione, ex vi cuius producitur.

Contra opinionem Patris Lugo constituentis durationem in actione essentialiter successiua præter difficultates, quas suprà expendi, obiici potest, non esse de conceptu essentiali actionis distingui à termino, & ita posse actionem identificari cum termino ex natura sua immanenti vt absolutè de omni actione dicebam Controu. 12. Punct. 1. Secundò difficilè in Theologia poterit componi meritum nostrarũ operationum, quia cùm actus voluntatis qui meritorij sint formaliter includant actionem, & in hac totum exercitium nostræ libertatis consistat, si actiones sunt essentialiter successiuæ & singulis instantibus singulæ actiones correspondeant sequitur hominem elicientem actum amoris durantem per octo temporis instantia elicere octo actiones numero adæquatè distinctas, & consequẽter octo amoris actus, quorum cuilibet distinctum præmium correspondet, non solum ratione circunstantiæ distinctæ, sed etiam ratione substantiæ amoris, qui secundum substantiam distinctus est in quocumque instanti à reliquis, qui sunt in aliis temporis instantibus, & in opinione Aristot. cum in quacumque mensura temporis existant infinita instantia, infinitos amoris actus eliceret homo, in quacũque parua temporis mensura, in qua amorem eliciat; & cum cuicumque ratione substantiæ actus, etsi illius duratio sit instantanea, distinctum præmium aliquorum correspondeat, infinitis actibus infinitæ partes aliquotæ gratiæ in præmio respondebunt, & ita homo per quodcumque opus meritorium durans tempore valde exiguo infinitam gratiam consequetur, quod absurdum est. 14

Hæc in communi sententia facilè componuntur, quia ille, qui per integram horam perseuerat in eodem actu, eumdem exercet secundum substantiam in omnibus instantibus, & ita cum in primo, & secundo instanti substantia actus non est distincta, non illi correspondet distinctum præmium, neque est peccatum distinctum secundum substantiam, sed tantùm illi accrescit malitia aut bonitas ratione circunstantiæ, & cum respectu cuiusque instantis, seu partis proportionalis circunstantia aliquota non sit, ita non illi præmium aliquotũ correspondet. Reiicienda ergo est sententia P. Lugo, quia præter difficultates, quas patitur totam commouet Philosophiam, ac Theologiam. Tandem vtramque sententiam euertent rationes, quas iam exhibeo ad producendum durationem non esse aliquid intrinsecum superadditum. 15

§. III.

Propria sententia.

16 Assero cum sapientissimis Patribus Vasq. Soar, Mol. Valen. à quibus sine vrgentissima ratione numquam recedere auderem, durationem non esse accidens intrinsecum rei superadditũ, sed eamdem entitatem per se ipsam, & per connotationem extrinsecam ad tempus actu, vel potentia existens, durare & constitui in tempore, & in hoc præ alio. Priorem partem conclusionis videlicet durationem nihil reale intrinsecum importare sic probo: eò ipso præcisè quod intelligatur creatura existens, & tempus extrinsecum constituitur creatura coexistens tempori extrinseco: ergo constituitur in tempore: ergo cõstituitur durans: ergo non indiget alio accidenti superaddito. Antecedens probo: coexistentia nihil aliud est quàm vtraque existentia extremorum coexistentium: ergo eo ipso quod intelligatur existentia creaturæ, & existentia temporis, seu illius possibilitas intelligitur coexistentia rei & temporis actu, vel possibilis. Consequentiam probo, esse in tempore nihil aliud est, quàm coexistere tempori, sed per existentiam rei, & temporis intelligitur hæc coexistentia quocumque alio secluso: ergo quocumque alio secluso intelligitur res in tempore existens.

17 Confirmo eamdem conclusionem: entitas ex se indifferens vt duret in hoc tempore vel in illo, in sententia constituente

ſtituente durationem ſuperadditam determinatur per accidens illi intrinſece ſuperadditum, vt ſit potiùs in hoc tempore, quàm in illo: ergo poterit eadem ratione determinari per aliquid extrinſecum ſecluſo quocumque alio intrinſeco. Dices durare eſſe aliquid intrinſecum, ac proinde non poſſe creaturam per aliquid extrinſecum determinari ad durandum. Contrà: etſi creatura determinetur ad durandum per aliquid extrinſecum, illud extrinſecum non erit totum id, quod dicit creaturam durare, neque tota ratio durationis, quæ eſſentialiter includit rem durantem: ergo etiamſi duratio ſit aliquid intrinſecum poterit vltimò determinari per aliquid extrinſecum, dum dicat aliquid rei intrinſecum, quod in mea ſententia eſt ipſa entitas, quæ durare dicitur, qua nihil magis illi intrinſecum. Confirmatur: durare eſt coëxiſtere tempori actuali, vel poſſibili, coëxiſtere dicit exiſtentiam vtriuſque extremi: ergo dicit exiſtentiam rei durantis illi nimis intrinſecam, & dicit tempus reale actuale, vel poſſibile: ergo dicit aliquid intrinſecum rei duranti, & aliquid illi extrinſecum, per quod determinatur entitas ad exiſtendum potius in hoc tempore, quam in illo, quod rei duranti nimis extrinſecum eſt: quid enim mea, dum eamdem exiſtentiam habeo huic, vel illi tempori reſpondere?

18 Arguo iterum pro eadem parte. Si daretur duratio ſuperaddita ante ipſam ſupponeretur entitas in hoc tempore ergo talis duratio eſſet ſuperflua. Probo antecedens: ante durationem deberet ſupponi entitas in actu primo tanquã cauſa materialis illius, ſed in illo priori deberet ſupponi exiſtens in hoc tempore: ergo ante durationem ſupponeretur entitas durans. Probo minorem: entitas ante durationem prioritate naturæ debet ſupponi in aliquo tempore; non in præcedenti, neque in futuro, quæ non ſunt: ergo in præſenti. Dices ad durationẽ recipiendam, ex vi cuius entitas ſupponitur durans, non debere ſupponi rem durantem, ſicuti neque debet ſupponi præſens ad recipiendam præſentiam. Contrà: entitas ad hanc durationem non ſupponitur in aliquo tempore, ſed ſufficit ſupponi ſecundum ſuam nudam exiſtentiam: ergo ex eo quod futura ſit illius exiſtentia etiamſi modo non ſit, poterit modo ſuam recipere durationem, & modo durare. Dices ad productionem huius durationis in inſtanti *B*, requiri immediatè duraſſe in inſtanti *A*, quia durationes petunt hoc ordine produci. Reieci hanc ſolutionem num. 13. lege quæ ibi ſcripſi. Alij dicunt ad hanc durationem ſupponi entitatem priùs naturâ exiſtentem in hoc tempore, non poſitiuè, ſed negatiuè. Hos rogo; per quid conſtituatur entitas negatiuè exiſtens in hoc tempore: neceſſum eſt dici conſtitui per ſuam exiſtentiam & per exiſtentiam ſpatij (do tibi modò eſſe tale ſpatium) vel temporis actu, vel potentiâ fluentis: ergo hæc exiſtentia in tempore, quam tu negatiuam vocas, dicit ex parte ſubiecti entitatem poſitiuam rei durantis, & ex parte temporis, vel ſpatij entitatem ſpatij, vel temporis quæcumque illa ſit: ergo ex parte ſubiecti non eſt negatiua, ſed poſitiua: ergo nulla alia eſt neceſſaria, vt intelligatur entitas abſolutè durans per ſuammet poſitiuam entitatem, & aliud extrinſecum connotatum, quodcumque illud ſit.

19 Secundam partem concluſionis videlicet durationem dicere ſupra entitatem aliquod extrinſecum connotatum facilè ſuadetur, quia duratio hodierna & heſterna diſtinguuntur: entitas durans hodie, & heri eſt eadem: ergo aliquo modo diſtinguuntur entitas, & duratio, non per aliquid intrinſecum vt probaui: ergo per aliquid extrinſecum. Secundò magis duraui hodie, quam heri durauerat: ergo productior, & auctior eſt mea duratio hodie, quam heri: non per meam entitatem præcisè ſumptam, quia heri, & hodie eſt eadem: ergo per aliquid diſtinctum: non intrinſecum: ergo extrinſecum. Hoc extrinſecum eſſe tempus reale fluens actu vel potentia probatur ex eo quod ſpatium imaginarium eſſe non poſſit, cum ſit quid chimæricum, & fictitium: ergo nihil aliud poteſt aſſignari, ratione cuius dicatur entitas potius durare in hoc tempore quam in illo, & maiorem vel minorem habuiſſe durationem. Hanc coëxiſtentiam, ſeu connotationem magis explico: tempus, vt conſtabit ex dicendis Puncto 3. nihil aliud eſt quam partes motus ſucceſſiuè fluentes cum hoc ordine prioris, & poſterioris, ita vt in eadem menſura, in qua vna corrumpitur, producatur altera, & ita perpetuò ſine intermiſſione, & ſine aliqua partium coëxiſtentia fluãt. Vnde eo tempore res durare dicitur, cui coëxiſtit, & ità durare hodie nihil aliud eſt, quàm hanc entitatem exiſtere, & exiſtere fluxum partium motus cum hoc ordine prioris, & poſterioris, & durare magis, vel minus eſt, coëxiſtere pluribus, vel paucioribus partibus motus. Dixi enim durare eſſe coëxiſtere partibus motus actu vel potentiâ fluentibus, quia vt ego durem hodie non requiritur tot partes motus actu fluere mihique actu coëxiſtere, ſed quod poſſint fluere, vel quod ſi fluerent mihi poſſent omnes coëxiſtere, ſiue abſolutè poſſint, ſiue non poſſint; vnde etiamſi implicaret omne tempus reale eodem modo durarem ego per hunc annum, quia ex parte mei omnes partes motus ſucceſſiuè fluentes, quibus annus conſtat, mihi poſſent coëxiſtere, & de facto coëxiſterent, ſi ipſæ de facto exiſterent cum ordine prioris, & poſterioris requiſito ad hunc annum conſtituendum. Aduerte etiam hanc meã durationem hodiernam non dicere ordinem ad has numero partes motus, quæ de facto ſunt, quia ſi loco illarum aliæ producerentur, eadem permaneret, ſed tantùm dicit ordinem ad tot partes motus, has, vel illas cum hoc ordine prioris, & poſterioris reſpectu aliarum, quæ ſunt priores, & poſteriores illis, qua in hoc ordine conſtitit tota ratio temporis, ad quod dicit ordinem duratio, ita vt ſi partes motus, quæ heri præceſſerunt partes hodierni motus inuerſo ordine eſſent productæ, & illæ quæ priùs fuerunt productæ poſteriùs producerenrur, & è contra, partes motus, quibus conſtabat dies heſternus, diem hodiernum conſtituerent, & diceretur idem dies, & partes motus, quæ hodiernum diem componunt eumdẽ diem heſternum efficerent, quẽ aliæ conſtituerunt, & etiamſi partes motus, quę heri præceſſerunt, hodie repeterentur, conſtituerent diem hodiernum diſtinctum ab heſterno per diuerſum ordinem prioris, & poſterioris, ex quo ſumitur tota temporis diuerſitas, non ex materiali indiuiduatione partium motus, quia per accidens eſt reſpectu huius diei conſtare his, vel illis partibus, & tantùm dicit conſtare tot partium numero cum hoc ordine prioris, & poſterioris. Eadem ratione hoc numero inſtans non dicit hanc numero partẽ motus, ſed vnam partem hanc, vel illam cum hoc tamen ordine prioris, & poſterioris. Doctrinã hanc mẽti profundè affige; eſt enim potiſſimum fundamentũ omnium, quæ in hac materia tractantur, ex qua difficillima ſoluuntur argumenta.

§. IV.

Difficilis obiectio expenditur, & ſoluitur.

OBiicies. Durare, eſt correſpondere partibus motus; ſed eiſdem partibus motus poſſunt reſpondere hodie, & cras, quia eædem partes motus, quæ ſunt hodie potuerunt produci cras & non hodie: ergo poſſum habere cras eamdem durationem, quam habeo hodie: Vrgeo, durare eſt correſpondere partibus motus actu, vel potentiâ fluẽtibus, pono nullas fluxiſſe heri, neque hodie, & argumentor ſic: eiſdem partibus motus, quibus heri potui coëxiſtere poſſem coëxiſtere hodie, omnes enim poſſibiles partes motus indifferentes erant vt producerentur heri, vel hodie: ergo per ordinem ad partes motus non poſſunt diſtingui duratio hodierna & heſterna, cum partes, quas vtraque duratio connotat ſint eædem, inſuper duratio ex parte ſubiecti eadem eſt: ergo ex nullo capite diſtinguitur duratio hodierna ab heſterna, caſu quo nullæ partes motus fluxerint heri & hodie: ergo etiamſi fluxerint, quia fluentibus & non fluentibus partibus motus mea duratio hodierna, & heſterna eadem eſt. 20

Ex doctrina tradita paucis poſſem huic difficultati ſatisfacere, quia tamen eſt omnium grauiſſima, quæ in hac materia poſſunt occurrere, in illa expendenda aliquantulum immorabor. Rem ita componunt Magiſtri doctiſſimi; aſſerunt diem hodiernum non conſtitui per hunc motum ſecundùm ſe conſideratum, ſed per motum denominatum extrinſecè à partibus, quæ ante illum fluere potuerunt. Vnde tempus hoc non eſt hæc pars motus, quæ modo contingit, vel contingere potuit, quia eadem potuit craſtina die aduenire, vt rectè probat obiectio, ſed eſt hęc pars motus cũ denominatione extrinſeca, vt ante illam potuerint præcedere tot partes motus, non plures, neque pauciores. Vnde ſi eadem pars motus, quæ eſt hodie, ſit cras, non erit idem tempus, quia plures partes potuerunt illam craſtina die 21

die præcessisse quam hodie præcessisse possunt. Ex quo inferunt durationem esse, correspondentiam partibus motus,& maiorem vel minorem durationem,esse correspondentiam pluribus vel paucioribus motus partibus: durationem verò hodiernam vel crastinam, esse correspondentiam partibus motus, quam tot partes motus præcedere potuerunt. Acuta satis, & ingeniosa solutio, nihilominus plus coloris, quam succi habere puto, ne me colore decipiat, illam premo, vt videam quid succi contineat. Iuxta opinionem, quæ negat motum potuisse ab æterno procedere, nulla multitudo finita partium motus poterit assignari potens præcedere diem crastinum, quæ non potuerit diem hodiernum præcedere, quia motus syncategorematicè infinitus potuit diem hodiernum præcedere, ita vt nullus detur adeò extensus, vt non potuerit extensior alius præcedere diem hodiernum: ergo secundùm hanc sententiam non plures partes motus potuerunt præcedere durationem crastinam,quam hodiernam: ergo secundùm hanc sententiam non potest distingui duratio crastina ab hodierna ex eo,quod plures motus potuerint crastinam, quàm hodiernam præcedere: non bene ergo per ordinem ad plures paucioresve partes motus, quæ potuerunt præcedere durationem hodiernam, & crastinam distinguunt hi recentiores, qui negant non posse dari motum ab æterno,& affirmant nullam esse multitudinem finitam partium motus adeò magnam, quâ maior alia non potuerit diem hodiernum præcedere, quod nullus negat. Respondebis forsan eiusdem motus ab eodem instanti incipientis plures partes præcedere durationem crastinam, quàm hodiernam, & per ordinem ad has durationes distingui. Solutio facilis nec minùs obuia menti, quàm impugnationi peruia. Incipere ab hoc instanti vel diuerso, est habere hanc durationem, vel aliam diuersam. Inquiro modo quid sit incipere ab hoc instanti, vel diuerso, quod est inquirere, quid sit duratio, quod non poteris explicare prædicto modo, si enim recurras ad partes præcedentes ante hoc instans vel illud, redit iterum argumentum suprafactum: quod si de tempore dicis habere hanc durationem esse incipere ab hoc instanti,vel illo,nullo habito respectu ad partes præcedentes, idem dicito de mea duratione,& dicito me habere durationem crastinam esse habere correspondentiam tot partibus motus incipientem ab hoc instanti: quod si in hac re difficultatem non exhaurit,neque in illa.

22 Secundò iuxta omnium opinionem solutionem impugno. Potuisse præcedere plures partes motus ante durationem hodiernam, quàm ante crastinam, nihil aliud est quàm illam maiorem multitudinem partium esse ante durationem crastinam, ita vt partes illæ existant, neque existat, neque extiterit duratio crastina,sed immediatè post illas sit extitura, neque alio modo potest explicari quid sit rem hanc præcedere: ergo necessum non est recurrere ad partes præcedentes durationem hodiernam, & crastinam, vt has durationes distinguas, sed poteris asserere durationem hodiernam distingui à crastina,quia hodierna præcedit crastinam, & quia partes motus, quibus duratio hodierna correspondere potest, debent præcedere alias, quibus duratio crastina correspondeat, melius enim explicari poterunt durationes distinctæ per præcedentiam inter ipsas, & inter partes motus ad quas dicunt ordinem quàm per præcedentiam aliarum partium motus, quæ præcesserint vel non præcesserint, præcedentia enim respectu omnium est æquè facilis, vel difficilis explicatu, & propriùs distinguuntur durationes per id, quod in se includunt, quàm per aliud tertium ab ipsis distinctum: debebat ergo dici durationem hodiernam distingui à crastina, quia hodierna crastinam præcedit, & sic ex ipsis durationibus illarum distinctionem assignares. Si inquiras quid sit durationē hodiernam præcedere durationem crastinam,inquiram,quid sit illam minorem, aut maiorem multitudinem partium motus præcedere durationem crastinam, vel hodiernam? & responsionem quam dederis, tibi reddam, qua apertè cognosces per hunc ordinem ad partes motus præcedentes rem non explicari, sed tantùm primo aspectu eludi, & in re terminorum multitudine magis confundi.

23 Rem magis declaro: Dies hodiernus potest habere ante se pauciores partes motus,quàm dies crastinus,& dies crastinus plures quam hodiernus: excessus ille quem habet dies crastinus plurium partium motus illum præcedentium,habet dies hodiernus plurium partium motus ipsum subsequentium, quia si ante diem crastinam potuerunt præcedere plures partes motus, quàm ante hodiernum, post diem hodiernum poterunt plures subsequi,quàm post crastinum: inquiro ergo,quomodo hi excessus distinguantur. Dices, quia dies hodiernus habet excessum à parte pòst.& dies crastinus habet excessum à parte antea, dies hodiernus excessum subsequentem post illum,& dies crastinus præcedentem ante illum,quod non poteris ampliùs explicare: ergo eodem modo poteris dicere durationem hodiernam, & crastinam distingui ex eo quod hodierna crastinam præcedat,& illa subsequatur, hodierna sit ante crastinam,crastina post hodiernam,& quia dum existit duratio *A*,quæ est hodierna,non est verum dicere,existit,aut extitit duratio *B*, quæ est crastina,sed tantùm dici poterit: existit duratio *B*: ergo recurrendum non est ad alias distantes partes motus, quæ præcesserunt, in quibus, si alicui minor appareat difficultas, ex eo est, quia rem distantem non ita facilè videre potest, quàm si propè inspiceret multitudine terminorum maiorem esse agnosceret.

24 Ad obiectionem respondeo ex doctrina tradita in hoc §.& in fine præcedentis, durare esse correspondere partibus motus actu, vel potentia successiuè fluentibus, quæcumque sint partes illæ, plus,minúsve durare, esse correspondere pluribus paucioribúsve partibus motus actu vel potentia fluentibus. Vnde durare per vnum annum est actu, vel potentia correspondere mille partibus motus, non pluribus neque paucioribus, ex quo capite præcisè non differunt duratio,quam habui anno præterito à duratione,quam habeo hoc anno,differunt tamen hæ durationes inter se,per ordinem,quem habent prioris,&posterioris,ex vi cuius hæc est posterior,& illa prior,& partes motus,quibus actu,vel potentia correspondeo hoc anno, debent esse posteriores partibus motus, quibus anno præterito correspondebam, vel correspondere potero. Ad maiorem rei explicationem noto durationem hodiernam, & crastinam respectu eiusdem subiecti tantum extrinsecè differre per ordinem prioris,& posterioris vnius ad aliam, quia hæc est prior & illa posterior, id enim dicitur crastinum respectu diei hodierni, quod nondum fuit, sed erit immediatè post diem hodiernum. & dies ille, qui immediatè ante hunc præcessit dies hesternus dicitur. Ex his solutio facilis est ad prædictam obiectionem, cui respondeo,meam durationem hodiernam differre à mea duratione crastina per ordinem prioris, & posterioris ipsarum,& partium motus, quibus actu vel potentia heri, & hodie correspondeo per quas duratio hodierna,& hesterna constituuntur.

25 Ex his facile est durationes distinguere: duratio enim hodierna, & hesterna, quas ego habui, distinguuntur ratione prædicti ordinis prioris,& posterioris,vt sæpe dixi duratio mea hodierna distinguitur à duratione etiam hodierna Petri non per ordinem prioris & posterioris:sed ratione subiecti,seu rei durantis, quæ simul cum illo extrinseco connotato durationem constituit, duratio mea hodierna distinguitur à duratione hesterna Petri extrinsecè per diuersum ordinem prioris,& posterioris, & intrinsecè ratione subiecti distincti.

§. V.

Aliæ obiectiones soluuntur.

26 OBiicies primò. Potest existere mea entitas & existere tempus reale,& tamen non coëxistere mea entitas,& motus, sed habere diuersas durationes, ita vt ego existam hodie,& tempus cras;ergo coëxistentia meæ entitatis & temporis aliquid dicit distinctum ab existentia vtriusque,ex vi cuius constituitur existentiarum simultas. Multos fefellit hoc argumentum præcipuè Arriagam n.12. vbi illud conficit contra spatium imaginarium in hunc modum; potest spatium imaginarium existere hodie, & ego existere cras, non coëxistendo spatio imaginario: ergo coëxistere spatio imaginario aliquid addit supra meā existentiam spatij. Si termini huius argumenti explicentur, euanescet omnino. Respondeo me non posse existere

& existere hoc spatium, seu hoc tempus, quin coëxistamus ego & spatium, seu tempus, quia coëxistentia nihil aliud est quàm duplex extremorum existentia. Ad probationem antecedentis respondeo existere modò tempus, & me existere cras, non esse tempus existere, & me existere, sed tempus existere, & me extiturum esse, existere enim cras non est simpliciter existere donec veniat dies crastinus, & ante illum tantùm est extiturum esse, cum verò cras aduenit, & verè existat quod nunc tantùm est extiturum, iam tempus, quod nunc existit, non poterit dici existens, seu existere: sed tantùm extitisse, id enim tantùm simpliciter est existens, quod actu existit, reliqua verò, quæ existent, vel extiterunt, non dicuntur simpliciter, & sine addito existere, quia extitisse, aut extiturum esse non est simpliciter existere. Ex quo infertur hanc esse legitimam consequentiam: tempus existit, homo existit: ergo coëxistunt tempus, & homo.

27 Obiicies secundò ex eodem Arriaga: Quælibet entitas est indifferens ad durandum, vel non durandum: ergo duratio distinguitur ab illa. Retorqueo argumentum: Quælibet entitas creata est indifferens ad existendum, vel non existendum: ergo existentia distinguitur ab entitate creata. Non admittet Arriaga hanc consequentiam, & ita non illa nos premere poterit. Respondeo quamlibet entitatem posse durare, & non durare sicut potest existere, & non existere, non tamen esse indifferentem physicè, ad durandum, vel non durandum, sicuti non est indifferens ad existendum, & non existendum, non enim datur subiectum commune vtrique extremo, res enim, quæ non durat vel non est in tempore, absolutè non est. Secundò, entitas in instanti, in quo est, non est indifferens ad durandum, quia iam supponitur in illo instanti: in instanti in quo non est, non potest habere indifferentiam, quia quando non est, nullius indifferentiæ potest esse subiectum: ergo numquam potest hanc indifferentiam habere. Poterit tamen dici in hoc instanti entitas aliquo modo indifferens ad existendū vel non existendum in instanti sequenti, seu ad durandū, vel non durandū in illo quod est idē, ex quo tantùm infertur durationē distingui saltē extrinsecè à re durante, quod nos concedimus, non verò deducitur distingui intrinsecè.

28 Obiicies tertiò ex eodem: Potuit Deus decernere creare Adamum in hoc, vel in illo tempore: ergo quando decreuit creare Adamum in hoc tempore, aliquid aliud decreuit præter Adami entitatem. Respondeo Deum decernentem creare Adamum in hoc tempore decreuisse aliquid præter entitatem Adami non illi intrinsecum, sed tantum extrinsecum, videlicet creare illum coëxistentem huic tempori, seu partibus motus successiuè fluentibus cum hoc ordine prioris, & posterioris, seu creare illum aptum coëxistere partibus motus hunc ordinem prioris, & posterioris retinentibus.

29 Obiicies quartò, Ad præsentiam in hoc spatio loci requiritur modus superadditus rei præsenti loci spatio: ergo ad præsentiam in spatio temporis requiritur modus superadditus rei præsenti temporis spatio. Respondeo negando consequentiam, quia posito hoc loco, seu hoc spatio, & positâ hac entitate, potest hæc entitas non esse in hoc loco, modò enim existo ego & existit locus Romanus, & ego non existo in loco Romano, posito tamen hoc tempore; & hac entitate, non potest hæc entitas non esse in hoc tēpore, & ita non indiget aliâ entitate superadditâ, vt ponatur in tempore, & illâ indiget vt ponatur in loco.

30 Vltimò posses obiicere, Quod homo coëxisteret partibus motus habentibus talem ordinem prioris & posterioris, casu quo partes darentur, si de facto non dantur tales partes motus, nunc de facto nihil est: ergo non potest per ordinem ad hoc desumi actualis duratio, quia denominatio actualis non potest desumi à forma, quæ actu non est. Respondeo plures denominationes actuales in omnium opinione desumi à formis, quæ actu non sunt, sed fuerunt, erunt, vel essent tali postea conditione: sic ego dicor prior Antichristo desumptâ denominatione à duratione Antichristi, qui non est, sed erit, & posterior Adamo desumptâ denominatione à duratione Adami, quæ non est, sed fuit, & propositio de obiecto conditionato dicitur vera vel falsa ab euentu, qui non est, sed esset, quia denominationes, quæ non important aliquid physicum, sed aliquid morale, desumi possunt ab illo, quod physicè non est, sed tantùm moraliter, potest autem dici moraliter esse, quod physicè fuit, erit, aut esset. Sic contingit in denominatione durationis diuisibilis, v.g. vnius diei, quæ est totum quoddam morale, entitas enim physicè tantùm durat in vnico instanti, in reliquis autem, quæ dies importat, aut durauit, aut durabit.

Instabis: etiamsi durasse, aut duraturum esse sit aliquid 31
morale, tamen actu non durare est aliquid physicum: ergo debet dari aliqua forma physicâ, ex vi cuius entitas constituatur actu durans. Respondeo entitatem in hoc instanti durare dicere entitatem rei durantis secundùm se, & hanc esse quid physicum, hanc autem entitatem durare in hoc instanti secundùm id, quod dicit durare in hoc instanti distinctum ab hoc, quod est durare in alio instanti, non esse quid physicum in entitate, sed quid morale, videlicet huic entitati accidere coëxistentiam cum parte motus habente hunc ordinem prioris, & posterioris, & non alium, quod est nimis extrinsecum entitati, & nullâ physicâ vnione illi connexum, sed tantùm purâ coexistentia, quæ facit vnum coëxistens totum non physicum, sed morale.

PVNCTVM II.

Nonnulla expediuntur de duratione.

DVratio diuiditur in creatam, & increatam. Dura- 1
tio increata definitur à Boëtio: *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.* Hæc tantùm Deo conuenit, & æternitas dicitur: differt à duratione successiua, quia hæc non est tota simul, differt ab hac, & quibuscumque aliis durationibus, quia æternitas, seu increata duratio est interminabilis, reliquæ verò durationes terminum habent, quia in tempore cœperunt, imo etiamsi ab æterno incepissent, & in æternum permanerent ab illis summè differret æternitas Dei, quæ ita fuit ab æterno vt non potuerit non esse, neque possit non in æternum permanere, semperque independenter ab omni alio subsistit, reliquæ verò durationes defectibiles sunt, & dependentes, & ita si contigisset aliquam ab æterno fuisse, & in æternum non defecturam esse, hanc perpetuam durationem haberet dependenter à voluntate Dei, qui antecedenter posset illam non produxisse, sicuti de facto modò illam non producit. Hac ratione sola Dei duratio, seu æternitas perfecta possessio dicitur, quia numquam potest deperdi. De natura æternitatis latissimè Pater Soar. tom. 2. Metaph. disput. 50.

Duratio creata alia est temporaria, alia perpetua. Du- 2
ratio perpetua dicitur duratio Angeli, & animæ rationalis quæ licet habuerit principium in tempore finem non est habitura: hæc perpetua duratio dicitur æuum. Duratio temporaria est illa quæ tempore incipit, & tempore desinit, diuiditur in permanentem, & successiuam: Duratio successiua est illa, cuius partes inter se non coëxistunt, sed perpetuò fluunt corrupta hac parte in eadem mensura, in qua illa producitur, & sic de omnibus. Duratio permanens est illa cuius partes sibi coëxistunt: hæc in animalibus præcipuè in rationali ætas dicitur, in reliquis verò entitatibus absque vllo addito duratio appellatur.

Inquiri posset an possit entitas creata ab omni duratio- 3
ne absolui: quæ difficultas in mea sententia locum non inuenit, quia cum non distinguat durationem à re durante, ita implicat entitatem à duratione separari, sicut implicat à se ipsa secerni. Dices: saltem dicere adhuc in mea sententia extrinsecum aliquod, quod posset à re durante separari, & quo deficiente non esset duratio. Respondeo adhuc extrinsecam hanc connotationem non posse à re durante separari, quia non importat existentiam absolutam alicuius entitatis, sed tantùm, quod si existerent partes motus sub tali ordine prioris, & posterioris entitati coëxisterent, quod supposita existentia rei non potest separari ab illa, eo enim ipso, quod Deus entitatem producat verum erit dicere fore vt aliquæ partes motus cum aliquo ordine prioris, & posterioris tali entitati coëxisterent, si motus aliquis omni tempore, seu ab æterno fluxisset. In sententia, quæ, durationes superadditas rebus attribuit, concedet nemo, posse Deum conseruare entitatem absq; omni duratione superaddita: ego verò intēdo contra hanc sententiā inferre rem ita posse contingere, quia actio

terminata

terminata ad substantiam rei est prior actione terminatâ ad illum durationis modum, & actio ab hac posteriori est independens, & poterit sine ista subsistere: negabunt id huius sententiæ patroni quos modò non impeto, abundè enim cum illis contendi Punct. præcedenti. Vnum est certum apud omnes, entitatem non posse de potentia Dei absoluta à duratione omni absolui, quod si oppositum ex sententia constituente durationes superadditas inferatur, illatio ex consequentis falsitate antecedentis falsitatem euincet.

4 Similiter inquiri potest quibus rebus conueniat duratio: quæ difficultas locum non habet in nostra sententia, quia cum duratio à re durante non distinguatur, necessariò debent dari tot durationes, quod entitates. In opinione admittente durationes superadditas eodem modo de durationibus ac de præsentiis philosophandum est.

5 Tandem posset inquiri, quid sit spatium imaginarium temporis. Respondeo eodem modo, ac de spatio imaginario loci, esse purum nihilum, & tantum habere esse fictitium, & chimæricum, quod eisdem rationibus probandum est, quibus vsus sum Controuersia præcedenti, Puncto 3. contra spatium imaginarium loci.

Punctum III.

Quid sit tempus reale.

1 TEmpus definit Aristoteles his verbis: *Numerus motus secundum prius, & posterius.* Vt definitionem percipias, primò aduerte aliquas partes motus inter se coëxistere, alias verò sibi succedere: coëxistunt sibi partes motus insidentes diuersis partibus mobilis, quibus in eadem mensura mouetur totum mobile: sibi succedunt partes motus, quæ indiuisibiliter idem mobile secundùm easdem omnino partes, seu easdem partes afficiunt. Rem clarè monstrabit exemplum: Peto ego modò Ecclesiam, dum mouentur pedes, mouentur etiam brachia, & sibi coëxistunt partes motus, quæ sunt in pedibus, & quæ sunt in brachiis: si tamen partes respectu subiecti indiuisibiliter sumpti, siue sit diuisibile, siue indiuisibile inspiciantur, numquam sibi poterunt coëxistere. Ratio est manifesta, dum ego ab hoc loco ad Ecclesiam vsque peruenio, totum corpus, & singulæ partes illius plures præsentias acquirunt, ex vi quarum correspondent toti intercapedini, quæ est intra hunc locum, & intra Ecclesiam: hæ præsentiæ diuersæ diuersis actionibus producuntur, quæ partes motus dicuntur: de his dicimus non posse sibi coëxistere, quia præsentiæ illæ, quæ afficiunt eamdem partem corporis: verbi gratiâ, eumdem pedem, coëxistere non possunt, non expelluntur enim mutuò ab eodem subiecto, quod in duplici loco esse nequit: quod si præsentiæ quæ suut termini partium motus non possunt coëxistere, neque partes motus, ex vi quarum præsentiæ producuntur, quæ non possunt à propriis terminis separari. Itaque ex his concluditur partes motus respicientes diuersa subiecta sibi posse coëxistere, quia illarum termini videlicet præsentiæ diuersæ possunt simul afficere diuersa subiecta, quæ simul tempore possunt esse in diuersis locis, partes verò motus respicientes idem subiectum coëxistere non posse, quia illorum termini videlicet præsentiæ distinctæ non possunt coëxistere in eodem subiecto.

2 Hanc partium successionem extrinsecam esse partibus, rectè probat Soar. disput. 50. sect. 8. ratio præsto adest: partem hanc, pono partem *B*, esse priorem parte *C*, dicit duo, partem *C* non existere dum existit pars *B*, & immediatè posteà existere, vtrumque extrinsecum esse parti *B*, sic probo: partem *C* non existere dum existit pars *B*, dicit negationem existentiæ partis *C* coëxistentem parti *B*: sed parti *B* extrinsecum est coëxistere negationi partis *C*: ergo illi extrinsecum est non existere partem *C* dum illa existit. Minorem probo: cætera patent: negatio partis *C* adæquatè distinguitur à parte *B*, & non est accidens illi superadditum; neque aliquo modo afficit partem *B*: ergo existentia huius negationis extrinseca est parti *B*: ergo coëxistentia cum tali negatione quatenus inuoluit existentiam ipsius negationis valde extrinseca est parti *B*. Extrinsecum esse eidem parti *B*, partem *C* illi immediatè succedere, facillimè probo. Pars *B* quæ est in hoc instanti, nullo modo dependet à parte *C* quæ nondum est: ergo siue pars *C* sit futura, siue non sit futura, pars *B* eadem omnino permanebit: ergo extrinsecum est parti *B* partem *C* illi immediatè succedere: ergo hæc successio partium extrinseca est omnibus partibus. Idem argumentum fit de parte *C* cui extrinsecum est immediatè antea partem *B* præcessisse, quia sicuti pars *B* non dependet à parte *C* futurâ, ita pars *C* non dependet à parte *B* præteritâ, & eadem esset, etiamsi pars *B* non præteriisset. Consequens ex his illatum, antecedens explicabit. Infero, quod si Deus vellet actiones omnes, & omnes præsentias, quas ego successiuè exerceo, & acquiro dum ab hoc loco Ecclesiam peto, in instanti producere, & me per repetitas præsentias constituere simul existentem in toto illo spatio, quod percurro ab hoc loco vsque ad Ecclesiam, dum illam successiuè peto, præsentias omnes, & actiones, ex vi quarum producuntur, quæ sunt partes motus fore easdem, quas successiuè acquirerem, si nulla præsentia, neque actio productiua illius præsentiæ, & actioni, ex vi cuius alia præsentia producitur coëxisteret, id contingit in motu calefactionis, quia absente contrario fit in instanti, & illo præsenti eædem partes motus, qui in instanti sibi coëxistentes producuntur, retardantur, & successiuè fluunt, donec contrarium resistens deuincitur.

Ex his facilè definitionem temporis huiúsque naturam quisque nosset. Definit Aristoteles tempus: *numerus motus secundum prius, & posterius*, vt significet tempus constitui formaliter per partes, quæ sibi succedunt cum ordine prioris, & posterioris, reliquæ enim, quæ sibi coëxistunt, tantum se habent materialiter, & idemmet esse futurum tempus etiamsi nulla pars motus sibi coëxisteret, non enim tempus maius, vel minus, breuius, aut longius, quia motus plures partes sibi coëxistentes habeat, sed quia plures habet sibi succedentes, omnes enim partes motus, quæ sibi coëxistunt instar vnius se habent respectu motus, imò etiamsi plures motus sibi coëxistunt, sicuti modò contingit in motibus distinctorum cælorum iuxta vulgarem sententiam, quæ cælos distinctos constituit, omnes illi motus idem tempus conficiunt, idem omnino futurum si vnum tantùm indiuisibile cæli separatum perpetuò & successiuè moueretur. Id opportunè satis insinuat verbum illud *numerus*, sicut enim quaternarius numerus idem est formaliter, quo quatuor vnitates, & quo quatuor milliaria recensentur, quando quodlibet milliare sumitur collectiuè & indiuisibiliter, sic idem est tempus quod includit quatuor partes motus successiuè fluentes, & quod includit quatuor milliaria partium, quando quodlibet milliare dicit partes inter se coëxistentes. 3

Secundùm definitionem ab Aristotele traditam, tempus dicit pro materiali partes motus, pro formali ordinem prioris, & posterioris, per quem partes motus in ratione temporis constituuntur ex defectu cuius partes motus sibi coëxistentes non diuersum tempus constituunt, quod constituerent, si talem ordinem habuissent, ex quo tota temporis diuersitas sumitur, ita vt si partes motus, quæ heri præcesserunt, hodie reproducerentur, quia diuersum ordinem haberent prioris, & posterioris, diuersum tempus efficerent, vt dicebam suprà, sicuti eadem materia diuersa composita constitueret, si diuersas formas substantiales reciperet. 4

Concludo ex dictis tempus nihil reale intrinsecum supra motum dicere, sed tantum extrinsecum. Ita P. Vasq. P. Soar. & omnes, qui durationem à re durante per ali. quid intrinsecum non distinguunt. Est expressa sententia Aristotelis, quam his verbis tradit text. 100. *Prius & posterius in motu re quidem ipsa, & subiecto idem sunt quod motus, ratione verò diuersa sunt & motus sunt.* At si diceret prius & posterius nihil addit supra motum, quia eædem partes motus intrinsecè inuariatæ, quæ priores, & posteriores sunt, possent hunc ordinem non habere, neque sibi immediatè succedere, sed vnam existere simul existente aliâ. Ex quo infert temus & motum re non distingui, quia tempus nihil aliud dicit, quàm motum & ordinem prioris, & posterioris, sed ordo non distinguitur intrinsecè à motu: ergo nihil est in tempore, quod à motu distinguatur. Hæc ratio conclusionem traditam euincit, in qua minoris tantum posset probatio desiderari, quam dedi num. 2. & iterum reddo. Ante omnem durationem 5

super

ſuperadditam intelligitur hæc ſucceſſio: ergo ſeclusâ omni duratione ſuperadditâ motus habet partes ſuccedentes, quæ formaliter tempus conſtituunt. Antecedens probo: antequam pars *B*, durationem ſuperadditam recipiat, intelligitur in actu primo potens illam recipere, ſed non eſt in actu dum exiſtit pars *A*, ergo eſt in actu primo poſtquam præteriit pars *A*: ergo in illo actu primo eſt poſterior parte *A*: ergo in illo actu primo habet ſucceſſionem: non eſſe in actu primo dum exiſtit pars *A*, probo: quia partes motus localis non poſſunt coëxiſtere: ergo dum exiſtit vna non poteſt eſſe alia: ergo non eſt in actu primo ad exiſtendum prior. Conſequutio eſt legitima, quia tunc eſt in actu primo, pars, quando poteſt exiſtere, ſed tantùm poteſt exiſtere quando præceſſit alia: ergo tantùm eſt in actu primo quando præceſſit alia, poſterior illatio firma eſt, quia eſſe poſterius alio, nihil aliud eſt quàm eſſe poſtquam aliud exiſtit: ſed pars *B* eſt in actu primo ad durationem poſtquam exiſtit pars *A*: ergo pars *B* in illo actu primo eſt poſterior parte *A*.

6 Ex hac doctrina deprehendes quomodo poſſit conſtare, quod docuit Ariſtoteles hoc lib. videlicet tempus eſſe longum aut breue non autem velox aut tardum, motum autem tardum dici, & velocem, quæ videntur inter ſe non cohærere cum tempus & motus idem ſint. Rem tene: tempus dicit partes motus omnes ſibi immediatè ſuccedentes abſque aliqua coëxiſtentiâ vnius partis cum alia, illæ enim quæ ſibi coëxiſtunt perinde ſe habent reſpectu temporis, ac ſi eſſent vnica tantum pars, in hoc autem quod eſt immediatè partem parti ſuccedere nou poteſt eſſe maior, vel minor velocitas, ſed productior, ſeu diuturnior ſucceſſio, quæ tempus magis longum, non magis velox reddet, in motu autem annumerantur partes omnes illius, etiamſi ſibi coëxiſtunt, vnde cum poſſint plures, & pauciores ſibi coëxiſtere vel non ita ſibi immediatè ſuccedere, poteſt eſſe motus tardior aut velocior. Quomodo autem id fiat, labor eſt illorum, qui ſententiam Zenonis circa continui compoſitionem defendunt, quam omnes impugnant ex eo, quod non poſſet eſſe motus vnus velocior alio, de quo poſtea, dum continui compoſitionem examinabo.

7 Inter motus omnes præcipuè cælorum motus tempus dicitur, quia præ omnibus regularis eſt, & vniformis, certus, & fixus, ideo eo vtuntur homines ad alias res menſurandas, poſſent autem quolibet alio vti, ſi daretur certus, & fixus, & ita motu horologij, quia aliqualem certitudinem habet, res alias metimur, illúmque tempus appellamus, dum horam elapſam eſſe dicimus, quia tot partes motus horologij tranſierunt. Sic quilibet alius motus tempus dici poteſt, non diſtinctum à tempore, quod conſtituit cælorum motus, quia cum hic ſit perpetuus omnibus motibus coëxiſtit, & cum illis idem tempus conſtituit; quia vt iam dixi motus omnes coëxiſtentes idem tempus efficiunt, & propter hanc rationem non poſſunt duo tempora ſibi coëxiſtere. Tempora, ſeu durationes motuum ſibi ſuccedentium, quæ idem ſunt, diſtinguuntur inter ſe per ordinem prioris, & poſterioris, ſic dies hodiernus ab heſterno diſtinguitur, quia hodierna dies poſterior eſt heſternâ, quia ordo per ordinem ad ipſas partes motus inter ſe comparatas rectè explicatur, & neceſſum non eſt ad alias extrinſecas menſuras recurrere, ſicuti in durationibus rerum permanentium, quarum ſubiectum cum ſit totum ſimul non poteſt niſi in ordine ad aliud extrinſecum dici prius, & poſterius. Hac ratione durationem rei permanentis in ordine ad aliud tempus exrrinſecum, quod habeat hunc ordinem prioris, & poſterioris concipimus, & durationem motus per ordinem ad ipſum motum, qui ratione partium habet in ſe hunc ordinem prioris, & poſterioris explicamus, etſi vtraque duratio rei permanentis, & motus ſucceſſiui eſſentialiter dicat ordinem prioris, & poſterioris. Poteſt etiam hic ordo in motu ſucceſſiuo per ordinem ad alium motum conſtitui, quia vnus motus alterius poteſt eſſe menſura. Sic ad motum cœlorum horologij motum componimus, & huius illum menſuram conſtituimus. Hac ratione duratio huius motus poterit dici diſtingui à duratione illius, quia motus hic correſpondet partibus prioribus & motus ille correſpondet partibus poſterioribus aliùs motus, rectè enim dicimus durationem motus horologij, quæ horam octauam conſtituit diſtingui à duratione motus eiuſdem horologij, quæ conſtituit horam nonam, quia hæc partibus poſterioribus, & illa partibus prioribus motus cœlorum correſpondet, licet poſſemus has durationes diſtinguere per reſpectum prioris, & poſterioris, quem habent in ordine ad ſe omni cæli motu ſecluſo, &c.

LIBER SEXTVS PHYSICORVM.

LIBRO quinto Physicorum agunt multi cum Aristotele de motu propriè dicto, de quo nihil lego, quod non sit pura quæstio de nomine, neque de re quidquam aliud potest desiderari circa naturam motus præter illa, quæ scripsi Controuers. 12. Puncto 6. ideò lib. 5. omisso ad illa, quæ ad sextum librum attinent gradum facio.

CONTROVERSIA XVII.

De continui compositione.

AGREDIMVR continui compositionem, cuius hucvsque non separata difficultas omnium Doctorum malè ingenia vexauit, neque vllus fuit, qui illam non penè insuperabilem agnoscat. Hanc plerique terminorum obscuritate, illorúmque replicatis, & implicatis distinctionibus, & subdistinctionibus obtenebrant, ne apertè capiantur desperantes rem posse alio modo tractari, neque rationis lucem sustinere, sed necessariò confusionis tenebris obtegendam, ne argumentorum euidentia detegatur. Ego id sanè præstabo, vt illa, quæ clarè non possim explicare aliis explicanda remittam, satiùs enim iudico apertè fateri, me rem non assequi, quàm dicere, quæ nec ipse percipio. Insanum enim est contendere aliis placere, quibus quisque sibi non placet. Vna tantùm in hac controuersia nos premit difficultas, cuius opiniones, rationes, argumenta, & solutiones, non solùm per paragraphos distribuam, sed præter morem distinctis Punctis intersecabo.

PVNCTVM PRIMVM.

Reiectis nonnullis sententiis circa continui compositionem duplex disputanda proponitur.

1 PAter Vasquez 1. *part. disp.* 194. *& disp.* 254. docuit substantiam non habere partes ratione sui, sed ratione quantitatis, contra quem agam in Metaphysica, modò tantùm disputo, quomodo componatur continuum secundùm partes, quas includit, siue illas habeat substantia ratione sui, siue ratione quantitatis: de partibus enim quantitatis, quæ ratione sui quantitati competunt secundùm hanc sententiam eodem modo procedet quæstio, etiamsi substantiæ partes omnino negentur.

2 Alij apud Hurtadum vt rem facilius componant, dicunt in continuo non esse actu partes, sed tantùm in potentia, hac ratione existimant ictus eludere, qui in quacumque alia sententia imminent. Vana mens. Rogo hos: an in arbore radices, & rami sint omnino idem, & an in animali pes, & caput identitatem habeant? Negatiuè respondebunt, ni velint omnium sensuum euidentiæ aduersari: si ergo pes, & caput animalis distinguuntur: ergo in animali est pes distinctus à capite, & caput distinctum à pede, sed pes vt distinctus à capite non est totum animal: ergo est pars illius. Similiter caput, vt distinctum à pede non est totum animal: ergo est pars illius: ergo in animali de facto dantur partes. Sic argue in composito quocumque, in quo valebis distincta designare extrema.

Durandus *in* 4. *distinct.* 2. *quæst.* 4. Ocham. *tractat. de Eucharistia, cap.* 1. *& 2. & quodlibet.* 1. *quæst.* 9. *& in Logica, cap. de quant.* & plures alij Nominales asserunt non dari in continuo puncta, lineas, aut superficies, sed tantùm esse puras negationes; punctum negationem vlterioris tendentiæ; lineam negationem latitudinis; & superficiem negationem profunditatis. Non multum ab his discedit P. Fonseca *lib.* 3. *Metaphysic. cap.* 3. *quæst.* 6. vbi docet in corpore tantùm dari vnam superficiem physicam, extremam videlicet corpus cingentem, puncta verò & lineas non esse in corpore physicè, sed [illegible] mathematicè, non actu, sed tantùm potentiâ Logica. 3

Sententias has Durandi, & Patris Fonsecæ hac vnica ratione impugno: Omnes partes continui sunt inter se vnitæ mediâ vnione superadditâ, vt probaui Controu. 4. Punct. 1. sed illa vnio debet carere diuisibilitate, quam habent extrema vnita: ergo si in continuo dantur partes longæ, danda est vnio, quæ nullam habeat longitudinem. Minorem probo: si vnio annectens extrema longa, longitudinem haberet, partes illius aliâ indigerent vnione, qua annecterentur, & de illa vnione inquirerem, an haberet longitudinem? si neges, iam das vnionem, quæ longa non sit, quam paulò antea dedisse poteras sine vnius vnionis multiplicatione: si affirmes vnionem illam longam esse, partes habebit aliâ vnione annectendas, & sic in infinitum procedemus: ergo danda est vnio, quæ careat illa diuisibilitate, quam habent extrema vnita: ergo vnio partium lineæ diuisibilium versùs longitudinem nequit longitudinem habere: ergo erit omnino indiuisibilis, quia prima omnium diuisibilitas, & dimensio est longitudo, sine qua alia dari nequit. Secundò quia vnio partium lineæ non potest habere diuisibilitatem, quâ caret ipsa linea, aliàs aliquid haberet vnio contenta in linea, quod non haberet linea continens, quod implicat, continens enim dicit totum, quod dicit contentum, & aliquid aliud: sed linea non habet latitudinem, neque profunditatem: ergo neque vnio partium, quas continet: aliunde hæc vnio non potest habere longitudinem, vt probatum est: ergo nullam habet diuisibilitatem: ergo est omnino indiuisibilis. 4

Eadem ratione probatur dari superficies, & lineas, quia partes profundæ debent vniri vnionibus, quæ careant profunditate: ergo sunt indiuisibiles secundùm profunditatem, ex alio capite debent esse longæ, & latæ, vt saltem possit quælibet esse immediata extremo vnito, quod habet longitudinem, & latitudinem: ergo debet dari vnio diuisibilis secundùm longitudinem, & latitudinem, & indiuisibilis secundùm profunditatem, & hæc est superficies: superficies ista eo ipso quòd habeat partes latas, vnione indiget carente hac diuisibilitate, quæ aliàs longa esse debet, sicuti vnio, quæ vnit partes profundas debet esse longa, & lata: ergo danda est vnio indiuisibilis secundùm profunditatem, & latitudinem, & diuisibilis secundùm longitudinem, quæ erit linea, hæc linea vnienda est alia vnione omnino indiuisibili, vt suprà dicebam, quæ est punctum: 5

ergo

ergo in continuo dantur puncta, lineæ, & superficies. Procedit totus hic discursus ex suppositione, quod dentur in continuo partes essentialiter habentes hanc triplicem dimensionem longitudinis, latitudinis, & profunditatis, quæ non possint resolui in omnino indiuisibilia, quod admittunt auctores, contra quos agimus, quia si diceretur continuum constare puris indiuisibilibus, hæ omnes vniones omnino indiuisibiles, & diuisibiles tantùm versus longitudinem, & aliæ versùs longitudinem, & latitudinem in pura indiuisibilia resoluuntur, à quibus, & inter se penes magis, & minus, & hanc vel illam positionem differunt linea, superficies, & corpus. An verò continuum ex puris indiuisibilibus finitis constet vel ex partibus in infinitum diuisibilibus, hoc opus hic labor est.

6 Continuum constare ex infinitis partibus diuisibilibus in semper diuisibilia, ita vt si minimam aquæ guttulam Deus per totam æternitatem diuidat, & subdiuidat infinitè, & in infinitum diuidat, semper quælibet illius particula maneat infinitè diuisibilis, mens fuit Aristotelis, in qua probanda multus fuit Philosophus multis in locis, illam præcipuè tradit in hoc 6. lib. Eamdem sententiam defendit D. Thomas multis in locis præcipuè opuscul. 36. cap. 2. subscribunt innumeri Scholastici, quorum nullum refero, quia facilè possunt, qui ab hac sententia discessêre annumerari, quibus deptis schola tota philosophiæ Principem est sequuta. Sunt alij qui continuum ex puris indiuisibilibus infinitis tamen componant, quorum sententiam impugnabo Puncto 7. num. 2. 3. & 4.

7 Continuum ex partibus indiuisibilibus constare contra Aristotelem constanter defendebat Zeno Stoicorum Princeps, quem ducem sunt sequuti ex philosophis Democritus, & Leucippus. Ex Theologis antiquis May. *in 2. dist. 2. quæst. 5.* Gerardus apud Tartaletum hoc lib. quæst. 1. & Ægidius discipulus D. Thom. lib. 1. de generat. quæst. 8. citatus à Veracrux 6. physic. speculat. 1. Pro eadem sententia refero Gregorium *in 1. dist. 3. quæst. 1. in responsione ad septimum, & in 2. dist. 2. quæst. 2.* vbi ait posse continuum vltimò diuidi in omnem sui partem, ex quo necessariò infertur resolui in partes omnino indiuisibiles, ex quibus primò componitur. Tandem Eminentissimus Noster Card. Toletus *lib. 6. Physic. text. 23. quæst. 1.* post solutionem argumentorum plures esse eo tempore testatur, qui opinionem Zenonis veram esse existiment. Et perdoctus Pater Valentinus de Herice *in 1. part. tract. 4. disp. 43. cap. 2. num. 6.* sententiam hanc tradit vt veram, quam in physic. defendisse dicit. Tenet eamdem Ioachimus Doctor Valentinianus *lib. 6. Physic. disp. 1. sect. 2. punct. 1.* vbi affirmat sibi constare in multis, & grauissimis Academiis, non sine plausu defendi. Doctissimi Magistri, & plerique ex politioribus, & ingeniosioribus recentioribus huius ætatis in hanc sententiam conspirant, in quam maximoperè propendet Pater Arriaga *disp. 16.* licet enim verbis illam non apertè amplectatur, argumenta omnia quæ contra Aristotelem fiunt, integra, & absque solutione relinquit, & priùs in manuscriptis sententiam Zenonis apertè docuerat. Dedi vtriusque sententiæ patronos, vtriusque fundamenta modò dabo.

Punctum II.

Difficile argumentum contra Aristotelis sententiam extorquet infinitudinem partium: & natura partis aliquotæ, & proportionalis explicatur.

§. I.

Argumentum proponitur.

1 Contra Aristotelis sententiam hoc argumentum ferè omnes, qui de hac re agunt instaurant. Si continuum est diuisibile in infinitum, & constat infinitis partibus, in quas diuidi potest, sequitur continuum constare, non solùm infinitis partibus proportionalibus; sed etiam infinitis aliquotis, quod Philosophi negant, quia si infinitis partibus aliquotis constaret, esset simpliciter infinitum: sequelam probo: continuum hoc est diuisibile in duas medietates, quarum neutra includit aliam; quælibet medietas diuisibilis est in alias duas medietates non se inuicem includentes, & resultant ex duabus diuisionibus quatuor partes quantitatis, quarum nulla aliam ex illis quatuor partibus includit. Quatuor illæ partes rursus diuidi possunt, quælibet in duas medietates, quarum neutra includit aliam: ergo continuum potest diuidi in infinitum in partes, quarum nulla aliam in se includat: ergo potest diuidi in infinitas partes non se inuicem includentes: ergo non solùm est diuisibilis in infinitas partes proportionales sed in infinitas aliquotas: ergo non solùm includit infinitas aliquotas: ergo est simpliciter infinitum. Confirmatur, ideò continuum constat infinitis partibus, quia quamuis diuidatur, semper manet in infinitum diuisibile: sed quantumuis diuidatur semper manet diuisibile in partes aliquotas: ergo constat infinitis partibus aliquotis. Probo Minorem: eo ipso, quod diuidatur continuum; membra diuidentia, seu partes determinatæ, in quas totum diuiditur, sunt omnino non communicantes, & illarum quælibet extra omnes alias: ergo hæ partes sunt aliquotæ, & determinatæ: ergo continuum constat ex infinitis partibus aliquotis. Vltimò continuum vel includit finitas partes aliquotas non communicantes, vel infinitas: Si infinitas, habeo intentum: Si finitas, ergo poterit Deus assignare has partes finitas non communicantes vltra quarum numerum non possit alia augeri contenta in continuo, quam enim repugnantiam assignabis in eo quod Deus assignet mente partes illas, quas finitas esse concedis: imò implicat non cognosci à Deo actu, quo dicat: partes aliquotæ omnino inter se non communicantes, quæ possunt ex hoc continuo extrahi, sunt tot determinatæ, & non plures: Sed implicat Deum habere hoc iudicium, & dari certum numerum, vltra quem non possint augeri partes non communicantes: ergo implicat partes has non esse infinitas. Prima pars Minoris ex secunda dependet, quam sic probo. Posito illo numero partium quicumque sit ille, quælibet pars est diuisibilis in duas medietates non se inuicem includentes: ergo potest duplo augeri multitudo illa partium priùs assignata.

Proponit hoc argumentum Hurtado disp. 15. §. 72. cui 2
respondisse dicit num. 66. Ego omnia, quæ sub illo numero continentur lego, & nihil inuenio, quo possit verbis adhuc hoc argumentum eludi. Dicit Hurtadus, partes proportionales non esse dicendas simpliciter infinitas; sed secundùm quid, & eodem modo puncta non esse dicenda simpliciter infinita, negátque continuum posse diuidi in omnes sui partes. De his omnibus non curo; quid ad argumentum præcedens? continuum non posse diuidi in omnes sui partes, id concedo, & affirmo esse in infinitum diuisibile in partes aliquotas non communicantes, quarum quælibet rursus in infinitum semper maneat diuisibilis. Deinde nolo contendere de modo loquendi, an partes proportionales sint dicendæ infinitæ simpliciter, vel secundùm quid, tantùm contendo posse eo modo, quo asseritur partes proportionales esse infinitas, eodem dici debere partes aliquotas infinitas esse.

Audiui nonnullos respondentes, continuum posse à Deo 3
diuidi in partes adeò exiguas, vt non possit illarum aliqua iterum diuidi, nisi denuo alteri vniatur, licet in se diuisibilis sit. Solutio hæc faciliùs refellitur, quàm refertur. Duæ illæ medietates, in qua parua quantitas, & quæ simul aliis quantitatibus vniuntur vt distinctæ ab extremis, quibus vniuntur, habent determinatam mensuram, & rationem medietatis illarum quælibet: ergo siue alij quantitati præexistenti vniantur, vel non vniantur partes, in quas diuiditur minutula illa quantitas, eadem semper remanet difficultas. Secundò pono hanc diuisionem non fieri physicè, sed tantum intentionaliter, videlicet Deum mente diuidere quantitatem quantumuis paruam in duas medietates, tunc Deus tales medietates agnosceret diuisas, neutram alteram includentem, & rursus quamlibet harum medietatum in duas medietates non se inuicem includentes, & sic in infinitum. Ex quo infero infinitas aliquotas, seu non communicantes includi in continuo.

§. II.

Multa euoluuntur de natura partium aliquotarum, & proportionalium, harúmque indefinitudine.

Materia Controuersiæ exposcit vt explicemus termi- 4
nos hos frequenter repetitos, & nescio an aliquando rectè explicatos partiũ proportionaliũ, & aliquotarum.

Partes

Partes *aliquotæ* dicuntur, quæ aliquoties repetitæ reddunt totum, & habent certam, & determinatam magnitudinem,& neutra includit magnitudinem alterius, ſicuti palmus qui quater repetitus reddit vlnam, & quantitas ſecundi palmi, quæ repetitur, non includit aliquid primi palmi, neque primus palmus repeti dicitur, quia idem bis ponatur, ſed quia ſuccedit alius eiuſdem menſuræ, & æqualitatis adæquatè diſtinctus à priori,& ſic alius,donec palmi illi diſtincti inter ſe adæquatè totum abſoluant. Partes proportionales inæquales,communicantes,& indeterminatas appellant communiter Philoſophi,quos terminos nunquam ſine magna difficultate percipio, ſigillatim omnes percurro. Partes *proportionales* dicuntur vt explicat Hurtadus,quia palmus ſeruatâ proportione in minores,atque minores partes ſecatur, vt in duos ſemipalmos, & hi in duas medietates,& ſic in infinitum, *Inæquales* dicuntur ſecundum eumdem Hurtadum,quia nulla datur certa magnitudo, in qua partes illæ conueniant, quia partes illæ ſemper ſunt minores,& nulla datur adeò parua, vt non poſſit dari minor alia. *Communicantes*, quia ſemper vna aliquid accipit de alia, vt ſemipalmus medietatem palmi, & ſic de reliquis. *Indeterminatas* vult dici Hurtadus,quia nulla poteſt determinari, quâ acceptâ, non accipiatur alia: verbi gratia,inter duos palmos poſſumus accipere quatuor aut quinque palmos communicantes in aliquo, & in aliquo differentes acceptis ab vtroque his, vel illis partibus verbi gratia, poſſumus ex primo palmo accipere tres partes poſteriores,& priorem ſecundi,& palmum efficere, & poſſumus medietatem vtriuſque palmi accipere, & alium conſtituere palmum, & poſſumus vnam partem vltimam accipere ex primo palmo,& tres ex ſecũdo,& ſic in infinitũ,non nihilo magis quantitatis accepto ex hoc palmo,& minus ex alio,vel è cõtrà,poſſumus in quãtitate bipalmari infinitos palmos proportionales & cõmunicãtes aſſignare.

5 Aduertit Hurtadus partes proportionales,& communicantes eſſe incluſas in partibus determinatis & aliquotis, à quibus inadæquatè diſtinguuntur, vt ſemipalmus includitur in palmo. Partes determinatæ in toto communicant; non autem inter ſe, ſicuti duo ſemipalmi, qui palmum conſtituunt,adæquatè diſtinguuntur inter ſe,& inadæquatè à toto. Addit Hurtadus, partes has proportionales non eſſe diſtinctas ab aliquotis, & ita ſimpliciter non eſſe plures,neque pauciores,ſed ſecundum quid, & ita ſecundum quid eſſe infinitas,& non ſimpliciter,& ita,ait, committi apertam æquiuocationem cum dicitur, partes proportionales eſſe infinitas ſimpliciter, quatenus proportionales,ac ſi diceretur partes ſunt infinitæ ſimpliciter quatenus ſecundum quid ſunt infinitæ,vt ſi quis diceret, hominis brachium eſſe mille palmorum, quia continet mille palmos inter ſe communicantes,modo ſuprà explicato. Rationem reddit Hurtadus totius doctrinæ traditæ, quia termini ſimpliciter, & ſecundum quid implicationem inuoluunt,quam imbibunt termini *partes proportionales*,& *partes infinitæ ſimpliciter*, quia proportionales ſunt idem,quod ſecundum quid,& ita dicere,partes proportionales ſimpliciter infinitæ, eſt idem ac dicere, partes infinitæ ſimpliciter ſecundum quid.

6 Eadem ratione docet P. Hurtadus puncta non eſſe ſimpliciter infinita,ſed ſecundùm quid,ad quod aduertit,dari puncta proportionalia, & aliquota. Puncta aliquota vocat illa,quæ partem aliquotam conſtituunt,& puncta proportionalia,quæ ad partem proportionalem ſpectant: dicuntur proportionalia,non quia vnum punctum includatur in alio, ſed quia puncta hæc, quæ partem proportionalem conſtituunt, deſumpta ſunt ab illis punctis, quæ includit pars aliquota, ex eo enim quod pars proportionalis in aliquota continentur, debet contineri in eadem aliquota totum id,quod conſtituit partem proportionalem, & cum pars proportionalis dicat formaliter tanquam conſtitutiua illius puncta, quibus conſtat, debent contineri in parte aliquota, & ſpectare ad illam. Ex hoc infert, non poſſe dici puncta ſimpliciter infinita, ſed tantùm ſecundum quid, quia tantùm poſſunt dici infinita puncta proportionalia, quæ ex aliquotis ſumuntur, ita ſicuti aliquota non ſunt infinita, neque proportionalia, quæ ab illis non diſtinguuntur.

7 Plura ſunt in tota hac doctrina mihi difficillima, & nihil, quod non explicatione,& examine indigeat,attingam omnia,ab vltimo incipio,in quo maxima eſt æquiuocatio. Mitto loquendi modum de punctis proportionalibus, & aliquotis,qui modo explicato ab Hurtado nihil rei notatu dignum continet,ſi enim palmus in vlna includitur, certum eſt puncta palmi includi in punctis lineæ. An verò ex hoc capite puncta palmi proportionalia dici poſſint, res eſt ad modum loquendi purè attinens,ad rem venio. Cum ego contendo puncta, & partes proportionales habere infinitudinem ſimpliciter,non multitudinem iſtam infinitam coagmentari volo ex partibus aliquotis, & ex proportionalibus in aliquotis incluſis,idem dico de punctis, ſed ex partibus,quæ in aliis continebantur, vt inter ſe diſtinctis, ſiue illas aliquotas voces, quia inter ſe adæquatè diſtinguuntur,ſiue proportionales, quia in aliis præcontinebantur. Rem clarè monſtrabit exemplum: diuido vlnam in duas partes,poſtea duas ſemiulnas iterum diuido, quamlibet in duos palmos;factâ prima diuiſione, erant duæ partes;factâ ſecundâ, ſunt quatuor partes, in quas vlna diuiditur, non ego annumero vt tendam in multitudinem infinitam quatuor vltimas partes reſultantes ex ſecunda diuiſione ſupra alias duas,quæ reſultarunt ex prima, ita vt factâ ſecundâ diuiſione, annumerem iam ſex partes, quia partes hoc modo annumeratæ non cõſtituunt ſimpliciter ſenarium numerum,ſed tantùm ſecundũ quid,quia eædem vnitates bis repetũtur,duæ enim partes recenſentur antequam ſubdiuidantur,& recenſentur ſubdiuiſæ, ſenarius autem numerus,ſi ſimpliciter ſit ſenarius, debet dicere ſupra quinarium numerum vnitatem aliam,quæ non ſit repetitio alicuius vnitatis contentæ in numero quinario, ſed additio aliûs vnitatis diſtinctæ à toto quinario, & à qualibet vnitate in illo contenta. Idem dico de aliis quibuſcumque numeris,binarius enim non dicit eamdem vnitatem repetitam, ſed vnitatem ſuperadditam vnitati diſtinctæ ab ipſa, & ternarius vnitatem ſuperadditam binario ab illo,& ab vnitatibus,quas includit diſtinctam. Idem dico de quacumque multitudine infinita, ſicut enim numerus non conſtituitur, neque augetur niſi per vnitates diſtinctas, ſic non augetur multitudo infinita, niſi per vnitates inter ſe diſtinctas. Si in hunc ſenſum intelligatur doctrina Hurtadi rectè ſibi, & rationi cohæret, quia partes proportionales incluſæ in aliquotis identificantur cum aliquotis, & ita non poſſunt cum illis conſtituere ſimpliciter multitudinem, & conſequenter neque infinitudinem ſimpliciter,quæ eſſentialiter dicit multitudinem. Hac ratione rectè docet Hurtadus in quantitate bipalmari, in qua infiniti palmi proportionales, ſeu communicantes inueniuntur, non eſſe ſimpliciter infinitos palmos, quia qui dicit infinitos palmos proportionales, dicit infinitos palmos inadæquatè identificatos, qui non conſtituunt infinitudinem ſimpliciter palmorum, quæ debet dicere infinitos palmos adæquatè diſtinctos, ſicuti centenarius numerus non conſtituitur ex decem denariis inadæquatè diſtinctis: ſed eſſentialiter dicit vt ſit ſimpliciter centenarius numerus decem denarios adæquatè diſtinctos; ex duobus enim denariis inadæquatè diſtinctis conſtituam ego decem denarios inadæquatè diſtinctos,& non potero numerum ſimpliciter centenarium conſtituere.

Secundùm hanc doctrinam benignam interpretationem habet illatio quædam ab Hurtado facta quam carpit Arriaga. Ait Hurtadus §. 54. ſicuti partes proportionales non ſunt aliæ à determinatis, ita neque ſimpliciter ſunt plures, neque pauciores,ſed ſecundum quid, & ita ſecundum quid ſunt infinitæ, & non ſimpliciter. Contra hanc illationem ſic inſtat Arriaga diſput. 16. ſect. 3. palmi non diſtinguuntur ab ſtatura: ergo quia ſtatura eſt vna, palmi,quos includit ſtatura non ſunt ſex, ſed vnus. Secundò materia, & forma ſunt idem cum toto: ergo quia totum eſt vna entitas,materia, & forma erunt vna entitas. Deinde contra doctrinam Hurtadi euidenter arguere ait Arriaga:partes proportionales ſunt minores aliquotis, & determinatis: ergo maior eſt numerus proportionalium, quàm aliquotarum,quæ in eodem toto continentur, plures enim palmi continentur in vlna quam in ſemiulna, vt per ſe notum eſt,vlna enim includit duas ſemiulnas tantùm,& continet quatuor palmos. Tota hæc auctorũ diſſenſio oritur ex eo,quod inter illos ſtatutum non ſit, quid ſit pars proportionalis,& quid aliquota. Arriaga vocat partes proportionales illas,in quas aliquota diuiditur,quæ minores neceſſariò ſunt parte aliquota,nullum enim membrum diuidens poteſt eſſe æquale diuiſo,ſecundùm hanc acceptionem per ſe notum eſt eſſe plures partes proportionales,quàm aliquotæ,& eſſe plures palmos quã ſemiulnæ

8

in

in quacumque quantitate. Hurtadus vocat partem proportionalem illam quæ cum alia communicat,etiamsi non sit minor illa, & ita infinitos palmos proportionales in quãtitate femiulnari reperit,qui simpliciter non sunt infiniti palmi propter rationem dictam, & ita ait simpliciter palmos aliquotos non esse plures,sed se cum quid,cuius ratio esse potest suprà data,videlicet non constitui multiplicitatem simpliciter ex his, quæ simpliciter non distinguũtur,& sicuti palmi illi proportionales,& communicantes simpliciter non distinguuntur, simpliciter non constituunt pluralitatem, & ita non sunt simpliciter plures palmi, quàm palmi duo aliquoti,cùm identificantur, sicuti, materia, & forma, & vnio,quæ sunt tres entitates distinctæ, non sunt simpliciter plures quàm materia, forma, & vnio, & totum, neque totum dicit simpliciter plusquam totum & materia,quia totum additum materiæ, formæ,& vnioni cum illis identificatur, ita neque aliquid toti affert materia, neque totum aliquid addit materiæ, formæ, & vnioni, & hac ratione non constituunt multiplicitatem. Eadem ratione infiniti palmi communicantes nihil addunt duobus palmis non communicantibus in aliqua parte, & ita non possunt cum illis multitudinem componere,neque simpliciter sunt plures palmi quàm duo illi palmi non communicantes. Eadem ratione puncta,quæ sunt in parte proportionali non addunt multiplicitatem punctorum supra puncta,quæ sunt in parte aliquotæ continente proportionalem,quia puncta aliûs aliquota includant puncta proportionalis,& ita nullũ accrescit pũctum multitudini punctorũ, quæ continet pars aliquotaclaudens proportionalẽ.

9 Cæterùm quamuis hæc ita sint, existimo nullo modo posse negari in sententia Aristot.dari in continuo infinita puncta indiuisibilia, & infinitas partes quantitatis, quas appellat proportionales Philosophorum turba, an verò partes hæ,quæ absolutè,& simpliciter sunt infinitæ,aliquotæ dici possint, dicam puncto sequenti, hoc vnum modò intendo, in continuo Aristotelico diuisibili in semper diuisibilia concedenda esse simpliciter infinita puncta,& infinitas partes,quod sic ostendo. Continuum hoc bipalmare includens infinitos palmos communicantes ideò absolutè,& simpliciter non includit infinitos palmos,quia palmi illi, qui infiniti dicuntur,sunt communicantes,& inter se habent identitatem:quod si palmi illi infiniti, qui sunt communicantes, non essent communicantes, & quilibet illorum secundùm se totum ab illo distinguerentur absolutè & simpliciter,dicerentur infiniti palmi sine illo addito *communicantes* quod destruit absolutam palmorum infinitatem,quæ propriè, & simpliciter infinitas sit,sed quilibet ex illis palmis habet aliquam partem non communicantem secundùm aliquid sui cum partibus aliorum palmorum, quæ ita est propria huius palmi, vt nulli conueniat distincto ab hoc:ergo communicatio, seu identiras palmorum non est additum,ratione cuius partes illæ,in quibus palmi nullo modo communicant,non possint dici simpliciter infinitæ,sed simpliciter infinitæ dicentur eo modo, quo infiniti simpliciter dicerentur palmi, si inter se nullam communicationem haberent. Maior propositio continet totam doctrinam ab Hurtado traditam. Minor facillimè ostenditur:posità quantitate bipalmari, præter hos palmos non communicantes possumus palmum alium constituere ex medietate vltima primi palmi,& prima vltimi, qui palmus habebit partem aliquam, videlicet medietatem vltimam, quàm primus palmus non communicabat, & inde potest alius componi palmus ex medietate medij palmi vltimi, & reliqua extensione requisita palmi præcedentis, qui palmus communicabit medietatem illam dimidij palmi vltimi, quam nullus palmus præcedens communicauit: Deinde illa medietas, quæ supereſt dimidij palmi vltimi potest diuidi,& prior illius medietas palmum alium claudere compositum ex illa, & ex requisita extensione palmi præcedentis, & sic in infinitum, ita vt semper hi palmi semper nouam aliquam partem habeant, quam non habebat præcedens, & aliam amittant ex his, quas continebat præcedens palmus, in quibus palmi non communicent: ergo infiniti palmi communicantes, qui sunt in quantitate bipalmari, habent aliquam partem, in qua nullus cum alio communicet,multiplicantur enim hi palmi per acquisitionem nouæ partis,quam non habebat palmus præcedens,& amissionem antiquæ partis, quâ præcedens gaudebat:ergo in palmis infinitis communicantibus sunt infinitæ partes non communicantes: ergo licet palmi non sint infiniti simpliciter;sed cum addito,ratione communicationis partes absque vllo addito infinitæ dicentur.

Secundò efficacissimè argumentor: In hac quantitate 10
possibiles sunt infinitæ diuisiones, ita vt si ab hoc instanti Deus illam diuideret in medietates, minores, & minores semper maneret adhuc diuisibilis, & per totam æternitatem posset diuidi: ergo in hac quantitate sunt infinitæ vniones,quæ possunt corrumpi:ergo illius indiuisibilia,quibus competit ratio vnionis infinita sunt. Probo priorem consequentiam:diuisio fit per corruptionem vnionum, & noua diuisio necessariò fit per nouam corruptionem nouæ vnionis: ergo si possibiles sunt infinitæ diuisiones, debent dari infinitæ vniones,quæ possunt corrumpi,quæ simpliciter erunt infinitæ, & non communicantes, quia nulla vnio cum alia vnione, neque vlla diuisio cum alia diuisione communicat, nihil enim vnionis corruptæ in vna diuisione in alia corrumpitur, neque aliquid diuisionis, quod hæc includat,includit alia:ergo diuisiones,& vniones simpliciter,& sine addito infinitæ debent appellari. Dices,diuisiones has esse infinitas syncategorematicè, non verò categorematicè. Contrà: infinitum syncategorematicum essentialiter includit simpliciter infinitudinem rerum possibilium,quæ syncategorematicè augeri possunt, vt efficaciter probaui Controu.14. puncto 2. ergo si possunt in infinitum augeri diuisiones circa hanc quantitatem:diuisiones possibiles debent esse infinitæ, ergo puncta, quæ includit debent esse infinita,quia non sunt possibiles plures diuisiones,quam sunt puncta,quæ quantitas includit, diuisio enim est corruptio vnionis,& bene valet,in hac quantitate possunt infinitæ corruptiones vnionum exerceri, nullâ nouâ additâ vnione:ergo habet infinitas vniones:sicuti rectè infertur: ex hac bursa possunt extrahi infiniti nummi: ergo includit infinitos nummos.

Probat ratio facta immediatè de vnionibus,sed de vnio- 11
nibus, seu indiuisibilibus infinitis facilis est consequentia ad partes infinitas, nulla enim est vnio in linea, cui pars non correspondeat,quod si eadem pars duplici respondeat vnioni,similiter duplex vnio duplici parti respondet,& ita vt tutè negaret Hurtadus, partes esse infinitas,consequenter negabit puncta esse infinita. Demum eadem ratio facillimè ad partes eadem efficacia hoc modo applicatur: potest Deus ex hac quantitate corrumpere dimidiam partem,& dimidiæ restantis medietatem corrumpere, & iterum quantitatis superstitis aliam medietatem corrumpere, & sic in infinitum: ergo sunt corruptibiles infinitæ partes in quantitate,quæ simpliciter infinitæ erunt, quia nullam communicationem inter se habebunt, medietas enim primò corrupta in nullo communicat cum medietate secundò corrupta,& sic de reliquis:ergo portiones omnes quantitatis minores,quæ ex hac quantitate possunt corrumpi,in nullo communicant, & cum in infinitum possint augeri actu, possibiles sunt infinitæ huiusmodi corruptiones, & actu existentes infinitæ partes,quæ possunt corrumpi, non enim possibilis est corruptio alicuius partis huius numero quantitatis, qua actu in hac quantitate non sit, quia si pars alia huic quantitati addita corrumperetur, illa non pertineret ad hanc numero quantitatem, sed ad aliam compositam ex hac quantitate,& ex parte adueniente, hæc enim numero quantitas dicit has numero partes, & non alias. Eâdem arguendi formâ vtitur Hurtadus disp.13.ad probandum actus animorum per totam æternitatem esse infinitos, quod infert ex eo quod numquam exhauriri possint, si ex illis successiuè sumatur. Do verba illius §. 58. *Quod si mihi concedas posse actu existere magnitudinem, & multitudinem, quæ successiuè non possit exhauriri,nec finiri,ego sum contentus: id ego infinitum voco.* Sed omnes Aristotelici concedunt in hac quantitate esse partes,quæ si successiuè sumantur minores; & minores per diuisiones,& subdiuisiones illius,nunquam poterunt exhauriri:ergo contenti esse possumus, qui contendimus secundum hanc sententiam partes simpliciter esse infinitas: illas ergo infinitas nobiscum vocare debet Hurtadus. Statuo ergo quod mihi citra controuersiam est, in sententia Aristotelis constituenda esse puncta simpliciter infinita,& partes simpliciter infinitas,an verò hæ tantùm sint proportionales, vel etiam aliquotæ dici possint, explicabo, postquam differentiam inter partes proportionales, & aliquotas assignauero. Argumenta, quæ adducit Hurtadus ad probandum in continuo non posse dari partes simpliciter infinitas, impugnant compositionem continui Aristotelici, & ideò etsi difficilia sint,illis, aliisque

difficilioribus

difficilioribus tenetur Hurtadus respondere, ideo enim militant contra infinitudinem partium, quia directè opponuntur cum toto, quod ex illis resultat. Expendam singula contra continuum Aristotelicum in hac Controuersia, & constabit hæc argumenta vna partium infinitudinem, & continuum diuisibile in semper diuisibilia impugnare.

§. III.

Alia, quæ eamdem materiam magis explicant.

12 VEnio iam ad explicationem partium aliquotarum, & proportionalium. Partes proportionales dicuntur, quia eadem proportione quâ totum, in minores partes secantur, sicut enim vlna secatur in duas semiulnas, sic eâdem proportione quælibet semiulna secatur in duos palmos. Id ego non inficior; verumtamen moneo ex hoc capite in re, & intrinsecè, neque adæquatè, neque inadæquatè distingui partem aliquotam, & proportionalem, sed tantùm per respectum, & connotationem ad alias compartes, quia eadem numero pars, quæ aliquota est, habet proportionem prædictam vt patet in palmo, quę est pars aliquota vlnæ, quæ quater repetita, reddit vlnam, & similiter est pars proportionalis, quia sicuti vlna diuiditur in duas semiulnas, ita semivlna in duos palmos, & sicuti se habet semiulna ad vlnam, ita palmus ad vlnam: differunt ergo ex hoc capite pars aliquota, & proportionalis extrinsecè per ordinem, seu connotationem explicatam ad alias compartes, quia palmus, vt pars aliquota vlnæ tantùm dicit quater repetitam vlnam reddere, non verò dicit formaliter vt aliquota se habere eodem modo ad semiulnam, quo se habet semiulna ad illam, in quo respectu seu simili modo se habendi constituta est ratio proportionalis partis. Inæquales dicuntur, quia nulla datur certa magnitudo, in qua partes illæ conueniant, quia partes illæ sunt semper minores atque minores, & nulla datur adeò parua, vt non possit dari minor alia. Hîc hæreo. Concedit Hurtadus § 54. in brachio trium palmorum esse infinitos palmos proportionales, sed illi omnes sunt inter se æquales: ergo non est de ratione partium proportionalium esse inæquales. Secundò sicuti nulla datur certa magnitudo, in qua conueniant partes proportionales, sed potest dari minor alia magnitudo, in qua sit pars proportionalis, ita nulla potest dari certa magnitudo, in qua conueniant partes aliquotæ, & quacumque assignata, potest reperiri minor alia, in qua pars aliquota reperiatur, quia si mihi assignes partem aliquotam quantitatis, quantumuis exiguam, duas habebit medietates, quamlibet forsim minorem parte illa, & vtraque medietas pars erit aliquota: ergo ex hoc capite inæqualitas non magis conuenit partibus proportionalibus quam aliquotis. Cêseo partes aliquotas dici æquales, quia semper æqualitatem seruant non respectu omnium, sed respectu illarum, per quarum repetitionem reddunt totum, & aliquotæ dicuntur, v. g. palmus dicitur pars aliquota vlnæ, quia quater repetitus constituit vlnam, non autem dicitur quater repeti, quia idé indiuisibiliter iterum ponitur in vlna, sed quia quater ponitur palmus in vlna, & illi palmi, per quos dicimus primũ repeti, & cum quibus primus palmus dicitur pars aliquota vlnæ per ordinem ad illos, & ad ipsam vlnam, sunt æquales palmo, qui dicitur repetitus, & cũ quilibet ex quatuor palmis per alios dicatur repeti, cuilibet sunt æquales alij palmi, seu compartes, per quas repetitur, & per ordinem ad quas dicitur pars aliquota vlnæ. In partibus proportionalibus formaliter vt proportionales sunt, non requiritur hæc æqualitas respectu aliarum comproportionalium in ordine ad totum, imò potius inæqualitas desideratur in partibus quando sumuntur in ordine ad tota inæqualia, seu ad tota, quorum vnum aliud includit. Exempli gratiâ, palmus pars proportionalis dicitur respectu semiulnæ, quia sicut se habet semiulna ad vlnam, in se habet palmus ad semiulnã, quæ proportio non posset seruari inter palmum, & semivlnam respectu vlnæ, quia non possunt duæ quantitates æquales seruare proportionem medietatum respectu totorum inæqualium. Ex hac proportione, quæ præcipua est inter quantitates, & quæ præcipuè partes proportionales denominat, quæ inæqualitatẽ, vt probatum est, desiderat, partes proportionales dicuntur. Quod si palmi communicantes per hanc communicationem proportionales dicantur, & nullus illorum maior sit alio, nõ ex eo est quia hoc proportionis genus hanc æqualitatem exposcat, quia eodé modo dicentur partes proportionales hac proportione communicationum palmus, & semipalmus, & tamen palmus, & semipalmus inæquales sunt, ex quo infertur, duos palmos communicantes materialiter, & per accidens esse æquales, non formaliter vt communicantes, quia poterant in eadem quãtitate communicare & esse inæquales, si partes illæ, in qua non communicant essent inæquales, quod si vt communicantes formaliter, non sunt æquales, sed indifferentes ad æqualitatem vel inæqualitatem, neque vt proportionales æquales erunt, quia in his tota proportio ex communicatione desumitur. Alio modo dici possunt partes proportionales in ordine ad ipsas v. g. in vlna potest dici primus palmus respectu secundi in ordine ad tertium, quia sicuti se habet primus palmus ad secundum, ita se habet secundus ad tertium. Partibus hac ratione proportionalibus tantùm materialiter potest conuenire æqualitas, quia eadem formaliter proportio potest reperiri in partibus inæqualibus: possumus enim dicere, sicuti se habet primus semipalmus huius quantitatis ad semiulnam illi immediatam, ita se habet primus, seu vltimus palmus eiusdem quantitatis ad vlnam illi immediatam. Ex inæqualitate hac ratione explicata nondum distinguuntur intrinsecè adhuc inadæquatè pars proportionalis, & aliquota, quia pars aliquota eadem intrinsecè inuariata æqualis cum aliis coaliquotis respectu totius, quod componunt, potest habere hanc proportionem, & inæqualitatem respectu aliarum.

13 Communicantes vult dici Hurtadus, quia semper vna aliquid accipit de alia, & in aliquo communicat. Hanc cõmunicationem non posse conuenire partibus aliquotis, per quarum repetitionem totum redditur, dixi suprà, & certum est, quia palmus, vt vlnam reddat, debet quater repeti per palmos adæquatè & inter se distinctos realiter, vlna enim intrinsecè dicit quatuor palmos in nullo communicantes. Est etiam certum partes proportionales posse habere hanc communicationem inter se vt patet in semiulna, & palmo, quæ dicuntur partes proportionales, ex eo quod palmus se habeat ad semiulnam sicuti semiulna ad vlnam, & palmus ex semiulna secundum se totum cum semiulna communicat. Potest esse difficultas an hæc communicatio sufficiat ad constituendam proportionem partium, seu partes proportionales, & an essentialiter requiratur, ita vt sine illa possit intelligi proportio. Sentio communicationem sufficere ad proportionem, quia quoties est communicatio partium, sunt tres partes, vna communicans cum duabus aliis respectu quarum se habet eodem modo, & verum est dicere, sicut hæc pars habet aliquid commune cum illa, ita habet aliquid commune cum alia, quod est eodem modo se habere ad illam, quo se habet ad aliam, & eodem modo se haberet pars illa ad hanc quæ aliquid illius desumit, ac se habet pars alia ad hanc, eademque similiter aliquid ex alia desumit, in quo formaliter consistit proportio: verbi gratia: detur quantitas duorum palmorum communicantium, sume in hac quantitate palmum medium communicantem ex vtroque, tunc verum erit dicere, sicut se habet palmus medius ad hunc palmum extremum, ita se habet ad alterum, quia ex vtroque aliquid desumit, & sicut se habet hic palmus extremus ad hunc palmum medium, ita se habet alter palmus extremus ad eumdem palmum medium, quia vterque secundum aliquid sui medium componit: ergo eo ipso quod sit pars quædam ex aliis communicans, datur proportio inter partes vnius commuoicantis cum duabus, à quibus aliquid sumit, & duarum in vna media communicantium, cui quælibet aliquid sui tribuit. Communicationem hanc non requiri essentialiter ad proportionem, certum existimo, quia in quantitate quatuor vlnarum verum est dicere, sicuti se habet primus palmus ad vlnam sibi immediatam, ita se habet vltimus palmus ad vlnam sibi immediatam, quę habitudines constituunt proportionem extremorum, in quibus nulla est communicatio. Ex hac proportione communicationis non constitui aliquam partem quantitatis, ita intrinsecè proportionatam, vt respectu nullius possit esse aliquota, est omnino certum, hæc enim proportio conuenit palmo quantitatis habentis duos palmos, & alius habentis quatuor vlnas, vt constat ex his, quæ modò dixi, & tamen respectu harum quantitatum palmus pars est aliquota.

14 Indeterminatas vocat Hurtadus partes proportionales, quia nullum habent terminum parvitatis, nam quia cum

accipiatur variæ partes, nulla potest assignari, qua accepta, non alia accipiatur. Non assentior, quia si sermo sit de hac numero parte proportionata certum est determinatum terminum habere, supra quem augeri nequit, & à quo minui non potest, quia eo ipso quod addatur, vel detrahatur aliquid iam non erit hæc numero pars proportionalis, si sermo sit de parte proportionali vt sic, sicuti pars proportionalis potest esse minor quâcumque assignata; sic quacũque parte aliquota assignata, potest minor alia assignari. Eadem ratione licet possit hæc pars, & alia, & alia assumi ad proportionalem partem vt sic componendam, ad hanc numero partem proportionalem hæc numero, & non alia potest desumi ex alterâ comparte. Dicam ego partes aliquatas determinatas, quia hæc pars aliquotâ habens certam, & determinatam quantitatem determinat quantitatem aliis compartibus aliquotis, quarum repetitione totum est compositura, eo enim ipso quod pars habeat extensionem palmi aliæ compartes, quibus repetitis totum constituitur habens extensionem sibi æqualem, & hæc illis æqualis esse debet, vt cum illis, & in ordine ad illas respectu totius sit aliquota. Partes verò proportionales cum in æqualitatem secum compatiantur, neutra alteri quantitatem determinat, neque determinatam exigit extensionem, vt cum alia possit esse proportionalis, & hac ratione indeterminata dici potest. Neque in alio sensu partem ego indeterminatam concipio, est enim mihi ingens chimæra pars aliqua, seu entitas in rerum natura existens, quæ determinata non sit, & distincta à quacumque alia, ita vt Deus illam intellectu cognoscat conceptu correspondente voci huius articuli *hoc*. Ratione huius indeterminationis nullam partem ita intrinsecè constitui proportionalem, vt ratione aliquotæ respectu aliarum partium gaudere non possit, perspicuum est.

§. IV.

Definiuntur partes proportionales, & aliquotæ totáque absoluitur difficultas.

15 EXplicatis iam omnibus denominationibus partium aliquotarum, & proportionalium facile est vtrumque genus partium definire. *Pars aliquota est quæ aliquoties repetita in aliis eiusdem mensuræ reddit totum.* Itaque pars aliquota dicit respectum ad totum, & alias compartes eiusdem mensuræ, quæ cum illa totum componunt. Ex defectu huius compartis æqualis pars quantitatis includens quinque aut septem palmos quantitatis, aliumve maiorem numerum respectu totius habentis duodecim palmos rationem aliquotæ partis non participat, quia quinque palmi si semel repetantur, reddunt totum decem palmorum, si bis, quindecim, & ita nunquam per repetitionem partium quinque palmorum potest constitui quantitas, cuius mensura sint duodecim palmi: eadem ratione pars septem palmorum, si semel repetatur constituet quantitatem quatuordecim palmorum, si bis maiorem, & ita nunquam poterit pars illa repetita constituere quantitatem duodecim palmis definitam. Erit ergo respectu quantitatis duodecim palmorum pars aliquota, quæ vnico palmo gaudeat, quæ supra ipsam vndecies repetita quantitatem duodecim palmorum reddet, & pars duorum palmorum, quæ quinquies supra ipsam repetita componet quantitatem duodecim palmorum. Similiter pars trium, quatuor, vel sex palmorum quia pars trium palmorum si ter supra ipsam; & pars quatuor palmorum, si bis supra ipsam; & sex palmorum, si semel supra ipsam repetantur, quantitatem duodecim palmis circunscriptam constituent. Si roges an pars quinque palmorum, & aliæ, quæ aliquotæ non sunt, respectu quantitatis duodecim palmorum sint proportionales, respondeo proportionem semper, & essentialiter sumi in ordine ad illa extrema, cum quibus comparatur pars illa, quæ proportionalis est, posseque partem quinque palmorum comparari ad totum duodecim palmorum, quod componit, & alias partes aliûs totiûs, ex quibus comparationibus denominationem proportionalis sortiatur. Comparatio autem in hunc modum fieri potest: sicut se habet pars quinque palmorum ad totum duodecim palmorum, quod componunt, ita se habet pars trium palmorum ad totum octo palmorum, quod componit, quia vtraque ratione venius partis non attingit meditatem sui totiûs quæ comparatione facta, pars illa quinque palmorum proportionalis dicetur, non enim alia ratione pars aliqua proportionalis constituitur nisi per comparationem ad alia extrema, siue formalem, siue fundamentalem, quod parum refert.

Pars proportionalis est illa, *quæ similem habitudinem,* 16
seu respectum dicit ad summ totum, ac dicit alia ad proprium totum, siue commune vtrique, siue diuersum. Ex quo inferes non posse dari proportionem, nisi intercedant tria extrema, & frequenter quatuor intercedere, cùm enim dico, sicut se habet pars trium palmorum ad totum sex palmorum, ita se habet pars quatuor palmorum ad totum octo palmorum, quia vtraque dicit medietatem sui totius, quatuor intercedunt extrema: cùm verò dico, sicut se habet primus palmus huius quantitatis ad illam, ita secundus, quia quilibet æquè quantitatem adintegrat, datur proportio inter duo extrema. Ex hoc inferes eamdem partem respectu eiusdem totius, & earumdem compartium diuerso modo consideratam posse dici aliquotam, & proportionalem: exempli gratia, in quantitate duodecim palmorum, palmus quantitatis est pars aliquota, quia per repetitionem vndecim partium illi æqualium totum reddit, & pars hæc per ordinem ad alias compartes, & ad suum totum, proportionalis constituitur, si dicamus: sicut hic palmus quantitatis, primus videlicet, per repetitionem vndecim partium æqualium totum duodecim palmorum constituit; sic secundus palmus per repetitionem aliorum vndecim idem totum constituit. Per hunc respectum proportionem constituimus inter primum palmum, & secundum, qui respectus est ad eadem extrema in ordine ad quæ quilibet palmus constituitur. Aliquando proportio partium non solet explicari per ordinem ad totum, sed per ordinem ad partes inter se, vt cum dicimus, sicut se habet primus palmus ad secundum, ita secundus ad tertium, quia vterque eamdem seruat æqualitatem respectu immediati; hæc tamẽ proportio non est partis formaliter, vt partis, quia pars vt pars semper sumitur in ordine ad totum, sed est proportio quantitatum, quam illæ partes haberent, etiamsi non essent vnitæ, & quam habent modo tria tota palmaria omnino diuisa, de quibus dici potest, sicuti se habet hoc adillud, ita illud ad aliud.

Ex his infertur partem aliquotam & proportionalem 17
tantùm extrinsecè differre, & nullam dari partem aliquotam, quæ non possit habere denominationem proportionalis, neque proportionalem quæ respectu alicuius totius aliquota esse non possit, licet non respectu omnis, quia pars quinque palmorum aliquota esse non potest respectu totius duodecim palmorum, hoc tamen non est ex eo quod proportionalis sit, sed quia non potest aliquoties repetita totum reddere. Vnde inter partem aliquotam, & proportionalem nulla datur oppositio intrinseca quantitati, quæ pars proportionalis, seu aliquota denominatur, neque distinctio aliqua realis adhuc inadæquata, sed tantum diuersus respectus extrinsecus, per quem differt proportionalis ab aliquota, & aliquota à proportionali.

Est tamen ante inspiciendum in hac re, in quo plures 18
offendunt, qui illam non percalluêre, posse dici partes aliquotas tantùm finitas, & proportionales infinitas, etiâsi partes istæ non distinguantur, & etiam nulla pars esset proportionalis, quæ aliquota esse non possit, ex eo quod finitæ sint partes, quæ respectu diuersarum aliquotæ sint, dantur enim infinitæ partes etiam in nullo communicantes, vt ostendam Puncto sequenti, & constat ex dictis suprà, quarum quælibet est aliquota, non respectu aliarum infinitarum, sed quælibet respectu finitarum partium, ita vt hæc pars aliquota semper habeat finitas, & limitatas partes sibi coaliquotas, in ordine ad quas aliquota constituatur, quia tantum dicitur aliquota in ordine ad partes sibi æquales, & in nullo finito continuo dantur partes infinitæ æquales & ita in quantitate duodecim palmorum, palmus tantum habet alias vndecim partes sibi aliquotas. Quod si recurras ad semipalmum, & ad medietatem huius, plures, & plures habebit partes æquales, semper tamen finitas, & ita partes quæ inter se sunt aliquotæ, finitæ dicuntur, & ita absolutè dicimus partes aliquotas continui esse finitas, etiamsi in continuo sint infinitæ partes aliquotæ non inter se, sed quælibet aliquota cum aliis finitis sibi æqualibus. In partibus proportionalibus non seruatur proportio inter partes æquales, & inæquales, & duæ partes inæquales, inter se proportionem habent in ordine ad aliquod, seu ad aliqua tota, & ita non solùm dantur infinitæ partes proportionales, sed etiam

etiam infinitæ partes inter se proportionales ; & absolutè dicuntur partes proportionales infinitæ. Hæc ita latè scripsi prolixiùs forsan , quam alicui par esse videbitur , quia terminos , quorum vsus est frequentissimus, parum explicatos hucvsque inter Philosophos inuenio , & quia cuiusque mentem de hac re cogitantem maximopere confundent, si penitus harum partium naturam non penetrauerit.

PVNCTVM III.

Expendo duo argumenta contra Aristotelis sententiam.

1 QVantitatem in infinitum diuisibilem in partes semper diuisibiles , & quæ in infinitum magis , & magis potest accrescere , infinitam non posse euadere , defendunt cum Aristotele Mathematici omnes , quia semper hoc augmentum in infinitum procedit à proportione maioris ad proportionem minoris inæqualitatis , & ita quacumque additione factâ , semper quantitatis terminata remanet , exempli gratia : datur duplex quantitas , palmaris hæc , & illa vlnaris : (& sic in quacumque alia mensura constituantur :) quantitas palmaris ex vlnari poterit augeri in dimidia vlna , quæ ablata à quantitate vlnari vniatur palmari , postea ex illa dimidia vlna restante poterit augeri in vno palmo,postea ex palmo restante in dimidio , postea ex alio dimidio in medietate illius,& ex alia medietate ipsius medietatis, & ita in infinitum , quod augmentum, etsi in infinitum procedat , numquam quantitatem infinitam reddet , quia numquam perueniet , si sic successiuè fiat ad augmentum vnius vlnæ, & semper erit per partes proportionales, quarum quælibet proportionem seruabit medietatis cum suo toto , à quo diuiditur , non tamen per partes inter se aliquotas, quia partes illæ æquales non erunt , semper enim fit augmentum per partes minores , & minores,quæ proportionales sint , etiamsi inter se partes istæ , quibus augetur quantitas, non communicent , & vna sit penitus extra aliam , non enim ex augmento partium , quarum vna sit extra aliam in infinitum procedẽtem,& ex infinitis partibus quarum quælibet est extra aliam , infertur simpliciter quantitas infinita , quando hoc augmentum , seu partes istæ infinitæ inter se non sunt æquales,& aliquotæ , sed tantùm proportionales,neque in quantitate possunt assignari infinitæ partes æquales,etiamsi possint assignari infinitæ vna minor alia , quæ proportionales dicuntur.Itaque differt quantitas finitè extensa,à quantitate infinita secundùm Aristotelicos,non ex eo præcisè quod in quantitate infinita sint infinitæ partes inter se non communicantes,sed ex eo quod in qunntitate infinitâ sunt infinitæ partes æquales , verbi gratia , infiniti palmi , vel infinitæ vlnæ , in quantitate verò finitâ non possunt assignari infinitæ partes æquales , etiamsi contineat infinitas partes, quarum vna sit minor aliâ,& adæquatè à reliquis distinguatur , & sit extra omnes illas quod in sententia Aristotelis negari nequit , quia quoties ab hac quantitate finita medietates sumuntur , sumitur noua medietas adæquatè distincta à præcedenti , & tamen in infinitum possunt sumi , quod fieri non posset , si quantitas illa non includeret infinitas medietates minores , & minores , quamlibet ab aliis adæquatè distinctam.

2 Ex hac doctrina facilem solutionem accipit obiectio, quam contra continuum Aristotelicum adducit P. Arriaga num.34.vbi sic arguit:Si Deus diuidens chartam hanc, illius medietatem extra cælum Empyreum proiiceret, & rursus medietatem medietatis, & sic in infinitum,semper posset alias,& alias medietates proiicere : ergo in hac quantitate sunt infinitæ medietates proiicibiles:ergo sunt infinitæ partes determinatæ & aliquotæ. Respondeo ex doctrina tradita, in hac quantitate esse infinitas medietates minores , atque minores proiicibiles extra cælum, & corruptibiles, & has esse partes in se quamlibet determinatam , non enim in rerum natura datur pars in se indeterminata , non tamen esse omnes certæ , & determinatæ magnitudinis,neque inter se æquales, & ita non esse partes inter se aliquotas, sed esse partes , quarum quælibet habet finitas partes aliquotas, & æquales in illa quantitate , quæ non possunt quantitatem infinitam absolutè reddere,quia vt dicebam in fine puncti præcedentis quantitas simpliciter infinita est illa : quæ includit infinitas partes inter se aliquotas , non illa , quæ includit infinitas partes inter se non aliquotas,sed proportionales , quarum quælibet tantùm certas finitas,& determinatas sibi æquales,& coaliquotas habet.

Vrget fortiùs argumentum aliud ex eisdem principiis 3
petitum , quod sic instituo. Continuum est diuisibile in duas medietates , quarum quælibet est extra aliam , & æqualis alteri : rursus medietates istæ poterunt diuidi, quælibet in duas medietates, ex quarum diuisionibus resultabunt quatuor quantitates inter se æquales , iterum eodem modo poterunt omnes diuidi , quælibet in duas medietates , & sic in infinitum diuidi aliæ minores , & minores medietates , ex quibus omnibus resultabunt infinitæ partes , & omnes inter se æquales. Confirmatur : ideo continuum constat infinitis partibus , in quas diuisibile est , quia quacumque diuisione facta , potest magis , & magis , ac magis in infinitum diuidi , sed facta quacumque diuisione huius quantitatis in partes inter se omnino æquales , rursus manet diuisibile in plures partes omnino æquales , quia quælibet pars diuisa in duas medietates iterum potest diuidi : ergo quantitas in infinitum est diuisibilis in partes inter se æquales : ergo continet infinitas partes inter se omnino æquales. Vrgeo : partes æquales , quæ sunt in continuo , vel sunt finitæ , vel infinitæ : si infinitæ , habeo intentum : si finitæ non excedunt determinatum numerum : Demus ergo Deum omnes illas partes diuisisse , tunc quælibet pars diuisa posset diuidi in duas alias partes æquales,quia nulla datur quantitas separata ab aliis, quæ duas medietates non contineat, in quas diuidi posset : ergo partes illæ æquales possunt augeri, magis & magis : ergo nullus datur certus numerus partium aliquotarum , & æqualium , vltra quem non sit alius in quantitate : ergo potest illa multitudo partium æqualium quæ in hac quantitate continentur augeri in infinitum : ergo dantur infinitæ partes æquales in quantitate. Hoc argumentum multùm premit sententiam Aristotelis , & vix illi apparentem solutionem inuenio. Respondent nonnulli partes illas æquales infinitas esse communicantes,quia partes resultantes ex quacumque diuisione in præcedenti diuisione præcontinentur. Abs re omnino , quia ego non contendo multitudinem partium resultantem ex multitudine partium , quæ resultant ex diuersis diuisionibus esse infinitas , certum enim est partes resultantes ex diuisione quatuor palmorum iam diuisorum,ex vi cuius quilibet in duas partes diuiditur , contentas esse in quatuor palmis,& ita non posse ex quatuor palmis præexistentibus , & ex partibus,quæ ex illorum diuisione resultant assurgere multitudinem quamdam partium non communicantium,& aliquotarum, sed contendo posse ita continuum diuidi , vt recensitis tantum partibus, duæ ex vna diuisione resultant infinitæ partes æquales reperiantur.

Audiui nonnullos respondentes continuum posse diui- 4
di à Deo in partes adeo exiguas,vt non possit illarum aliqua iterum diuidi,nisi denuo alteri vniatur, licet in se diuisibilis sit. Solutio hæc faciliùs refellitur , quam refertur. Duæ illæ quantitates, in quas parua quantitas diuiditur,& quæ simul cum aliis quantitatibus vniuntur , vt distinctæ ab extremis , quibus vniuntur , habent determinatam mensuram , & quælibet rationem medietatis respectu quantitatis, quæ in illas fuit diuisa , & in se continet duas alias medietates , etiamsi hæ non possint inter se diuidi quin vniantur aliis quantitatibus:ergo etiamsi non possit fieri noua diuisio sine noua vnione, semper remanet eadem difficultas. Secundò pono hanc diuisionem non fieri physicè,sed tantùm intentionaliter, videlicet Deum mente diuidere quantitatem quantumuis paruam in duas medietates,tunc Deus quantitates illas mente diuisas cognosceret & vt distinctas neutram includentem in se alteram,& rursus quamlibet medietatem in duas alias non se inuicem includentes,& sic in infinitum.

Respondendum est , vltra quamlibet diuisionem conti- 5
nui in partes æquales Deum posse facere aliam & aliam, ita vt ex qualibet resultet maior partium numerus , & ita in infinitum posse procedere diuisiones , & in infinitum partium multitudinem augeri,non tamen posse Deũ infinitas diuisiones hoc modo exhibere , aliud enim

est diuisiones posse in infinitum augeri, & partes in infinitum crescere, aliud diuisiones esse infinitas, & partes æquales augeri vsque ad multitudinem infinitam, vt sæpe dixi Controuers. 14. de numero qui potest in infinitum augeri, numquam tamen potest esse infinitus. Ad confirmationem respondeo ex eo quod quantitas possit in infinitum in partes diuidi æquales, inferri in quantitate reperiri infinitas partes, non tamen reperiri in quantitate infinitas partes æquales, quia ex infinitis inæqualibus vna minori alia potest quicumque numerus quantumuis maximus partium finitarum construi, sicuti contingit in numero, qui in infinitum potest augeri, ex eo quod possibiles sint infinitæ vnitates, ex quibus numerus finitus finitè possit accrescere, etiamsi non possint infinitæ vnitates annumerari.

6 Secundò obiicitur contra sententiam Aristotelis. In continuo partes distinguuntur à punctis, quibus vniuntur tanquam res à modis: corrumpat Deus omnes modos, id est omnia puncta, quæ sunt in continuo, partes, quæ remanent distinctæ à punctis non essent diuisibiles, quod sic probo: Omne id, quod diuisibile est, debet includere vnionem, ex defectu cuius possit diuidi, sed illæ partes nullam haberent vnionem: ergo non possent esse diuisibiles. Secundò corruptis iam omnibus vnionibus, partes essent vltimò diuisæ, quia cum nulla resteret vnio corrumpenda, nulla noua posset contingere diuisio, quæ fit per corruptionem vnionis: ergo rursus non possent diuidi partes illæ: ergo essent indiuisibiles: ergo continuum vltimò resoluitur in puta indiuisibilia, quia partes illius indiuisibiles essent, sicuti modi, quibus partes vniuntur. Dices Deum non posse corrumpere omnia indiuisibilia, ne continuum maneat vltimò diuisum, quia essentialiter est diuisibile in semper diuisibilia. Egregia principij petitio: intendit argumentum extorquere vltimam continui diuisionem, & antecedens illud negas, ne inferatur consequens intentum. Vrgeo: indiuisibilia distinguuntur realiter à partibus, & partes ab indiuisibilibus: ergo cognoscit Deus partes vt distinctas ab indiuisibilibus? inquiro, id, quod Deus cognoscit vt distinctum ab indiuisibilibus formaliter vt ab illis distinctum, vel est diuisibile: vel indiuisibile? si indiuisibile, habeo intentum, diuisibile esse non potest, quia omne diuisibile essentialiter includit indiuisibile vnitiuum: ergo, id, quod præcisum est ab omni indiuisibili vnitiuo, diuisibile esse non potest.

7 Multum fidit huic argumento Arriaga sect. 5. subsect. 2. & cum illo plures recentiores, ego tamen, qui numquam vellem obscuris, & terminorum multiplicatione impeditis acquiescere solutionibus, quæ non ad difficultatem exhauriendam, sed eludendam inuentæ sunt, censeo attenta natura continui, quod Aristotelici propugnant, ingenuam, & adæquatam solutionem nullo principio petito posse prædicto adhiberi argumento, quam iam expendo. Nego posse Deum corruptis omnibus indiuisibilibus, partem aliquam continui conseruare, quia pars quælibet essentialiter in suo conceptu quidditatiuo includit puncta, ac proinde illis destructis, non potest pars perseuerare, sicuti neque destructâ vnione inter materiam, & formam, potest homo subsistere. Idem dico de separatione mentali, quia implicat Deum, adhuc mente, præscindente hominem ab vnione, quia homo essentialiter dicit vnionem, sine qua cognosci nequit. Ad argumentum in forma respondeo: partes distinguuntur ab vnionibus, distinguo; tanquam includens ab incluso, & inadæquatè, eo modo, quo distinguitur homo ab vnione, concedo: adæquatè, nego: ergo possunt separari ab vnionibus, nego consequentiam.

8 Reclamas, etiamsi non possit separari homo ab vnione, quam includit, materia vnita, potest ab illa separari, & adæquatè distinguitur ab vnione, quæ est modus illius: ergo pars quæ vnitur media vnione, poterit ab illa separari, & adæquatè distinguitur ab illa, adæquatè enim distinguitur omne extremum vnitum ab vnione, ex vi cuius alteri extremo vnitur. Respondeo disparem esse rationem in homine, & in quantitate, quia in homine vnio tantum est de conceptu hominis, & non de conceptu materiæ, aut formæ, & ita rectè potest materia ab vnione separari, quod non posset, si vnio non tantùm esset de conceptu hominis, sed de conceptu ipsius materiæ, sicuti contingit in extremis vnitis per vnionem quantitatiuam, quia quælibet vnio quantitatiua terminatur ad extrema, quæ in suo conceptu essentiali, etiam vt præcedentia vnionem illam, quam terminant, includunt vnionem, ac proinde licet possint separari ab illa vnione, quam terminant, ex vi cuius hæc duo extrema, seu hæ duæ partes quantitatis inter se vniuntur, quia talis vnio non est de illius ratione constitutiua, sed iam supponit partes seu extrema constituta, non tamen possunt separari ab illis vnionibus, ex vi quarum constituuntur, ac proinde implicat extrema illa seu partes quantitatis separari ab omni vnione, quia in suo conceptu essentiali aliquam imbibunt. Itaque in hac parte quantitatiua duplex vnio potest considerari, & vnio, quam terminat, & aliæ vniones, quas in se habet, & per quas formaliter constituitur, sicuti homo constituitur, per vnionem, vnio, quam terminat, est extra illius adæquatum conceptum, & ab illa potest separari; vniones per quas constituitur, sunt imbibitæ in sua essentia, & ita non potest ab illis separari. Ex hac doctrina facilè respondebis ad alias propositiones, quæ difficile argumentum præcedens reddebant, cum enim dicitur vniones sunt modi superadditi partibus, distinguenda est hæc propositio: vnio est modus superadditus huic parti, & constitutiuus illius, concedo: vnio est tantùm modus superadditus partibus, nego: ergo potest corrumpi, non corruptis partibus: distinguo: non corruptis partibus, quarum est modus superadditus, concedo consequentiam, quarum est modus constitutiuus: nego consequentiam; nulla enim pars potest permanere sine alio modo constitutiuo, etiamsi possit subsistere sine terminatiuo, cùm verò corruptis omnibus, neque terminatiuus, neque constitutiuus alicuius permaneret, nulla pars subsistere posset,

PVNCTVM IV.

Alia argumenta contra eamdem sententiam expendo.

TErtiò obiicitur contra eamdem sententiam: Punctum *A*, verbi gratia, vel vnit rem diuisibilem, vel indiuisibilem. Si indiuisibilem: ergo vniones & extrema vnita sunt indiuisibilia: diuisibilem vnire non potest, quod sic ostendo. Pars diuisibilis habet in se vniones, quibus componitur, & formaliter vt diuisibilis includit vniones, sed quatenus formaliter dicit vniones, non potest vnionem terminare, quia vnio ad vnionem non terminatur: ergo non potest terminare vnionem formaliter, vt diuisibilis. Secundò, id quod vnionem terminat, distinguitur adæquatè ab vnione: ergo terminus vnionis vt terminus vnionis non includit vnionem: ergo vt terminus vnionis formaliter est indiuisibile illud, quod vnionem terminat, quia quidquid non includit vnionem essentialiter est indiuisibile. Respondeo partem diuisibilem formaliter vt diuisibilem terminare vnionem, non secundùm indiuisibilia, quæ continet, quia indiuisibile vnitiuum vnionem ad aliam partem quantitatis non terminat, sed pars indiuisibiliter sumpta secundùm se totam, quia tota hæc pars alteri vnitur. Ad illud quod dicitur, terminum vnionis non includere vnionem, respondeo ex dictis supra, terminum vnionis non includere vnionem, quam terminat, includere tamen vnionem ex vi cuius constituitur. Fateor difficillimè posse componi partem quatenus diuisibilem formaliter includentem vnionem, ex vi cuius constituitur, terminare aliam vnionem, & hanc non terminare; saltem inadæquatè ratione vnionis, quia quidquid terminat ratione sui, debet terminare ratione illius, ex vi cuius constituitur, standum tamen est prædictæ solutioni, & dicendum partem diuisibilem terminare secundùm rationem formalem partis indiuisibiliter sumptam, & non secundùm vniones, quas includit, sicuti multi asserunt, actiones vitales prouenire à toto composito indiuisibiliter sumpto, qui negant adhuc inadæquatè has ab vnione procedere, seu à materia secundùm se sumptis. Huic solutioni & standum esse dico, non quia in illa meus quiescat animus, sed quia aliam non inuenio, quam si inueneris libenter à te discam.

Quartò obiicitur. Vnio vel distinguitur ab ipsis punctis, vt vult Suar. disp. 40. vel non distinguitur, vt docet Hurtadus suprà numer. 5. non primum, quia si puncta non sunt

sunt vnitiua in continuo, necessaria non sunt, quia non vniunt, neque continuant partes vniendo vnam alteri, neque localiter, quia puncta necessariò sunt penetrata cum partibus secundùm hanc sententiam, quia punctum tangit partem secundùm se totum, quia est indiuisibile: ergo penetratur. Consequentia est legitima ex principiis huius sententiæ iuxta quam continuum non potest componi ex indiuisibilibus, quia hæc non possunt se tangere, quin penetrentur, & ideo indiuisibile additum indiuisibili non facit maius: ergo eodem modo punctum, quod secundùm se totum tangit partem cum illa penetratur: ergo non potest punctum continuare, neque terminare localiter partes, quibus est penetratum: ergo punctum si per se ipsum non vnit partes, nihil præstat in continuo & omnino est superfluum. Secundò contra hæc puncta ab vnione indistincta sic arguo: Vnio necessariò tangit partem diuisibilem, quam vnit, sed non potest illam tangere secundùm aliquid diuisibile: ergo tangit illam secundùm aliquid indiuisibile: ergo pars, quam tangit vnio est indiuisibilis. Minorem probo: si vnio tangit partem secundùm aliquid diuisibile, debet illam tangere secundùm aliquid, quod habeat prius, & posterius: ergo in parte tacta est prius, & posterius: ergo vt tangat id, quod posterius est, debet penetrari cum illo, quod est prius, alias inter id, quod est posterius, & inter punctum intercedet id, quod est prius. Dices indiuisibile tantum tangere partes proximiores, non verò distantiores. Contrà: hæ partes proximiores, habent prius, & posterius, & de illis iterum redit idem argumentum.

3 Communis solutio est, indiuisibile non tangere partem determinatam neque assignabilem, sed indeterminatam, & non assignabilem. Profectò numquam ego percipere valeo quomodo in contactu physico, & reali hi termini locum habere possint, quia contactus indiuisibilis ad partem est realis, & physicus: ergo realiter, & physicè datur pars tacta: ergo est in se determinata, & existens: nihil enim datur existens in rerum natura, quod in sua entitate determinatatum non sit. Quod si nos non possimus non assignare, neque monstrare digito partem illam, quid ad rem? ipsa enim determinata est, quam Deus poterit determinare, & dicere hæc est pars tacta ab hoc vnitiuo indiuisibili, & de illa procedet agumentum.

4 Dixère aliqui propter hoc argumentum, indiuisibilia subiectari in partibus, quas vniunt, & cum illis penetrari, contra quos sic arguo. Indiuisibile non penetratur parte indiuisibili, vt admittit hæc opinio: ergo cum parte diuisibili: ergo penetratur cum parte habente prius, & posterius: ergo correspondet spatio habenti prius, & posterius, quia debet correspondere eidem spatio, cui correspondet pars, cum qua est penetratum: ergo correspondet spatio habenti prius, & posterius: ergo indiuisibile est in priori, & posteriori partis: ergo totum in priori, & totum in posteriori, quia indiuisibile non habet aliquid ratione cuius sit in posteriori: ergo est in multiplici spatio adæquato. Recurres ad terminum determinatum, & dices indiuisibile esse penetratum cum parte indeterminata, & non determinata, & ita non posse assignari partem, cui est penetratum, & consequenter, neque aliquid prius, aut posterius respectu eiusdem partis. Hi termini non ad soluendas difficultates, sed ad illudendas inuenti sunt, quia vt suprà dicebam, correspondentia realis, & physica ad partem occupantem spatium diuisibile, non potest esse ad partem indeterminatam, neque ad spatium indeterminatum, sed necessariò ad talem partem occupantem tale spatium, nulla enim pars reperitur physicè existens, quæ in se ipsa determinata non sit. Aliter respondent alij indiuisibile penetrari cum parte inadæquatè, non verò adæquatè, qui terminus inadæquatè non se tenet ex parte indiuisibilis, quia quidquid hoc in se continet est adæquatè totum illud, sed ex parte penetratæ partis, quæ cum indiuisibilis sit habet rationem adæquatam & inadæquatam in se, cum quibus potest fieri penetratio. Contra hanc solutionem sic argumentor: penetrari punctum inadæquatè cum parte est non penetrari cum tota parte, sed cum aliquo illius: de illo ergo aliquo iterum redit argumentum: Illud aliquod partis, seu illa ratio inadæquata partis habet in se prius & posterius: ergo punctum respondet priori, & posteriori illius rationis inadæquatæ partis, quod erat inconueniens deductum contra correspondentiam puncti rationi adæquatæ partis. Solet iterum responderi adhuc illi rationi inadæquatæ partis inadæquatè indiuisibile respondere, & nihil posse assignari in parte diuisibili quantumuis exiguum, & inadæquatum, quod secundùm se totum sit penetratum cum parte. Hæc ita vulgo proferuntur, quæ planè non percipio, non enim valeo apprehendere penetrationem inadæquatam cum parte, quæ non sit cum aliquo spectante ad illam partem, quod vt distinctum ab alia ratione inadæquata, cum qua parte, partem constituit, secundùm se totum non penetretur. Neque aliter ego apprehendo rationem inadæquatam cuiuscumque partis, aut totius, quàm apprehendo rationem aliquam cum alia constituente id, respectu cuius inadæquata dicitur, quæ in se ipsa totam suam rationem contineat, & de illa tota multa prædicari possint, vt conditincta ab alia, sicuti prædicantur de materia vt distincta à forma. Forsan dices punctum tantum occupare spatium indiuisibile, nihilominus esse penetratum cum parte, & in eodem spatio cum illa. Contrà: si pars diuisibilis habet spatium indiuisibile commune cum puncto, non potest non pars penetrari, quia cum habeat in se diuersas partes, si tota pars tantùm occupat spatium indiuisibile, omnes illius partes idem indiuisibile spatium debent occupare: ergo partibus inter se distinctis est spatium commune: ergo sunt penetratæ. Neque satisfacies, si dicas cum Hurtado sect. 2. hanc non esse penetrationem, quia non est contactus duorum corporum secundùm se tota, quia pars illa, quæ correspondet indiuisibili secundùm totam entitatem, & secundùm omnes partes, in quas diuidi potest, penetratur: ergo absolutè est penetratio inter partes, in quas pars illa diuidi potest. Secundò si talis datur penetratio, infertur totam quantitatem ad idem indiuisibile spatium fore reducendam, quod sic probo: Pars *A* penetratur cum parte *B*, quia vniuntur eodem indiuisibili, sed pars *B* vnitur eodem indiuisibili parti *C*: ergo pars *B* & pars *C* debent penetrari: ergo pars *B* est penetrata cum parte *A*, & cum parte *C*: ergo pars C & pars *A* sunt penetratæ vni tertio: ergo sunt penetratæ inter se, & sic de omnibus aliis partibus argui potest.

5 Responderunt alij, ne talem penetrationem concederent, indiuisibile correspondere parti diuisibili, & spatio diuisibili per vnicam adæquatam præsentiam eo modo quo Angelus entitatiuè indiuisibilis spatio diuisibili correspondet. Solutio hæc omni caret fundamento, quia entitati adeò macræ & exili præsentia adeò perfecta tribui nequit, & potiori ratione spatium repetitum partibus perfectioribus, quàm punctis imperfectioribus tribui deberet. Secundò infertur ex hac solutione vnum indiuisibile correspondere spatio aliorum indiuisibilium, & cum illis penetrari, quia correspondet parti, quæ in se includeret infinita puncta, & ita omnibus punctis inclusis in tali parte deberet respondere. Tertiò admissa penetratione punctorum cum partibus iterum de partibus redit difficultas. Pars *A* est immediata parti *B*: ergo tangit partem *B*: ergo tangit illam secundùm aliquid indiuisibile, vel diuisibile: si secundùm aliquid indiuisibile, sequitur, partes in indiuisibilia immediatè succedentia resolui. Si secundùm aliquid diuisibile: ergo secundùm aliquid, quod habeat prius & posterius: ergo vt tangat posterius, debet esse penetrata cum priori: ergo partes inter se penetrantur. Dices vnam partem non tangere aliam, quia cò tactus partium dicit penetrationem, sed tantùm partem vnam esse immediatam alteri. Contrà: pars *A* est immediata parti *B*: ergo vel est immediata parti *B*, secundùm quod pars *B* dicit aliquid diuisibile, vel indiuisibile, non secundùm aliquid indiuisibile, aliàs partes in indiuisibilia resoluerentur: ergo secundùm aliquid quod habet prius & posterius: ergo vt sit immediata posteriori illius partis debet esse penetrata cum priori eiusdem.

6 Non præsumo prædicto argumento satisfacere, dedi iam solutiones, quas alij adducunt, omnes mihi satis difficiles, si tamen illarum aliqua tibi arriserit illam elige, vel aliam desume, quam tibi propono. Dicerem ego indiuisibilia non esse penetrata cum partibus, sed illis immediata, quas tangunt non per penetrationem, sed præcisè per immediatam positionem. Contra hanc solutionem duo sunt difficilia, primum est videri destruere fundamentum sententiæ Aristotelis, quæ statuit, illa, quæ se tangunt necessariò penetrari secùndùm rationem attactam, & ita indiuisibile tangens aliud, necessariò penetrari secùndùm se totum

cum alio, quod tangit, quâ ratione indiuisibile additum indiuisibili non facit maius, neque continuum ex indiuisibilibus componi potest. Alia difficultas contra hanc solutionem, est illa, quam immediatè expendebam de immediatione partium, quia indiuisibile immediatum parti diuisibili, est immediatum parti habenti prius, & posterius, & ita deberet esse penetrarum cum priori, vt sit posteriori immediatum. Vtrique difficultati respondere conabor: ad primam dico doctrinam illam de penetratione secundùm rationem attactam, veram esse in his, quæ inter se proportionem habent, vt penetrentur, quia sunt eiusdem rationis, & eiusdem mensuræ, sicuti sunt duo puncta, vtrumque indiuisibile, quibus optimè cohæret penetratio, non tamen habere locum in extremis improportionatis ad penetrationem, qualia sunt punctum, & pars, quia nihil est in parte, quod diuisibile non sit, cum quo punctum penetrari nequit, quia entitas indiuisibilis non potest spatium diuisibile occupare. Hac ratione subsistit principium, ex quo hæc sententia impugnat continuum ex punctis, quia hæc inter se penetrarentur, & defendi potest puncta non penetrari cum partibus. Ad illud de immediatione, dicendum est punctum esse immediatum toti parti diuisibili indiuisibiliter sumptæ, non verò parti sumptæ diuisibiliter, secundùm quod alias partes in se continet, quibus punctum debat esse immediatum, & ita immediationem puncti non esse considerandam respectu posterioris partis, quod dicit pars seorsim sumpta, secundùm se, sed respectu totius partis indiuisibiliter sumptæ, cui toti punctum est immediatum, quia inter spatium partis, & puncti nullum aliud interiacet.

7 Quintò obiicitur contra eamdem sententiam. In linea composita ex punctis infinitis vnum punctũ est post aliud, & sine penetratione punctorum inter se: ergo Deus cognoscit punctum *A* & punctum *B*, inter quæ nullum aliud punctum mediat: ergo pars, quæ mediat inter illa est indiuisibilis. Probo consequentiam: pars illa nullum in se continet indiuisibile, alias duo illa assignata non essent immediata, sed id quod in se nullum continet indiuisibile, nullam continet vnionem: quod nullam continet vnionem est indiuisibile: ergo pars illa nullum in se indiuisibile continens, nullámque vnionem indiuisibilis est: ergo inter punctum, & punctum mediat pars indiuisibilis: ergo tota linea constat ex punctis indiuisibilibus. Respondendum est: puncta non esse penetrata, & omnia esse successiuè collocata in linea partibus interiectis, & non punctis inter se immediatis, non tamen dari duo puncta, inter quæ non sint alia infinita puncta, quia cum inter punctum & punctum sit pars constituenda, & hæc essentialiter includat infinita puncta, hæc omnia infinita puncta inclusa in parte interiacente interiacent inter quæcumque duo puncta assignata, quæcumque illa sint, & sicuti non sunt puncta, neque possunt assignari à Deo; nam ea, quæ non sunt, à Deo assignari nequeunt, inter quæ non sit pars aliqua, ita non possunt assignari aliqua puncta, inter quæ non sint alia infinita inclusa in parte interiacente. Itaque iuxta hanc sententiam dicendum est post punctum immediatè partem venire, cuius nullum est primum punctum, sed ante quodcumque poterit aliud assignari, & ita nullum est punctum, quod sit immediatum puncto præcedenti partem istam, quia si aliquod daretur, esset primum punctum partis, & cum hoc non subsistat in parte, ita in illa nullum potest dari immediatum puncto præcedenti partem. Dixi partem immediatè succedere puncto, quod intelligendum est de parte indiuisibiliter sumptâ secundùm se totam, quia inter totam partem, punctum nihil mediat, vt dicebam suprà.

8 Hæc solutio adhibenda est iuxta hanc sententiam, neque aliquid est in illa vi argumenti extortum; quod huius sententiæ propugnatores, vt conclusionem defendendam explicant, non tradant, neque formâ argumentorum, quæ ad illam impugnandam fiant premi poterit. Fateor tamen me non posse concipere lineam compositam ex partibus, & punctis non penetratis, sed successiuè, & in linea recta collocatis, quorum Deus non possit dicere, primum punctum, quod succedit in hac linea post punctum *A* est punctum *B*: nihilominus mihi est omnino certum, hanc difficultatem non esse hîc specialem ratione argumenti facti, sed quam inuoluit simplex propositio continui Aristotelici, in quo sicuti nulla datur prima pars proportionalis, neque pars aliqua omnium minima, quod in hac opinione est præcipua illius conclusio, ita non potest dari post hoc punctum, aliquod, inter quæ non medient alia, quia si hæc puncta ita immediata darentur, pars interiacens esset minima, quæ posset esse, & vltimò diuisa, & prima, quæ immediatè succederet post tale punctum. Hæc dixerim, quia inuitus lego recentiores aliàs acutos, qui argumentum suprà factum semel & iterum euidens appellant, non perpendentes in hac re fuisse ab omnibus visas difficultates, & non illarum euidentias, sed solutiones desiderari, nullámque ab ipsis reddi, qui tritis difficultatibus euidentias passim excitant.

Punctvm V.

Alia argumenta contra eamdem sententiam examino.

1 SExtò adduco argumentum, quod difficillimum contra hanc sententiam appellat Arriaga. Deus videt omnes diuisiones possibiles circa hanc chartam, non solùm illas, quæ simul fieri possunt, sed quæ successiuè, & diuisiuè possunt contingere, ita vt præter has diuisiones, quas Deus cognoscit, nulla amplius sit possibilis, alioquin Deus non cognosceret omne possibile, sed aliquid illi restaret cognoscendum: ergo Deus scit per has diuisiones chartam redactam ad indiuisibilia. Consequentiam euidenter probare, dicit Arriaga, quia si per illas diuisiones non videret chartam redactam ad indiuisibilia, videret adhuc restare nouas diuisiones, nec vidisset omnes, quod iam supponimus. Vrget, Deus habet hoc iudicium, si hæ diuisiones, quas ego hodie cognosco, simul existerent, nihil amplius esset diuisibile in hac charta, alioquin ego non cognouissem omnes: ergo per eas diuisiones cognoscitur charta resoluta in indiuisibilia: ergo à parte rei ipsa non constat nisi indiuisibilibus, vnitis tamen inter se, & consequenter actu constituentibus rem diuisibilem. Hoc argumentum ait Arriaga alicui visurum rem demonstrare, forsan ita contingeret, sed non ita mihi visum fuit: facilè, & clarè totam illius difficultatem à me exhauriendam promitto, qui vix aliorum, quæ adduxi, vim minuere præsumpsi. Omitto modos respondendi huic argumento, quos refutat Arriaga, quia nec mihi placent, neque de illis curo, & solutionem cui assensuros spero, qui rem attentè perpendant, adhibeo.

2 Fateor Deum cognoscere omnes diuisiones possibiles, & in hoc continuo, nego tamen cognoscere diuisiones illas omnes possibiles posse inter se cohærere, sed tantùm noscit ex possibilibus omnibus diuisionibus posse produci quamcumque multitudinem finitam, do etiam ad præsentem quæstionem cognoscere posse multitudinem aliquam infinitarum diuisionum posse existere, numquam tamen posse cognoscere diuisiones omnes possibiles posse existere, & ita neque cognoscit continuum esse vltimò diuisum, quia non ex eo, quod omnes diuisiones cognoscat Deus, continuum erit diuisum, quia cognitio diuisionis non est continui diuisio, neque cognoscit omnes diuisiones posse inter se coëxistere, & ita non cognoscit posse vltimò diuidi. Ex hac doctrina patet sub illa conditione, *si omnes diuisiones, quas ego cognosco modo existerent*, non posse videre Deum continuum permanere vltimò diuisum, quia si nomine diuisionis intelligatur præcisè corruptio vnionum sine habitudine ad extrema permanentia, ita vt conditio sit, *si corrumperentur simul omnes vniones, quas modo corruptibiles agnosco*, sub hac conditione videret Deus necessariò nihil continui, neque diuisibile, neque indiuisibile permansurum, quia vt dicebam Punct. 3. num. 7. implicat corrumpi omnes vniones, partibus permanentibus, & implicat aliquam partem permanere sine aliquibus vnionibus, quas includit in suo conceptu essentiali, ac proinde per locũ intrinsecum corruptio omnium partium necessariò infertur ex corruptione omnium vnionum, sicut infertur corruptio hominis ex corruptione vnionis inter materiã, & formam. Si conditio sit, *si existerent omnes diuisiones, quas cognosco possibiles*, sumptis diuisionibus strictè quatenus dicunt corruptionem vnionum & permanentiam extremorum, quæ dicuntur diuisa, conditio illa in se inuolueret apertam implicationem, quia diceret existentiam, & corruptionem earumdem entitatum, quia diceret corruptionem omnium

vnionum,

vnionum, quæ per locum intrinsecum, vt modò dicebam, & probaui loco citato, dicit destructionem totius continui, & insuper diceret existentiam extremorum diuisionis seu partium, quæ dicebantur diuisæ: ergo illa conditio in se intrinsecè dicit ex parte obiecti existentiam, & corruptionem, seu negationem existentiæ earumdem entitatum, quapropter ex illa inferretur eadem contradictio, quam in se continet, videlicet existere omnes vniones partium, positis omnibus diuisionibus, quia extrema diuisa, quæ existentia supponuntur, in suo conceptu essentiali vniones includunt, & non existere aliquam vnionem, quæ supponuntur omnes corruptæ per positionem omnium diuisionum, quæ formaliter dicunt corruptiones vnionum. Rursus explico contradictionem in conditione imbibitam. Hæc diuisio sumpta non tantùm pro negatione vnionis, sed positiuè pro negatione vnionis, & existentia extremorum, quæ ante diuisionem erant vnita, dicit extremorum existentiam, & consequenter id, per quod extrema constituuntur formaliter, quæ constituuntur, per vniones, quas in se includunt, quia vt sæpe dixi, omnis pars continui essentialiter includit vniones, ratione quarum diuisibilitas illi essentialis conuenit: ergo existentia extremorum dicit existentias vnionum, per quas constituitur: ergo hæc diuisio importat negationem huius vnionis terminatæ ad extrema diuidenda, & existentiam vnionum constituentium eadem extrema: sed reliquæ omnes diuisiones distinctæ ab ista, dicunt negationem omnium vnionum distinctarum ab hac, quæ ex vi huius diuisionis corrumpitur: ergo dicunt negationem vnionum, quarum existentiam dicit hæc diuisio: ergo omnes diuisiones inter se coëxistentes dicunt obiecta contradicentia, hæc enim dicit negationem vnionis, cuius existentiam importat illa diuisio.

3 Restat modò explicare quomodo Deus possit intentionaliter quantitatem vltimò diuidere, & quomodo diuisa sit respectu diuini intellectus ex vi cognitionis, quâ cognoscit omnes diuisiones possibiles, quæ simul, & successiuè possunt quantitati contingere, quod ex doctrina tradita facilè poterit explicari. Deus cognoscit possibiles diuisiones, ex vi huius cognitionis cognoscit hanc diuisionem dicere corruptionem huius vnionis; verbi gratia, vnionis *A*, & existentiam vnionis *B*. Cognoscit similiter illam diuisionem dicere corruptionem vnionis *B*, & existentiam vnionis *A*. Cognoscit insuper extrema huius diuisionis, & extrema illius in aliquo communicare, quia ex vi huius diuisionis cognoscit vnionem hanc corruptam, & hæc duo extrema existentia, quorum extremorum cognoscit posse alterum diuidi in duplex aliud extremũ vtrumque communicans cum extremo aliûs diuisionis, & ita cognoscit omnes diuisiones possibiles, quarum infinitæ in extremis communicant, & dicunt inter se obiecta contradicentia, & ita cognitis his diuisionibus adhuc non cognoscit quantitatem diuisam in partes omnino indiuisibiles, sed semper in partes diuisibiles, quia nullum extremum alicuius diuisionis est indiuisibile, sed quodlibet importat infinitas partes, in quas diuidi potest, & infinitas vniones. Quod si diuisiones aliæ importent corruptionem harum vnionum, diuisio, quæ importat corruptionem huius vnionis, cuius existentiam importabat alia diuisio, importat existentiam vnionis, cuius negationem illa alia diuisio importabat, & ita numquam datur diuisio, quæ non importet existentiam vnionum ex parte extremorum, licet earumdem vnionum corruptionem importent aliæ diuisiones; iam enim sæpè dixi diuisiones has importare obiecta contradicentia. Ratio doctrinæ traditæ hæc est: obiecta sunt in mente diuina eo modo, quo sunt in se, ea enim est infinita perfectio intellectus diuini, vt obiecta eodem prorsus modo, quo in se habent, attingantur mente diuina: sed in se diuisiones omnes collectiuè sumptæ important obiecta contradicentia, & infinita membra diuidentia communicantia: ergo eodem modo sunt in intellectu diuino per cognitionem, ex vi cuius iudicat ille obiecta inter se contradictionem inuoluere, & infinita illorum membra diuidentia esse communicantia. Quod si Deus posset mentaliter continuum diuidere per omnes diuisiones collectiuè sumptas in membra diuidentia nullo modo inter se communicantia, neque in se quatenus membra diuidentia implicantia, suppositis etiam omnibus diuisionibus continui iam exercitis, tunc fateor quantitatem cognoscendam esse à Deo vltimò diuisam in partes omnino indiuisibiles, cùm verò neque mentaliter possit ita continuum diuidere, quia continuum ita diuisum dicit præcisionem omnium partium ab omnibus vnionibus, quæ inuoluit apertam implicationem, sicut inuolueret præcisio hominis ab vnione inter materiam, & formam, ita non potest Deus cognoscere continuum adhuc mente diuisum in partes omnino diuisibiles, neque illud mente vltimò diuidere in extrema non communicantia, & non contradicentia. Ex hac doctrina concludo, cognitis omnibus diuisionibus possibilibus, non cognosci continuum diuisum in aliquod extremum, quod in se diuisibile non sit, licèt continuum diuisibile non sit aliquâ diuisione existente vltra collectionem diuisionum, quas Deus cognoscit, quia cognoscit omnes, quæ possunt cognosci, vltra quas non est alia diuisio, non chimærica excogitabilis. Censeo nec minimum difficultatis propositæ scrupulum doctrinâ traditâ penitus extingui non posse.

Ex eadem doctrina pulchra ratio redditur, cur non pos- 4
sit Deus, neque successiuè, neque simul exercere omnes diuisiones continui, quas posset diuisiuè, id est, has illis non exhibita, exhibere; illarum enim coëxistentia importat manifestam contradictionem sæpè repetitam existentiæ, & corruptionis earumdem vnionum. Ex quo etiam inferes frigidè arguere Arriagam sect. 6. num. 65. si Deus vna vice diuideret continuum quantum diuisibile est, illius partes manerent omnino diuisæ, & indiuisibiles, ergo continuum tantùm constat ex indiuisibilibns. Non repugnantiam antecedentis contendit probare, ex eo, quod non repugnet simul infinitas entitates produci à Deo, ac proinde etiamsi diuisiones continui sint infinitæ, poterunt simul fieri à Deo, etiamsi successiuè non possent omnes pertransiri. Frustra laborat Arriaga in ostendenda non repugnantia coëxistentiæ omnium diuisionum, ex eo quod non repugnet infinitum in actu, quia nullus, qui rem attentè perpendat, dicet repugnare coëxistentiam omnium diuisionum præcisè ex eo quod diuisiones possibiles sint infinitæ, quia in opinione, quæ asserit posse dari actu infinitum, possent existere omnes illæ diuisiones, & sicuti Deus produxit infinitas vniones actu simul, posset similiter actu simul omnes corrumpere. Repugnantia assignanda est ex eo, quod quælibet pars continui essentialiter est diuisibilis in infinitas partes, quamlibet illarum rursus in alias infinitas diuisibiles, & sic in infinitum. In hoc enim differt opinio Peripatetica ab opinione illorum, qui contiuuum ex infinitis indiuisibilibus componunt, vtraque enim constituit continuum, quod infinitis diuisionibus potest secari: sed his positis, membra diuidentia continui Atistotelici adhuc manerent per infinitas alias diuisiones in infinitum diuisibilia, membra verò diuidentia continui ex infinitis indiuisibilibus constructa, iam vltimò diuisa permanerent. Hæc iuxta repugnantiam, quam omnes assignant, ne continuum vltimo diuidatur, iuxta doctrinam verò à me explicatam in solutione præcedentis argumenti, facilè redditur implicatio coëxistentiæ omnium diuisionum ex obiectis contradicentibus, quæ diuisiones omnes collectiuè sumptæ intrinsecè inuoluunt.

Instat Arriaga: Deus potest diuidere, quæ diuidere po- 5
test, quæ est propositio identica, & summè vera: faciat hoc actu, quia possibile positum in se nullum sequitur inconueniens, tunc esset quantitas vltimò diuisa: ergo potest vltimò diuidi: distinguo antecedens: Deus potest facere quamcumque diuisionem quam potest facere, concedo: Deus potest facere omnes diuisiones quas potest facere, nego propositionem, quam summè veram appellat Arriaga, quam propè summè falsam esse censeo, quia etiamsi identica sit, illius subiectum non subsistit, & sicut hæc propositio *Antichristus iustus est*, *Antichristus iustus*, est falsa, etiamsi sit identica, sic & illa, non enim datur collectio aliqua omnium diuisionum, quas Deus possit simul, simultate se tenente ex parte obiecti exercere, vltra quam non possit aliam addere. De fallacia harum propositionum dixi Controuersia 14. Puncto 6. in fine. Sed esto do Arriagæ subiectum illius propositionis subsistere, & propositionem veram esse, ex illa non inferetur, Deum posse diuidere continuum omnibus diuisionibus possibilibus, quia Deus non potest omnes diuisiones possibiles simul exercere, sed diuisiuè ex illis has, vel illas, quia omnes coëxistentes important obiecta contradicentia, vt probaui, & ita distinguenda esset illa propositio: Deus potest exercere simul omnes diuisiones, quas potest exercere simul, trãseat:

posset exercere simul omnes diuisiones, quas potest exercere diuisiuè, nego; sed Deus potest exercere omnes diuisiones possibiles, distinguo: diuisiuè, cõcedo: collectiuè, nego: hoc est, ex omnibus quas simul potest simultate se tenẽte ex parte potẽtiæ, potest has, vel illas, quas ipse præ aliis eligere maluerit exercere, concedo: omnes, quas simul potest simultate se tenente ex parte obiecti, nego consequentiam, quia simultas omnium diuisionum possibilium inuoluit manifestam implicationem. Vnum inferretur ex propositione ista, quam ad præsentem quæstionem dedi Arriagæ: *Deus potest exercere simul omnes diuisiones simultate se tenente ex parte obiecti, quas potest simul exercere simultate se tenente ex parte obiecti*, videlicet Deum posse hìc, & nunc continuum tot diuisionibus diuidere, vt non posset, his permanentibus diuisionibus, Deus aliam eidem continuo superaddere, etiamsi diuisum non esset omnibus diuisionibus possibilibus, quod falsum est: ideò propositionem illam falsam esse dixi, quam tantùm dedi Arriagæ ad id, quod ille intendebat, videlicet posse continuum diuidi omnibus diuisionibus possibilibus, quod nullo modo ex prædicta propositione infertur.

6 Vltimò obiicitur: Omnia puncta, & omnes partes, quæ hoc continuo includuntur, habent terminos saltem extrinsecos, & possunt pertransiri: ergo neque partes, neque puncta huius continui sunt infinita. Respondeo partes, & puncta habere terminum in ordine ad spatium, & in ordine ad extensionem, quia non constituunt extensionem infinitam, & ita tota illorum extensio potest finiri, & pertransiri. Rationem, propter quam infinitam extensionem parres infinitæ non constituant, dedi ex Philosopho & ex omnibus Mathematicis punct. 3. num. 11. Videlicet, quia non dantur in continuo infinitæ partes inter se æquales, & coaliquotæ. Partes istæ inæquales, & puncta ista in continuo inclusa infinita simpliciter secundùm multitudinem, secundùm hanc rationem pertransiri non possunt. Vnde si Deus ab hoc instanti in singulis æternitatis instantibus singula puncta, & singulas partes assumeret, numquam partes, aut puncta huius continui exhausisset, quia semper posset illud iterum, & iterum diuidere, & hac parte assumpta, relinquere partem diuisibilem in infinitas alias assumptibiles.

PVNCTVM VI.

Argumenta contra continuum Aristotelicum in successiuis expendo.

1 NVllus est, qui non præsentiat difficultates, quæ in successiuis contra continuum Aristotelicum insurgunt, ideò, breuiter illas expendam, libens enim immoror in soluendis argumentis, quæ in hac matetia fiunt, & inuitus scribo difficultates, quæ in hac re cæcorum etiam oculis patent. Duo sunt successiuorum genera, quædam successiua dicuntur, quia successiuè fiunt, licèt permanenter existant, postquam primò producuntur, horum est alteratio, quæ successiuè fit in subiecto, & simul perseuerat in subiecto simul retinente eumdem calorem, ex vi eiusdem passionis, per quam illum successiuè recipit, huiusmodi successiua, per accidens successiua dicuntur. Alia sunt successiua, quorum natura ita fugax est, vt nunquam partes illius inter se coëxistant, sed vnâ adueniente, in eadem mensura præcedens corrumpatur, huius generis est motus localis, & tempus, quorum partes nunquam inter se coëxistunt. In his, quæ successiuè per se, & essentialiter dicuntur contra sententiam Aristotelis valdè vrgentia fiunt argumenta, quæ iam constituo.

2 Partes temporis essentialiter sunt successiuæ: ergo numquam sunt duæ partes illius simul: ergo nunquam existit diuisibilis aliqua temporis pars. Prior illatio ex antecedenti infertur manifestè, illa enim successiua sunt, quorum vnum est post aliud, & non vtrumque simul: posteriorem probo: Si existeret aliqua diuisibilis pars temporis, in illa mensura, in qua illa existeret, existerent partes, in quas ipsa diuidi potest, & quibus componitur: sed nunquam possunt sibi coëxistere: ergo numquam potest existere aliquid compositum ex his partibus, quia implicat compositum existere sine coëxistentia illorum, ex quibus componitur, & hæc est legitima consequentia: non possunt coëxistere materia & forma: ergo non potest existere compositum ex materia & forma. Recusant nonnulli obscuros, & implexos difficultatis sinus ingredi, & ita respondent partem temporis successiue existere, & non simul, & ita sufficere existentiam partium successiuam, & non simultalis enim debet esse partium existentia, qualis est existentia totius, & ita homo cum natura sua sit permanens, & totus existat, requirit partes inter se coëxistentes, tempus verò cùm sit entitas ex natura sua transiens, & successiua, non requirit partes coëxistentes, sed partibus successiuè fluentibus contentum est. Fruſtrà nondum prælio inito fugam meditantur, qui prædictam solutionem exhibent, cogam illos propriùs argumentorũ impetum sustinere, & illa penetrare, quæ nondum tacta terrent. Sic illos aggredior. Id, quod est successiuè partium partim est actu, partim fuit, & partim erit, & de omni illo, quod fuit, aliquando dictum est, actu existit, idemque necessariò dicendum est aliquando de illo quod futurum est, quidquid enim futurum est aliquando actu est. Inquiro ergo de parte illa diuisibili quando actù sit, cùm semper tantùm actu sit instans indiuisibile. Probo insuper nihil partis diuisibilis actu esse posse, quatenus esse actu distinguitur ab hoc quod est fuisse, aut futurum esse. Ad hoc vt aliquid sit actu, vt esse actu distinguitur ab hoc, quod est fuisse, vel futurum esse, requiritur, vt id, ex vi cuius constituitur actu existat: sed pars diuisibilis, siue adæquata, siue inadæquata, & quidquid non est instans temporis constituitur per aliquid prius, & posterius: ergo vt actu existat, actu debet existere id, quod est prius, & posterius: sed implicat actu existere (loquor semper de existentia actuali, vt distincta à præterita, & futura) id, quod habet prius & posterius, quia dum existit prius, non existit, sed existet, quod est posterius, & dum existit posterius non existit, sed extitit quod est prius: ergo implicat actu existere pars aliqua temporis constituta essentialiter per aliquid prius & posterius. Ex repugnantia existentiæ actualis partis diuisibilis temporis infertur, repugnare partem diuisibilem eiusdem esse præteritam, aut futuram, quia præteritum est illud, quod habuit existentiam, & de quo verum fuit dicere, actu existit: ergo entitas cui repugnat actu existere, nunquam potest esse præterita. Eádem ratione non potest esse futura, quia futurum est illud, quon actu erit, & de quo verum erit dicere, non actu existit.

Respondent Thomistæ, partes temporis existere ratione 3
instantium, & non ratione sui. Contrà: existere partes temporis ratione instantium, vel dicit tantùm existere instantia, vel existere partes existentia instantium. Si primum dicat Thomista, dicet tantùm existere instantia, & non existere partes temporis. Secundum dici non potest, quia nihil potest existere existentiâ alienâ, existentia enim à propria entitate non distinguitur. Deinde etiamsi distingueretur, quid diuisibile non posset existere existentiâ rei indiuisibilis, quia existentia rei diuisibilis habet p.ius, & posterius, & dicit essentialiter extensionem, existentia rei indiuisibilis non habet prius, & posterius: ergo non potest esse eadem existentia communis rei diuisibili, & indiuisibili, quia in existentia partis reperitur prius, & posterius, quod in existentia indiuisibilis reperiri nequit. Secundò in hoc instanti temporis pars est futura: ergo vel ratione sui, vel ratione huius instantis: si ratione sui: ergo pars existentiam habebit ratione sui: ergo verum erit dicere, pars existentiam habet ratione sui: ergo pars non existet ratione instantis, sed ratione sui. Si dicas partem esse futuram ratione instantis quod est, apertè conuinceris, quia instans est actu, & non est postea futurum, potius ratione instantis, si pars existit existentia instantis, diceretur præsens, quia per existentiam actu præsentem non potest aliquid constitui futurum, dum ipsa existentia formaliter actu est existens, & non potest esse futura, quia non potest vltra hoc instans existere in aliquâ mensura, quæ nondum actu sit. Si dicas esse futuram ratione instantis futuri, sic argumentor: immediatè post hoc instans vel est futurum aliud instans, vel pars. Si instans: ergo tempus componitur ex instantibus immediatè succedentibus: si immediatè est futura pars actu existens, vel ergo erit existens ratione huius instantis, vel ratione venturi, non ratione huius, quia per te non constituitur futura ratione illius, quod est præsens, & futurum non est: non ratione instantis venturi, quia quando illud aduenit iam pars erit præterita: ergo non poterit ratione instantis venturi constitui præsens, quia nihil potest

constitui

constitui præsens ratione illius, quod tantùm est præsens quando illud est præteritum.

4 Vrgeo: quando existit hoc instans, pars est futura: ergo ratione illius non potest constitui præsens, quando existit aliud instans futurum, pars iam est præterita: ergo neque ratione huius instantis, neque venturi potest constitui actu præsens pars illa interiacens inter hoc instans, & aliud venturum. Deinde: Posito hoc instanti, potest in parte sequenti non existere pars motus, seu temporis, sed si non existit, non erit futura: ergo ratione huius instantis præcisè pars illa non constituitur futura. Similiter: posito hoc instanti potuit antecedenter non præteriisse pars temporis, quia potuit motus, cuius duratio est tempus ab hoc instanti incipere: sed si non præcessisset, non fuisset in hoc instanti præterita: ergo ratione huius instantis pars temporis non constituitur præterita: ergo ratione huius instantis pars præcedens non constituitur præterita, neque pars subsequens constituitur futura. Respondent nonnulli ratione huius instantis constitui partem præcedentem, præteritam, quando est præterita, non verò quando præterita non est, & ratione eiusdem constitui futuram quando pars temporis est futura, non verò quando non est futura. Contrà: ergo ad hoc, vt ratione huius instantis hæc pars temporis præterita, & illa futura constituatur, debet hæc supponi præterita, & illa futura: ergo ratione alicuius distincti ab hoc instanti: ergo partes ratione sui, & non solùm ratione instantium debent esse præteritæ, & futuræ: ergo ratione sui debent existere, per illud enim constituitur aliquid præteritum, & futurum in tempore præcedenti, & subsequenti, per quod in isto præsens constituitur. Secundò: si ad hoc vt per hoc instans pars præterita, vel futura constituatur, debet aliunde præterita, vel futura supponi, non poterit hoc instans præteritionem, & futuritionem, quæ iam in partibus supponitur, illis præstare, neque partibus necessum erit ab hoc instanti talem præteritionem, aut futuritionem emendicare.

5 Respondet Hurtadus sect. 5. subsect. 1. num. 80. nullam partem determinatam posse esse totam simul ratione successionis, at verò partes indeterminatas posse inter se coëxistere, & se tangere, & de partibus determinatis verum esse vnam esse præteritam, aliam esse præsentem, & aliam esse futuram, at verò de partibus proportionalibus, & indeterminatis posse dici actu existere, & inter se coëxistere ratione cuius coëxistentiæ pars diuisibilis potest existere, & partes inter se coëxistentes possunt vniri, quæ aliter non possent vnionem terminare: quia id quod est, non potest vniri extremo non existenti, sed tantùm præterito, aut futuro. Multa hîc inuoluuntur, quæ si explicentur, apertè repugnantiam inuoluere videbit quisque. In primis me ratio deficit, quoties partem physicè existentem ita indeterminatam constitui video, vt neque diuina mentis acie demonstrari valeat, neque in se determinationem habeat, quid enim potest esse in rerum natura, quod differentiam indiuidualem non habeat, quæ dicit indistinctionem à se, & distinctionem à quolibet alio. Si ergo nihil potest esse, quod non sit indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio, nihil potest esse, quod in se determinatum non sit, & possit demonstrari à Deo, eo modo quo est indistinctum à se, & distinctum à quolibet alio, quod est demonstrari rem esse hanc, & non esse illam, neque illam & cætera, in quo tota excogitabilis determinatio reperitur. Secundò: partes illæ indeterminatè coëxistentes, vel habent inter se ordinem prioris, & posterioris, vel non habent: si habent ordinem prioris, & posterioris: ergo non coëxistunt, sed vna est immediatè post aliam: si non habent: ergo non constituunt aliquid diuisibile temporis, quia tempus tantùm constituitur per partes motus habentes hunc ordinem, est enim secundùm Aristotelem numerus motus secundùm prius, & posterius: ergo si in parte illa non est ordo prioris, & posterioris non sunt diuersæ partes temporis adhuc indeterminatæ: ergo tantùm est indiuisibile temporis. Dices, non coëxistere secundùm se totam, sed secundùm aliquid sui. Contrà: illud aliquid secundùm quod pars temporis coëxistit diuisibile est in opinione Hurtadi; licèt indeterminatum, quod ego contendo non posse esse diuisibile ex eo, quod tempus tantùm diuidatur in partes, non sibi coëxistentes & tantùm diuisibile fiat, & extensum per successionem, itavt durationes partium motus sibi coëxistentium non constituant diuersas partes temporis, neque durationes motuum coëxistentium, diuersa tempora afficiant, sed omnes durationes, siue partium motus, siue motuum totalium, quæ inter se coëxistunt, etiamsi innumeræ sint, tantùm constituât vnum tempus nullatenus diuisibile in partes coëxistentes, quia omnes indiuisibiliter idem tempus efficiunt, sed diuisibile tantùm in partes, quæ sibi non coëxistunt vt dicebam Controuersia 16. puncto 1. num. 19. & puncto 3. n. 1.

Deinde assignat Hurtadus hanc coëxistentiam partium, 6
vt possint vniri, quia illa, quæ non coëxistunt, vniri nequeunt. Vnde ait §. 79. partes istas, quæ vniuntur se tangere, & coëxistere. Ex hoc infero omnes partes temporis existentes à prima mundi conditione, esse sibi coëxistentes absque vlla successione. Quia partes illæ indeterminatæ, quas coëxistentes constituit Hurtadus, vniuntur cum aliis partibus immediatis: sed non possunt vniri extrema non existentia: ergo debent coëxistere partes, quas assignat Hurtadus coëxistentes, & partes aliæ immediatæ, cui illi partes coëxistentes vniuntur, rursus illæ vniuntur aliis; ergo debent etiam illis coëxistere, & sic omnes partes necessariò coëxistent illis, quibus vniuntur, & consequenter coëxistent inter se. Ait Hurtadus, nescio an vt huic difficultati satisfaciat, existenti instanti A, vniri illo partes proportionales, quæ transacto instanti A, cum illo transierunt, & denuo aduenit instans B cum aliis proportionalibus, quas vnit. Contrà: partes proportionales quæ transeunt cum instanti A, non coëxistunt cum instanti B, neque cum aliis proportionalibus existentibus in instanti B; quia in sententia huius auctoris nulla pars proportionalis ex his, quæ vniuntur instanti A, & cum illo transeunt, coëxistit alicui proportionali ex his, quæ vniuntur instanti B, & cum illo aduenient. Sed in sententia eiusdem, partes, quæ non coëxistunt, vniri non possunt: ergo nulla pars proportionalis ex his, quæ vniuntur instanti A, & cum illo transeunt, potest vniri alicui parti ex his, quæ vniuntur instanti B, & cum illo aduenient: ergo debet hic auctor concedere tempus omnino diuisum per partes proportionales vnitas inter se distinctis instantibus, quin illæ quæ alio vniuntur instanti aliis coëxistant: vel si hoc neget, quod ab omnibus negari necessum est, debet concedere partes vnitas instanti A, coëxistere partibus vnitis instanti B, & has coëxistere vnitis instanti C, & consequenter partes vnitas instanti C, & vnitas instanti A coëxistere inter se; quia coëxistunt vni tertio, & hac ratione omnes partes temporis inter se coëxistentes constituet, & ad vnicum indiuisibile rediget.

Ex motu locali eisdem ferè argumentis, quibus ex tempore, premitur hæc sententia. In quacumque mensura, in qua mouetur corpus, mouentur omnes partes: sed in hoc instanti, seu in hac parte temporis mouetur totum corpus: ergo mouentur omnes partes: ergo acquirunt nouas præsentias: ergo amittunt præsentias, quas habebant in mensura præcedenti, quia non possunt simul duplicem habere præsentiam: ergo nulla præsentia existens in hoc instanti motus, coëxistit præsentiæ existenti in mensura præcedenti: ergo præsentiæ acquisitæ per hunc motum in diuersis mensuris etiam inter se immediatis nullam habent vnionem; non enim vniri possunt illa, quæ inter se non coëxistunt: ergo termini partium motus, qui sunt præsentiæ, nullam habent vnionem: ergo neque ipsæ partes motus, quæ sunt actiones ex vi quarum præsentiæ producuntur, quorsum enim vnientur actiones, quorum termini vniti non sunt? Secundò de ipsis partibus motus, seu de ipsis actionibus idem fit argumentum: actiones coëxistunt terminis indiuisibiliter, & sine terminis existere non possunt: ergo non possunt coëxistere actiones, quorum termini non existunt: sed termini partium motus non coëxistunt: ergo neque partes motus coëxistunt: ergo nō possunt vniri: implicat enim vniri ea, quæ non existunt sibi, & vnioni, quod sic probo. Implicat extrema esse vnita in mensura, in qua non sunt; sed nulla est mensura, in qua sint partes motus vniendæ, quia quando vna adest, abest altera: ergo nulla est mensura, in qua vniantur. Secundò extrema hæc vel vnirentur in mensura, in qua est vnio, vel in mensura in qua sunt ipsa extrema: non in mensura in qua est vnio, quia tunc non sunt extrema vnienda, & implicat vnionem vnire extrema non existentia; non in mensura, in qua sunt extrema, quia in illa non est vnio, & implicat extrema esse vnita per vnionem non existentem: ergo in nulla mensura possunt extrema esse vnita. 7

Dicunt nonnulli, partes motus esse vnitas more successiuorum, 8

uorum, quorum vnio tantùm est immediata successio. Benè est: partes motus tantùm habent vnitatem immediatæ successionis: ergo physicè nullam habent vnionem: ergo sunt omnino indiuisibiles. Prior consequentia est legitima, quia successio immediata vnius post aliud nullam importat physicam vnionem. Posteriorem probo: ea, quæ nullam habent vnionem, sunt omnino diuisa: ergo sunt indiuisibilia. Probo antecedens: esse diuisa est non habere vnionem: ergo illa quæ nullam habent vnionem, habent omnem diuisionem possibilem: ergo non possunt rursus diuidi, est enim per se notum diuisionem supponere aliquam vnionem, per cuius corruptionem diuisio fiat, sicuti separatio supponit coniunctionem, cuius corruptio, seu non esse separatio dicitur.

9 Ex eodem motu successiuo iterum impetitur cõtinuum permanens: In instanti, in quo mouetur indiuisibile corporis, mouentur omnes partes spectãtes cum illo ad idem continuũ: inquiro ergo an in instanti indiuisibile acquirat spatium diuisibile, vel indiuisibile: non diuisibile, quia hoc habet partes has priores, & illas posteriores, quæ successiuè debent acquiri, nisi simul in omnibus ponatur indiuisibile, quod fieri nequit: Sed in instãti nulla est successio: ergo in instanti non potest indiuisibile quantitatis spatium diuisibile acquirere. Si acquirit spatium indiuisibile, inquiro, quod spatium relinquat? si indiuisibile, sequitur in spatio esse vnum indiuisibile immediatum alteri, quia motus fit per partes immediatas spatij: diuisibile non potest relinquere in instanti, quia tale spatium diuisibille relictum habet prius, & posterius: ergo prius relinquendum est, quod est prius, deinde illud, quod est posterius: sed in instanti non est vna mensura, in qua indiuisibile quantitatis relinquat quod est prius spatij, & alia, in qua relinquat, quod est posterius eiusdem spatij, quia instans est mensura indiuisibilis: ergo non potest indiuisibile quantitatis in instanti spatium diuisibile relinquere. Secundò demus indiuisibile quantitatis acquirere spatium induisibile in instanti temporis: pars immediata indiuisibili quantitatis, quæ cum illo mouetur in eadem mensura deberet acquirere spatium diuisibile, quod tradunt Aristotelici: sed illud spatium haberet prius, & posterius: ergo non potest acquiri totum simul: ergo non potest acquiri in instanti: ergo neque indiuisibile continui, neque pars diuisibilis eiusdem potest in instanti acquirere spatium diuisibile: ergo in instanti tam partes, quam puncta continui acquirunt indiuisibilia spatij: ergo acquirunt pura indiuisibilia: ergo continuum constat prius indiuisibilibus immediatè existentibus, corpus enim secundùm se totum acquirit in instanti spatium diuisibile continuum secundùm totum, quod in se continet.

10 His argumentis, & aliis similibus, quæ de spatio imaginario vulgò fiunt, respondeti potest, spatium imaginarium tantùm esse ens fictitium, & chimæricum, de quo parum refert concipi hoc, vel illo modo compositum, in re enim corpus relinquere hoc spatium, & aliud acquirere, nihil aliud est, quam hanc præsentiam corrumpi, & illam produci. Instabis, eadem fieri argumenta de loco reali, quia in instanti non potest indiuisibile aquæ correspondens indiuisibili vasis, fieri correspondens parti aquæ, vel si correspondebat parti vasis, non potest in instanti fieri correspondens indiuisibili vasis, & relinquere partem, cui antea correspondebat propter eamdem rationem prioris, & posterioris, quam habet pars loci realis acquirenda, vel relinquenda. Respondeo, per vnicam præsentiam indiuisibilem constitui indiuisibile locati, correspondens parti diuisibili loci, & ita posse in instanti acquirere locum realem diuisibilem, quia hoc non est fieri præsens in spatio illo reali diuisibili, locatum enim non est in eodem spatio cum loco reali, sed tantùm esse immediatum loco reali, & spatio diuisibili, quod per vnicam indiuisibilé præsentiam in instanti acquisitam fieri potest. Hanc solutionem adhibui, vt nonnullam darem omnibus argumentis, quibus continuum permanens in infinitum diuisibile concutitur: illis verò, quæ contra continuum successiuum fiunt in tempore, & in motu locali satisfacere non audeo. Adhibui solutiones, quibus huius continui propugnatores vtuntur, ex illis, quam malueris elige, vel aliam excogitato. Puto tutius in hac re esse, diuisionibus, & subdiuisionibus partium inadæquatarum se protegere, & asserere cum P. Soar disp. 50. n. 9. partes temporis existere, seu esse præsentes, non secundùm se totas; sed inadæquatè secũdùm aliquid illarum, & cum ad illud aliquod disputatio peruenerit, iterum dicere adhuc inadæquatè existere, ita vt nihil partis sit, quod actu adæquatè existat, dum pars inadæquatè existit. Hæc sunt verba, quibus in hac materia difficultates eluduntur, in quibus fugam video, sed neque vestigium solutionis, cui meus acquiescat animus, inuenio.

PVNCTVM VII.

Continui compositionem ex partibus indiuisibilibus iuxta Zenonem explico.

CONtinuum ex puris indiuisibilibus constans ex Zenone ita compono, vt in linea omnia indiuisibilia immediatè vnum post aliud succedant, & lineam componant in tot membra diuidentia partibilem, quot sunt puncta, quibus constat, in quæ vltimò potest diuidi tanquam in partes primas, seu ex quibus primò continuum componitur, & in partes vltimas, hoc est, in quas vltimò compositum diuiditur, itaque puncta ista vocantur partes primæ in ordine ad compositionem, & vltimæ in ordine ad resolutionem. Alio modo diuisibilis est linea ita composita in partes secundas, seu vltimas in ordine ad compositionem, & primas in ordine ad diuisionem; exempli gratiâ, constet linea his quatuor punctis . . . . potest diuidi in has duas medietates . . . . quarum quælibet constet duobus punctis, quæ diuiso est in partes, quibus linea vltimò componitur, & primò resoluitur, & ita vltimæ in ordine ad compositionem, & primæ in ordine ad resolutionem vocantur. Rursus, quælibet medietas duobus punctis constans diuiditur in duo puncta singularia hac ratione . . . . quæ iam rursus indiuisibilia sunt, & hæc diuisio dicitur in partes primas in ordine ad compositionem, & vltimas in ordine ad diuisionem lineæ; ita quatuor punctis compositæ aliæ eiusdem rationis laterales in hunc . . . . modum iunguntur, quarum puncta eodem . . . . modo vniuntur cum punctis lineæ immediatæ, ac vniuntur in eadem linea, ita vt quodlibet ex punctis suprà assignatis ad compositionem duplicis lineæ spectet, & versùs vnam partem componat lineam quatuor punctis constantem, & versùs aliam lineam tribus punctis compositam, quæ lineæ in eodem puncto hac ratione communicant, ... & sicuti ex illo anguli puncto cõmuni vtrique lineæ, linea ducitur constans tribus punctis, illo videlicet, & duobus subscriptis, sic in figura suprà posita ex tribus aliis immediatis lineæ similes ducuntur. Ex lineis ita compositis, & vnitis inter se, superficies componitur diuisibilis versus duplicem partem, quæ longitudo, & latitudo dicuntur, & inter se non essentialiter, sed tantùm accidentaliter differunt, & maiorem dimensionem solemus longitudinem dicere, & minorem latitudinem. Superficiei ita compositæ alia, & alia superficies potest superponi, quarum puncta vniuntur cum punctis superficiei immediatæ, sicuti vniuntur puncta vnius lineæ cum alia, ita vt punctum angulare suprà assignatum commune sit duabus lineis pertinentibus ad eam superficiem, & alij lineæ, quæ ab illo versus profunditatem descendit constructæ ex punctis angularibus diuersarum superficierum, quarum vna est sub alia. Hæ superficies ita vnitæ totum componunt triplici dimensione gaudens versus longitudinem, latitudinem, & profunditatem, totidemque modis est diuisibile in partes longas, latas, atque profundas, quæ dimensiones accidentaliter tantùm differunt, & partes ex quibus componitur eiusdem omnino rationis sunt, & homogeniæ, ita vt totum ex illis compositum tantùm differat à qualibet illarum penès magis, & minus, & penès vniones punctorum, corpus enim dicit plura indiuisibilia hoc ordine vnita, vnicum autem indiuisibile nullam dicit vnionem; si verò comparatio fiat totius quantumuis ingentis ad duo puncta vnita, tantùm penès magis, & minus differunt extrema comparata.

1

2 Puncta hæc indiuisibilia finita cõstituit Zeno, & ita constituenda sunt à quocumque, qui ab Arist. velit discedere, ne in difficultates vtriusque opinionis incidat. Secundò quia indiuisibile additũ indiuisibili facit maius, vel non facit, sed cum illo penetratur: si non facit maius, quantumuis

infinities

infinities infinita puncta coaceruentur, non poterit continuum diuisibile consurgere. Si facit maius ergo duplex punctum vnitum maius spatium occupat, quam vnum punctum, & triplex maius. quam duplex: ergo duplex punctum vnitum occupat spatium diuisibile, & triplex aliud spatium magis diuisibile: ergo sufficienter constituetur continuum indiuisibilibus finitis inter se vnitis. Tertiò si indiuisibile additum indiuisibili facit maius: ergo infinita indiuisibilia constituent compositum infinitè extensum, cùm per additionem cuiuscumque cr escat continuè extensio. Dices, quamlibet partem proportionalem alij additam constituere maius continuum, & tamen infinitæ partes proportionales adduntur in continuo iuxta sententiam Aristotelis, & non resultat continuum infinitè extensum: ergo neque ex additione infinitorum punctorum resultabit continuum habens infinitam extensionem. Ex hac solutione vires resumit prima ratio, quam contra hoc continuum ex infinitis punctis constitutis modò adduxi: vna ex præcipuis difficultatibus, quas patitur sententia Aristotelis est non posse dari continuum constans infinitis partibus proportionalibus infinitè diuisibile, quod non sit simpliciter infinitè extensum, & propter hanc rationem multi à sententia Aristotelis discedunt: ergo dum defendis continuum constans infinitis punctis, quorum quodlibet illud magis diuisibile reddit, non esse simpliciter infinitum, sicuti non est infinitum constans infinitis partibus proportionalibus, incidis in præcipuam difficultatem, quæ adducitur contra continuum Aristotelicum. Deinde ideò Aristotelici continuum Zenonis compositum ex punctis finitis reiiciunt, qua indiuisibile additum indiuisibili non facit maius. Tu defendis indiuisibile additum indiuisibili facere maius, aliàs tuum continuum ex infinitis punctis compactum esset indiuisibile: ergo sustines impugnationes factas contra Aristot. & contra Zenonem, & in difficultates vtriusque sententiæ incidis.

3 Deinde multi Aristotelici protegunt se communicatione partium proportionalium, quas dicunt vnam esse intra alias, & ita non componere continuum infinitè extensum: tu non potes hanc communicationem in punctis fingere, neque dicere, vnum punctum esse intra aliud: ergo opprimeris difficultate, quam Aristotelici saltem fugiunt, licet non euincant. Demum vt dicebam suprà, Aristotelici asserunt, suum continuum non esse simpliciter infinitum, quia etsi possit diuidi in partes infinitas, quarum quælibet sit extra aliam, hæ partes inter se coaliquotæ non sunt, neque æquales, sed semper vna minor aliâ, & hac ratione asserunt, continuum posse in infinitum, & per infinitas partes augeri à proportione maioris ad proportionem minoris inæqualitatis, & non posse in illo infinitas partes æquales non communicantes assignari, quæ si assignarentur continuum infinitum simpliciter redderent. Hac solutione vti non poteris in tuo continuo, imò ex illius principiis in te arguo. Infinitum continens infinita puncta, continet infinita quaternaria punctorum inter se non communicantia, ex finitis enim quaternariis non potest infinita multitudo consurgere: ergo potest Deus in hoc continuo, quod tu constituis, assignare infinitas partes quantitatis, quarum quælibet constet quatuor punctis: ergo potest Deus assignare in hoc continuo infinitas partes æquales non communicantes: ergo adhuc iuxta principia Aristotelis continuum istud constans infinitis punctis inter se non penetratis, esset infinitum, & nulla supereſt solutio, ex his, quibus Aristotelici vtuntur ad defendendum, continuum hoc non fore infinitum: ergo esset simpliciter infinitum.

4 Vltimò rogo huius sententiæ sectatores, quomodo differat secundùm sua principia quantitas simpliciter infinita, infinitâ gaudens extensione, à quocumque alio continuo? Nullum caput differentiæ poterunt assignare, nisi quia quantitas infinita simpliciter continet maiorem multitudinem infinitam punctorum, & minorem, etsi similiter infinitam quantitas finita; quia multitudo punctorum cuiuscumque quantitatis secundùm hanc sententiam est infinita, & in quocumque continuo possunt assignari infiniti numeri quaternarij punctorum, quæ efficient infinitas partes quantitatis inter se æquales. Hæc autem differentia assignari non potest, quia etsi hæc multitudo infinita punctorum habeat alias multitudines infinitas maiores, etiam habet alias, & alias minores, nulla est enim multitudo infinita, cui non possit aliquid addi, quo addito multitudo alia infinita maior assurget, & cui non possit aliquid detrahi, quo detracto, minor erit multitudo superstes, & similiter infinita, quia per detractionem alicuius multitudinis finitæ, non potest infinita multitudo fieri finita: ergo non potest assignari ratio, propter quam dicamus hanc multitudinem infinitam punctorum sufficere ad quantitatem infinitam simpliciter constituendam, & non illam minorem, quia plures minores hac, quam tu dicis componere quantitatem simpliciter infinitam, componere poterunt quantitatem simpliciter infinitam: si enim ab hac multitudine infinita punctorum, quam tu assignas pro quantitate simpliciter infinita, aliqua puncta detraheres, multitudo superstes erit infinita, & quantitatem simpliciter infinitam reddet: assigna ergo statum multitudinis infinitæ requisitum ad quantitatem simpliciter infinitam constituendam, quod si nunquam illum assignare poteris, quod mihi certum est, fatere quamcumque multitudinem infinitam punctorum non penetratorum constituere continuum simpliciter infinitum, & cum Zenone ex punctis finitis continuum componere, vel cum Aristotele dicito indiuisibile additum indiuisibili non facere maiorem extensionem, & infinitas partes proportionales amplectere.

Hæc puncta, quibus corpus longum, latum, atque profundum componitur, vniuntur, non immediatè, & per se; sed per vniones superadditas, vt probaui Controuersia 3. Puncto 1. vbi postquam tradidi, dari vnionem superadditam inter materiam, & formam, postea §. 5. eiusdem puncti statui idem dicendum esse de partibus totius integralis. Vniones istæ per se, & immediatè vniuntur, & non mediis aliis vnionibus, ne in infinitum procedamus. Itaque in continuo duo sunt genera punctorum; quædam, quæ aliis vniuntur per puncta alia superaddita; quædam, quæ per se ipsa vniuntur; & mediis quibus alia vniuntur. Hæ sunt modi, & vniones illorum, sine quibus subsistere nequeunt: illa sunt res, quæ à suis modis possunt separari. Fuerunt nonnulli, qui duplicem vnionem requirebant, vt vnirentur duo puncta, quamdam tenetem se ex parte huius puncti vnientem, & aliam tenentem se ex parte illius, quia vnio est perfectio extremorum, & debet afficere vtrumque extremum vnitum. Contra hos egi Controuers. 3. Puncto 2. vbi probaui, simplicem vnionem sufficere ad duo extrema distincta inter se vnienda, & non requiri vnionem afficere inhæsiuè, seu media inhæsione, seu repetitione extremum, quod vnit. Quod si requireretur, facilius esset eamdem indiuisibilem vnionem in duplici extremo vniendo constitui, quam duplicem vnionem ad duo extrema inter se vnienda sine fundamento multiplicari.

Difficultas est, in quo loco sit vnio, ex vi cuius annectuntur indiuisibilia diuersum spatium occupantia. Nonnulli illam cum vtroque penetratam componunt, quod non probo, quia illa vnio indiuisibilis esse debet, si enim esset diuisibilis, haberet partes vnitas per vnionem, in qua eadem consurgeret quæstio, & in infinitum abiremus: ergo uon potest esse in spatio diuisibili: ergo non potest occupare spatium duorum punctorum, quæ cum non sint penetrata, spatium diuisibile necessariò occupant. Quod si dicas vnionem indiuisibilem posse esse in spatio diuisibili, sine fundamento tribuis perfectionem puncto modo imperfectiori, quam negas puncto rei perfectiori, & quâ tantùm in rebus spiritualibus agnouimus, neque ex eo quod videas, spatium ingens occupari corpore aliquo, poteris inferre, corpus illud esse diuisibile, quia forsan erit secundum suam entitatem indiuisibile, & ratione præsentiæ in spatio diuisibile constitutum. 6

Posses dicere, vt vnionem penetratam cum vtroque indiuisibili vniendo constitueres, vnionem esse diuisibilem in partes immediatè, & per se ipsas vnitas, quæ vnione alia superaddita non indigerent. Contra hunc dicendi modum in primis obiicio, incongruè poni vnionem diuisibilem pro extremis indiuisibilibus vnionis. Secundò absque necessitate comminisci hanc vnionem, quia vt postea probabo, possunt extrema vniri vnione, quæ immediatè tangat vtrumque, & cum nullo sit penetrata. Tertiò efficaciùs: pono vnionem cum duabus partibus, quarum vna penetratur cum indiuisibili *A*, & altera cum indiuisibili *B*. & inquiro an pars penetrata cum indiuisibili *A*, illud vniat adæquatè indiuisibili *B*? si affirmatiuè respondeas, inferam eamdem partem vnionis vnire indiuisibile *B* cum indiuisibili *A*: quia, vt dicebam Controuersia 3. puncto 2. idem est formaliter, hoc extremum esse alij vnitum, & illud vnitum esse huic, & implicat modum vnientem hoc 7

extremum,

extremum, illi, qui non eâdem omnino ratione vniat formaliter illud huic: ergo præcisè per partem vnionis respondentem huic indiuisibili, vtrumque formaliter est adæquatè vnitum: ergo superfluit pars altera. Si dicas partem vnionis penetratam cum indiuisibili *A*, non illud adæquatè vnire, sed vniri inadæquatè parte penetratâ vnionis, & similiter inadæquatè alterâ parte non penetratâ, & vtràque adæquatè, inferam ego vnionem inadæquatam, seu partem vnionis, ex vi cuius vnitur indiuisibile *A*, non esse penetratam cum illo: ergo sicuti pars vnionis potest vnire partialiter extremum, cum quo non est penetrata, ita vnio talis poterit totaliter vnire extremum, cum quo nullam habeat penetrationem.

8 Alij affirmant, vnionem esse penetratam cum altero tantum extremo, quia ex illo educitur, non quia hæc penetratio necessaria sit, vt extremum ex vi illius vniatur. Ego cum his censeo, vnionem non debere esse penetratam cum aliquo extremo vnito, vt vtrumque vniat, sed sufficere esse vtrique immediatam, seu inter vtrumque. Quia nullum est caput, ex quo inferatur, vnionem integralem debere esse penetratam cum extremis, & aliàs difficile cum hac penetratione componi potest: ergo immeritò nos coniiciemus in nouas difficultates ad defendendam penetrationem vnionis cum extremis, quam nullo titulo tenemur defendere. Quod si penetratio requiratur vnionis essentialis cum extremis, longè alia ratio de vnione integrali, quia partes essentialiter vnitæ, debent esse penetratæ, & ita mirum non est vnionem eâdem penetratione cum ipsis partibus indigere, partes verò integrales penetratione non indigent, vt vniantur, & ita neque vnioni ipsarum hæc penetratio necessaria est. Ex hac differentia argumentum desumo pro mea sententia. Eâ approximatione indiget vnio cum partibus, quas partes inter se vnitæ indigent, sed partes integrantes non debent esse penetratæ: ergo neque vnio cum illis. Dices, ex hoc inferri, vnionem posse esse non solùm non penetratam, sed neque immediatam extremis vnitis, cùm extrema vnita immediata non sint iuxta doctrinam traditam quæ vnionem inter vtrumque extremum constituit. Respondeo disparem esse rationem circa immediationem partium inter se, & vnionis cum partibus, quia partes non vniuntur per se, sed mediâ vnione, & ita non debent esse per se approximatæ, sed mediâ vnione, vnio verò per se ipsam immediatè partes afficit, & ita per se ipsam debet esse illi approximata.

9 Puncta ex sua natura intrinsecè terminatiua per se necessaria non sunt, quia quodlibet punctum terminatiuum erit, ex eo, quod post se aliud non habeat, & ex eo quod linea vltra non progrediatur, erit terminata, & poterit assignari illius terminus intrinsecus, quem vltimò linea pertingat, & extrinsecus, quem primò non attingat, poterit enim dici, vsque ad hoc spatij punctum per hoc indiuisibile quantitatis vltimo protenditur linea, qua ratione terminus illi intrinsecus designatur, & similiter dici poterit, hoc indiuisibile spatij est primum, quod linea non attingit, & magis immediatum indiuisibilibus spatij, quod attingit, quod spatij indiuisibile erit illius extrinsecus terminus. Confirmatur: præcisè ex eo, quod corrumpatur vnio ex vi cuius annectebatur hæc semiulna alteri semiulnæ, & constituebatur vlna nullo alio indiuisibili terminatiuo producto permanebit vtraque semiulna intrinsecè, & extrinsecè terminata, modo supra explicato, quia vtriusque indiuisibilia successiuè vnum post aliud spatium occupabunt, & illorum primum, & vltimum assignari poterit: per se ergo necessaria non sunt in quantitate puncta intrinsecè terminatiua.

10 In continuis per se successiuis secundùm hanc sententiam nulla est vnio physica constituenda; sed dicendum præcisè per immediatam successionem vnius indiuisibilis post aliud constitui vnum motum successiuum, & vnum tempus, quæ sicuti physicam vnionem non habent, non sunt tota physica, sed moralia, sic motus, quo ego totum hoc gymnasium percurro, dicit plures actiones, ex vi quarum plures præsentiæ producuntur, quarum quælibet est præsentia totalis, & adæquata eiusdem omnino rationis cum illa, quam modo habeo, dum quiesco, quia illarum quælibet posset esse vltima motus, & cum illa diu quiescere, & sicuti præsentiæ per motum productæ adæquatæ sunt, sic actiones, per quas hæ præsentiæ producuntur, nihilominus dicuntur partes eiusdem motus, quia moraliter eundem motum repetamus omnes acquisitiones præsentiarum, quæ successiuè, & absque vlla temporis interruptione contingunt, licet physicè illarum quælibet sit totalis motus præsentiam adæquatam mobilis vt terminum respiciens, & toties ego adæquatè mouear, seu tot motibus adæquatis physicè loquendo, cum percurro spatium huius gymnasij, quot sunt præsentiæ, quas successiuè in toto illo spatio acquiro. Eadem ratione tempus dicit plures durationes successiuè fluentes eiusdem motus moraliter, & plurium physicè iuxta modo dicta de vnitate motus. Durationes hæ, quas dicit tempus, sunt omnes physicè adæquatæ, & moraliter inadæquatæ, seu partes eiusdem durationis, sicuti sunt illius subiecta, videlicet motus, quos afficiunt. Notandum tamen est, in motu quamlibet illius partem instantaneam posse dici durationem physicè adæquatam respectu sui subiecti, & moraliter dici tantùm partem durationis successiuæ, quæ tantùm habet moralem vnionem, non tamen posse dici instantaneam durationem motus, quæ est pars moraliter componens vnum tempus morale, vnum tempus physicè adæquatum, quia tempus essentialiter dicit multitudinem durationum cum ordine prioris, & posterioris, & essentialiter dicit vnionem moralem plurium durationum succedentium, est enim numerus motus secundùm prius, & posterius. Quam successionem non dicit essentialiter motus, neque illius duratio, quia si in hoc instanti tantùm mouerer ego, & acquirerem præsentiam immediatam huic, quam habeo, acquisitio illius præsentiæ motus absolutè diceretur, illiúsque correspondentia ad tempus esset duratio, non tamen tempus, quod dicit essentialiter plures durationes successiuè fluentes. In hac successione partium motus, & temporis nulla poterit alicuius momenti excogitari difficultas.

PVNCTVM VIII.

Argumentum contra prædictam sententiam petitum ex penetratione punctorum expendo.

PRimum telum, quo Aristotelici in Zenonistas iaculantur, petitum est ex penetratione punctorum, quam ter inter indiuisibilia se tangentia vitari nullo modo posse existimarunt, ex quo principio vetustum illud axioma dimanauit: *Indiuisibile additum indiuisibili non facit maius*, sic Aristotelici argumentantur: Indiuisibilia immediatè vnita debent se tangere, sed non possunt se tangere quin penetrentur: ergo non possunt vniri quin penetrentur; ergo indiuisibile immediatè alteri vnitum non facit maius: ergo continuum extensum non potest ex indiuisibilibus componi. Hoc argumento existimant Aristotelici, actum esse de Zenone, & ex illius doctrina tanquam ex solidissimo fundamento totam partium infinitarum astruunt machinam, quæ si alio solidiori non innitatur, totam corruere destructo fundamento compertum erit. 1

In primis idem argumentum, eodem prorsus modo fit contra sententiam Aristotelis, iuxta quam indiuisibile vniens partes, vtramque tangit, & cum vtraque penetrari debet, si firmum sit, illa, quæ se tangunt penetrare se secundùm rationem attactam, vel ergo vtraque pars penetrata est in spatio indiuisibili, quod punctum occupat, vel punctum est in spatio vtriusque partis: si primum diceres, inferrem efficaciter omnes quantitates vnitas reducendas esse ad vnicum indiuisibile spatij, quia quælibet pars penetraretur cum immediata, & sic omnes inter se penetrarentur. Si dicas secundum, quod magis rationi consonum videtur, infero partes inter se esse immediatas, cum indiuisibile sit cum illis penetratum, & non mediet inter partem & partem: ergo partes se tangunt: ergo partes penetrantur inter se, si verum est illa, quæ se tangunt debere inter se penetrari. Vrget fortius hoc argumentum in attactu partium, quam in contactu indiuisibilium: partes tanguntur secundùm aliquid diuisibile, quod habet prius, & posterius: ergo vt tangantur secundum prius, & posterius, debent penetrari secundùm prius ipsarum: ergo non potest dari contactus partium sine ipsarum penetratione: quod argumentum locum non habet in contactu indiuisibilium quæ prius, & posterius non habent. Tenentur ergo omnes respondere argumento petito ex penetratione illorum quæ se tangunt, quod in sententia Aristotelis non facile fit, & in Zenonis sententia facillimè præstabo. 2

Respondeo, vnum indiuisibile tangere aliud secundùm se totú, & non esse penetratum cum illo, sed immediatum, 3

seu

seu in spatio immediato, quod sufficit,vt duo indiuisibilia tangantur,tangi enim non dicit necessariò esse vtrumque in eodem spatio,sed esse vnum immediatum alteri,seu nullum intercedere spatium inter spatia distincta, quæ occupant illa, quæ se tangunt, quod valde diuersum est; illa enim, quæ sunt penetrata æquè distant à quocumque alio corpore,illa verò, quæ sunt immediata ab eodem termino diuersam habent distantiam, in hac enim linea quatuor punctorum . . . . primum punctum,& secundum immediata sunt,tamen diuersam habent distantiã respectu quarti,quia secundum punctum tantùm distat à quarto per vnicum punctum,tertium videlicet interiacens inter secundũ & quartum,primum verò distat per duo puncta,secundum videlicet,& tertium interiacentia inter primum, & quartum Si verò primum,& secundum penetrarentur,æquè distarent à quarto,& à quocumque alio termino.In hac doctrina nullam difficultatem percipio,quapropter miror,tot viros doctos huic argumento fidisse : existimoque, in omnium opinione dicendum esse,rem vnam esse alteri immediatam, non dicere penetrationem vtriusque, aliud enim est duas entitates esse in spatiis immediatis, aliud esse in eodem spatio,hoc dicit penetrationem,non illud,aliàs tota mundi machina penetrata esset,cum omnes illius partes sint immediatè vna post aliam:hanc ergo immediationem distinctam à penetratione, quam omnes admittere debent,dico ego esse contactum indiuisibilium,neque alio modo indiuisibilia se tangere admitto.

4 Hanc solutionem refert Hurtadus §.92.illamque intendit impugnare, quia eadem est difficultas de locis immediatis, cùm enim hæc loca secundùm se tota se tangant, si illorum quilibet indiuisibilis sit, necessum est eadem loca penetrari, quod probat Hurtadus exemplo punctorum ipsius locati,quia eadem est difficultas de loco, & de locato,& illorum neutrum potest habere extensionem diuisibilem propter rationem dictam, si constent indiuisibilibus immediatè se tangentibus. Respondeo, de omni loco, siue reali, siue imaginario, & de corpore locato eodem omnino modo philosophandum esse, dicimus enim indiuisibilia loci se tangere,quia vnum est immediatè post aliud,non quia illa, quæ se tangunt penetrata sint. Nihil aliud contra hanc solutionem adducit Hurtadus,sed totus est in impugnandis quibusdam indiuisibilibus inflatis.

5 Instabis, ex his indiuisibilibus . . . . primum, & tertium tangunt secundum : ergo tangunt illud secundùm eamdem entitatem:ergo penetrantur inter se.Primum antecedens, & prima consequentia negari non possunt. Cõsequentiam secundam probo,ex eo quod non possunt duo indiuisibilia non penetrata inter se simul immediatè tangere tertium illud secundùm eandem partem,quia ipsa inter se penetrantur. Respondeo,negando secundam consequentiam,& confirmationem, quia licet duo indiuisibilia tangant aliud tertium secundùm eamdem entitatem,illud tamen tangunt per diuersa latera eiusdem tertij indiuisibilis attacti, quæ latera non sunt intrinseca indiuisibili, quod tangitur, sed extrinseca, quæ considerari possunt in quocumque indiuisibili,quod habet diuersa loca extrinseca,dextrum videlicet, & sinistrum, sursum, & deorsum, vt ex ipsa terminorum apprehensione compertum est, & efficassima ratione ostendo. Ponatur quodcumque indiuisibile quantitatis in spatio indiuisibili, & vt in sententia Aristotelis rem etiam ostendam, sume tibi indiuisibile, quodcumque contentum in hoc copore composito ex partibus, & indiuisibilibus infinitis: hoc indiuisibile *A*, v.g. & sic de omnibus aliis, indifferens est, vt moueatur versùs Orientem, vel versùs Occidentem, & casu, quo moueretur versùs Orientem,nihil spatij percurreret,seu nullam præsentiam acquireret ex illo spatio, quod percurreret, seu ex illis præsentiis, quas acquireret si versùs Occidentem moueretur,& in vtroque casu illud indiuisibile inciperet moueri per spatia immediata:ergo habet diuersa spatia immediata, siquidem diuersum esset spatium, per quod moueri inciperet versùs Orientem ab illo, per quod moueri inciperet versùs Occidentem, & vtrumque esset immediatum : ergo illud indiuisibile habet latera immediata diuersa, quæ possunt occupari duobus aliis indiuisibilibus,quæ immediata erunt eidem indiuisibili *A*, & inter se non erunt penetrata,cùm sint in diuersis spatiis:ergo possunt dari duo indiuisibilia immediata per diuersa latera extrinseca alteri tertio,quæ inter se penetrata non sint,sed in diuersis spatiis immediatis indiuisibili, quod tangunt per immediatam positionem.Vrgeo, quando indiuisibile siue in continuo Zenonis, siue in Aristotelis continuo inclusum incipit moueri versùs Orientem, succedit in spatium,quod occupat corpus immediatum, quod ab illo loco pellit:si inciperet moueri versùs Occidentem succederet in spatium,quod occupabat aliud corpus eidem immediatum, siue diuisibile, siue indiuisibile, quod etiam loco pelleret:ergo indiuisibile antequam moueretur habebat duo spatia immediata, & duo corpora immediata, quæ illa immediata spatia occupabant, non penetrata inter se,neque cum indiuisibili immediato:ergo indiuisibile habet latera extrinseca diuersa ab illo distincta,quæ possit tangere per immediatam positionem absque vlla penetratione.His constant pulchra verba Augustini lib.2. de libero arbitr.cap.8. *Quantulumcumque illud corpusculum sit, habet sinistram,dextram inferiorem,superiorem.*

Lego Hurtad.sect.5.subsect.5. contendentem hæc latera impugnare,verumtamen nihil momenti apud illum inuenio.Arguit:Christum penetratum fuisse cum cælis,licet illos tantùm tetigerit per terræ latus.Hæc impugnatio,neque solutionem laterum penetrat,neque solutionis latera attingit, Christus enim cum penetratus erat cum cælis, non illos per aliquod latus tangebat,sed erat intra illos,licet immediatè antea quam penetraretur, illos tetigerit per latus terræ,sicuti immediatè post penetrationem illos tetigit per latus oppositum:tangere enim per latus aliquod dicit esse in spatio immediato corpori tacto, & sicuti Christus immediatè antequam penetraretur,fuit in spatio immediato cœli existenti inter cælos & terram,tunc illos per latus terræ tangebat,& in instanti post quàm fuit penetratus,per aliud latus cælos tetigit,quia in illo occupauit spatium immediatum cælis existens non inter cælos,& terrã,sed post superficiem cõnexam cælorum,cum quibus faerat penetratus:in instanti verò penetrationis non tangebat partem cæli,cum qua erat penetratus per latus aliquod,sed erat intra partem ipsam cæli,cum qua penetrationem habebat.Hæc iuxta omnium hominum apprehensionẽ,&cõmunem loquẽdi modum certa sunt,nullus enim dicit,ea quæ intra ipsum sunt,esse ad suum latus, sed illa, quæ sunt extra ipsum immediatè existentia.Sic Petrus,& Ioannes modò prope me sedentes, inter quos ego sedeo, dicuntur esse ad mea latera:quod si illorum aliquis mecũ penetraretur,non diceretur esse ad meũ latus,sed intra me existens.Arguit secundò posse vnũ punctum cũ alio penetrari,& ad hoc nõ requiri vt illud tangat per omnia latera extrinseca.Hoc antecedens ponit,& probat,& consequẽs subiicet,tantumque illationem *ergo* exprimit. Sed certè ego ignoro, quid possit ex illo antecedenti, quod verum esse fateor,Hurt.inferre;opinio enim, quæ latera assignat, non dicit indiuisibile non esse penetratum cum alio, quia non illud attingit per omnia latera,sed asserit indiuisibilia inter se tangi per latus extrinsecum, non importare illorũ penetrationem sed immediatam positionem horum indiuisibilium.Neque secundum hanc sententiam indiuisibile penetratũ cum alio dũ est penetratum cum alio debet illud tangere per aliquod,seu per aliqua latera,sed esse in eodẽ spatio cum illo:imò si indiuisibile hoc tãgit illud per vnũ,vel per plura latera, contactus iste impedimentũ est, vt cum illo penetretur in eodem instanti,in quo est contactus,quia indiuisibile tangens aliud per aliquod latus est in spatio immediato,quod si per plura latera illud tangat,erit in pluribus spatiis immediatis distinctis ab spatio, quod indiuisibile attactum occupat, penetrari autem cum illo dicit,esse in eodẽ spatio,& sicuti esse in spatio,seu in spatiis immediatis distinctis ab illo,quod hoc indiuisibile occupat impedimẽtum est,vt sit in spatio, quod occupat hoc indiuisibile, quia simul non potest esse in pluribus spatiis: sic tactus huius indiuisibilis cum alio per aliquod latus impedimentum est,vt cum illo penetretur, tantùm abest vt ad penetrationem requiratur contactus per omnia latera. 6

Vltimò arguit Hurtadus:Detur à Deo produci duo puncta immediatè se tangentia : deinde aliud punctum tractũ per omnia latera illa tangere,aliud verò tractum per vnum solum latus : sic rebus se habentibus rogat Hurtadus, vtrùm illa puncta simul producta se penetrent,vel non? si non se penetrant,rationem vult reddi : & petit quid vltrà potuit Deus facere,vt hæc puncta penetrarentur, nisi illa immediatè se tangentia producere?Eisdem ferè verbis Hurtadi obiectionem retuli, cui paucis respondeo, in casu posito nullam dari punctorum penetrationem, quia 7

nullum constituitur in eodé spatio, in quo erat aliud, quod requiritur ad penetrationem, ad quam non sufficit hæc indiuisibilia se tangere per præsentias respondentes spatiis immediatis, quia illa tantùm, quæ sunt in eodem spatio, & non illa, quæ sunt in spatiis immediatis penetrata dicimus. Debuit ergo Deus, vt illa puncta penetrarentur, non tantùm puncta immediatè se tangentia per vnum, aut per plura latera penetrata producere, sed vnum intra alterum, ita vt vtrumque idem indiuisibile spatium occuparet, & non duo spatia immediata. Hæc solidè solutionem prædictam stabiliunt, neque pro libito excogitata sunt, quorum non solùm apparentem rationem, quam nondum reddi, ait Hurtadus, sed omnibus, qui rem attentè inspiciant facilem, & perspicuam reddidi, quæ clarè vim argumenti prædicti infringit, quod apertam demonstrationem P. Hurtad. appellauit.

8 Obiic. Indiuisibile nó est extensum: ergo non potest constituere quantitatem extensam. Pulchrè: anima rationalis non est diuisibilis in partes essentiales: ergo non potest cóstituere totum diuisibile in partes essentiales. Inepta consequentia, id enim quod in se diuisibile non est, vnitum alij extremo etiam indiuisibili, componit cum illo totum diuisibile in vtrumque indiuisibile extremum, eo enim ipso, quod duo indiuisibilia vniantur, est quoddam totum vnitum, cuius vnio corruptibilis est & eo ipso totum diuisibile, quia diuiso nihil aliud est quàm corruptio vnionis, & posse diuidi, quàm posse vnionem totius corrumpi, ex quo fit totum compositũ ex duobus indiuisibilibus vnitis, esse diuisibile, quia habet vnionem corruptibilem, & extrema, in quæ diuiditur totum non esse in se diuisibilia, quia nullam in se vnionem habent, seu includunt.

9 Similirer obiicitur: Indiuisibile non est quantum: ergo non potest quantitatem constituere. Respondent nonnulli indiuisibile esse quantum vt quo, licet non sit quantum vt quod. Hæc solutio honestam quamdam petitionem principij operit, quam detectam vide. Esse quantum vt quo, est, esse constitutiuum quantitatis: ergo idem est, dicere, indiuisibile esse quantum, vt quo, ac dicere, esse constitutiuum quantitatis: ergo dum dicis, esse cóstitutiuum quantitatis, quia est quantum vt quo, dicis esse constitutiuum quantitatis, quia est constitiuum quantitatis. Dices te idem explicare expressiori conceptu. Contrà: Intendit obiectio repugnare indiuisibile non quantum constituere quantitatem: ergo non satisfacis si explices conceptum constitutiui, seu constituentis quantitatem, de quo modò non est difficultas, sed debes rationem reddere quomodo possit ille conuenire puncto quantitatis non quanto. Respondeo: punctũ quantitatis habere totam essentiam quantitatis, quæ consistit in impenetrabilitate, seu in repugnãtia penetrationis, quæ cuicumque indiuisibili quantitatis conuenit, quod est pars integralis quantitatis retinens totam essentiam in quantitate integra repertam. Extensio, quæ proprietas est quantitatis consequens impenetrationem puncto per se non conuenit, sicut neque diuisibilitas sed illam fundat, seu componit, quia eo ipso, quod hoc punctum alteri vniatur, & cum illo non penetretur necessariò resultat totum constans partibus non penetratis, & consequenter extensum per distinctas spatij partes.

PVNCTVM IX.

De velocitate motus.

NEmo est adeò ingenio velox, qui velocitatem motus deprehendere valeat, cuiusque enim doctissimi mentem prætervolat: ob hoc inter magis penetrantia tela, quæ ex illa desumuntur, validissimum vnum Aristotelici in Zenonistas iaculantur, quod in ipsos contortum dabo, & postea à Zenonistis conabor excutere.

§. I.

Difficultatem expendo.

1 INferunt Aristotelici contra Zenonem, non posse dari motum velociorem alio, neque posse aquilam testudine velocius moueri, quod sic probant. Testudo in singulis instantibus singula puncta acquirit spatij: Aquila non potest in vnico instanti acquirere nisi vnicum indiuisibile spatij, quia si duo acquireret, indiuisibile aquilæ esset simul in duplici indiuisibili spatij vel secundum acquireret sine trãsitu per medium, primo non acquisito, quorum neutrum fieri potest: ergo hoc indiuisibile aquilæ in spatio octo instantium tantùm potest percurrere octo indiuisibilia loci, sed totidem acquirit in eodé tempore quodlibet indiuisibile testudinis, quod non potest in quocumque instanti tẽporis, quo mouetur: non percurrere vnum indiuisibile spatij: totidé ergo spatij percurrit, ac percurrit indiuisibile aquilæ in eodé tẽpore: ergo tantùm spatium percurret testudo, ac in eodé tempore percurrit aquila quod sine risu audiri nequit.

Idem telum Aristotelicis infigo: Moueatur testudo, & aquila per idem spatiũ, decurrat illud aquila horæ quadrãti testudo mense integro. Ecce tot spatij partes percurrit testudo, & aquila, totidem partes habet motus testudinis, & motus aquilæ; sed motus testudinis ita correspõdet partibus temporis, vt nulla sit pars temporis distincta, cui non correspondeat pars distincta motus, neque vlla pars motus, cui non correspondeat distincta pars temporis, quà ergo ratione partes motus aquilæ; quæ pauciores non sunt partibus motus testudinis, potuerunt respondere partibus quadrantis, ita vt illarum quælibet distinctam partem temporis in spatio respiciat? & quomodo partes æquales motus potuerunt iustè commensurari cum partibus tẽporis adeò inæqualibus, & se excedentibus. Aliter idé argumentum expenditur: moueantur testudo, & aquila per spatium vnius quadrantis; aquila percurret vnam leucam; testudo tres passus; partes temporis, quibus correspondent partes motuũ sunt omnino eædem, partes motus aquilæ millies excedunt partes motus testudinis: ergo si partes temporis commensurãtur cum partibus motus testudinis, ita vt cuilibet parti motus, pars distincta tẽporis correspondeat, & cuilibet parti temporis distincta respondeat pars motus testudinis, non poterunt eædem partes temporis respondere partibus motus aquilæ, ita vt quælibet pars motus distinctam partem temporis respiciat, sed necessariò debent plures motus eidem parti temporis respondere, est enim per se notum, non posse eamdem multitudinem æqualem esse duabus inæqualibus, quia si ita fieret, duæ illæ mensuræ essent inæquales, vt supponitur, & essent æquales, quia quæ sunt æqualia vni tertio sunt æqualia inter se.

Respondent Aristotelici, in vno infinito non esse plures 3
partes, quàm in alio, ac proinde quamcumque infinitam multitudinem posse cum quibuscũque aliis infinitis commensurari, & ita multitudinem infinitam partium vnius quadrantis posse commensurari cum partibus motus testudinis extensi per tres passus, & cum partibus motus aquilæ extensi per integram leucam. Multitudinem infinitam non esse mensurabilem, & ita formaliter non esse maiorem aliá, concessi Controu. 14. Punct. 5. verumtamen materialiter vnam esse maiorem aliá ibi dixi, & per se notum est, quis enim negare poterit in semihora esse plura instantia, quam in quadranti, cum in semihora sint omnia quæ sunt in quadranti, & alia infinita in alio quadranti contenta? quisve neget hominem percurrentẽ spatium vnius leucæ, percurrere plures partes spatij, quàm percurrit testudo, quæ per tres tantùm passus suum motum protendit? Neget hoc qui negare audeat, totũ esse maius sua parte, est enim æquæ certum, imò omnino idem, quod ipsis oculis cernitur. Nemo ergo, qui rem vocibus non confundat, sed illam attentè inspiciat, & ingenuè explicet, non fatebitur, difficultatem hanc communem esse in vtraque sententia.

Recentiores, qui indiuisibilia inflata occupantia diuisibile spatium constituunt, rectè ex virtuali indiuisibilium diuisione difficultatem hanc componunt. Respondent: indiuisibile se mouens posse in hoc instanti temporis relinquere totum spatium, quod in instanti præcedenti occupabat, & posse non relinquere totum spatium quod antea occupabat, sed aliquid illius plus, minúsve, v. g. do indiuisibile *A*, quantitatis occupare quatuor indiuisibilia spatij *A*, *B*, *C*, *D*, in hoc instanti, quo se mouet, potest hæc omnia indiuisibilia spatij relinquere, & acquirere indiuisibilia *E*, *F*, *G*, *H*, vel potest relinquere tantùm vnum indiuisibile, & aliud acquirere, retentis tribus, quæ habebat in instanti præcedenti, in quibus communicant præsentia producta in hoc instanti, & illa quam habuit in præcedenti, ita vt ex vi motus in hoc instanti exerciti indiuisibile *A*, quantitatis, constituatur in indiuisibilibus *B*, *C*, *D*, *E*, spatij, & sic potuit in hoc instanti acquirere præsentiam tantùm communicantem cum præcedenti in duobus punctis spatij, in quibus permanet, duobus acquisitis per præsentium ex vi cuius constitueretur in indiuisibilibus 4
spatij

spatij *C, D, E, F*, vel potuit acquirere præsentiam communicantem in vnico puncto, ex vi cuius existeret in indiuisibilibus spatij *D, E, F, G*, Positis his diuersis motibus in hoc indiuisibili quantitatis, asserunt, tunc summè velociter moueri, quando præsentia in hoc instanti acquisita in nullo indiuisibili spatij communicat cum præcedenti, quia tunc simul acqirit quatuor noua spatij indiuisibilia. Quãdo præsentia producta in hoc instanti communicat in tribus indiuisibilibus, & tantum ad vnum nouum se extendit, motus est summè tardus, quia ex vi cuiuscumque motus aliquod nouum spatium est acquirendum, & non potest aliud minus vnico indiuisibili acquiri. Quando præsentia producta in hoc instanti communicat tantùm in duobus, vel in vnico indiuisibili cum præterita, motus est medius, neque summè tardus, aut velox, Hac ratione componitur secundùm hanc sententiam maior, & minor velocitas eiusdem motus respectu duorum indiuisibiliũ quantitatis perpetuò in eadẽ mensura temporis se mouentium, & eodem modo respectu cuiuscũque aliùs corporis quantitatiui, quia quo velocius, aut tardius illius indiuisibilia mouentur, tardius aut velocius mouetur totum, quod non distinguitur ab indiuisibilibus simul sumptis, ex quibus componitur, ita neq; motus totius à motu omnium indiuisibilium. Numquã illa quibus non assentior inefficacibus vellem rationibus impugnare: multa contra hanc sentẽtiam congerunt recẽtiores, in quibus neque vnum inuenio, quod difficultatem ingerat, neque contra hunc dicendi modũ admissis semel his indiuisibilibus spatia diuisibilia occupantibus efficax ratio aliqua inueniri potest, ideo illum solum reiicio, quia non dantur talia indiuisibilia inflata, quæ spatium diuisibile occupent, vt sæpe dixi in Generatione disputans de rarefactione, & condensatione, iterum dicam Contr. 7. Punct. 3.

5 Nouam aliam ostendit viam perdoctus recẽs, à qua postea prudens discessit, id tamen quod proprio auctori displicet, aliis adhuc placet, qui ab arrepta viâ duce recedẽte, recedere nolunt. Asserebat prædictus recẽs, indiuisibilia corporis velociter se mouentis percurrere maius spatium, quàm indiuisibilia corporis se tardè mouentis, quia saltant per aliqua indiuisibilia spatij, ita vt mediatum acquirant, sine eo quod immediata alia occupauerint, neque per medium transierint. Itaq; asserunt quatuor indiuisibilia quãtitatis, ita posse moueri vt in eodem instanti relinquant totum adæquatum spatium, quod occupabant, & acquirant spatium immediatum in nullo communicanti cum priori; quod est summè velociter moueri, posse etiam moueri ita vt in hoc instanti tantùm relinquant vnum indiuisibile spatij, quod occupabant, & aliud nouum acquirant, ex vi cuius motus erunt in spatio quatuor punctorum communicante secundùm tria puncta cum spatio, quod in instanti præcedenti occupabant, & quodlibet indiuisibile acquirere indiuisibile spatij quod in instanti præcedenti illi erat immediatum, quod est moueri motu summè tardo, qui sine interruptione fieri potest. Insuper asserunt posse moueri hæc quatuor indiuisibilia, ita vt in hoc instanti acquirant, duo noua indiuisibilia, spatij & duo alia relinquant, constituantúrque in spatio quatuor indiuisibilium communicante secundùm duo indiuisibilia cum spatio quod antea occupabant, quod est moueri motu medio, nec summè veloci, nec summè tardo.

6 Ne tamen videantur prædicti recentes absolutè concedere mobile moueri sine transitu per medium, & immediatè acquirere spatium distans, sic rem componunt. Asserunt ex quatuor indiuisibilibus quantitatis quæ spatium adæquatum relinquunt, vltimum seu remotius ab spatio acquirendo applicatum esse primo indiuisibili spatij acquirendi quod ab illo est occupandum mediis aliis tribus indiuisibilibus interiacentibus, quam mediatam applicationem esse sufficientem probant exemplo reliquarum causarum, in quibus partes remotiores agentis agunt in passum, cui tantùm applicãtur mediis aliis proximioribus eiusdem agentis in quas nihil agunt. Nec refert in instanti in quo fit motus illa indiuisibilia non interiacere, cum omnia simul moueantur, & spatium relinquant, quia applicatio inter mobile, & spatiũ non debet supponi in instãti in quo fit motus: quia in illo mobile non potest supponi cũ præsentia quam acquirit, quia hæc non supponitur ad motum ex vi cuius producitur, neque cum præcedenti, quæ in illo instanti corrumpitur, sed in instanti præcedenti, eo enim ipso quod in hoc instanti sim ego applicatus huic spatio possum illud acquirere in instanti sequenti.

7 Hac ratione non difficilè intelligitur, quomodo vltimum indiuisibile mobilis sit approximatum primo indiuisibili spatij denuò acquirendi, à quo per tria indiuisibilia distat, verumtamen difficile percipitur quomodo indiuisibile penultimum mobilis, seu immediatum remotiori sit applicatum secundo indiuisibili spatij denuò acquirendi, cum in instanti præcedenti motum, primum indiuisibile spatij acquirendi non fuerit occupatum aliquo indiuisibili mobilis, ac proinde penultimum indiuisibile mobilis non poterit applicari secundo indiuisibili spatij denuò acquirendi, medio alio indiuisibili eiusdem corporis quod occupet primum indiuisibile spatij denuò acquirendi, quod interiacet inter penultimum indiuisibile mobilis, & secundum indiuisibile spatij acquirendi. Difficultatem hanc sic recentes cumponere procurant. Asserunt ex quatuor indiuisibilibus mobilis, quę acquirunt quatuor alia indiuisibilia spatij adæquati distincta ab aliis, quæ antea occupabant, remotiora prius natura proximioribus cieri, & ita hæc proximiora toti spatio acquirendo mediis remotioribus, quæ prius natura mouentur, applicari indiuisibilibus remotioribus spatij quæ debent acquirere. Exempli gratia: ex his quatuor indiuisibilibus *A B C D*, Indiuisibile *A*, quod est applicatum primo indiuisibili spatij acquirendi mediis indiuisibilibus *B C D* prius naturâ tribus aliis mouetur & acquirit primum indiuisibile spatij denuò acquirẽdi, postea verò dum prioritate naturæ indiuisibile *A* supponitur in primo indiuisibili noui spatij, medio illo intelligitur indiuisibile *B* applicatũ indiuisibili noui spatij, quod acquirit priùs naturâ quam moueantur indiuisibilia *C* & *D*, & postquã illud acquisiuit deseruit vt medio illo indiuisibile *C*, sit appllicatũ tertio indiuisibili spatij & sic de reliquis.

8 Ex hoc inferunt sectatores huius dicendi modi, quò corpus maius est posse velocius moueri, quia cũ vnũ indiuisibile corporis possit applicari mediis aliis eiusdem corporis ad nouum spatium acquirendum, quò plura fuerint in eodem corpore, plura erunt mediis quibus applicetur spatio distãti, & consequenter distãtiori poterit applicari.

9 Grandem machinam architectati sunt recentiores proprio totam ingenio constructam, omni alio in Philosophia destitutam fundamento, quæ facile plurium difficultatum quassata pondere corruet. In primis nouum sanè est & absque omni fundamento dictum, partem hanc mobilis sufficienter intelligi applicatam spatio acquirendo media alia comparte, cui vnitur, quia cum ipsa pars, & non alia, tale spatium sit acquisitura, ipsa, & non alia applicationem habere, vel habuisse debet: quorsum enim applicatio huius partis nullo modo in tali spatio constituenda poterit conducere, vt pars altera non applicata in eodem spatio constituatur? Exemplum quod de partibus agentis adducunt suam doctrinam non confirmat, sed meam explicat, & probat: rem ostendo. Hæc pars vltima agentis applicatur passo, media alia comparte eiusdem agentis ad agendum in primam partem passi, quia pars vltima, quæ applicatur media alia, & alia, media qua fit applicatio, agunt in eandem partem passi, in quam si non ageret pars proximior, non posset remotior media illa applicari ad agendum: sed sic est quod vna pars corporis non constituitur simul cum alia in eadem parte spatij, neque proximior constituitur in parte spatij, in qua remotior est constituenda: ergo non potest remotior applicari media proximiori, vt constituatur in spatio in quo proximior non est constituenda, si approximatio agentium ad passum inspicienda est. Secundò approximatio mediata, vel immediata mobilis ad spatium acquirendum, vel debet esse in instanti, in quo mobile acquirit spatium, vel fuisse in instanti præcedenti: si in instanti in quo spatium acquiritur, in instanti in quo indiuisibile *A* corporis acquirit primum indiuisibile noui spatij, adhuc mediatè approximatum non supponitur, vt fatentur prædicti recentiores, quia indiuisibilia corporis, mediis quibus facienda erat applicatio, in illo instanti mouentur, & relinquunt spatia intermedia. Si applicatio præcessisse debuit in instanti antecedenti, non potest indiuisibile *B* acquirere secundùm indiuile spatij, quia in instanti antecedenti non fuit applicatum medio alio indiuisibili eiusdem quantitatis, quia primum indiuisibile noui spatij, nunc primò occupatur indiuisibili *A* spectante ad hoc corpus: quod etsi distantius ab hoc primo indiuisibili noui spatij, dicunt recentiores prius natura moueri, vt idiuisibile *B* corporis medio illo indiuisibili secundo spatij applicetur. Iam recurrunt recentiores ad applicationem

cationem in instãti in quo fit motus,& dicunt indiuisibile *B.* esse applicatum indiuisibili secundo spatij medio indiuisibili *A* corporis quod in illo instanti constituitur in primo indiuisibili non spatij.

10 Quanta mouentur ad applicationem hanc sustentandam ! iam illam in instanti præcedenti motum requirunt recentiores,iam eamdem in ipso instanti motus assignant, neque illam præteritam valent sustinere, neque præsentem possunt inuenire. Argumentor sic. Indiuisibile *B*, corporis siue immediatum remotiori mobilis ab spatio acquirendo non tantùm applicatur secundo indiuisibili noui spatij mediis duobus aliis indiuisibilibus *C*, *D*, eiusdem corporis proximioribus spatio acquirendo, sed medio indiuisibili *A* eiusdem corporis, quod in instanti præcedenti motum, erat illo remotius, & quia mouetur prius naturâ indiuisibili *B*, potest hoc medio illo occupante primũ indiuisibile spatij applicari secundo indiuisibili noui spatij acquirendo. Tunc sic,vel hæc applicatio facienda est in instanti in quo fit motus,vel in instanti præcedenti motum. Non in instanti præcedenti motum, quia in illo indiuisibili *A*, mobilis nondum acquisiuit primum indiuisibile noui spatij,ac proinde medio isto non poterit indiuisibile applicari secundo indiuisibili noui spatij. Non in instanti in quo fit motus,quia in hoc indiuisibilia *C*, & *D* corporis relinquũt indiuisibilia spatij quod occupabant,interiacentia inter indiuisibile *B* mobilis & secundum indiuisibile spatij ab hoc acquirendum:ergo in nullo temporis instanti potest dari talis applicatio:ergo est omnino commentitia. Si dicas sufficierter fuisse applicatum indiuisibile *B* corporis secundo indiuisibili spatij, quia in instanti præcedenti motum duo indiuisibilia *C*, *D* eiusdem corporis occuparunt duo indiuisibilia interiacentia,& in instanti motus prius naturâ intelligitur indiuisibile *A* eiusdem mobilis occupans aliud tertium indiuisibile interiacens quod est primum noui spatij acquirendi : confingis quandam chimæricam applicationem partim præteritam, partim præsentem,& vnis in ordine ad vnam applicationem præsentias quæ fuerunt,& non sunt,cum præsentia quæ est,& non fuit,quæ omnia è proprio cerebro, instans extorquet necessitas. Neque similis applicatio adhuc in aliis agentibus sufficiens est,non enim ignis poterit agere in passum distans per duas vlnas ex eo quod alius vlnaris ignis in hoc instanti occupet primam vlnam,& in altero alteram interiacentis spatij vlnam repleat.

11 Vltimò. Totus hic naturæ ordo in approximatione in cassum inuentus est:ratio enim propter quam corpus non potest poni in spatio distanti,non est quia ageret in distans, quia etsi spatium sit distans corpus se mouens non agit in spatium,sed in se ipsum,à quo repugnat distare,quia quælibet entitas per suammet entitatem sibi est intimè præsens. Si autem petas cur non possit corpus moueri sine trãsitu per medium,respondebo id nobis experientia certum esse,cuius rationem à priori nondum inuenit Philosophia. Mitto alia, quibus sectatores huius dicendi modi coguntur asserere idem corpus simul habere repetitas præsentias circumscriptiuas, & quod multi adhuc diuinitùs fieri posse negant,& parum philosophicè ad nouum commentum defendendum admittitur.

§. II.

Difficultati solutionem adhibeo.

12 MElius in re difficili dicendum esse puto cum Galeno lib.1. de cognoscendis pulsibus. Vallesio lib. 3. Contr.c.8.Arriag.disp. 16.sect.11.n.223. vnum corpus velocius alio moueri,& maius percurrere spatium,quia illud, quod tardius mouetur quiescit per aliqua temporis instantia,quibus motum morulis interrumpit pluribus, paucioribusve,quo motus est minus, magisve velox,esse enim motum summè velocem est nullis morulis esse interruptum. Nec sine fundamento morulæ istæ in motu locali ponuntur;mobile enim duo præstat, dum se mouet & impulsum imprimit corpori immediato,& illud à loco pellit,& præsentiam in se producit,nec hanc potest producere,quando non valet corpus aliud propinquum mouere, hac de causa non mouetur lapis in solo positus, & mouetur in medio aëre constitutus,quia aërem valet dimouere, & non terrã vt illi pateat aditus ad mouendum, seu motum peragendum. Impulsus,medio quo vnum corpus mouet aliud,non sine resistentia formali aliùs contrariæ formæ,in multorum opinione producitur. iuxta quã nõ potestin instanti produci,quia omnis forma, quæ aliã contrariã habet, successiuè producitur, vt latè dicam in Generatione. Hinc fit quiescere mobile toto illo tempore, quod insumitur in producenda sufficienti impulsus intensione ad producendum motum,& magis quiescere, dum agens producens impulsum debilius est, vel minorem adhibet conatum in producendo impulsu,quia plus temporis insumit in impulsu producendo, & ita magis quiescit mobile expectans productionem impulsus sufficientis ad remouendum aliud corpus. Verumtamen, quia impulsus in multorum sententia quam amplector contrarium non habet,alia harum morularum causa assignanda est, qua possint vti, qui defendunt impulsum contrario carere. Hanc ego vtrique sententiæ communem meditatus sum summo modo, quod probabo Contr.28.Punct.4.num.7. mobile impulsum recipiens,non moueri in instanti,in quo impulsum recipit,ex quo infero, aërem recipientem impulsum impressum à corpore graui in centrum propendenti,non se mouere in instanti,in quo impulsum recipit, & consequenter neque ipsum lapidem moueri,nam vt modò dicebam nullum corpus potest moueri,dum non moueatur aliud,in cuius spatium est successurum : in his ergo instantibus, in quibus lapis deorsum descendens impulsum aëri imprimit,aër quiescit & consequenter lapis,quorum quietibus motus interrumpitur.

Sed iam audire desideras quibus instantibus mobile moueatur,& quibus dum impulsum producit, quiescat. Rem ego sic compono. Corpus quod se mouere intendit,in primo instanti,in quo applicatur alij immediato, illi imprimit totam intensionem impulsus, ad quam producendam virtutem habet, quia forma carens contratio, in instanti producitur. In secundo instanti mobile, ex vi impulsus incipit moueri, & tota illâ mensurâ, in qua durat impulsus sufficiens, vt ex vi illius moueatur, durat motus aëris,v.g.quem lapis impellit,vt deorsum descẽdat,in qua mensura lapis non iterum impulsum imprimit aëri,quia illius motui deorsum non resistit, & lapis tantùm aëri impulsum imprimit, dum resistit,ne lapis moueatur. Postea verò cum impulsus sit qualitas natura sua citò transiens,vt probabo Contr.20.Punct.2.ita languescit,vt ex vi gradum qui supersunt aëri,non possit moueri, & ita necesse est, lapidem nouum impulsum aëri imprimere, ne hic illius motum retardet, & in hoc instanti, in quo lapis nouum impulsum aëri imprimit, ex vi cuius aër mouendus est,aër necessariò quiescit, quia non potest moueri in primo instanti, in quo recipit impulsum ex vi impulsus recepti,vt supra probandum remisi, & cum lapis immoto aëre, moueri non possit, necesse est in eadem mensura lapidem quiescere, illiusque motum interrumpi. Est etiam notandum, non solùm lapidis motum interrumpi ex eo,quod aër immediatus in hoc instanti impulsum, ex vi cuius mouendus est, primò recipiat,sed etiam ex eo quod id contingat parti alij remotiori aëris, quia immota remotiori parte aëris,propinquior moueri nó potest,etiamsi ex se sufficientem impulsum habeat,vt moueatur. Ex hoc fit posse lapidem in pluribus instantibus immediatis quiescere in hoc instanti,quia pars propinquior aëris primò impulsum recipit,ex vi cuius mouenda est,& ita non potest in hoc instanti, sed in sequenti moueri, in sequenti quia pars remotior aeris tunc primò recipit impulsum à propinquiori quem in instanti antecedenti non recipit,quia in illo sufficientem habebat impulsum,vt moueretur,vel quia pars propinquior, quæ in instanti antecedenti non poterat se mouere,neque poterat impulsum producere,vt moueretur alia,& sic ratione aliarum partiũ, quæ in instantibus immediatis impulsum primò recipiunt, ex vi cuius motus est edendus,potest detineri mobile, quod necessariò detinetur, ex eo quod non moueatur aliqua pars aeris existẽtis in spatio,per quod motum dirigit, quia vna immota,quiescunt omnes,& cum quælibet quiescat in instanti,in quo impulsum necessarium ad motum recipit, & hunc successiuè,& continuè recipere possunt,& ita successiuè,& continuè valent motum lapidis retardare, quælibet aeris pars in illo *instanti*,in quo impulsum necessarium recipit ad motum, in quo per se quiescit,& ratione illius omnes aliæ partes aeris,quæ illa immota,moueri non possunt,quia nulla potest moueri, si pars illa immediata non moueatur,& propter eamdem rationem quiescit lapis in aere detentus, donec pars aeris illi immediata simul cum aliis inferioribus moueatur. 13

Ex

14 Ex hoc discursu facilè deprehendes, cur corpus magis graue, vel maiori impulsu proiectum minus detineatur, quam aliud minus graue, minorive proiectum impulsu. Quia corpus dum maiorem grauitatem, intensioremve pulsum habet, vt moueatur, intensiorem impulsum producit in corpore motum impediente, & ita diutius hoc potest moueri nouo impulsu non recepto, & sine aliqua morula, quæ sit dum recipitur impulsus ad motum necessarius. Corpus verò minùs graue, vel minori impulsu proiectum remissiorem impulsum producit in corpore impediente, & ita citius deficit impulsus necessarius ad motum: & noua impulsus receptio necessaria est, quæ non sine motus interruptione, & mobilis quiete contingit. Hæc ita ad rem valde difficilem componendam excogitaui, quibus non incongrua videtur reddi ratio harum morularum, sine quibus modum non inuenio, qui intra communium principiorum philosophiæ terminos maiorem, minoremve motus velocitatem explicet.

15 Aliam insuper causam inuenio, cur in motu circulari velociùs circuli, superiores inferiores inferioribus moueãtur, in quibus recurri non potest ad corpus immediatum motum impediens, quia cum omnes partes circuli se intendant mouere, & vna in locum aliùs immediatè succedãtur, eodem impetu, quo pars hæc intendit se mouere, intendit spatium præcedenti relinquere, quod acquirat, dum simul cum illa mouetur. In his circulis affirmo, causam esse morularum vnionem, quam habent circuli superiores cum inferioribus, quia si non aliquantulum quiescerent inferiores, dum superiores mouentur, corrumperetur vnio circuli superioris cum inferiori, & ita hæc vnio, quæ resistit, ne corrumpatur, & exigit durare, resistit, ne circulus inferior perpetuò moueatur, dum superior mouetur, & vt motu quietibus interrupto moueatur inferior circulus, dum superior perpetuò mouetur. Motum hunc circuli inferioris quietibus interruptum necessarium esse, dum circulus superior perpetuo vel paucioribus morulis mouetur, ne destruatur circulorum vnio, ostendam à num. 16.

16 Ex hoc capite plures motus, quos rectos vocamus, pluribus morulis interrumpuntur, quia multum in se motus circularis continent, cum enim auis per aëra volans vnam deprimit alam, & aliam eleuat, imperfectum circulum efficere incipit. Similiter cum corpus graue descendit deorsum descendit, sæpè circulariter medio aëre mouetur, & pars illa mobilis quæ modò terram respiciebat, eodem durante motu modò Cælum modò hoc illudve respicit latus, quæ diuersi mobilis positiones per motum circularem, licèt non omnino perfectum fiunt, qui nunquam sine quiete circulorum inferiorum, dum superiores mouentur, possunt contingere. Motus circuli superioris omnibus aliis interrumpitur aëre ambiente, quia nunquam est rota ita mathematicè perfecta, vt non habeat aliquas partes aliquantulum prominentes, quæ aërem à proprio loco debeant expellere, vt illius spatium occupent. Secundò rotæ omnes, quas moueri videmus, mouentur ad motum corporis aliùs non ita rotundi, & circulariter se mouentis, quod ratione aëris, aliúsve corporis remouendi ab spatio acquirendo impeditur, ne continuo moueatur, & ita rota, quæ simul cum illo mouetur, quiescit, quotiescumque aliùs corporis motus intertumpitur, qua de causa rota vna velocius aliâ secundùm se totam mouetur. Cælorum motus interrumpi possunt ab Angelis, à quibus Cæli mouentur, ratione diuersorum impulsuum, quos illi imprimunt, vt moueatur ea quietum vicissitudine, quæ congruit corporibus sublunaribus, & necessaria est, vt cæli debito modo applicentur ad influxus mittendos in sublunaria corpora. In viuentibus etiam necessariæ sunt hæ morulæ, vt illorum recreentur vires, quæ non valent sine aliquibus morulis perpetuo moueri.

17 Aliqui volunt, has motuum morulas procedere ex resistentia formali medij, seu corporis à proprio loco remouendi. Hanc ego resistentiam non agnosco, si in impulsus impressione non ponatur, quia si impulsus contrario careat, in instanti introducetur, semel autem impulso, introducto, nihil potest ex parte passi reperiri, quod resistat motui, ratione cuius motus interrumpendus sit, quia grauitas mobilis semper eadem perseuerat, & ita si in primo instanti, in quo est impulsus, non vincitur, nunquam vincetur. Præsentia mobilis intensionem non habet, & ita tota simul est expellenda, illiusque resistentia simul, & non successiuè vincenda est, & in primo congressu impulsus, quia si in illo, seu in primo instanti, in quo impulsus introducitur non valet resistentiam contrariæ præsentiæ vincere, neque in vlterioribus, in quibus virtus impulsui non accrescit, neque decrescit resistentia antiquæ præsentiæ, valebit illius resistentiam superare. Quod si in qualitatibus cõtrariis hæc successio ex resistentia oriatur, ideo est, quia qualitates contrariæ intensionem habent, & possunt successiuè modò secundùm hos gradus, & postea secundùm illos existentes in eodem subiecto vinci, & gradus extensi possunt etiam secundùm extensionem successiuè vinci, non enim eo ipso quod hæc pars subiecti moueatur motu alterationis, deuicta resistentia formali, quæ erat in illa ratione qualitatis contrariæ, mouetur eodem motu pars alia: in motu autem locali ad motum vnius partis, vt plurimum, & semper in his corporibus quæ flecti nequeunt, omnes aliæ partes vnitæ mouentur.

§. III.

Duo argumenta contra morulas motus velocis expendo, & soluo.

18 MOrulas has multi viri docti reiiciunt, ex eo quod videantur omnem fidem superare & sensuum euidentiæ manifestè refragari. Fidem omnem superare ita suadetur. Demus, hominem velocissimè moueri, qui in vnius quadrantis spatio leucam integram percurrat, eodem tempore Sol spatium percurit duplo maius quam terra, & nihilominus aliquas, imò multas morulas facit, quia in eodem tempore vltima sphæra cursum quadruplo maiorem facit. Vnde necessariò Sol per quatuor instantia quiescit, & in vno mouetur. Si ergo Sol in vno quadranti duodecim mille leucas, & amplius percurrit in quo vnius tantùm leucæ motum valet homo peragere, infertur necessariò cuilibet indiuisibili motus hominis duodecim millia indiuisibilia motus Solis correspondere, in quibus omnibus vnico tantùm dempto, inter indiuisibile, & indiuisibile motus infertur, quiescere hominem, comparatione facta motus hominis cum motu Solis, & rursus quadruplo has morulas crescere infertur, facta comparatione motus hominis cum motu vltimæ sphæræ, quæ quadruplo velocius Sole mouetur. Quis ergo credet tot instantibus quiescere hominem inter indiuisibile, & indiuisibile motus, cum ita velociter moueatur, vt vnius leucæ cursum quadrantis spatio conficiat? Secundò quis audebit dicere sagittam glandemve velocissimè aëra tranantem mille duplo detineri plus quam moueatur? quod negari non poterit comparatione facta motus sagittæ, seu glandis cum motu Solis, & primæ sphæræ. Quod si hæc deglutiantur, quæ causa poterit assignari hanc morularum, cum aër resistens contrarium sit valde debile, cuius resistentiam in quocumque instanti glandis impetus vincere valebit.

19 Has omnes morulas secundum hanc sententiam admittendas esse inficiari non licet, non tamen ideo à susceptа via discedendum, neque his terrendus est vir philosophus, quia plura alia naturæ sacramenta longè difficiliora cognouit, neque vir prudens, qui diuiurna experientia plura videt, quæ audita fidem cuiusque superarent. Quis crederet exiguam quantitatem accensam tanto impetu posse glandem per aëra mittere? Quis crederet leues vapores igneos in subterraneis inclusos posse ingentam montem concutere, & immanibus illius saxis dissectis, sibi aditum pandere? sed age mentem eleua, ad illa, quæ adhuc nouellus Philosophus assequitur. Crederes totam hanc mundi machinam à proprio centro extractam, quam Deus tenui capillo in vacuo existenti pendentem constitueret non valituram capillo disrupto ad proprium redire centrum, nunquam capillum scindendum, neque ab illo mũdum separandum esse, ne nouum daretur vacuum. Quem hæc non terrebunt, qui rem philosophicè non contempletur? Concedo his omnibus quietis instantibus intercipi motum, quod in præcipuam causam harum morularum facilè potest reduci. Quia ad hoc vt moueatur sagitta, non sufficit impulsum imprimi parti aeris immediatæ ex se sufficiẽtem ad illam aeris partem mouendam, sed necessum est imprimi aliis, & aliis partibus distantioribus, quæ numero vincunt multitudinem illam instantium suprà recensitam, in quibus quiescit mobile, & ratione plurium illarum cuiuslibet seorsim sumptæ potest mobile per

vnicum instans quiescere, quia quælibet pars potest indigere impulsu producendo in diuerso instanti, in quo pars illa non mouetur, quia impulsus non mouet corpus in primo instanti, in quo, in illo producitur, & hac parte aëris, seu medij quiescente, mobile quiescere necessum est, quia non potest hoc moueri, si non moueatur pars immediata medij, quæ illi spatium relinquat, & pars alia mediata, quę spatium relinquat parti immediatæ, & alia magis mediata, quæ minùs mediatæ spatium præstet & sic de aliis innumeris ferè partibus. Ex hac doctrina facilè respondebis recentioribus, qui dicunt sagittam in quocumque instanti, mouendam esse, quia in quocumque vim habet, ad vincendam aëris resistentiam. Quia etsi verum sit, sagittam in quocumque instanti vim habere per se loquendo, ad remouendum aërem immediatum, per accidens non potest illum remouere in pluribus instantibus, in quibus partes aliæ aëris valde distantes moueri non possunt, quia corrupta fuit intensio necessaria impulsus, vt pars illa moueretur, ac proinde in hoc instanti debet illa intensio cõpleri per productionem aliquorum graduũ impulsus, quæ semper fit quiescente mobili, quia impulsus non valet in primo instanti, in quo recipitur in subiecto, illud loco mouere. Quiescit ergo mobile, non propriè propter aliquam resistentiam formalem, sed ex defectu principij apti vt in illo instanti partes mẽdij remotiores moueantur.

20 Contra euidentiam sensuum has morulas defendi putant recentiores, ex eo quod morulas istas non videamus, & videamus motum, quod signum est, non dari tales morulas, quia si darentur, cum longè pluribus temporis instantibus morulæ intercedant, quàm detur motus, potiori ratione morulæ quam motus viderentur. Quomodo enim fieri potest, me non videre mobile per mille instantia quiescere, & videre per vnicum instans moueri. Rationem hanc magnificiunt prudentes neoterici, quæ virum benè tinctum principiis Animasticis, qui attentè perpendat quomodo quies, & motus percipiatur, à nostra sententia non dimouebit, neque mediocrem adhuc difficultatem ingeret. Suppono, de quo Controu. 12. de anima punct. 1. motum sensu externo non percipi, sed tantùm per discursum cognosci ex cognitione sensationis præsentis, & memoria præteritæ deductum. Rem explico. Video modò hæc extrema cum hac distantia, recordor me immediatè antea vidisse eadem corpora cum diuersa distantia. Ex quo infero corpus illud, quod respectu omnium diuersam distantiam habet, fuisse motum & deduco corpus illud fuisse motum in illo instanti, in quo diuersam acquisiuit distantiam: quod si corpora omnia, etiam illa, quæ se mouent sub eadem distantia semper appareant, non poterit intellectus motum inferre, neque inter præsentias discernere. Sic qui intra nauis chamaram vehitur, motum non percipit. Ex hoc infero, ex eo esse magis, minusve perceptibilem, quod maior minorve sit diuersitas distantiæ, quã modò habet respectu illius, quam antea habebat, quia si per impossibile per integrum annum duraret motus, quo indiuisibilia corporis per vnicum tantùm indiuisibile mouentur, motus ille non perciperetur. Si verò in vnico temporis instanti ego ex Compluto Romam migrarem, motus ille perciperetur etiamsi instantaneus esset. Deinde est etiam notandum in hoc instanti non percipi motũ in hoc instanti exercitum, vt distinctum ab omnibus motibus factis in aliis instantibus, quia sicuti non possum ego discernere inter distantiam, quam habet hoc mobile à reliquis corporibus in hoc instanti, & distantiam, quam habebat in instanti præcedenti, ita non possum adhuc intellectu discernere partem motus exercitam in hoc instanti à parte motus, qui in instanti præcedenti præcessit, sed in hoc instanti video maiorem esse distantiam, quam habet corpus omnibus aliis, quas ab hac valeo discernere. Ex quo infero corpus fuisse motum in eodem instanti, in quo illa maior accreuit distantia, quam indocti existimant totam creuisse in illo instanti, in quo illam discernunt, & ita tantùm inferunt in illo instanti corpus moueri, docti verò sciunt non percipi distantiam successiuè acquisitam in primo instanti, in quo incipit, sed percipi incipere aliquo tempore postquam acquiri incepit, & ita ex distantia diuisibili, quam modò percipiunt, inferunt corpus in instantibus præcedentibus motum fuisse.

21 Ex hoc modo percipiendi motum, facilè infertur, quomodo quies percipiatur, quæ si sumatur pro negatione motus, sensibus percipi non valet, quia sensus negationes non percipiunt, si verò sumatur pro permanentia, seu continua duratione eiusdem actionis indiuisibiliter sumptæ terminatæ ad eandem præsentiam, percipi sensibus nullatenus potest, quia durationes rerum non possunt sensibus percipi, neque substãtia actionis terminata ad præsentiam alicuius sensus obiectum est. Percipitur ergo quies ex eo quod intellectus cognoscat modò hanc distantiam, & recordetur immediatè antea eamdem præcessisse, ex quo infert, corpus illud nullatenus fuisse motum. Est etiam apprimè notandũ, longum discrimen inter medium, in quo quies interrupta & partes diuersæ motus etiam interruptæ percipiuntur, quod media diuersa ad cognoscendas diuersas partes motus continuantur inter se, & etiamsi interrumpantur, possunt continuari, quia interruptio non est destructio partis, quæ immediatè præcessit, in fine enim motus mobile distat per octo partes spatij, etiamsi inter hanc, & illam partem distantiæ acquirendam quies intercesserit, continuantur enim omnes distantiæ etiamsi non continuè, sed discretè sint acquisitæ. Medium verò deseruiens ad quietem cognoscendam eo ipso quod corrumpatur, destruitur pars interrupta, & ita non possunt media interrupta vnum medium efficere aptum ad quietem cognoscendum. Ratio est, quia quies percipitur per permanentiam in eodem spatio, diuersæ autem permanentiæ motibus interruptæ non possunt continuari, neque vnam permanentiam adæquatam efficere, quia postquam ego permanens fui per quadrantem in hoc spatio, cum primò moueor ab illo, illa permanentia destruitur per acquisitionem aliùs spatij, in quo si iterum permaneam, permanentia hæc secunda cum prima non vnietur, neque per modum vnius poterunt deseruire ad quietem percipiendam.

Ex his facilè disparitatem reddo, cur in motu morulis 22
interruptis, possumus motum discernere, & non morulas. Dico enim motus percipi, quia etiamsi per innumera instantia interrumpantur, resultat ex illis omnibus vna maior distantia, in qua cognoscantur omnes partes motus, quæ sucessiuè transierunt, & quietem non percipi, etiamsi pluribus instantibus existat, quam motus, quia diuersæ quietes, in diuersis spatiis, partibus motus interruptæ, non faciunt vnam maiorem permanentiam in eodem spatio, ratione cuius possint quietes illæ interruptæ percipi, sicut percipiuntur partes motus interruptæ per vnam maiorem distantiam mobilis ab alio corpore. Neque refert quietem plus tempore durare, quam durant partes motus, quia, vt dicebam, ad hoc vt percipiatur motus, necessum non est tempore diuisibili esse factum, neque extensio temporis, in quo est factum, aliquid conducit, sed extensio distantiæ, & hanc tempore diuisibile durare, etiamsi motus in instanti contigerit, nam, vt supra dicebam, perciperet quisque, me motum esse, si in instanti ex Compluto Romam migrassem, si tempore diuisibili Romæ permanerem, vt noua distantia perciperetur, conducit enim plurimum ad sensationes, obiecta nonnullo notabili tempore esse applicata, vix enim sentiuntur cum breuissimo aliquo tempore applicantur, vt patet in homine, qui ferè nihil, aut nihil sentit prunam, quam breuissimo oculi ictu manu tangit.

§. IV.

Ex prædictis morulis non inferri diuisionem continui, potius necessarias esse, ne diuidatur efficaciter ostendo.

CIrculum superiorem rotæ circulariter se mouentis 23
velociùs moueri circulo inferiori, seu viciniori centro eiusdem rotæ, apud omnes certum est, quia in eodem tempore vterque circulus percurrit totum spatium, itavt quodlibet punctum relictũ spatium iterum acquirat, postquam successiuè occupauit omnia indiuisibilia spatij correspondentia omnibus punctis circuli, sed quo circulus magis distat à centro, maius spatium occupat: ergo quodlibet punctum circuli distantioris maius spatium percurrit in eodem tempore, quocumque alio puncto circuli inferioris: ergo velocius mouetur quodlibet punctum circuli superioris, puncto alio inferioris seu viciniori centro, & consequenter, velocius mouetur circulus superior, circulo alio inferiori. Ex hoc infertur, aliquando moueri circulum superiorẽ, circulo inferiori, seu viciniori quiescente, quam sequelã admittunt omnes, qui minorem velocitatem motus, ex morulis; quibus inrerrumpuntur, procedere defendunt. Ex his morulis necessariò videtur inferri vnionem

inter

inter circulum superiorem,& inferiorem disrumpi,& consequenter diuidi lineam ductam à centro rotæ vsque ad illius circumferentiam, quod sic ostendo. Hoc punctum circuli superioris est vnitum alij puncto circuli inferioris, cui est approximatum:ergo si immoto circulo inferiori,superior mouetur, deperditur approximatio, quæ erat inter hoc punctum circuli superioris cum inferiori:ergo deperditur vnio, quæ sine approximatione subsistere non potest,illa enim,quæ localiter distãt,naturaliter saltem vnionem habere non possunt: ergo diuiduntur omnia puncta lineæ ducta à centro ad circumferentiam, quæ componitur ex punctis pertinentibus ad diuersos circulos. Quod si aliquo modo defendi possit, lineam hanc non corrumpi saltem necessariò inferri videtur nòtabiliter inflecti.

24 Hoc argumentum æquè pugnare contra Aristotelis sententiam facile quisque,ipsis oculis cernet, non tamen ex communi malo solatium sumendum, sed quomodo proprium declinari valeat inspiciendum est. Hoc argumentum esse fallax, & inefficax efficaciter ostendo. Si in omnibus instantibus, in quibus mouentur circuli superiores, mouerentur etiam inferiores, dum indiuisibile *A*, circuli superioris percurreret viginti indiuisibilia spatij, indiuisibile *A*, aliûs circuli inferioris centro valde vicini percurreret alia viginti indiuisibilia: ergo dum indiuisibile *A*, circuli superioris semel percurreret spatium, per quod mouetur indiuisibile *A*,aliûs circuli vicinioris centro bis percurreret totum spatium, per quod mouetur, & indiuisibile *A*,aliûs circuli vtroque centro vicinioris,illique valde propinqui,ter percurreret spatium per quod mouetur. Probo consequentiam,circulus superior,verbi gratia, circulus pertinẽs ad vltimam superficiem,est duplo maior, alio circulo, illi inferiori, centróque viciniori, & hic est duplo maior alio infimo, & centro magis vicino: ergo: Pono tres circulos,quorum superior habet viginti puncta, inferior decem,& infimus quinque, dum tria indiuisibilia *A*, *A*, *A*, horum trium circulorum percurrunt, quodlibet viginti indiuisibilia spatij, indiuisibile *A*, circuli superioris semel percurrit totum spatium proprij circuli, & indiuisibile *A*, circuli inferioris,dum alia viginti indiuisibilia spatij pertransit, bis pertransit spatium proprij circuli, & dum indiuisibile *A*, circuli infimi successiuè occupat viginti indiuisibilia spatij,quater omnia indiuisibilia proprij circuli occupat:ergo si hæc omnia indiuisibilia mouerentur semper in eisdem instantibus temporis, ita vt numquam aliquod illorum quiesceret,dum aliud moueretur in eadem mensura quodlibet illorum percurreret viginti indiuisibilia spatij, & ita dum vnum percurreret semel spatium proprij circuli,aliud suum circulum bis percurreret, & quater aliud:ergo necessariò hæc puncta notabiliter inflecterentur,& localiter separarentur,illorumque corrumperetur vnio:quomodo enim posset punctum circuli inferioris retinere vnionem cum puncto circuli superioris, & cum illo rectam constituere lineam, si dum punctum circuli superioris semel tantum, punctum aliud circuli inferioris bis,quaterve totum spatium,per quod mouetur percurrit? ergo necessum est, puncta circulorum inferiorum aliquando quiescere, dum mouentur puncta superiorum, ne puncta ad diuersos circulos spectantia,& consequenter, ne circuli ipsi inter se discontinuentur.

25 Venio iam ad rationem, quæ discontinuationem ex separatione locali intendit deducere. Ratio propter quam discontinuationem hanc ex morulis recentiores inferunt, est quia infertur ex illis, separari localiter puncta, quæ antea erant vnita, quia eo ipso, quod punctum vnum approximatum moueatur, altero approximato immoto, ab illo separatur, & posita separatione locali, non potest vnio permanere,sed rationem hanc nullius esse momenti, clarè ostendo. Cùm virgula aliqua viridis, seu arundo inflectitur, mouetur vna pars illius altera immota, vt patet, cum non tota virgula inflectitur, sed tantùm illius pars superior,vt contingit in arbore aëre agitata,& tamen tunc permanent omnes partes virgæ cum eadem vnione, quam antea habebant, ergo ex eo quod moueatur hæc pars immotâ aliâ,cui hæc est vnita,non infertur, partes illas separari localiter, illarumque corrumpi vniones. Sunt etiam alia innumera exempla,in quibus ex partibus vnitis mouentur partes aliquæ, omnibus aliis,etiam immediatè vnitis,quiescentibus, vt cum quis caput erigit, vel deprimit,immoto pectore,manum comprimit,vel explicat,immoto brachio,& cum quis partes aliquas chartæ, hoc, vel illo modo, plicat, partibus aliis quiescentibus, in quibus omnibus casibus admittendum est,ex partibus immediatè vnitis, his immotis,illas moueri:ergo eodem modo poterit admitti, ex circulis in rota immediatè vnitis, hos moueri illis immotis,retenta omniũ vnione.eadè enim est ratio casibus adductis,ac in rotæ motu,quod manifestè ostẽdo. Arguunt aduersarij, ex duobus punctis vnitis vnum mouetur altero immoto:ergo separantur localiter:ergo diuiduntur quia vnio subsistere nequit inter extrema localiter separata: quod argumentum eodem omnino modo fit in omnibus prædictis casibus,quia quotiescumque moueo manum, immoto brachio,dantur aliqua indiuisibilia, seu aliquæ partes in manu, quæ mouentur, & vnionem habent immediatam cum aliis, quæ non mouentur: ergo eodem modo inferendum est,hæc indiuisibilia seu has partes immediatè vnitas localiter separari, illarumque corrumpi vnionem,quæ in extremis localiter distantibus reperiri nequit. Rem totam vnico enthymemate declaro, & probo. Omnes experiuntur, lineas arboris ductas à radicibus vsque ad ramorum extrema,moueri secũdùm aliquas partes, & non secundùm alias,quin localiter separentur,neque illarum vnio corrumpatur:ergo ex simili motu in lineis ductis à centro globi ad illius circunferentiã, neque partium separatio,neque illarum vnionum corruptio inferenda est.

Qui rem hanc plenè calleat, statim manus dabit, fate- 26
bitúrque,argumentum suprà factum nullius esse momenti ad inferendam discontinuationem linearum, aut circulorum in rotæ circulari motu:qui verò illam non attenè inspexerint,respondebunt, arbores, papyrum, & reliqua viuentia,esse corpora flexibilia,ferrum autem inflexibile esse, ac proinde etiamsi illa corpora non diuidantur in casibus adductis, ferrum tamen,& alia corpora inflectibilia, necessariò diuidenda esse. Solutionem hanc breuissimè abigo. Argumentum intendit probare, inferri separationem localem inter partes vnitas,ex eo quod vna pars corporis, seu lineæ rotæ moueatur,alia immota:errgo hæc separatio eodem modo inferetur in corpore ferreo,papyraceo, flexibili,vel inflexibili:ergo eodem modo infertur in omnibus discontinuatio. Probo clarè:nullum est corpus, quantumuis flexibile illud sit,cuius partes localiter separatæ,possint esse vnitæ:ergo argumentum, quod media separatione infert discontinuationem, ex eo quod moueatur hæc pars immota alia huic vnita, eodem modo probat in quocumque corpore: ergo si ex huiusmodi motu infertur discontinuatio,ratione locali separationis, in corporibus, quæ inflexibilia appellas, eadem inferenda est in corporibus aliis,quæ flexibilia sunt. Existimo neque verbis adhuc eludi posse redargutionem factam contra prædictum argumentum,quatenus illo intenditur deduci corruptionem vnionum, media separatione locali, ex eo quod hæc pars moueatur, immota alia comparte,cui est vnita, quapropter miror tot acutos recentiores hoc argumento oppressos, hæc non inspexisse, quæ luce clarius oculis patent. Quod in hoc argumento non ita facilè poterit redargui, est,dandam esse in lineis corporis rotundi maximam inflexionem, quæ admitti nequit, tum quia corpora dura illam non patiuntur, quæ faciliùs diuiduntur, quàm inflectuntur, tum quia est contra experientiam, quia videmus lineam rectam ductam à centro rotæ ad illius superficiem semper cum eadem manere rectitudine, quantumuis circulariter moueatur rota.

§. V.

Quomodo alij præcedentem difficultatem dissoluant.

OStendi, argumentum suprà factum inefficax esse, ad 27
inferendam separationem localem,& media hac,continui diuisionem:explicandum est modò,quomodo in linea ducta à centro rotæ vsque ad illius superficiem extimam, siue sit corporis ferrei, siue aliorum, quæ flexibilia appellantur, possit punctum superius,moueri,immoto inferiori, quin separẽtur localiter,sed semper maneant approximata, & cum eadem vnione,vt non solum ostendatur,prædictum argumentum, non rectè procedere, sed illius difficultati satisfiat. Restat etiam explicandum, an in motu circulari aliqua linearum inflexio concedenda sit, adducam modò aliorum solutiones, & propriam aliam postea dabo.

Supponunt recẽtiores aliqui, quodlibet punctum circuli 28
inferioris se habere per modum centri respectu aliquorum

punctorum circuli superioris,& æquè ab omnibus distare, sicuti centrum æquè distat ab omnibus punctis, quibus cingitur. Ratio est manifesta, quia cum circuli superiores plures partes habeant, quam inferiores, non possunt distincta puncta circuli inferioris respondere distinctis punctis circuli superioris, sed necessariò punctum vnum circuli inferioris pluribus punctis superioris correspondet, quibus est æquè approximatum, sicuti centrum omnibus punctis circuli, quo immediatè circundatur. Ex hoc inferre volunt recentiores, punctum inferioris circuli non discontinuari, neque diuersam habere positionem respectu pũcti superioris localiter se mouentis, etiamsi immotum perseueret, sicuti non discontinuatur, neque diuersam habet positionem punctum centri respectu illorum quibus immediatè cingitur, etiamsi illa moueantur, & punctum centri immotum perseueret.

29 Scio, hanc solutionem doctissimis placuisse recentioribus, mihi tamen maximoperè displicet, quam efficaciter impugnandam esse præsumo. Do his recentioribus, punctum *E*, circuli inferioris, se habere per modum centri, respectu punctorum *B*, *C*, *D*, circuli superioris, & æquè ab illis distare, tamen non æquè distabit punctum illud à puncto *E*, circuli superioris, quod hi recentiores non negabunt, aliàs quodlibet punctum circuli inferioris æquè distaret ab omnibus punctis circuli superioris; quo posito, sic argumentor. Quando mouetur circulus superior, immoto inferiori, punctum *D* circuli superioris acquirit spatium, quod occupat punctum *E* eiusdem circuli, & punctum *E* circuli inferioris permanet in eodem spatio: ergo hoc punctum *E* circuli inferioris se habet modo in ordine ad distantiam seu approximationem respectu puncti *D* circuli superioris, eadem ratione, ac se habebat antea respectu puncti *E*, in cuius spatium successit punctum *D*: sed antea distabat à puncto *E*, quod non respiciebat, tanquam centrum: ergo modo fit distans ab hoc puncto *D*, cui antea erat approximatum, & vnitum: ergo licet in hoc instanti, in quo fit motus circuli superioris immoto inferiori puncto *E* circuli inferioris, non amiserit approximationem, & vnionem cum punctis *B*, *C*, circuli superioris, illam amisit cum puncto *D*, quod per motum factum in hoc instanti constitutum fuit in spatio distanti à puncto *E*, circuli inferioris, quod occupabat punctũ *E* superioris circuli.

30 Secundò eamdem solutionem impugno: Cùm tabella aliqua, vndique eamdem habens latitudinem clauo figitur in aliquo loco, & circulariter mouetur, sicuti moueri videmus horologij indicem tunc lineæ latæ superiores velocius inferioribus, seu clauo proximioribus mouẽtur, quia in eodem temporis spatio maius loci spatium percurrunt: ergo mouentur lineæ superiores immotis inferioribus, & datur duplex linea immediatè vnita quarum hæc mouetur, immota altera sibi vnita: & tamen cuilibet puncto distincto lineæ superioris, distinctum lineæ inferioris punctum correspondet: ergo alia petenda est solutio siquidem illa, quam recentiores petunt ex correspondentia vnius puncti circuli inferioris ad plura superioris circuli respectu quorum se habeat, vt centrum in prædicto motu circuli alicuius tabellæ vndequaque æqualis, subsistere nequit.

31 Alij recentiores argumẽto oppressi, fatentur efficaciter conuinci prædicto argumento circulorum discontinuationem, & puncta inter se separari, afferunt tamen, approximationem perditam recuperari, & cum illa vnionem. Huius dicendi modi fundamentum aliquod recentiores inuenire potuerunt apud Arriagam, qui numer. 241. suppresso nomine, refert aliquos, asserentes lineam discontinuari. His recentioribus concederem, approximationem perditam recuperari, quia, sicuti ex eo quod æquè moueantur indiuisibile circuli superioris, & inferioris, indiuisibile inferioris præibit indiuisibili superioris, & bis percurret suum circulum, dum indiuisibile superioris semel proprium percurrit, sicuti §. præcedenti probabam, sic etiam, si ex eo quod punctum inferioris circuli quieuerit, dum punctum superioris se mouit, superioris punctum aliquantulum præeat puncto inferioris, postea cum vtrumque simul moueatur, poterit inferioris circuli punctum, excessum recuperare, quem ferebat in motu indiuisibile puncti superioris & illud assequi, constituique approximatum cum illo idemque postea excedere, si continuo duret vtriusque motus. Verumtamen difficile concipitur, quomodo leuis impulsus valeat disrumpere durissimum ferrum, quod millies repetitis malleatorum ictibus scindi non valet. Secundò grauius hæc sententia impugnatur, quia si semel concedatur, circulos disrumpi nulla causa poterit assignari, à qua iterum vniantur, quia pars ferri non eo ipso, quod alteri approximetur, illi vnitur, sicuti vniuntur inter se partes aquæ, ac proinde circuli ipsi non possunt suas producere vniones, neque motus, aut impulsus illas efficere valebunt, aliàs quotiescumque duo corpora ferrea contigua, impulsu aliquo mouentur, mutuam producerent vnionem. Idem dicito de corpore rotundo ligneo, vel lapideo, cuius partes contiguæ suam vnionem non producunt. Impugnatur etiam hæc sententia ex motu circulari, cuiusuis virgæ, seu tabellæ, non rotundæ, de qua modò dicebam, cuius lineæ latæ superiores velocius mouentur lineis inferioribus, & consequenter mouentur, dum quiescunt inferiores, quod si fieret cum vnionum corruptione, statim partes superiores discontinuæ in solum decciderent, non enim tabellæ clauus, qui partes illi proximiores affixas tenebat, posset nec breuissimo oculi ictu alias distantiores partes proximioribus non vnitas sustinere.

P. Arriag. n. 241. ait, se numquam hoc argumentũ solutum vidisse, neque illud soluere præsumere. Neque quidquam aliud, relatu dignum, crica illud scriptum inuenio in opinione, quæ continuum ex indiuisibilibus componit, in opinione verò quæ illud ex partibus infinitis construit, quam eodem modo premit argumentum, neque aliud speciosius illius propugnatores respondent: possunt tamen infinitudine partium se protegere, remque confundere, vimque formæ in prædicto argumento declinare, his non ego contentus nouam aliam solutionem fum meditatus, quam iam expono.

§. VI.

Gordiani nodi noua solutio.

IN memoriam reuoco id, quod tradidi punct. 8. videlicet vnum indiuisibile tangere aliud, tantùm esse illi esse immediatum, seu nihil inter vtrũque mediare. Secundò, quod probaui punct. 17. in indiuisibilibus quædam esse res, alia verò modos, mediis quibus, alia annectuntur, insuper indiuisibilia modos esse localiter extra indiuisibilia res, ita vt quolibet indiuisibile distinctum, siue res siue modus, distinctum spatiũ occupet. Insuper statuo, quod ex ea doctrina compertum est, indiuisibilia modos inter se immediatè non vniri, neque indiuisibilia res esse immediatè vnita, sed mediis indiuisibilibus modis, quæ sunt rationes vniendi indiuisibilia res, & per se ipsa possunt dici vnita indiuisibilibus rebus. 32

Suppono etiam, quod iuxta doctrinam traditam perspicuum est, puncta vnita media vnione superaddita, non debere esse inter se immediata, sed inter ipsa posse vnionem intercedere, & de facto semper, per aliquod latus mediate, & tantùm requiri immediatam approximationem, illorum, quæ per se ipsa vniuntur, sicuti res, & modus, quæ tantùm immediatè vnita vocabo, licet etiam dici soleant, immediatè vnita illa in quibus mediat vnio, ad distinctionem illorum, in quibus non solùm vnio sed pars vnita mediat, sic dicimus albedinem vniri immediatè quantitati, & mediatè materiæ primæ, etiamsi inter albedinem & quantitatem mediet vnio. 33

Ex his infero, quodlibet indiuisibile, non tãtùm esse immediatum indiuisibilibus, quibus est immediatè vnitum, sed etiã aliis, cum quibus non habet immediatã vnionem, quia indiuisibile res lineæ inferioris directè supra se habet indiuisibile modum lineæ superioris, ex vi cuius vnitũ alij indiuisibili rei, & cui vnitur, nõ alia vnione interiecta, sed per ipsum indiuisibile modũ: habet tamen immediata alia duo indiuisibilia res lineæ etiã superioris collateralia indiuisibili modo eiusdem indiuisibilis rei, cui est vnitũ, cum quibus nullã immediatam habet vnionẽ secluso modo alio inter ipsa superaddito, ex vi cuius vniantur, quia indiuisibile lineæ inferioris, non tantùm est immediatũ indiuisibili superioris lineæ, quod est supra illlud, sed etiã duobus collateralibus punctis lineæ superioris, quod supra se habet, quia inter indiuisibile lineæ inferioris, ex vna parte, & ex alia indiuisibile lineæ superioris, quod supra se habet, & duo alia indiuisibilia eiusdem superioris lineæ huic collateralia, nihil mediat, indiuisibile autem lineæ inferioris, tantùm est immediatè vnitum indiuisibili, quod est supra se non indiuisibilibus collateralibus. Ratio est, quia indiuisibile res habet supra se indiuisibile modum, cui est 34

immediatè

immediatè vnitum, hoc autem indiuisibile modus habet sibi collateralia duo indiuisibilia res, quibus non est vnitum immediatè indiuisibile res lineæ inferioris, quod illis est immediatè applicatū, quia indiuisibilia res non vniuntur immediatè. Dico non vniri immediatè, hoc est per se ipsa, quod hic tantùm voco vniri immediatè. Totius doctrinæ exemplar accipe in his lineis, in quibus suppone literam *A*, esse indiuisibile, rem, & literam *O*, esse indiuisibile modum, & lineas ductas à primo ternario ab vno indiuisibili ad aliud, significare immediatam approximationem, itavt quodlibet indiuisibile sit immediatè approximatum omni alij ad quod immediatè ex ipso linea ducitur. In secundo ternario linearum lineæ immediatè ductæ ab vno indiuisibili ad aliud tibi monstrant vnionem immediatam inter ipsa indiuisibilia, ita vt illud, à quo ad aliud immediatè linea non ducitur non illi immediatè esse vnitum significetur, etiamsi immediatè sit approximatum.





36 En indiuisibile *A*, lineæ inferioris, est immediatum tribus indiuisibilibus lineæ superioris, indiuisibili *O*, cui est immediatè vnitum, & duobus indiuisibilibus *A*, *A*, eiusdē indiuisibilis *O*, collateralibus, vt demonstrat prima linearum figura. Ex his tribus indiuisibilibus lineæ superioris, quibus indiuisibile *A*, inferioris lineæ est immediatum, tantùm est vnitum immediatè indiuisibili *O*, & aliis tantùm, medio isto, vt secunda linearum figura notat. Similiter indiuisibile *O*, lineæ inferioris est immediatum tribus indiuisibilibus lineæ superioris, indiuisibili *A*, quod habet supra se & duobus indiuisibilibus *O*, *O*, collateralibus eiusdem indiuisibilis *A*, ex quibus tantùm est immediatè vnitum indiuisibili *A*, quia indiuisibile modus non immediatè vnitur aliis indiuisibilibus modis, quantumuis sint illi approximata, sed tantùm indiuisibili rei.

37 Ex hoc infero manifestè, si per vnicum instans moueatur linea superior immota inferiori, indiuisibile *A*, lineæ inferioris, adhuc manere approximatum, & immediatum indiuisibili *O* lineæ superioris, quod supra se habebat, & tantùm fieri distans ab indiuisibili *A*, collaterali superiori, vel collaterali indiuisibilis *O*, superioris, versus illam partem, versus quam dirigitur motus, quia indiuisibile *O*, superius vnitum indiuisibili *A*, inferiori acquirit per motum spatium, quod habebat indiuisibile *A*, quod ad latus illius erat in eadem linea superiori, & non immediatè seu per se vnitum indiuisibili *A*, lineæ inferioris: sed illud indiuisibile *A*, lineæ superioris erat immediatum indiuisibili *A*, inferioris lineæ: ergo indiuisibile *O*, lineæ superioris, quod successit in spatium indiuisibilis *A*, eiusdem lineæ, manet cum approximatione, seu immediatione respectu indiuisibilis *A*, lineæ inferioris, quam habebat aliud indiuisibile *A*, lineæ superioris, in cuius spatium successit, & illam tantùm amisit indiuisibile *A*, lineæ superioris cum indiuisibili *A*, lineæ inferioris, quod illi non erat vnitum. Ex qua approximationis iactura nulla vnio deperditur, siquidem tantùm contingit inter extrema non immediatè per se ipsa vnita. Manebunt ergo mota linea superiori, & inferiori immota, indiuisibilia vnita approximata modo significato in his duabus lineis, iuxta ea, quæ supra supposui de significatione punctorum, & linearum ductarum inter ipsa.



38 Explicaui iam, quomodo si per vnum instans temporis, linea superior, immota inferiori, moueatur, & indiuisibilia lineæ superioris per vnicum indiuisibile spatij moueantur, nulla ipsorum corrumpatur vnio, restat modò explicandum, quomodo per plura indiuisibilia spatij possit circulus inferior quiescere, superiori se mouente, quin aliqua discontinuatio indiuisibilium contingat. Ad difficultatem hanc componendam in memoriam reuoco, quod supra contra hoc argumentum adduxi, videlicet ex eo quod circulus inferior eodem tēpore cum superiori moueatur, sequi, circulum inferiorem præiturum superiori, quia habet minus spatium percurrendum. Ex quo infero, quod si indiuisibile superioris circuli, dum se mouit immoto indiuisibili circuli inferioris, illud per punctum spatij superauit, ratione cuius fuit factum collaterale superius, cum antea rectè esset supra illud, postea si per aliquod, seu per aliqua instantia, vtrumque indiuisibile circuli superioris, & inferioris simul moueantur, indiuisibile circuli inferioris recuperaturum excessum, quod acquisiuerat indiuisibile lineæ superioris, & iterum directè constituendum esse sub illo, imò posse illud superare per aliud indiuisibile spatij, ita vt excessum, quem habebat punctum lineæ superioris respectu puncti lineæ inferioris, habeat punctum lineæ inferioris respectu puncti lineæ superioris, ita vt respectu puncti lineæ inferioris, punctum lineæ superioris sit collaterale superius, non versus partem anteriorem, in quam tendit motus, sed versus posteriorem. Hoc facto poterit iterum quiescere per aliud instans circulus inferior, & moueri superior, in quo instanti, indiuisibile puncti superioris, si ex motu anteacto, directè manserat supra indiuisibile lineæ inferioris, cui immediatè erat vnitum, iterum acquirit eum excessum, quem primo acquisierat. Si verò remanserat, non directè supra indiuisibile, cui erat vnitum, sed collaterale superius, versus partem posteriorem, in illo instanti constituetur directè supra indiuisibile, cui est vnitum, & poterit per aliud instans moueri, inferiori immoto, in quo acquiret excessum vnius indiuisibilis spatij, & fiet respectu puncti lineæ inferioris, cui est vnitum collaterale superius versus partem anteriorem, in quam tendit motus. Quo excessu acquisito rursus vtrumque indiuisibile, seu vterque circulus superior, & inferior simul mouendus est, vt indiuisibile circuli inferioris iterum recuperet excessum indiuisibilis, quo recuperato, poterit iterum quiescere, & sic interruptis quietibus circuli inferioris, dum mouetur superior, motibus simultaneis vtriusque, poterit sæpe quiescere circulus inferior, dum superior mouetur, antequam totus circularis motus ab hoc puncto in idem punctum perficiatur.

39 Ex hoc infero, indiuisibile lineæ, in quocumque motu circulari, tantùm inflecti, respectu indiuisibilis sibi vniti immediatè per vnicum indiuisibile spatij, quia tantùm salua vnione se possunt excedere in motu, & vnum alteri præire indiuisibilia circuli superioris, & inferioris immediatè vnita. Infero simul inflexionem lineæ in corpore circulariter se mouente, semper esse leuissimam, etiamsi linea inspiciatur secundùm se totam à centro ad circunferentiam, & prædicta linea creberrimè inflectatur. Quia quotiescúque quiescit in prædicto motu circulari aliquis circulus, quiescunt omnes, quæ sunt sub illo centro immediatiores, & quotiescumque mouetur mouentur omnes, quæ sunt supra illum à centro distantiores. Vnde in primo instanti motus, in quo mouetur circulus extimus, seu omnium maximus, & quiescit circulus inferior, quiescunt reliqui omnes, & ita inflexio fit inter puncta circuli extremi, seu primi, & secundi, & à puncto secundi circuli vsque ad centrum linea manet omnino recta: postea verò dum mouetur secundus circulus cum primo, & quiescunt tertius circulus, & reliqui vsque ad centrum, fit alia inflexio lineæ inter punctum secundi, & tertij circuli, illa tamen, quæ antea facta erat, deperditur, & punctum secundi circuli fit rectum respectu puncti primi circuli, in ordine ad totam

totam lineam,& iterum cum linea per puncta circulorum inferiorum inflectitur,amittit inflexionem, quam habebat in circulis superioribus, & ita quasi successiuè descendit inflexio à circumferentia ad centrum corrupta in parte superiori lineæ dum denuo fit in parte inferiori, & innumeris inflexionibus transeunter succedentibus, numquam linea notabiliter manet inflexa. Aliter contingit quando virga, vel arundo ita inflectitur, vt oculis inflexio pateat, tunc enim inflexiones crebrò fiunt, & simul perseuerant, quia non hoc ordine mouentur, & quiescunt indiuisibilia, vt dum inflexio fit per inferiores partes virgæ, amittatur inflexio in prioribus facta, quia minus quam par esset ad inflexionem partium superiorum resarciendam,inferiores partes mouentur, vel forsan nihil, vt patet quando virga solo affixa incipit moueri,& inflecti per partes superiores, per quas notabili tempore mouetur, omnino partibus inferioribus quiescentibus, & ita dimidia pars virgæ manet cum eadem rectitudine, & positione, quam habebat, & dimidia alia notabiliter inflexa.

40 Ex his facilè respondeo argumento prædicto, in motu circulari lineas ductas à centro ad circumferentiam nullo modo disrumpi, & tantùm leuissimè inflecti, & ita illam inflexionem sensibus percipi non posse, neque laicis impugnationibus hæc inflexio in corpore ferreo,& quocumque alio quamtumuis duro impugnanda est, sæpius enim videmus durissima ferra funibus torta inflecti, & quotidie videmus ensem chalybe attemperatum à cuspide in capulum insinuari,in quibus omnibus motibus,partes quædam mouentur,immotis aliis,& nulla continui accidit diuisio. Hæc ita cogitaueram, nondum tamen immane baratrum, superbam Scyllam,salebrosam Charybdim,& monstrosam Sphingem nullius inhærentem vestigiis, nullius ratione suffultus,alienâ ope destitutus,superasse præsumebam, donec de hac re doctissimos consului Mathematicos, & recentiores Philosophos, ingenio acres,qui omnes vno ore mihi testati sunt,totam difficultatem huius argumenti,doctrinâ traditâ exhauriri, nullíque principio Philosophico, aut Mathematico non esse consonam, aliáque huiusmodi, quibus parco, licet Mathematici ob alias rationes semper ægrè ferant continuum ex puris indiuisibilibus componi. Quæ scripsisse placuit, ne videret absque longo examine, ausum fuisse argumento satisfacere,cui ingenia succubuêre magna. Aliud etiam mirificè doctrinam hanc commendat,videlicet nihil in ea traditum,quod à communi Philophia deliret, nihil violentum, neque vi argumenti extortum,nihil,quod non extra argumenti anguſtias sponte dici posset,non enim indiuisibilia inflata fingo,neque saltantia admitto, nullius corporis, neque indiuisibilis penetrationem adhuc inadæquatam concedo, neque eiusdem repetitam præsentiam exposco, totam continui vnionem, nullâ diuisione admissa, illæsam seruo, omniáque communis Philosophiæ cancellis contenta trado.

PVNCTVM X.

Alia argumenta Mathematica percurro.

MVltis Zenonis sententiam Mathematici impetunt,illorum præcipua breuiter percurram.

1 Obiiciunt primò demonstrasse Euclidem, quamlibet lineam posse diuidi in duas alias æquales, quod tradit Problem.5. propos.50.sed hoc non potest stare,si linea componatur ex punctis finitis,quia si septem punctis reliqus claudatur,pars altera diuisa, tria puncta continebit, & altera quatuor sortietur: ergo sustinenda non Zenonis opinio. Multi hanc demonstrationem referunt, vellem, vt aliquis Euclidis studiosus illam in medium adduceret, ego illam à doctissimis Mathematicis petiui, & accepi numquam, sumunt enim ad conficiendam plura principia, quæ facilè quisque Philosophus, iuxta doctrinam traditam negabit,& difficile, aut numquam Mathematicus probabit,quibus negatis,sisti t lunga series demonstrationum,quâ vtuntur Mathematici ad illam propositionem probandam,dum autem illa non perficitur,& Euclidis propositio euidenter non ostenditur, negandum est dari talem demonstrationem,si Zenonis continuum defendendum est.

2 Addo tamen, omnem lineam per se loquendo, habere aliquod punctum æquè distans à duobus extremis, quia omnis linea constat,secundùm doctrinam traditam,numero impari indiuisibilium,si enim puncta res paria sunt,v.g. quatuor puncta modi, quibus hæc vniuntur,impariasunt, videlicet tria, quibus conficitur septenarius punctorum numerus,si verò puncta res sint imparia,v.g.quinque,puncta modi,quæ adduntur,vt illa vniantur sunt paria,quatuor videlicet,quibus assurgit numerus nouenarius, & ita semper punctis rebus paribus,puncta modi imparia adduntur, & punctis rebus imparibus,adduntur puncta res paria, & ita semper collectio imparem punctorum numerum claudit, quorum vnum medium æquè distat à duobus extremis. Ex hoc fit, lineam, saltem mentaliter, posse semper diuidi in duas partes æquales, si diuisio fiat per illud indiuisibile medium æquè distans ab extremis,non tamen potest semper ita physicè diuidi, quia sæpe contingit punctum illud medium esse punctum rem,quod si destruatur, simul destrui debent duo alia puncta modi, quibus illud vniebatur aliis duobus punctis immediatis, quia indiuisibilia modi, adhuc de potentia Dei absoluta, non possunt permanere, corruptis indiuisibilibus rebus; rem declaret exemplum: Constabat linea quinque punctis rebus, & quatuor punctis modis, punctum medium lineæ habentis nouem puncta,quinque res,& quatuor modos,est punctum res,cuius sunt modi duo alia puncta,illi immediata,corrupto illo puncto re, corrumpenda sunt duo alia puncta modi, & ita non potest fieri physica diuisio illius lineæ per corruptionem puncti medij rei, sine iactura trium punctorum,vno re,& duobus modis.

Obiiciunt secundò, secundùm hanc sententiam,lineam 3
contentam intra latera pyramidis, fore maiorem ipsa basi pyramidis,quod falsum est:sequela probatur:Demus quamlibet lineam lateralem pyramidis constare sex punctis, & vasim tantùm tribus; tunc sic à quolibet puncto lineæ lateralis pyramidis ducetur linea ad aliud punctum oppositum alius lineæ:ergo possunt duci sex lineæ à sex punctis huius lineæ lateralis ad alia sex puncta alterius lineæ lateralis: sed harum linearum quælibet debet aliam, saltem vno puncto,excedere: ergo sexta linea excedit minorem, seu superiorem lineam quinque punctis:ergo habet septem puncta,quia linea superior,seu minor omnium immediata cuspidi, necessariò habet duo puncta: ergo linea immediata vasi, est maior ipsa vasi, quæ tantùm constat tribus punctis. Multa in hoc argumenta falsa supponuntur,multa moderamine indigent, & omnia explicatione. In primis supponitur esse possibilem pyramidem, cuius lineæ laterales maiorem habeant longitudinem ipsâ vasi, quod est falsum, quia supra vasim trium punctorum, non potest assurgere pyramis, cuius lineæ laterales tria puncta excedant. Quia pyramis fit per positionem vnius lineæ supra aliam, & hæ lineæ, quæ superponuntur, debent esse vna minor aliâ, & ita supra vasim trium punctorum, ad summum, posset poni linea duorum punctorum, & supra hanc vnicum punctum, quod esset cuspis pyramidis, & clauderet vtramque lineam lateralem, quæ in illo communicaret, & non excederent longitudinem trium punctorum,quorum primum non distingueretur ab ipsa vasi,& abvltimo,nulla posset duci linea ad oppositũ,quia nullum haberet oppositum,sed esset cuspis pyramidis, & commune vtrique lineæ. Ex quo concluditur, supra vasim trium punctorum, ad summum, posse duci lineam vnicam duotum punctorum,& supra hanc poni aliud punctum, quod sit cuspis pyramidem claudens. Dixi suprà vasim trium punctorum, ad summum, posse duci lineam duorum punctorum, quia adhuc istam existimo duci non posse retinentem cum vasi pyramidis figuram, quia vasis pyramidis debet excedere lineam immediatam per vtrumque latus, & non potest per quodlibet latus, illam excedere minori excessu,quàm indiuisibili, & ita per quodcumque latus debeat vasis lineam immediatam, vno indiuisibili excedere,& consequenter,totam lineam duplici indiuisibili, per duplex latus. Ex quo deducitur, supra vasim trium punctorum nullam posse poni lineam spectantem ad constructionem pyramidis, non æqualem, qui est contra rationem pyramidis,aliquam lineam illius æqualem vasi,non minorem,quia hæc tantùm poterat esse duorũ punctorum, quam vasis non posset excedere per vtrumque latus,quia si illam per vtrumque latus excederet,saltem illa duplici indiuisibili superaret, vasis autem trium punctorum vnico tantùm excedit lineam duorum, quæ est omnium minima.

Obiiciunt tertiò,sequi ex sententia Zenonis,ex duobus 4
circulis,quorum vnus est intra alium, in rota contentum

circulum

circulum centro vicinum fore æqualem circulo superiori, quod apertè falsum est. Sequela probatur: à quolibet puncto circuli superioris potest duci linea ad centrum, sed quælibet linea ducta à puncto circuli superioris, debet transire per distinctum punctum circuli inferioris: ergo circulus inferior tot habet puncta, quot superior. Aliqui, vt prædicto argumento respondeant, docent non posse dari circulum perfectum, abs re tamè, quia siue circulus sit perfectus, siue imperfectus, eadem est difficultas, imò in circulari quadrata, vel quauis alia figura eodem modo procedit argumentum. Alij dicunt, non ab omnibus punctis circuli superioris posse duci lineam rectam ad centrum, quod non probo, quia non possunt assignari duo puncta distàtia, à quibus non possit duci linea recta ex vno ad aliud, quia cùm possit aliqua duci, illa diceretur recta, quà non potest duci breuior alia. Deinde in figura circulari, omnia puncta circuli superioris æquè distant à centro: ergo si ab vno potest duci linea recta, poterit duci ab omnibus.

5 Si prædicto argumento succumbendum non est, necessariò est dicendum, à quolibet puncto circuli superioris, posse duci lineam ad centrum, non tamen posse ab omnibus duci lineas adæquatè distinctas, sed aliquas lineas ductas à punctis distinctis circuli superioris, coincidere in aliquod pũctum commune circuli vicinioris centro, à quo producitur reliquum linex vsque ad centrum commune distinctis lineis ductis à distinctis punctis circuli superioris. Moneo tamen solutionem hanc esse contra Euclidem, qui inter notiones communes, seu dignitates hanc ordine decimamtertiam adducit: *Duæ lineæ rectæ non habent vnum, & idem segmentum commune.* Insuper hæc solutio euertit totam Geometriam, cuius innumeræ demonstrationes huic principio innituntur, quæ illo negato, corruent. Scio tamen Mathematicos nullam habere firmam demonstrationem, quà prædictam propositionem probent, ita ingenuè fatentur ex illis doctissimi à me consulti, neque adeo est per se nota, vt de illa non possit quisquè dubitare, etiãsi Euclides inter prima principia, & dignitates illam annumerauerit, forsan, quia nulla supererat demonstratio ad illam stabiliendam.

6 Obiiciunt quartò, sequi lineam diametralem in quadratò ductam ab angulo ad angulum, fore duplo maiorem lineâ laterali, cuius oppositum demonstrat Euclides lib. 3. propos. vlt. Sequela probatur: demus quadratum, cuius quælibet lateralis linea constet decem punctis, & educatur linea diametralis ab angulo in angulum, à quolibet puncto linearum duarum lateralium potest duci linea ad punctum oppositum oppositæ lateralis, cúmque hæ lineæ necessariò secent lineam diametralem, quæ ab angulo ad angulum est producta, singulæ lineæ ductæ à punctis linearum lateralium, attingent singula puncta lineæ diametralis: ergo tot sunt puncta in linea diametrali, quot sunt lineæ ductæ à lateralibus: ergo habet tot puncta diametralis, quot habet vtraque lateralis: ergo est duplo maior illarum qualibet. Rem declarat figura subscripta, in qua intendit probare argumentum, lineam ductam ab angulo *B*, ad angulum *C*, esse duplo maiorem linea *A,B*, & linea *B,D*, & æqualem vtrique simul sumptæ, quod suadet lineis ductis in superiori parte circuli.



7 Adducam postea aliud argumentum, quod contra hanc doctrinam adduci solet, quo probare intenditur, lineam diametralem, non fore maiorem qualibet laterali seorsim sumpta. Quod notare placet, vt vtriusque efficaciam commendem, siquidem ex eisdem principiis probare intenditur, lineam diametralem fore æqualem, & fore duplo maiorem eadem laterali. Deinde vellem, vt aliqua ex his argumentis, sibi soluenda suscepissent Aristotelici, siquidem omnia æquè omnes premunt, quod si perpendissent, non Zenonistas adorirentur telis, quæ in ipsos absque vlla opera quisque retorquet. Respondeo, has lineas non posse duci, quin inter se communicent lineæ ductæ à punctis linearum *A B*, & *A C*, in aliquo puncto lineæ diametralis, quæ est minor lincis *A B*, *A C*, simul sumptis, quia si hæ non facerent hunc angulum *B A C*, sed ita protenderentur vt ambæ efficerent vnam rectam lineam, certum est maiorem extensionem habituras linea diametrali, nunc autem ratione anguli, non possunt tanrùm amittere excessum.

Obiiciunt quintò sequi lineam diametralem quadrati 8
fore æqualem laterali. Ratio est, quia si lineæ ducantur modo suprà assignato in inferiori parte quadrati, à punctis lineæ lateralis *B D*, possunt duci puncta ad diametralem, quæ si ducantur ab omnibus punctis lateralis, attingent omnia puncta diametralis: ergo in diametrali non sunt plura puncta, quàm in laterali, quia hæc nullum habet pũctum, quod non attingatur aliquà lineâ ductâ à laterali. Deinde quia si lineæ ductæ à laterali *B D*, protendantur vsque ad lateralem *A C*, quælibet linea attingit vnum punctum diametralis, & nulla duo, neque aliquod punctũ erit in diametrali, quod non attingatur aliqua linea ducta à laterali *B D*, ad lateralem *A C*: ergo diametralis tot habet puncta, & non plura quot sunt lineæ ductæ à laterali ad lateralem: ergo quælibet lateralis est diametrali æqualis. Respondeo, lineam diametralem non distingui à lineis ductis à laterali ad lateralem, sed ex punctis in his contentis componi, communicando in aliquo puncto cum qualibet linea ducta à laterali ad lateralem, & cum aliquibus in duobus, & hac ratione fieri maiorem diametralem lateralibus, secundùm tot puncta, quot sunt lineæ, in quibus duo communicant, ita vt si sexta parte excessura sit diametralis quamlibet lateralem, sextâ quoque lineâ desumat diametralis duo puncta ex linea ducta à laterali in lateralem, & vnum ex quinque aliis, & sic proportione seruatâ in quocumque alio excessu, quem habeat diametralis, respectu alius lineæ ductæ à laterali ad lateralem, quæ ipsi laterali est æqualis.

Punctum XI.

Explicato testimonio Concilij Constantiensis, tota hæc materia absoluitur.

Aliqui arguere intendunt contra Zenonis opinionem, 1
auctoritate Concilij Constantiensis, quia sessione 15. illius, inter propositiones VViclephi hæc habetur: *Linea aliqua componitur ex duobus, aut quatuor punctis immediatis, aut solùm ex punctis.* Post quam propositionem immediatè additur: *Prima pars est error in Philosophia.* Vnde videtur inferri, Concilium damnasse, tanquam errorem in Philosophia, opinionem asserentem lineam cõstare finitis punctis.

Controu 14. Punct 3. dixi de hac, & aliis propositionibus, 2
non referri in corpore Concilij, sed desumptas esse ex codice cuiusdam Canonici Colonienſis, quem codicem mendosum esse monet typographus. Vide dicta ibi. Addo docere alios, prædictam censuram lectam fuisse in Concilio, & à Patribus approbatam non fuisse, quia non erat de illorum instituto, de opinionibus purè Philosophicis disputare. An verò in materia purè philosophica possit aliquid definiri, vide apud P. Valentiam tom. 3. dist. 1. punct. 7. §. 41. Vltimò alij docent, illam censuram datam esse ab VViclepho, & in Concilio referri inter illius errores, quapropter potius Concilium fauet opinioni Zenonis, & illam à censura liberat, quam illam censuræ nota inurat, quod licet certum non sit, non tamen improbabile est.

Hæc de continui compositione, in cuius argumentis 3
proponendis, atque soluendis pro vtraque sententia, me totum effudi, quòd si non omnia plenè soluerim, ideò fuit, quia neque apud auctores alias reperi solutiones, neque illas proprio Marte assequi valui. Quid verò de vtraque opinione sentiam tua scire nihil refert, neque hoc aperire mihi facilè visum est, satius enim iudico tanti ænigmatis me Dauum quàm Oedipum præstare, si tamen cogar in

per

per obscura lite munus arbitratoris obire, primas semper præcipuè in continuo permanenti Aristotelis opinioni dabo, tum propter Philosophi auctoritatem, aliorúmque grauissimorum virorum, qui communi totius scholæ consensu, & plausu in hanc sententiam conspirarunt: tum etiam, quia si rectè tractetur partium infinitudo, solutione probabili destituta non sunt argumenta, quæ contra illam fiunt in continuo permanenti, quod defendi necessum est, ne tota Mathematica scientia corruat. Quæ omnia me in continuo permanenti in Aristotelis sententiam trahunt cui libens subscribo, in successiuis autem non inuitus abirem cum Zenone, quia me omnino latent solutiones ad argumenta facta punct. 6. contra partes in infinitum diuisibiles continui per se successiui.

LIBER SEPTIMVS PHYSICORVM.

CONTROVERSIA XVIII.

De applicatione requisita inter agens, & passum.

EAMDEM ferè materiam apud Aristotelem continent liber septimus, & octauus, ideóque nonnulli Aristotelis interpretes hunc expungunt tanquam suppositititium, & superuacaneum. Aristotelicum esse probant Simplicius, Auerroës, & D. Thomas apud Patres Conimbr. quibus similes disputationes libens committo. Multa, quæ in hoc libro disputari solent de sphæra, & actiuitate qualitatis & de modo, quo hæ agunt in passum aliis in locis, præcipuè in Generatione disputo, tantùm hîc disputabo de approximatione requisita inter agens, & passum, de qua in hoc libro agit Aristoteles, & propriam apud illum huius rei disputatio sedem sibi vendicat.

PVNCTVM PRIMVM.

An agens possit agere in distans, quin agat in propinquum.

1 PAter Soarez tom. 1. Metaphysic. disp. 18. sect. 2. refert aliquos asserentes agens posse agere in distans quin agat in propinquum; in his adducitur Scotus, quem sui sequuntur; verumtamen cum subtilis Doctor asserat in causis physicis nullam posse agere in distans, quin agat in propinquum à communi sententia in nihilo discedit. Vna ferè omnium sententia est agens non posse agere in distans quin agat in propinquum, cuius auctores refert P. Suarez suprà num. 20. & P. Hurtadus disput. 9. sect. 6. subsect. 1. quibus ipsi subscribunt. Probat P. Hurtadus cum P. Soario hanc conclusionem ex solicitudine, qua natura vacuum horrescit, cuius nulla alia potest dari ratio, nisi quia corpora inferiora indigent aliis interiacentibus mediis quibus cœlestes ebibant influxus, quod si agens posset agere in distans, quin ageret in propinquum, non admodum inferiora corpora curarent ne vacuum daretur. Non placet hæc ratio P. Arriagæ, qui illam impugnare intendit disput. 7. sect. 6. subsect. 1. ex eo quod natura non ex hoc capite vacuum abhorreat: modum quo id probet Arriaga retuli, & retudi Controuers. 15. Punct. 12. ideo modo illi superseděo. Probanda est conclusio manifesta experientia, qua videmus solem pariete interposito lucem non producere in aëre existente post parietem, neque obiectum visibile eodem pariete impeditum in eodem aëre species mittere, aliáque huiusmodi, quorum nulla alia potest reddi ratio, nisi quia agens non valet agere in distans quin agat in propinquum. Quia partes, seu quodcumque aliud corpus opacum non impedit lucem in aëre formaliter, quia formalis resistentia dicit informationem impedientis in subiecto impedito; paries autem neque informat aërem, & ita non potest illum impedire ne patiatur, neque luminosum efficiat, neque impedit actionem imminuendo virtutem agentis, luminosum enim eamdem intrinsecè virtutem in se continet appositio pariete inter ipsum, & aërem lucem recepturum, & pariete ablato: ergo præcisè corpus opacum productionem lucis in corpore à tergo existentis impedit non recipiendo in se lucem: ergo receptio lucis necessaria est corpori proximiori, vt agens illam diffundat in corpus distans.

Rationem hãc adducit Arriaga supra, aítque ex illa clarè reiici sententiam illorum, qui in occultas agentium naturas rem deducunt, quia id fieri potest, quando ignoratur ratio à priori, at quando clarissima experientiæ ratio reddi potest, quis vellet per latebras, & occultas qualitates, aut rerum naturas difficultates explicare? In præsenti autem Arriaga ait se elaram reddere rationem, & ita ad tenebras confugiendum non esse. Ego semper tenebras totis viribus fugere procuro, & in disputationibus lucem ardenter amo, & accuratè affecto, nullam tamen in hac re apud Arriagam inuenio, qua possim in obscuras agentium naturas non incidere, si totam huius rei difficultatem percurro. Experientiam ab Arriaga adductam admitto, verum hæc à posteriori nobis conclusionem notam facit, illius verò rationem à priori assignandam non patefacit. Conuincor experientiâ agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum, quia prædicta experientia video non agere in distans, quando non agit in propinquum, sed rationem peto. Dices experientiam ostendere requiri actionem in parte proximiori vt detur in distantiori, quod est ratio à priori conclusionis traditæ, licèt à posteriori nota, tota enim Philosophia in experientiam, quæ illius mater est vltimò reducitur. Contra: requiri actionem in passo proximiori, vt in distantius protendatur formalissimè est non posse agens agere in distans, quin agat in propinquum: ergo si dicas agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum, quia requiritur actio in proximiori passo, vt extendatur ad passum distantius, conclusionem reddis pro ratione: ergo nullam rationem possumus experientia venari pro conclusione, de qua disputamus etiam vltimò in notitiam à posteriori acquisitam reducendam, sed immediatè experientia adducta conclusionem præ oculis ponit, & nos omnino ignaros rationis à priori, seu causæ rei experientia notæ relinquit. 2

Affirmo experientia constare agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum, & nullam huius conclusionis rationem à priori hucvsque à Philosophis inuentam esse, sed in occultas agentium naturas recurrendum esse. Primam partem conclusionis probaui suprà, posteriorem impugnatione rationum, quas pro conclusione prædicta solent adduci persuadebo. Non debet procedere difficultas casu, quo subiectum propinquum capax sit effectus recipiendi, quia tunc eadem virtute, qua agens acturum est in passum distans necessariò aget in propinquum, agens enim necessariũ non potest non agere in passum capax illi applicatum 3

applicatum, ac proinde in hoc casu absolutè non posset non agere in propinquum, ac proinde non posset in distans, quin in propinquum ageret. Neque passum distans constituendum est extra sphæram actiuitatis agentis, quia tunc etiamsi ageret in propinquum in illud agere non potest. Casus difficultatis est, quando agens potest intra spatium duarum vlnarum agere & in prima vlna habet applicatum subiectum incapax effectus recipiendi, vel illius spatium vacuum est, & in secunda vlna applicatum est passum capax recipiendi effectum, quem agens produceret, si medium esset aptum: in hoc casu dixere nonnulli agens nõ posse agere in distans, quin agat in propinquum, quia actio est modus agentis, & modus non potest separari à re, cuius est modus: ergo actio debet esse propinqua agenti, insuper debet esse propinqua & penetrata cum passo: ergo passum, & agens debent esse propinqua, necessariò enim passum eamdem propinquitatem ett habiturum cum agente, quam actio cum illo penetrata habere debet. Si aliquid probaret hæc ratio, non tantùm euinceret agens non posse agere in distans quin agat in propinquum, sed absolutè non posse in distans agere, etiamsi agat in propinquum. Ratio est manifesta, quia si actio ex eo quod sit modus agentis non potest ab illo separari, nulla actio poterit esse passio ab agenti distanti etiamsi inter ipsam & agens intercedat alia actio eiusdem rationis, quia si ita daretur, esset separata ab agenti quod est contra rationem modi. Dices actionem illam esse approximatam media alia comparte actionis, & totam adæquatam actionem esse approximatam. Contrà: modus ea ratione, qua est inseparabilis ab agenti debet per suammet entitatem cum illo coniungi: sed quælibet pars actionis est modus agentis: ergo quælibet pars actionis per suammet entitatem debet coniungi cum agente ea ratione, qua est inseparabilis quatenus est modus illius: ergo si actio quatenus est modus agentis est inseparabis localiter ab agenti: per suammet entitatem & non per aliam compartem debet quælibet pars actionis, quæ est modus illius, esse immediatè approximata agenti: secundò Sol producens lucem in diuersa subiecta nulla vnione connexa agit in illa per actiones inter se non vnitas, quotiescumque enim subiecta non vniuntur, formæ in illis receptæ nullam vnionem habent, & actiones terminorum vnionem non habentium vnitæ non sunt: ergo actio ex vi cuius producitur à sole lux in terra, vnita non est cum actione ex vi cuius producitur ab eodem sole lux in aëre: ergo non est approximata agenti soli, media alia comparte actionis, sed media alia actione adæquatè distincta: ergo non est approximata localiter formaliter in ratione modi, quia modus non est approximatus rei, cuius est modus ea ratione, qua ab illa est inseparabilis medio alio modo, sed immediatè per suammet entitatem. Affirmo actionem, ex eo quod modus agentis sit, tantum habere non posse existere independenter ab agenti tanquam à principio effectiuo, non tamen non posse separari localiter ab illo, neque ex conceptu modi habere inseparabilitatem loci, sed inseparabilitatem dependentiæ, hanc enim habet per suammet entitatem, & illam per præsentiam superadditam, quando illam de facto habet: inseparabilitas autem modi formaliter vt modi, illi conuenit formaliter per suammet entitatem quocumque alio superaddito secluso.

4 Contra doctrinam hanc non contemnenda consurgit difficultas, videtur enim inferri ex illa passionem posse à subiecto separari, quia formaliter vt modus tantùm habet per suam entitatem respicere subiectum vt principium passiuum, non tamen formaliter esse passo approximatam, quia approximatio passioni conuenit non per suam entitatem, sed per præsentiam superadditam. Neque ad vnionem nos confugere tutum est, potest enim poni calor dependens à subiecto tanquam à causa materiali, & illi non vnitus, & tunc procedit difficultas cur non possit separari passio à subiecto. Imò de vnione idem procedit argumentum, quia vnio per suam entitatem tantùm habet connectere vtrumque extremum non approximationem cum illis, quæ illi conuenit media præsentia superaddita: ergo ex eo quod vnio sit modus non est inseparabilis localiter ab extremis: ergo poterit ab illis separari, & ipsa extrema inter se separata vnire, & poterit dari homo realiter existens, cuius materia sit Matriti, vnio Parisiis, & forma Romæ absque vlla alia approximatione partiũ, & vnionis.

Antecedens, ex quo hæc omnia deducuntur commune 5
est inter Doctores, illius doctrinam tradunt omnes, qui asserunt posse agens de potentia Dei absoluta agere in distans, quin agat in propinquum, illationes has non omnes discutiunt, quæ grauem continent difficultatem, non ex antecedenti ortam, sed ex ipsa materia, circa quam fiunt, vt ex his, quæ iam subiicio constabit. Moneo in primis hanc illationem rectam non esse: *actio potest distare à principio actiuo: ergo à passiuo*, quia nemo tam arctam approximationem requirit inter actionem & principium actiuum, quam inter eamdem actionem seu passionem, & principium passiuum, omnes enim asserunt passionem debere esse penetratam cum principio passiuo, & respectu actiui approximatione mediata ratione alicuius compartis actionis, seu ratione alicuius actionis totalis eiusdem rationis contenti sunt. Idem dico de vnione, quam, si sit inter materiam, & formam etiam accidentalem omnes penetratam requirunt cum vtroque extremo, etsi integralis sit, saltem vtrique parti secundum suam entitatem, & non tantum media aliam immediatam exposcunt. Discrimen inter actionem respectu principij actiui ex vna parte, & eamdem ex altera respectu passiui, & vnionem respectu extremorũ potest sumi ex eo quod actio est modus extrinsecus agentis, passio verò seu eadem actio respectu subiecti, & vnio respectu extremorum sunt modi intrinseci, quod caput sufficiens est vt separationem concedere possimus actioni respectu principij actiui, quam eidem respectu passiui, & vnioni respectu extremorum denegamus. Qua ratione actio sit extrinseca principio actiuo, & intrinseca passo, & vnio intrinseca sit extremis explicui Controuers. 4. Punct. 2. §. 4. Hac ratione satisfit consequentiæ deductę ex antecedenti, quod modo defendimus, quid verò dicendũ sit de veritate consequẽtis difficile est.

Non desunt recentiores, qui concedant posse vnionem 6
separari localiter ab extremis nulla approximatione retenta, & totum substantiale subsistere, neque in hanc conclusionem nos parum trahit alia, quam defendimus Controuers. 15. Punct. 7. videlicet posse totum ab omni præsentia absolui, ex quo infertur vnionem posse existere non approximatam extremis, quia casu, quo homo, & illius partes præsentiam non haberent, vnio non esset approximata partibus, neque partes inter se approximationem haberent. Insuper dixi eadem Controuers. 15. Puncto 10. posse hos modos distare à subiectis, dum in vno loco sint illis approximata, ex quo infertur distantiam ab extremis secundùm se non repugnare vnioni: ergo si ex vna parte potest existere vnio non approximata extremis, quorum est vnio, & ex alia potest ab illis distare, saltem quando est approximata ex vi alius præsentiæ, neque distantia secundùm se, neque non approximatio secundùm se repugnat vnioni respectu extremorum: ergo de potentia Dei absoluta poterit distare, & non esse approximata simul, in quo difficile poterit ratio repugnantiæ in ordine ad omnipotentiam reperiri. Scio nonnullos asseruisse præsentiæ vnionis modum esse præsentiarum extremorum, qui illas vnit, & constituit præsentiam quamdam totalem ex præsentiis partialibus materiæ, & formæ, & hac ratione præsentiam vnionis non posse separi à præsentia partium. Do his præsentiam, quam modo habet vnio, modum esse præsentiarum materiæ & formæ, cur vnio habere non poterit præsentiam aliam distinctam ab hac, quæ non sit modus aliûs præsentiæ. Deinde etiamsi omnis præsentia vnionis modus esset præsentiæ partium diceret aliquis posse vnionem habere præsentiam modum præsentiarum partium distantium, à quibus distaret, quia illa præsentia modus non localiter vniret extrema, sed tantùm in ordine ad constituendam quamdam præsentiam totalem quam constitueret, etiamsi præsentiæ partiales, quarum esset vnio distarent, sicuti vnio distans à materia, & forma constituit hominem, sic alia præsentia modus distans à præsentiis, quarum est vnio illas annecteret, & constitueret præsentiam quandam totalem. Modus iste dicendi difficilior est priori, quia dat modum quemdam vnionis, cui repugnat localiter cum extremis esse coniunctum, quia præsentia illa respiciens hoc spatium vnionis modus aliarum præsentiarum immobilis esset, & extrema haberet immobilia, ac proinde si semel ab illis distaret, essentialiter distaret, & non posset non distare.

Dari autem vnionem cui repugnat localis approximatio cum extremis mihi durum videtur, sed si aliquis audacter dicat hoc non repugnare, difficile poterit à sua sententia remoueri. Quod dictum est de præsentia vnionis respectu præsentiarum partium, eadem ratione applicata præsentiæ actionis respectu præsentiæ subiecti. Rem hanc passim tetigisse sufficiat, quam alij ex doctrina tradita facilè ditimere poterũt. Noto tamen hæc argumẽta non procedere in opinione, quæ in composito tantùm vnam præsentiam quantitati, vel materiæ primæ constituit, ex vi cuius forma substantialis, modi, & accidentia reliqua præsentia sint, quia cum actio, vnio, materia, & quantitas sint præsentes ex vi eiusdem indiuisibilis modi supposita vnione ad subiectum, implicat modos, seu accidentia esse vnita subiecto, quin sint præsentia in eodem loco in quo est subiectum.

7 Venio iam ad obiectiones, quæ contra præcipuam conclusionem fieri solent. Obiicies: Piscem quemdam, cui nomen torpedo, qui brachium piscatoris ligat nullo effectu in medio producto. Item magnetem ferrum attrahere, & fascinantes pueros distantes lædere, & herbam quamdam, cui nomen est Aproxis, quæ, teste Plinio lib. 2. cap. 108. ignem à longè accendit, idémque refertur apud eumdem Plinium de Naphta quodam bituminis genere. Respondeo hæc omnia agentia agere non solùm in passum distans, sed etiam in totum medium, magnes enim qualitatẽ in aëre producit, & simul in ferro, quæ aëris non est attractiua, sed ferri, ideo ferrũ ad præsentiam magnetis mouetur, & non aër, aut aliud corpus. Similiter torpedo, & fascinantes producunt eamdem qualitatem in medio, quam producunt in viuenti, hoc tamen lædi illa qualitate, & non aërem, quia iste non est capax damni, quod viuens patitur per receptionem illius qualitatis. Item illa herba calorem, & alias qualitates producet in medio, in quo ignis non producitur, quia non habet dispositiones illas, quas habet passum distans, vt formam ignis recipiat.

8 Secundò obiicitur: Quando aqua in igne calefit, aqua in profundo lebetis est frigida, & quæ est in summo illius est valde calida: ergo agens agit in distans, quin agat in propinquum. Experientiam non credit Arriaga, neque modum inuenit, quo possit fieri, mihi tamen de illa dubitare non licet, vidi enim cacabum plenum aqua supra ingentem rogum appositum, & feruescente aqua ab igne separari, illiúsque latera præ nimio calore à nemine tangi posse, solúmque quod immediatè flammæ tetigerant ab omnibus tangi, in quo calor moderatus valde sentiebatur. Id communiter tribuitur vaporibus terreis, & frigidis, qui descendunt ad fundum lebetis ascendentibus partibus aliis tenuioribus, quæ in fundo lebetis calorem concepêre. Ne tamen in his immoremur respondeo, experientiam non probare agens agere in distans, quin agat in propinquum, quia ignis agit in partes laterales cacabi, mediis quibus potest agere in distantiores, cur verò non agat in partes alias, quæ sunt in fundo lebetis, vel si agit cur recedant partes, in quas agit, & adueniant aliæ frigidæ ad præsentem difficultatem non attinet, vt bene notauit Arriaga.

9 Ex eo quod dixerim agens non posse agere in distans, quin agat in propinquum à posteriori constare, à priori tamen nullam huius conclusionis rationem à Philosophis hucusque traditam esse inuentam. Asserit me neminem legisse, aut audiuisse, vel legisse dissimulasse. Additque me debuisse expendere rationes, quas ipse adducit prius quam intrepide proferrem prædictam conclusionem ratione à priori non probari. Me neminem legisse, aut legisse dissimulasse, mihique videri de omnibus Philosophis triumphasse, cùm cum nullo pugnauerim, non pro occasione, sed pro consuetudine solita dicendi ab hoc Authore proferuntur, ideo de eis non curo, expendam modò rationes, quas à me non prius fuisse libratas nouus iste reprehendit.

Prad 2. par. Controu. 13. art. 3. n. 77.

10 Refert ex Soto 7. Physicorum quæst. 1. quod limitatio materiæ posset in causam afferri, vt forma, quæ est in materia, nequeat rem aliam mouere nisi tangendo. Ausus non est Sotus absolute asserere, limitationem materiæ causam esse approximationis requisitæ ad agendum, sed tantum dixit, quod posset hæc causa designari, quo dicendi modo satis significat inopiam rationis pro hac conclusione, & ipsum rationi adductæ fidere, cui nullatenus fidendum est, ex illa enim nemo prudenter poterit intendere intentum persuadere, quod enim obstaret limitatio materiæ, ad hoc vt agens limitatum ad agendum intra duas vnas tantum spatij in posteriori ageret, dum illius actio in priori impediretur. Vidit hæc Sotus, & non id pro ratione, sed pro leui coniectura adduxit, & à Soto non dissentiens, inter rationes annumerandum esse non censeo.

11 Refert Capreolum in 1. dist. 27. quæst. vnica art. 2. ad 8. dicentem agens quodam modo esse actum ipsius passi, & passum esse quodam modo in potentia ad agens: actus autem, & potentia de sua ratione sunt indistinctæ. In his, nec ratio, nec quodam modo ratio continetur, latissime enim principium actiuum principij passiui actus dicitur (etsi actio merito talis dicatur) & ita ex hoc solum metaphorico dicendi modo conclusio probanda nullarenus deducitur, neque illam videtur Capreolus intulisse, sed tantùm ex antecedenti coniicere inter agens, & passuum non eam debere esse distantiam, quâ passum extrahatur ab agentis sphera.

12 Ex Nazario, & Carmelitanis rationem ab ipsis datam his verbis refert. Nam si actio, quæ est productio effectus, & ipsa datio & cõmunicatio esse, & entitas respectu illius non potest non esse coniuncta cum eodem, siue per inhærentiam, siue per identitatem, siue per intimam assistentiam vel tandem per propinquitatem. Do consequentiam parum firmam ex incompto antecedenti, vi illius non inferunt eam formantis determinate approximationem, sed coniunctionem aliquam, siue per identitatem siue per intimam præsentiam, seu approximationem, quapropter concessa propositione disiunctiua, poterit negari pars illa *intimam præsentiam, & approximationem importans*. Deinde totum hoc omnino est extra rem, quia in prædicto discursu non infertur coniunctio inter principium actiuum, & passiuum, de quorum approximatione agitur, seu coniunctio inter actionem, & effectum, de quorum approximatione hic non tractatur.

13 Rationem aliam adducit ex Ioanne à Sancto Thoma, quæ his clauditur, effectus exit ex concursu passi, & agentis: oportet ergo, quod virtus sit coniuncta passo. Ita nulla ratio conclusionis datur, inquirimus cur ad hoc vt actio exeat ab hoc agente in hoc passo requiratur approximatio.

14 Deinde subiungit rationem aliam à posteriori videlicet, quia non esset vnde limitaretur sphæra agentis. Rationem à posteriori conclusionis prædictæ dari non negaui, ibi dixi intelligendam esse quæstionem intra spheram agentis.

15 Quousque alios legat, hic Author, apud quos rationem aliam inueniat, mihi credat dicenti hucvsque à priori in hac quæstione designatam non esse, sciat nullam non solum non legisse, sed nec cogitasse nec illam reddere, valiturum esse, quo absque cuiusuis doctissimi iniuria de eo dicere postero, cum hucvsque nemo illam repererit. Animaduertatque rationes à priori, non merere quæcumque dicta, quæ nec leuis coniecturæ nomen merentur.

16

PVNCTVM II.

Quanta debeat esse approximatio inter agens, & passum.

1 DIxi non posse agens agere in distans quin agat in propinquum, ex quo infertur semper in agente requiri approximationem ad passum, restat modò dicendum an hæc approximatio debeat esse immediata, vel mediata, & quale sit medium sufficiens ad illam.

2 PRIMA CONCLVSIO: Partes remotiores agentis sufficienter applicantur mediis aliis partibus eiusdem agentis proximioribus, & immediatis passo in quibus nihil producunt. Quia calor in aëre vel in manu non tantum producitur à superficie ignis, sed à partibus prioribus, & posterioribus ignis: sed partes posteriores, seu remotiores ignis non agunt in priores & passo proximiores eiusdem ignis: ergo sufficienter applicantur remotiores & mediis propinquioribus. Maior probatur: si ignis tantùm ageret secundum extimam superficiem passo immediatam, non intensior calor produceretur ab ingenti igne, imò neque à pluribus ignibus coniunctis, quàm ab indiuisibili superficie, sed oppositum suadet experientia: ergo calor procedit

à parti

à partibus prioribus & posterioribus agentis. Minor non indiget probatione, cum enim omnes partes ignis sint eiusdem rationis, non potest vna agere in aliam. Ratio à priori est, quia partes priores, & posteriores indiuisibiliter concurrunt per eamdem actionem per modum vnius principij, & ita sufficit omnes simul sumptas per modum vnius agentis esse passo approximatas.

3 Secunda conclusio: Agens potest per se ipsum immediatè agere in partes distantiores aeris si adiuuetur effectu ei usdem rationis in medio producto. Conclusionem hanc multis experientiis probat Arriaga, quæ facilè possunt impugnari: ex his, quæ referuntur pro hac conclusione, efficaciorem adduco. Quando lux ingreditur per fenestram partes collaterales aeris minorem recipiunt lucem, quam illæ, quæ directè solem respiciunt: ergo Sol producit lucem in partibus aëris, quas linea recta respicit, aliàs lux æquè intensa produceretur in partibus aeris directè soli oppositis, & in aliis collateralibus, quia lux existens in medio aëre æquè versus omnem partem lucem produceret, si ipsa sola, & non sole adiuta aliquas partes aëris illuminaret. Ratio à priori huius conclusionis ex præcedenti facilè desumitur, effectus productus in medio habet virtutem ad producendum alium eiusdem rationis vt supponimus, præcipuum agens habet similem virtutem, siquidem produxit hunc effectum eiusdem rationis cum producendo: ergo effectus productus, & agens, quod illum produxit possunt per modum vnius principij totalis influere in effectum productum in parte alia passi, quæ semper erit immediata principio adæquato composito ex primo agente præcipuo, & ex effectu ab hoc producto concurrentibus per modum vnius principij totalis, atque adæquati.

4 Tertia conclusio: Vt agens producat effectum in partibus remotioribus passi sufficit produxisse in proximioribus effectum eiusdem rationis, etiamsi non adiuuetur effectu in proximioribus producto ad alium similem in distantioribus producendum. Exempli gratiâ: etiamsi lux non esset productiua alius lucis, Sol posset postquam in partibus proximioribus passi lucem produxit illâ non adiutus lucem in remotioribus producere. Probo hanc conclusionem, nulla est ratio à priori neque à posteriori, quæ suadeat agens indigere auxilio partium propinquarum passi ad agendum in remotiores: ergo dicendum est posse agere in partes remotiores passi proximioribus non adiutum. Secundò: partes remotiores agentis sufficienter approximantur passo mediis propinquioribus, etiamsi hæ nihil patiantur; ergo partes remotiores passi sufficienter erût approximatæ agẽti mediis aliis proximioribus eiusdem passi etiamsi hæ nihil agant. Vltimò efficacius: Quando producitur fœtus in opinione omnium asserentium produci à substantia creata partes formæ substãtialis, partes passi non sunt omnes applicatæ immediatè per se principio producenti, neque partes formæ productæ in partibus subiecti immediatè applicatis conducunt ad producendas alias compartes in partibus subiecti remotioribus, quia forma substantialis, quæ tantùm quantitatem requirit vt sit, eamdem requirit ad operãdum, & non potest intelligi in minori alia apta vt operetur: ergo agens tantùm applicatur ad producendam partem formæ in partibus subiecti remotioribus media productione in proximioribus aliarũ partium eiusdem formæ, quæ in productionem aliarum actiuè non influunt: ergo agens potest agere in partes remotiores subiecti etiamsi effectu eiusdem rationis in propinquiori producto non adiuuetur ad operandum.

5 Quarta conclusio: Agens non potest producere in passo distanti effectum diuersæ rationis ab ab illo, quem produxit in propinquo, si non adiuuetur effectu in propinquiori producto ad producendum effectum in remotiori. Probo hanc conclusionem: Sol producit calorem in pariete, manus enim applicata parieti calefit, & aërem inclusum in cubiculo calidum experimur, si illius parietes soli obiiciantur, quantumuis illius fenestræ clausæ sint, nihilominus non potest in eodem cubiculo fenestris clausis lucem producere: ergo non sufficit produxisse effectum in subiecto propinquo ad alium diuersæ rationis producendum in passo distanti, quando effectus in propinquo productus ad productionem effectus in subiecto distanti non conducit. Addo contra P. Hurtadum non sufficere effectum productum in passo propinquo esse formam dispositiuam ad producendum in passo distanti vt medio illo applicetur virtus agentis, quia effectus productus in medio etsi ex natura sua dispositio esse posset ad effectum producendum in passo distanti, de facto existit in subiecto distincto ab illo, in quo effectus est producendus, & nulla forma existẽs in hac parte subiecti seu in hoc subiecto potest disponere ad effectum producendum in alia parte subiecti; seu in alio subiecto adæquato: v. g. calor receptus in hac parte aëris non potest disponere ad formam producendam in materia aliûs partis aëris, seu in materia terræ, etiamsi forma producenda calorem exigat tanquam propriam dispositionem: calor enim in aëre receptus perinde se habet, ac si non esset in ordine ad disponendam materiam ligni ad formam ignis recipiendam: ergo calorem esse dispositionem ad formam ignis nihil conducit vt medio calore recepto in aëre possit virtus solis sufficienter applicari ad producendam formam ignis in subiecto, cui medio aëre localiter applicatur.

Ex his inferes iuxta nostram sententiam negantem ac- 6
cidentibus virtutem actiuam adhuc inæquatam ad substantiam producendam, solem non posse actiuè concurrere ad metalla in visceribus terræ producenda, quia non producit in medio effectum eiusdem rationis, & effectus aliàs diuersæ rationis, accidentia videlicet in aere producta non possunt actiuè concurrere adhuc inadæquatè ad formas substantias metallorum producendas, ac proinde media productione illorum non sufficienter applicatur virtus actiua solis ad producenda metalla in subiectis distantioribus. In opinione verò, quæ virtutem actiuam, saltem inadæquatam respectu substantiæ tribuit accidentibus, dici potest solem adiutum calore, aliisve qualitatibus in medio productis posse actiuè in formas metallorum influere. Neque inconueniens est in nostra sententia virtutem hanc soli, & aliis corporibus cælestibus negare, quia illam possumus aliis naturalibus causis, videlicet elemẽtis tribuere, & asserere aurum, & alia metalla conuentu elementorum actiuè produci inadæquatè à quocumque elemento, & adæquatè ab omnibus simul sumptis. Deinde necessariò recurrendum est ad Deum, vt aliquas viuentium formas producat, quæ non possunt principiis non viuentibus tribui, eademque ratione possumus pro aliarum formarum substantialium productione recurrere.

Punctum III.

An agens possit de potentia absoluta agere in distans, quin agat in propinquum.

Affirmatiuam partem satis inmi puncto 1. quam ex 1
ibi dictis breuiter hic propugnabo. P. Molina 1. p. q. 8. art. 1. disp. 2. P. Rub. lib. 7. Physic. q. 2. cap. 2. & alij plurimi asserunt neque diuina intercedente potentia posse agens agere in distans, quin agat in propinquum. Eminentissimus admodumque venerandus N. Card. Bellarm lib de Sacrament. in genere cap. 2. PP. Conimb. lib. 7. cap. 2. q. 2. Pater Soar 3. part. quæst. 18 disp. 3. sect. 2. quibus ego libenter subscribo affirmant diuina intercedente potentia posse agens agere in distans etiamsi nihil in propinquum agat.

Sententiam, quam defendendã suscepi sic probo. Agens 2
ex eo quod ageret in distans. & non in propinquum nihil produceret neque quo ad substantiam effectus, neque quo ad modum aliquem tenentem se ex parte termini producti distinctum ab illo, quod produceret quando ageret simul in propinquum: ergo nihil produceret, quod sit supra virtutem, & potentiam intrinsecam agentis. Consequentia est per se nota, antecedens efficaciter probo: Inuariato quoad substantiã, & quoad modum effectu producto in passo distanti, quando agens agit simul in propinquum, & indistans, ex eo præcisè, quod intelligatur negatio effectus, & actionis in passo propinquo agens aget in passum distans, quin agat in propinquum: ergo ex eo quod agens agat in passum distans, quin agat in propinquum ex parte termini producti neque quoad substantiam, neque quo ad modum aliquid est distinctum ab illo, quod esset, si agens ageret simul in propinquum, & in distans. Hoc stabilito argumentor sic: effectus producendus in passo distanti nullo alio in propinquo producto non est quoad substantiam, neque quoad modum tenentem se ex parte termini formaliter producti supra virtutem agentis; quod

potest illum producere,quando producit effectum in passo propinquo:ergo potest Deus determinare virtutè agentis ad talem effectum producendum , etiamsi ratione distantiæ seu ex defectu conditionis non exigeret talem actionem. Probo consequentiã:in eleuatione huius agentis Deus non constitueret virtutem agentis producentem effectum aliquem, quem ex se non posset producere, imò neque suppleret aliquam inadæquatam virtutem , quam Deus in aliis causis passim supplet , sed tantùm conditionem quamdam requisitam ad agendum:ergo poterit illam supplere,& talem eleuationem præstare. Confirmatur approximatio requisita ex parte virtutis ad agendum non physicè influit in effectum , sed tantùm est id,quo posito agens necessarium aliàs potens determinatur ad agendum: ergo deficiente approximatione inter agens , & passum nihil virtutis deficit ad effectum producendum , sed tantùm conditio determinans ad agendum , sed Deus potest virtutem agentis ad actionem determinare , etiamsi non ex se , neque ratione aliùs circunstantiæ determinata sit: ergo Deus potest supplere approximationem ad actionem requisitam. Vrgeo : approximatio requiritur vt virtus ex se potens producere effectum ex vi approximationis , & aliarum circunstantiarum , exigat Deum concurrere in actu secundo ad effectum producendum , & vt Deus determinetur ad concurrendum in actu secundo cum causa creata : sed potest causa creata concursum non exigente, neque ab illa determinatus ex vi alicuius exigentiæ , à se determinari ad illum concursum præstandum, quia quidquid Deus potest facere ad exigentiam causarum potest facere pro sua libertate:ergo potest Deus concurrere cum causa secunda ex se potente, etiamsi causa secunda hic,& nunc concursum non exigat:ergo secluſa approximatione, ratione cuius causa secunda exigat concursum poterit Deus cum illa concurrere ad producendum effectum in passo non approximato. Probat hæc ratio , agens posse agere in distans , quin agat in propinquum,non solum intra suam actiuitatis sphæram , sed etiam in quacumque alia distantia.

3 Obiicies : Agens non potest agere in tempore, in quo non est : ergo neque in loco in quo non est. Concedo antecedens , nego consequentiam , & disparitatem reddo. Agens , quod non habet existentiam in hoc tempore non habet existentiam in alio,sed illam habuit, vel habebit in tempore,quod non est, sed fuit, vel erit, cùm verò agens requirat existentiam actualem ad operandum requirit durationem tempore , quo operatur, hæc est enim legitima consequentia:agens non habet existentiam in hoc tempore:ergo absolutè non habet existentiam : hæc autem mala: agens non habet existentiam in hoc loco : ergo absolutè non habet existentiam , quia potest illam habere in alio loco huic coëxistente , ac proinde non ex eo quod agens requirat existentiam ad operandum requirit præsentiam in eodem spatio in quo est passum vel effectus,requirit tamen durationem in eodem tempore , in quo effectus est producendus,sine qua existentia subsistere non potest. Instabis , sicuti agens potest existere in alio loco ita potest existere in alio tempore distincto ab illo,in quo producitur,& existit effectus.Nego illud *sicut*, quia existere in alio loco est absolutè existere, & æquè existit , quod existit in hoc loco, & in alio ; existere autem in alio tempore non est existere,sed extitisse , seu extiturum esse, vt latius expendebam Controu.16. punct.1.

4 Obiicies secundò. Ad operandum hic requiritur præsentia hic : ergo agens non potest operari in hoc spatio, quin sit in hoc spatio. Magna latet æquiuocatio in termino *hic*, qui vix repetitus potest sumi semper ex parte eiusdem termini , vel potest modo ex parte huius, modo ex parte illius. Si semper sumatur ex parte eiusdem termini hunc sensum præstare poterit vt agens existens hic,producat effectum debet existere hic, & tunc vera erit propositio, ex qua tantum licebit inferri : ergo vt agens existens in hoc loco producat effectum debet existere in hoc loco. Secundò potest ex parte termini sumi terminus *hic*, & tunc propositio hunc reddet sensum , vt agens producat effectum existentem hic, debet effectus existere hic , & tunc similiter vera erit propositio, ex qua tantùm poterit inferri : ergo non poterit produci effectus non existens in hoc loco. Si terminus sumatur modo ex parte huius termini,modo ex parte illius faciet hunc sensum:ad hoc vt operetur agens existens hic requiritur effectus præsens hic, in quo sensu neganda est propositio , quia agens existens in hoc loco producit effectum existentem in alio loco distincto,quod necessariò contingit omni agenti , quod in extraneo subiecto , cum quo nequit penetrari , effectum producit.

Obiicies tertiò. Agens non potest agere naturaliter in passum distans , neque extra suam sphæram : ergo neque supernaturaliter:quia nulla causa potest eleuari ad id,quod est supra suam virtutem intrinsecam, vt patet in quacumque potentia vitali, quæ non potest eleuari à Deo vt versetur extra suum obiectum. Respondeo distinguendo primum antecedens : agens non potest agere naturaliter in passum distans neque extra suam sphæram ex defectu virtutis,nego antecedens:ex defectu conditionis, concedo antecedens : Deinde nego consequentiam. Ad illud, quod dicitur de potentia non potente versari extra suum obiectum respondeo:id prouenire non ex defectu conditionis requisitæ ex parte virtutis, sed ex defectu eiusdem virtutis adhuc inchoatæ , seu inadæquatæ , qui defectus à Deo suppleri nequit in ipsa virtute,quia entitas intrinsecè impotens, non potest fieri intrinsecè potens,defectus autem agentis ad agendum in passum distans , & intra suam loci sphæram tantùm est defectus cuiusdam conditionis, quam:Deus potest suplere. 5

Obiicies quartò. Hæc actio hic , & nunc dependet ab approximatione non media alia causalitate : ergo per semetipsam:ergo non potest non dependere ab approximatione, quia quidquid conuenit actioni per suammet entitatem ,neque diuinitus potest ab illa separari. Neque satisfit dicendo dependere ab approximatione non tanquam à virtute , sed tanquam à conditione , redit enim iterum idem argumentum : actio hæc dependet ab approximatione tanquam à conditione per suammet intrinsecam entitatem : ergo non potest non dependere ab illa tanquam à conditione, quidquid enim per suammet entitatem alicui conuenit , eo modo, quo conuenit non potest ab illo separari. Respondeo actionem hic & nunc dependentem ab hac approximatione non dependere ab illa adæquatè intrinsecè per suammet entitatem,aliàs neque de potentia Dei absoluta posset hæc actio non dependere ab hac numero approximatione agentis , & passi quod in omnium opinione falsum est , sed dependere per coëxistentiam actionis cum approximatione , & per decretum Dei, quo ex præuisione approximationis , seu causæ approximatæ exigentis concursum ex vi talis exigentiæ se determinauit ad concurrendum hic,& nunc. Quapropter si in instanti, in quo sunt approximata agens , & passum Deus decerneret concurrere cum agenti ad producendum effectum in passo independenter ab illa approximatione, ita vt illa secluſa ex vi eiusdem decreti eumdem concursum præstaret agenti,quod illum non exigeret ex defectu applicationis, influxus,seu actio illa nullo modo ab approximatione dependeret, quia actio eatenus dependet ab approximatione , quatenus hæc moraliter Deum determinat ad illam præstandam , qua morali determinatione secluſa nulla supereſt dependentia actionis ab approximatione. Solet obiici hic actionem esse modum agentis , ac proinde non posse ab illo separi ; sed hoc latè puncto 1. Vbi probaui ex hoc capite neque naturaliter repugnare agens agere in distans nihil operando in passo propinquo. 6

Punctum IV.

An approximatio causarum requiratur ex parte actus primi, seu sit prior natura respectu operationis.

Diximus approximationem agentis ad passum requiri vt causa effectum producat : Est modo disputatio quomodo hæc approximatio requiritur. Communis hucvsque sententia docuit approximationem se tenere ex parte actus primi ad effectum producendum,neque de hoc specialem disputationem instituere Doctores. P.Arriaga modo quæstionem hanc acutè mouit,in qua plus quam par esset suæ rationi tribuit forsan, quia nondum Lydio lapidi alienæ mentis examinandam proposuerat. 1

Fundamentum communis sententiæ breuiter, fideliterque ita refert Arriaga:Ignis non potest calefacere lignum nisi illi sit approximatus : ergo approximatio est conditio 2

ad calefactionem : ergo est prior natura. Contra hunc discursum sic arguit Arriaga disputatione 7. sectione 6. subsect. 4. sicuti ignis non potest calefacere lignum nisi illi sit approximatus, ita animal non potest mouere corpus distans, nisi aliquid producat in medio, eadem enim est vtriusque ratio vt experientia demonstrat, sed animal vt moueat corpus nõ requirit approximationem pro priori naturæ: ergo neque ignis vt calefaciat lignum. Maiorem & consequentiam putat Arriaga euidentes esse: minorem probat: animal per motum producit præsentiam, quam habet mobile in instanti, in quo mouetur: ergo præsentia illa non est prior motu : ergo neque approximatio, hæc enim formaliter includit præsentiam agentis , & passi. Dicet quisque rationem esse diuersam, quia per motum localem producitur præsentia, in qua sita est approximatio , & ita ad motum localem hæc supponi nequit : per motum verò calefactionis non producitur præsentia , neque mobile approximatum constituitur , & ita deberi aliunde ad motum hunc supponi subiectum approximatum. Sed contra hanc differentiam sic arguit Arriaga: etiamsi per motum producatur præsentia , non possum ego mouere corpus existens Romæ: ergo vt moueam corpus requiritur indistantia inter me , & corpus : ergo si cuti hæc saluatur , etiamsi approximatio positiua non se teneat ex parte actus primi , sic indistantia requisita ad calefactionem saluari poterit etiamsi approximatio positiua ex parte actus primi non supponatur. Similiter arguit, & solutionem aliam præoccupat : si dicatur ad motum localem sufficere supponi approximationem negatiuam, & positiuam non requiri , cur dici non poterit eamdem approximationem negatiuam sufficere ad motum calefactionis , & non requiri aliam positiuam ? Ex hoc fundamento concludit Arriaga ad operandum in passo requiri approximationem positiuam in instanti temporis, in quo est operatio , hanc tamen non requiri pro priori naturæ ante operationem , quod putat euidenter inferri ex fundamentis ab ipso adductis, quidquid autem roboris habẽt iam retuli, alia enim, quæ adducit & postea referam, ad supra relatum reduci debent, vel nullius sunt momenti. Multa inuoluuntur in hac re, quæ magna indigent distinctione quarum confusio sententiæ Arriagæ vim dedit, illa aliquibus conclusionibus dissoluam , quibus rei obscuræ nimis nonnihil lucis dabo.

3 Prima conclvsio : Nulla entitas indiget præsentia ex parte actus primi vt propriam præsentiam in genere causæ efficientis efficiat ,ꝰ neque vt illam patiatur in genere causæ materialis. Ratio est per se nota : ex vi talis actionis, seu passionis constituitur præsens principium, à quo procedit : ergo non potest supponi præsens. Probo consequentiam. Principium illud non potest supponi præsens per præsentiam ad quam terminatur talis actio , seu passio, quia implicat supponi præsentiam pro priori naturæ ad causalitatem, ex vi cuius producitur. Neque potest supponi præsens per aliam præsentiam , quia in instanti temporis, in quo est actio, seu passio terminata ad præsentiam huius subiecti , non potest subiectum habere aliam præsentiam, alias in eodem instanti temporis haberet duplicem præsentiam , quamdam , quæ supponeretur ad motum, aliam, quæ ex vi motus produceretur: ergo principium passiuum, aut actiuum propriæ præsentiæ non potest supponi præsens in priori naturæ ad actionem, seu passionem terminatam ad propriam præsentiam. Conuenio in hac conclusione cum Arriaga, quam fundamenta ab ipso adducta efficacissimè conuincunt.

4 Secvnda conclvsio: Omne agens requirit ex parte actus primi propriam præsentiam, vt producat præsentiam in subiecto à se distincto , quod sic probo : Præsentia principij producentis alienam præsentiam requiritur saltem in instanti temporis, in quo talem præsentiam producit : ergo requiritur tanquam quid consequens illam actionem vel tanquam quid illam præcedens , non tanquam quid consequens , quia ex vi illius actionis neque termini, quem ipsa actio respicit, principium non cõstituitur præsens: ergo requiritur, tanquam quid præcedens ipsam actionem: ergo requiritur ex parte actus primi, quidquid enim requiritur ad actionem tanquam quid illam præcedens, requiritur ex parte actus primi, & ad illam in priori naturæ supponitur.

5 Dicere posses præsentiam agentis non requiri neque antecedenter, neque consequenter, sed tantùm comitanter. Contrà : requiri aliquid comitanter ad actionem est non requiri propriè & per se , sed esse identificatum seu connexum cum aliquo, quod per se requiritur , à quo si posset separari nullo modo requireretur , & æquè bene sine illo fieret actio , quidquid enim per se requiritur , vel prærequiritur vt sit actio , vel ex vi illius tanquam quid posterius formaliter infertur , sed præsentia agentis non requiritur ad præsentiam subiecti extranei producendam , tanquam quid identificatum seu connexum cum alio , quod per se requiratur, quo posito sine præsentia agentis extranea produceretur : ergo non requiritur comitanter : ergo antecedenter, vel consequenter. Maior est omnino certa, neque alia ratione explicari potest quid sit comitanter requiri. Minorem probo: si præsentia propria ad alienam producendam comitanter requireretur , tantùm esset requisita tanquam quid consequens , seu connexum cum substantia agentis alienam præsentiam producturi , quod eãdem produceret eodem modo, si in instanti temporis subsisteret sine propria , sed non requiritur hac ratione propria præsentia ad alienam producendam, alias si hoc agens existeret sine illa omni præsentia nudum posset in subiecto extraneo præsentiam producere , & mouere corpus in quocumque loco existens, quod est plusquam falsum: ergo præsentia propria agentis per se ipsam requiritur ad alienam præsentiam producendam, non consequenter, vt probaui : ergo antecedenter : ergo præsentia propria se tenet ex parte actus primi ad præsentiam alienam producendam.

6 Tertia conclvsio : Nullum agens potest producere præsentiam alienam nisi respondentem spatio immediato agenti, ex vi cuius agens, & passum , quod illam recipit sint approximata. Ratio est, quia ad producendum quemcumque effectum etiam præsentiam in subiecto extraneo requiritur approximatio in illo instanti temporis , in quo est productio : ergo in illo non potest subiectum distare : ergo non potest agens producere præsentiam in passo , vi cuius constituatur distans in illo instanti , in quo patitur ab agenti & necessariò debet esse illi approximatum. Secundò nullum agens potest agere in passum distans , quin agat in propinquum , sed si agens produceret præsentiam in subiecto, ex vi cuius constitueretur distans secundum se totum ageret in passum , quod distaret in eodem instanti temporis , in quo pateretur ab agenti: ergo ageret in passum distans nihil agendo in propinquum, quia si secundum se totum distaret passum quod pateretur ab agente , medium interiacens propinquius agenti nihil ab isto reciperet.

7 Ex hoc inferes nullam viuens posse immediatè & per se sine impressione impulsus corpus aliud mouere nisi simul cum illo moueatur. Ratio est quia si passum moueretur à viuenti immoto sequeretur viuens producere præsentiam mobilis in passo distanti , quia ante motum passum non erat penetratum , sed tantùm immediatè approximatum : ergo si agens permanens in eodem loco passum contiguum in alio constitueret , illud à se remoueret , & produceret præsentiam distantem ab spatio , quod occupabat , quod fieri non posse probaui. Requiritur ergo vt viuens moueat aliud corpus prius naturâ viuens moueri, & acquirere præsentiam in spatio, à quo aliud corpus mouetur, quæ noua viuentis præsentia simul cum illo se tenet ex parte actus primi ad motum, quem viuens in alio corpore producit. Ex eadem conclusione potiori ratione infertur mobile in hoc instanti recipiens impulsum ab hoc agenti, non posse ex vi eiusdem impulsus in eodem instanti moueri , quod sic probo. Si passum in hoc instanti ex vi impulsus moueretur , separaretur ab agenti , & constitueretur distans ab illo : ergo in instanti, in quo recipit impulsum ab agenti est distans ab illo : ergo agens agit in distans, & non in propinquum, eo enim ipso quod separetur totum corpus, quod recipit impulsum, aliud quod est interiacens impulsum non recipit , ac proinde agens in passo distanti , & non in propinquo impulsum produxit.

8 Obiicit Arriaga: impulsus productus eamdem virtutem habet mouendi corpus in primo instanti, in quo producitur, & in vlterioribus: ergo illud mouebit in primo instanti aut in nullo alio. Nescio an consequenter dicat Arriaga corpus recipiens impulsum mouendum esse in illo instanti, in quo illum recipit , ex quo intendit probare non requiri approximationem ex parte actus primi , quia in

sua sententia etiamsi approximatio non requiratur in priori naturæ, ad motum alterationis requiritur in illo instanti temporis, in quo fit motus, sed si mobile moueretur in instanti, in quo recipit impulsum, & distaret in instanti temporis in quo illum patitur ab agente: ergo non solum supponeretur approximatio pro priori naturæ, sed neque daretur pro instanti temporis, in quo est motus alterationis cuius oppositum defendit Arriaga cum communi sententia, ne concedat agens agere in passum distans, & non in propinquum. Ad argumentum respondeo impulsum eamdem virtutem habere mouendi corpus in primo instanti, & in secundo, illud tamen moueri in secundo, & non in primo quia in primo instanti impulsus supponit approximationem passi cum agente, quam in illo instanti non potest destruere, quia nihil potest corrumpi in illo instanti, in quo supponitur, in secundo verò instanti non supponere impulsum ad sui conseruationem hanc approximationem, quia potest conseruari à Deo, & ita posse illam destruere, & corpus mouere.

9 Qvarta conclvsio: Vt viuens immediatè, & per se moueat localiter corpus illud, non supponitur approximatio ex parte actus primi inter agens, & passum. Ratio est manifesta: approximatio dicit præsentiam vtriusque extremi approximati, agentis videlicet, & passi: ergo non potest supponi approximatio, quin supponatur vtraque præsentia, sed præsentia mobilis non potest supponi ad receptionem ipsius præsentiæ, vt probaui concluſ. 1. ergo non potest supponi illius approximatio cum principio: requiritur ergo tantùm ex parte actus primi vt viuens localiter moueat corpus aliud, præsentia ex parte principij mouentis, non verò ex parte mobilis, & consequenter non requiritur ex parte actus primi, seu in priori naturæ ad ipsum motum approximatio inter mouens, & mobile, sed tantùm hæc requiritur in instanti temporis, & consequenter ad motum, ex vi cuius mobile tantùm potest constitui in spatio agenti immediato, vt dicebam conclusione tertia.

10 Qvinta conclvsio: Ex parte actus primi debet supponi approximatio inter agens, & passum, ad quemcumque effectum distinctum à præsentia producendum. Probo hanc conclusionem. In omnium sententia in instanti temporis, in quo agens agit in passum, requiritur approximatio positiua: ergo vel requiritur comitanter ad principium prærequisitum ad motum, vel consequéter vel antecedenter: non potest requiri consequenter, ad motum non terminatum ad præsentiâ, quia ex vi huius non sequitur præsentia & consequenter neque approximatio, quæ non alio modo producitur, quàm per productionem præsentiæ; non requiritur tantùm concomitanter, quia si ita requireretur, permanente virtute productiua, motus alterationis cum reliquis omnibus, & secluſa præsentia fieret motus, quia ex defectu præcisè illius, quod requiritur concomitanter, si hoc non est identificatum cum illo quod per se requiritur, non potest deficere motus: ergo alio modo reqairitur: ergo antecedenter. Si dicas requiri tantùm concomitanter, & concedas reliquis permanentibus, secluſa præcisè approximatione, illo instanti temporis motum alterationis eodem modo præstandum esse infertur necessariò ablata præcisè approximatione inter agens, & passum, præcisè per detractionem vtriusque præsentiæ agens posse agere in passum, & consequenter quòd si res omnes præsentiâ expoliarentur, posset hic ignis agere in omnia subiecta creata, quia nihil deficeret prærequisitum antecedenter, aut consequenter, sed tantùm comitanter, sine quo dummodo non deficiat illud, quod comitatur, & ratione cuius comitanter requiritur, æque benè fit actio, hoc autem admitti absurdũ est: quis enim concipiet ex eo præcisè quod careant approximatione, positiua præsentia, aliqua, seu omnia entia creata esse apta vt inter se agant, & reagant, & posse hunc ignem in quodcumque aliud subiectum creatum agere. Ratione etiam probatur à posteriori, non posse dici, posse agens nudum omni præsentiâ agere in passum eâdem absolutum. Si posset esse influxus inter agens, & passum non approximata, sequeretur posse esse eumdem influxum, etiamsi positiuè distarent, & nullam haberent approximationem. Consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequelam probo. Distantia secundùm se formaliter sumpta non impedit influxum, sed quatenus impedit approximationem positiuam: ergo si approximatio positiua necessaria non est, distantia nihil obierit. Consequentia est necessaria: antecedens probo. Si passum duplicem præsentiam haberet, & ex vi vnius esset approximatum agenti, & ex vi alius ab eodem distaret, posset pati ab agenti: ergo distantia dum non impedit approximationem inter agens, & passum, per seipsam non impedit actionem: ergo si approximatio positiua per se necessaria non est, etiamsi illam impediat, nihil impediret, requisitum ad influxum; aliàs per seipsam formaliter influxum non impedit, vt modò probaui: ergo si positiua approximatio non requiritur inter agens, & passum, poterit passum pati ab agenti distanti, & non approximato: Consequens est contrà omnem experientiam: ergo antecedens falsum.

Sexta conclvsio: Vt agens recipiat aliquem effectum à Deo productum, vel à seipso per actionem immanentem productum, non debet supponi præsentia ex parte passi, neque ad talem passionem supponitur concomitanter, tanquam quid necessariò ortum à subiecto, quo ablato, & subiecto permanente, eodem modo passio illa subsisteret. Hæc conclusio necessariò tenenda est, iuxta dict. Controuersiam 15. puncto 7. vbi tradidi posse entitatem aliquam omni præsenti absolui. Pono, verbi gratia equum omni præsentia destitutum, tunc Deus conseruaret formam equi dependenter à materia, & reliqua alia accidentia, siue educta ex quantitate, siue ex materia prima equi, siue ex toto composito, absque aliqua præsentia ex parte subiecti: ergo ad hoc vt subiectum formam aliquam substantialem, siue accidentalem patiatur, à Deo non prærequiritur præsentia ex parte subiecti, sed æquè benè poterit effectum conseruari dependenter à subiecto, siue hoc præsentiam habeat, siue illa careat. Quòd si potest forma conseruari à Deo in subiecto carente præsentiâ, eodem modo posset produci ab eodem agente: conseruatio enim, & prima productio respectu eorumdem principiorum intrinsecè in nullo differunt. Idem dicendum esse de effectu ab eodem subiecto immanenter producto, eâdem ratione probatur. Si Deus conseruaret equum absque omni præsentia, illum naturaliter conseruaret cum eisdem passionibus, quæ naturaliter illum comitantur, ea ratione, qua illi naturaliter conueniunt, sed equo naturaliter conueniunt passiones productæ, & conseruatæ ab eadem substantia equi: ergo tunc conseruaretur cum eisdem passionibus conseruatis ex vi eiusdem actionis, quà modò conseruantur procedentis ab equo: ergo equus sine præsentia naturaliter conseruaret suas passiones, neque ablata præsentia naturaliter deficerent passiones, & proprietates, quæ naturaliter essentiam comitantur, neque actiones, ex vi quarum producuntur, quia quælibet essentia per simplicem emanationem dependenter ab omni alio est productiua suarum passionum. Ratio à priori vtriusque partis conclusionis facilis est. Præsentia requititur vt approximentur agens, & passum: sed independenter à quacumque præsentia superaddita per suammet entitatem quodcumque passum est approximatum Deo, vt probaui Controuersia 15. puncto 8. ergo non requiritur præsentia vt passum approximetur Deo: ergo neque vt patiatur aliquem effectum ab illo, quia eo ipso quòd Deus sit approximatus, potest agere in passum: sed per seipsum est approximatus: ergo secluſa præsentia passi poterit Deus naturaliter agere in passum. Idem dico de agente in se ipsum per actionem immanentem: nulla entitas indiget præsentia superaddita, vt sit sibimetipsi approximata, quia entitas per se ipsam est sibi summè præsens: ergo non indiget presentiâ ad agendum in se ipsam: quia præsentia tantùm requiritur ad approximationem inter principium actiuum, & passiuum. quæ si subsistat sine præsentia, nullo modo præsentia necessaria erit. 11

Eamdem doctrinam confirmat conseruatio impulsus in instanti, in quo ex vi illius corpus mouetur: in illo enim impulsus est prior præsentia mobilis: ergo non potest esse posterior illa: ergo receptio impulsus in instanti conseruationis nullam supponit præsentiam ex parte passi. Ex hoc infero impulsum in instanti, in quo ex vi illius mouetur corpus, tantùm posse dependere efficienter à Deo, qui independenter à præsentia passi est illi approximatus, non verò ab alia causa creata distincta à mobili, quia requirit ex parte actus primi ad operandum approximationem cõstitutam in præsentiis superadditis agentis, & passi, & hæc supponi non potest ad productionem impulsus in instanti, in quo ex vi impulsus mouetur corpus, quia præsentia 12

quam

quam in illo habet corpus mobile est posterior impulsu, & ab illo producta.

13 Ex tota doctrina tradita clarè constat non rectè intulisse Arriagam, ex eo quod viuens non indigeat approximatione ex parte actus primi ad mouendum localiter corpus, non illa indigere ignem ad calefaciendum lignum, quia approximatio requisita inter viuens, & mobile in instanti temporis, in quo hoc mouetur ab illo localiter, est quid consequens motum localem, & ita neque potest, neque necessum est illum antecedere: approximatio verò requisita inter agens, & passum in instanti temporis, in quo est motus, non est quid consequens motum, ac proinde potest, & necessum est illum antecedere, quia quidquid requiritur in aliquo instanti temporis, & non concomitanter, neque consequenter, sicuti approximatio respectu motus localis, debet necessariò antecedenter requiri.

LIBER OCTAVVS PHYSICORVM.

CONTROVERSIA XIX.

De mundi inceptione.

DVo sunt entium genera permanentium, & successiuorum, de quibus non eadem est difficultas circa ipsorum inceptionem, an videlicet ab æterno esse potuerit. Dicam prius de permanentibus, in quibus minor est difficultas, & postea agam de successiuis, & vltimò inquiram an ab æterno potuerint esse generationes.

Punctvm Primvm.

An creatura permanens potuerit esse ab æterno.

1 IN hæc re fœdè errauit Philosophorum Princeps, qui mundum fuisse ab æterno sentiebat, vt testatur D. Bonauentura & plures antiqui Philosophi ex illius discipulis, quos referunt Patres Conimbr. libr. 8. cap. 2. quæst. 3. art. 1. error iste ex insanissimo delirio trahebat originem, putabat enim Deum non liberè, sed necessariò operari, & ita non potuisse suam operationem cohibere, & ab æterno non produxisse mundum. Deo Optimo Maximo perfectissimam inesse libertatem circa omnia effecta ad extra producenda ostendit naturæ lumen, creaturas omnes in tempore produxisse pluribus scripturæ testimoniis reuelatum est. Genes. 1. *In principio creauit Deus cœlum & terram*, & Psalm. 101. *Initio tu Domine terram fundasti*, neque aliqua pro errore Philosophi apparens potest adduci ratio, quam referri otiosum non esset. Contendendum est inter Catholicos an creatura aliqua ab æterno creari potuerit, quod modò de permanenti disputo.

2 Nullam creaturam permanentem potuisse à Deo, produci ab æterno sentiunt Henr. quodlib. 1. quæst. 7. & quodlib. 9. quæst. 19. & alij apud Patres Conimbr. infrà, quibus consentire videtur N. Toletus 8. Physicor. q. 2. Oppositam sententiam defendunt D. Thom. 1. part. quæst. 46. art. 2. P. Suar. 1. Metaphysic. disp. 20. sect. 6. num. 11. P. Vasquez tom. 2. in 1. part. disp. 177. cap. 5. P. Valent. tom. 1. disput. 3. quæst. 3. punct. 2. §. *Secunda assertio.* Patres Conimbr. 8. Physic. cap. 2. quæst. 6. art. 2. Rub. tract. de æternitate mundi, q. 2. P. Hurtad. disp. 16. sect. 1. P. Arriaga disp. 17. sect. 2. subsect. 2. & alij plurimi apud istos, quibus ego subscribo.

3 Probant Hurtadus, & Arriaga, aliique plurimi sententiam hanc, ex eo quod causa non debeat tempore præcedere effectum, ex quo inferunt Deum ab æterno existentem ab æterno posse creaturam aliquam producere. Causam non debere præcedere effectum prioritate temporis suadet experientia, qua videmus lucem in primo suæ durationis instanti medium illuminare, & ratio rem conuincit, quia in agentibus, quæ contrarium non habent, nullum caput reperiri potest, quo in primo suæ existentiæ instanti impediantur, ne effectum producant, quem producent in secundo, neque ratio est aliqua, propter quam in hoc secundo, & non in illo primo operentur, cum eadem sit virtus agenti in primo instanti, in quo existit, & in secundo, in quo idemmet perseuerat. Deinde vt virtus in hoc instanti se per actionem exerceat, requiritur illius existentia in hoc instanti, & existentia præterita per accidens se habet ad actionem nunc exercendam: ergo hæc virtus, à qua actu existenti procedit actio, eodem modo principium erit huius actionis siue ante extiterit, siue non extiterit: ergo dum existant in hoc instanti eodem modo operabitur, siue in hoc instanti existere incipiat, siue extiterit. Idem dico de causa libera respectu effectus liberi futuri, qui potest esse coæuus suo principio, quia ad hoc vt voluntas in hoc instanti liberè se determinet, tantùm requiritur in hoc instanti esse indifferentem ad operandum, & non operandũ, & impertinenter se habet in instanti antecedenti indifferentiam præcessisse. Quod si in instanti, in quo datur operatio ex suppositione quod detur, non possit non dari, necessitas hæc tantum est consequens, quæ libertatem integram relinquit, quia in hoc instanti ita est actus liber, vt potuerit non esse. Hac ratione Deus ab æterno liberè se determinauit ad producẽdas in tempore creaturas, & omnia illius libera decreta sunt æquè æterna cum ipso Deo. Eodémque modo Angelus in primo suæ creationis instanti liberè potuit operari.

Cæterum etsi verum sit causam non debere tempore, 4
effectum præcedere, non ex hoc capite soluta est præsens quæstio, neque adæquata potest desumi ratio ad nostram conclusionem probandam, posset enim aliquis dicere creaturam ab æterno existentem repugnare, non ex eo formaliter quod illam debeat præcedere causa, à qua producitur, sed quia secundùm se independenter à præsentia temporis quam causa debeat habere respectu effectus, repugnat effectum aliquem ab æterno existere. Ex quo fit causam creatam existentem in tempore non debere effectum tẽpore præcedere, debere tamen causam increatam existentem ab æterno tempore præcedere effectum ab illa productum, non quia hæc præcedentia conducat ad causalitatem, sed quia causa increata per se habet esse ab æterno, & effectus creatus per se petit esse in tempore, ex quo fit causam increatam necessariò habere temporis præcedentiam respectu effectus. Conducet tamen ratum esse causam non debere tempore præcedere effectum, ne ex hoc capite intendat aliquis probare creaturam non potuisse existere ab æterno, quia illius causa debuit tempore præcessisse, quod falsum esse tam in causis liberis, quàm in necessariis iam ostendi. Huius conclusionis solida, & adæquata probatio sumenda est ex solutionibus argumentorum, quæ fieri possunt contra creaturam permanentem ab æterno existentem. Breuiter argumenta propono, & soluo.

Obiic. primò: *Creatio* est *productio rei ex nihilo*, sed si ef- 5
fectus fieret ab æterno non fieret ex nihilo, quia non præcessisset nihilum, seu negatio illius, ex quo fieret: ergo non

crearetur:ergo vt creetur debet prius tempore præcedere illius negatio: ergo non potest creari ab æterno, id enim quod fuit ante, aliud ab æterno esse non posse ostendi Controu.13. Punct. 1. Respondeo rem fieri ex nihilo non esse fieri ex negatione sui,sed fieri nullo præsupposito subiecto,ad quod non requiritur præcessisse prius tempore negationem, nihil enim vetat ab æterno existere actionem nullum subiectum respicientem.

6 Obiic. secundò: Si Deus ab æterno creaturam aliquam produxisset, non posset illam per æternitatem destruere, implicat enim aliquid ab æterno existere, & non durare per æternitatem. Consequens est absurdum,quia Deus liberè in quocumque instanti creaturam conseruat, & in quocumque potest illam corrumpere: ergo antecedens est falsum. Vrgetur, illa cretura non posset corrumpi per æternitatem: vt probatum est, quia per æternitatem erat necessariò duratura: insuper posset corrumpi, quia omnis creatura ex se est corruptibilis, & potest in quocumque instanti deficere:ergo creatura illa posset per æternitatê corrumpi,& non posset corrumpi. Respondeo ex suppositione quod Deus creaturam ab æterno creauerit non posse non per æternitatem illam conseruare, quod enim ab æterno existit non potest ab æterno non existere, ac proinde negatio illius, quod ab æterno est, in tempore debet incipere,quod præcessit æternitas, in qua fuit res, cuius in tempore negatio incipit,vel quæ in tẽpore corrumpitur. Hoc autem nullum est absurdũ,neque aliquam necessitatem antecedentem ad decretũ liberum Dei arguit in Deo conseruãdi creaturam, quia necessitas illa non est absoluta,sed ex suppositione quod Deus liberè voluit ab æterno creaturam illam producere, quod est idem formaliter,quod velle illam per æternitatem conseruare, quia in his,quæ ab æterno producuntur, neque mente diuinâ potest secerni productio à conseruatione,quia productio vt distincta à conseruatione dicit primum instans, in quo existit terminus, quod non est in termino ab æterno producto, quia nullum datur instans, quod sit primum suæ durationis. Itaque tam ex parte actus, quàm ex parte obiecti est idem decernere Deum creaturam ab æterno producere, & decernere per æternitatem conseruare illam, & sicuti nullus dicet esse contra libertatem Dei non posse per æternitatem creaturam corrumpere, quam decreuisset per æternitatem conseruare, ita non est contra libertatem Dei non posse per æternitatem corrumpere creaturam quam decreuit per æternitatem producere, quia, vt dicebam,idem est decernere creaturam ab æterno producere,& decernere illam per æternitatem conseruare. Ad confirmationem respondeo creaturam ab æterno productam intrinsecè esse corruptibilem, & in quocumque instanti ex natura rei posse corrumpi, etiamsi non possit per æternitatem non durare, eo ipso quod fuerit ab æterno producta, quia ante quodlibet instans in quo illius corruptio esse contingat præcessit æternitas, in qua res illa potuit per æternitatem durasse,& in qua extrinsecè est incorruptibilis consequenter, seu ex suppositione sicut lux conseruata in hoc instanti non potest in illo corrumpi ex suppositione,quod sit conseruata in hoc instanti, quod non est rem esse intrinsecè incorruptibilem, sed tantùm extrinsecè, & ex suppositione, sicuti non est rem esse intrinsecè incorruptibllem non posse in hoc instanti corrumpi ex suppositione quod in illo conseruetur,vel producatur.

7 Obiic. tertiò:Si Deus ab æterno crearet ignem & simul cum illo crearet stupam applicatam, stupa non posset ab æterno corrumpi propter rationem dictam præcedenti argumento:ergo corrũperetur in tempore;insuper ignis cum esset agés necessarium illam corrumperet, vt primùm posset:suppono ergo illam corrũpere in instanti *A*: tunc ignis corrupisset stupam in primo instanti, quo posset propter rationem dictam, & non illam corrumperet in primo instanti, quo posset, quæ sunt contradictoria. Respondeo ignem non combusturum stupam in primo instanti,in quo posset, non quia posset in aliquo instanti illam comburere, & actionem subtraheret, sed quia nullum daretur instans, in quo primo posset stupam comburere, ante quodlibet enim daretur aliud, in quo prius posset stupa comburi. Vnde claritatis gratiâ negandum est suppositum illius propositionis: *ignis combureret stupam primo instanti, quo posset*, non enim datur tale instans, neque posset assignari à Deo; similiter dicendum est contra Arriagam Deum non posse decernere ab æterno producere creaturam in tumpore, cùm primum posset in tempore, quia hoc esset decernere creaturam producere in instanti, quod non est, nullum enim est instans primum, in quo effectus possit produci à Deo, ita vt non potuerit in alio præcedenti produci.

Sed inquires, in quo instanti ignis stupam combureret, 8
combustio enim eo ipso, quod sit futura, est futura in aliquo instanti determinato. Attentè subtilem solutionem accipe:eo ipso quod Deus decernat stupam ab æterno producere,decernit independenter à quocumque contrario exigente stupæ corruptionem, stupam per æternitatem conseruare, quæ æternitas à parte antea terminum non habet, neque recipit magis, aut minus, bene tamen à parte post,quia à parte post est finita,& terminum habet duratio, quæ à parte antea dicitur æternitas. Hic autem terminus potest esse aliquod ex finitis instantibus successiuis, quæ Deus ab æterno cognouit postea futura, non tamen debet esse potius hoc quam illud, quia res æterna à parte antea potest hoc vel illo instanti finiri: debet ergo Deus, qui effectum ab æterno producere decernit, si non decernit illum in æternum à parte post conseruare, decernere conseruare illum independenter à quocumque contrario exigente illius conseruationem vsque ad certum, & determinatum instans, quod ipse maluerit. Suppono ego Deum decreuisse stupam ab æterno productam conseruare independenter ab exigentia contrarij vsque ad instans *B*: tunc stupa corrumperetur in instanti *C*, quia in præcedentibus ex vi decreti, quo Deus illam decreuerat ab æterno vsque ad instans *B*,conseruare,stupa illa corrumpi non poterat. Quod si Deus per decretum, quo decreuit stupam ab æterno producre decreuisset illam conseruare independenter ab omni alia entitate vsque ad instans *C*: tunc combureretur in instanti *D*: semper enim stupa combureretur in instanti immediato à parte post terminatiuo æternitatis,per quam Deus decreuerat conseruare stupam,etiamsi naturales causæ illius corruptionem exigerent. In hoc sensu verum existimo ignem combusturum stupam in instanti,quo primum posset,non absolutè,& antecedenter,quia hoc non datur,sed ex suppositione decreti, quo Deus voluit stupam ab æterno producere, quod decretum imbibit voluntatem conseruandi creaturam illam independenter ab omni contrario, vsque ad determinatum instans,si non est decretum, quo Deus velit creaturam à parte antea,& à parte post perpetuo durare.

Obiic. quartò. Æternitas est propria Dei:ergo non po- 9
test conuenire creaturæ. Respondeo æternitatem intrinsecam ex vi cuius antecedenter ad quodcumque decretum, & existentiam rei repugnat ab æterno,& in æternum non existere, esse propriam Dei, quæ non potest conuenire creaturæ, quæ in quacumque duratione existit dependenter à Deo: æternitatem verò extrinsecam, & accidentalem, ex vi cuius ita existit aliquod ens ab æterno, vt antecedenter potuerit non existere, rectè posse competere creaturæ.

Obiic. quintò. Patres inferebant contra Arrium; Ver- 10
bum non esse creaturam ex eo quod fuerit ab æterno: ergo esse ab æterno est contra rationem creaturæ, alias inefficax esset Patrum argumentatio. Respondeò:Patres arguere ad hominem contra Arrium, qui admittebat nullam creaturam fuisse ab æterno, quo admisso efficax est illorum argumentatio, quod si aliquando innuant æternitatem esse propriã Dei,quæ non potest creaturæ cõpetere,loquuntur de æternitate per essentiã argumẽto præcedẽti explicatam.

Multi impugnant existentiam creaturæ permanentis ab 11
æterno ex durarione illius, quæ esset successiua,& infinita, contra quam fiunt omnia argumenta, quæ puncto venturo expendam contra successiuorum naturam, sed hæc argumenta in mea sententia, quæ non admittit durationes superadditas locum non habent, & de illis iudicium feram punct.3.vbi contra motũ ab æterno fluentẽ illa instituam.

PVNCTVM II.

An generationum series potuerit esse ab æterno.

NOn est quæstio an subitò, vel ab æterno potuerint 1
esse infiniti homines geniti, in qua difficultate duæ continentur: An repugnet infinita multitudo,& an repugnet entitas ab æterno existens:vtraque iam definita,prior

Controuers. 14. Punct. 4. vbi dixi non repugnare infinitam multitudinem; posterior Punct. præcedenti, vbi probaui non repugnare creaturam permanentem ab æterno existere, ex quibus constat non repugnare modò hîc infinitos homines gigni, aut ab æterno genitos existere. Tractanda est modo quæstio an possit dari infinita series hominum qui successiuè gignantur immediatè vnus post alium, ita vt ab æterno series illa generationum processerit, & adhuc his terminis proposita difficultas maiori diuisione explicanda est. Potest inquiri an hi homines successiuè geniti possint omnes procedere ab vno principio, videlicet à Deo omnes & singulos producente. Et potest inquiri an hi homines possint procedere per naturalem propagationem suo ordine deriuatam per atauos, abauos, proauos, patres, & filios. In priori sensu continet difficultatem, quam continent successiua ab æterno existentia, & eodem modo definiendum est an possint infiniti homines successiuè produci à Deo, & an possint ab æterno fluere infinitæ partes motus, de quo Puncto sequenti: in præsenti ergo tractanda est difficultas tantùm in posteriori sensu, an videlicet ab æterno possint infiniti homines successiuè procedere per naturalem propagationem vnius ab alio.

2 Generationes ab æterno procedentes per naturalem propagationem non repugnare tuentur Greg. Gabr. Okam & Caietan. apud P. Rubium hîc quæst. 4. Oppositam sententiam tuentur P. Vasquez 1. part. disp. 177. P. Rub. suprà PP. Conimbr. quæst. 7. P. Hurtad. disp. 18. sect. 2. P. Arriaga disp. 17. sect. 1. Ratio est facilis: in illa hominum serie necessariò deueniendum est ad vnum hominem, qui immediatè tantum procedat à Deo, quia non possunt omnes non procedere ab vna prima causa, à qua tota illa series tanquam à principio deriuetur. Insuper homo immediatè ab isto genitus, non fuisset genitus, neque existens ab æterno, quia habuit progenitorem prius tempore existentem, nihil autem, quod est ab æterno habet aliud tempore præcedens, neque prius illo, quia ante æternitatem nihil est. Vel ergo inter productionem primi hominis producti à Deo, & inter generationem alius ab hoc geniti intercessit æternitas, vel finitum tempus: si æternitas: ergo series illa hominum fuit interrupta per æternitatem, & tantùm homo productus à Deo ab æterno extitit. Si tantùm intercessit tempus finitum: ergo primus homo tantùm præcessit secundum in duratione finita: sed secundus non fuit ab æterno: ergo neque prior, qui duratio finita addita durationi finitæ non facit durationem infinitam.

3 Argumenta alia, quæ pro eadem sententia adducuntur solida non sunt. Sic arguunt multi recentiores ex P. Vasquez, & ex P. Rubio: Homo non potest alium hominem producere secundùm se totum: ergo saltem materia est ab alio, sed materia præsupponitur cuilibet homini: ergo materia ab alio, seu connotans aliud principium est prior tota collectione hominum: ergo Deus supponitur vt connotatus à materia ante totam collectionem hominum: ergo productio materiæ est prima omnium productionum, & prior omnibus generationibus hominum: ergo generationes hominum non potuerunt esse ab æterno. Non percipio vim illationis: concedo Deum supponi connotatum à materia ad omnium hominum generationes, & productionem materiæ priorem esse tota collectione hominum prioritate naturæ, ex qua prioritate non sequitur generationes hominum non fuisse ab æterno, sicuti ex eo quod omnis causa sit prior naturâ effectu non sequitur effectum posteriorem naturâ non posse esse ab æterno coëxistentem causæ: sic posset contingere in generationibus, quarum collectio posterior naturâ productione materiæ posset esse ab æterno simul cum materia ratione diuersarum generationum successiuè fluentium, si ex alio capite generationes ab æterno repugnantiam non habeant, hæc enim non oritur ex eo quod debeat dari aliqua generatio, seu productio prior naturâ reliquis omnibus, sed ex eo quod debeat dari vna quæ sit prior tempore reliquis aliis, quamdari non infertur ex eo, quod productio materiæ sit prior natura reliquis omnibus generationibus.

4 Confirmare intendunt eamdem conclusionem. Hæ generationes ordine naturæ factæ diuisim & collectiuè sumptæ supponerent alterationem, & reliquas dispositiones prius tempore existentes: ergo hæ generationes ab æterno non sunt, nam quod aliud prius tempore supponit, ab æterno esse nequit. Difficultas hæc non specialiter instituitur de generationibus quatenus habent hunc, vel illum modum procedendi à suis principiis, neque generationes hominum adducuntur in disputatione, quia specialiter de illis procedat, sed exemplum generationum hominum fuit adductum, sicuti possit in aliis quibuscumque generationibus substantialibus, vel accidentalibus adduci, quæ dispositiones aliquas supponunt, quapropter si specialem aliquam difficultatem haberet argumentum ratione dispositionum, quæ prius tempore supponerentur ad generationes hominum, ad præsentem quæstionem non spectarent, in qua inquirimus an possint infinitæ generationes ab æterno fluere cum dependentia vnius ab alia, quia hæc procederet à termino genito per generationem antecedentem, & antecedens à termino genito per aliam præcedentem, & sic in infinitum, quæ difficultas tractanda est independenter à quibuscumque dispositionibus prærequisitis, vt etiam in generationibus accidentalibus locum inueniat. Neque admissis dispositionibus præcedentibus generationes hominum adhuc in his conuincit hoc argumentum non posse ab æterno procedere. Quia etsi quælibet generatio particulariter sumpta supponat dispositiones tempore præcedentes ipsam generationem, tota tamen generationum collectio non supponit dispositiones tempore præcedentes, quia non infertur ex eo, quod quælibet generatio supponat prius tempore dispositiones, collectionem illas supponere, neque aliud est caput, ex quo possit deduci totam collectionem dispositionum supponere dispositiones prius tempore existentes, nisi quia quælibet generatio particulariter sumpta illas supponit; ex hoc autem non deduci sic probo. Hæc est vera propositio in sententia Aristotelis: *Posti quamlibet diuisionem in partes quamtumuis minimas possibilis est alia.* Et in sententia eiusdem Philosophi ex illo antecedenti deduci non potest: *ergo posti omnes diuisiones huius continui possibilis est alia.* Similiter hæc est vera propositio: *quilibet numerus finitus habet alium finitum numerum excedentem*, & hæc non est recta illatio: *ergo omnes numeri collectiuè sumpti habent numerum excedentem.* Eodem modo hæc est vera propositio: quælibet species seorsim sumpta ex omnibus possibilibus habet aliam perfectiorem se, & hæc consequentia est inepta: ergo tota collectio specierum habet aliam speciem perfectiorem: ergo eodem modo hæc erit mala consequentia, quælibet generatio habet dispositiones tempore præcedentes: ergo tota collectio generationum habet dispositiones tempore præcedentes, maximè cum ad collectionem vt collectio est formalter, nullæ dentur dispositiones, sed tantùm ad singulas generationes seorsim sumptas. Aliæ rationes minoris momenti pro eadem conclusione adduci solent, quam tantum efficaciter probat ratio primo loco adducta.

Punctum III.

An possit dari motus, tempus, aliúdve successiuum ens ab æterno existens.

QVi negant posse infinitum actu adhuc successiuè produci, negabunt consequenter, posse dari motum, tempus, aliúdve successiuum ens ab æterno fluens. Sed specialiùs de hac quæstione disputantes id negant Durand. in 2. distinct. 1. quæst. 2. art. 3. Sotus lib. 3. Physic. quæst. 3. P. Soar. in Metaphysic. disput. 20. sect. 6. num. 13. P. Val. tom. 1. disput. 3. noster Tolet. lib. 8. Physic. quæst. 2. P. Rub. hîc quæst. 3. P. Hurtad. disput 18. sect. 2. & 3. Motum, & aliud quoduis ens successiuum ab æterno existens non repugnare. Defendunt D. Thom. de potentia, quæst. 3. art. 14. in 2. distinct. 1. quæst. 1. art. 3. 2. contra Gentes, cap. 58. P. Vasq. 1. part. disput. 177. P. Pererius lib. 15. cap. 13. P. Arriag. disp. 17. sect. 2. Plures Thomistæ, & Nominales ferè omnes apud P. Rubium suprà. 1

Sentio motum aliúdve positiuum ens ab æterno existere repugnantiam non inuoluere. Solida conclusionis probatio erit argumentorum solutio, quæ contra illam adducunt oppositæ sententiæ propugnatores. Argumenta propono, & diluo. 2

Obiiciunt primò recentiores, inconsequenter concedi motum ab æterno, & negari infinitas generationes ab homine vno per naturalem propagationem descendentes, quia partes omnes motus proueniunt ab vno subiecto, ab vno Angelo cælos mouente, & ab vno Deo primo motore, 3

quæ

quæ omnia principia subiectum, Angelus, & Deus sunt priora natura reliquis partibus motus, & ita eadem est repugnantia in partibus motus, & succedentibus ab vno ex his principiis, subiecto Angelo, & Deo, ac est in generationibus infinitis procedentibus per naturalem propagationem. Respondeo rationem longè esse diuersam, quia cum concedimus infinitas partes motus ab vno Angelo, non concedimus Angelum prius tempore existentem reliquis omnibus partibus infinitis successiuè fluentibus, in quo est manifesta repugnantia, repugnat enim entitates ab æterno à parte antea existentes habere aliquam aliam tempore præexistentem, à qua procedant reliquæ omnes, quod concedendum est, si admittantur infinitæ generationes per filios, nepotes, & pronepotes descendentes, propter quam rationem negauimus posse dari hanc generationum processionem, in infinitis autem partibus motus immediatè procedentibus ab vno Angelo non debet concedi Angelus tempore præexistens infinitis partibus motus, sed illis ab æterno coexistens, in quo nulla est repugnantia, sicuti non esset in infinitis generationibus immediatè ab vno homine successiuè fluentibus, in quibus non debet reperiri vnus homo genitus prius tempore existens reliquis aliis, sicuti debet dari in his, qui procedunt per naturalem propagationem parentum, auorum, proauorum, &c. quia semper deueniendum est ad vnum principium influens in quoscumque alios effectus, non tamen necessum est deuenire ad vnum prius tempore existens reliquis omnibus in his, quæ successiuè fluunt immediatè ab alio distincto omnibus coexistente.

4 Obiic. secundò: Successio dicit partes priores, & posteriores, hanc aduenire, & abire illam: sed nulla pars potest aduenire ab æterno, quæ si ab æterno aduenit per æternitatem durauit, & sic in æternitate nulla est successio partium, sed existentia eiusdem, inter ipsam & partem aliam æternitas interfessit: ergo non possunt dari partes ab æterno successiuè fluentes. Vrgent assignatis duabus quibuscumque partibus motus, duobúsve quibuscumque indiuisibilibus in sententia Zenonis, in qua clarius omnia patent: vnum debet esse posterius alio, hoc posterius ab æterno esse non potest, illud prius, vel præcedit posterius immediatè per æternitatem, vel per vnicum instans, si per æternitatem inter indiuisibile, & indiuisibile motus interfessit æternitas, & ita motus non fuit ab æterno successiuè continuè fluens: si per vnicum instans: ergo sicuti indiuisibile posterius non fuit ab æterno, sed in tempore, sic & prius, quia quod tantùm præcedit per tempus finitum aliud in tempore existens necessariò est in tempore, & non ab æterno. Hoc argumentum, & alia plurima, quæ fiunt contra motum ab æterno fluentem supponunt dari in motu aliquam partem priorem omnibus, vel aliquam illius partem, quæ ab æterno fuerit, quod ego nego, implicat enim manifestè partem aliquam priorem omnibus aliis immediatè successiuè fluentibus esse ab æterno, vt rectè probat obiectio, quia sicuti pars immediata ab æterno non est, quia habet aliam priorem, sic neque pars prior, quæ tantùm excedit aliam immediatè fluentem parte temporis finita. Secundò, vt rectè probat obiectio, quod ab æterno est per æternitatem durat, & ita si pars aliqua ab æterno esset per æternitatem duraret, & motus non habuisset partes successiuè fluentes per æternitatem. Respondeo ergo argumentum tantùm probare nullam partem motus fuisse ab æterno, quod ego concedo, nego tamen motum non fuisse ab æterno, quia etsi quælibet illius pars fuerit in tempore, ante illam potest assignari alia prius tempore existens, & sic in infinitum alia, & alia prior, ratione quorum motus ab æterno dicitur esse.

5 Instant recentiores: Implicare motum esse ab æterno, & aliquid illius ab æterno non fuisse, quod sic probant. Si motus fuit ab æterno verum erit dicere Deum non fuisse prius tempore, motu, vel ergo est verum dicere Deum non fuisse prius quàm omnes partes motus, ita vt nulla sit posterior Deo, vel est verum dicere aliqua parte priorem non fuisse: vtrumque manifestè implicat. Ergo. Implicare Deum non esse priorem omnibus partibus, ita vt nulla sit illo posterior manifestum est, quia hæc pars motus habet aliam partem priorem tempore, sed Deus coexistit omni parti temporis: ergo coexistit parti priori alia: ergo est prior illa, quæ partem priorem habet coexistentem Deo, implicat enim coexistere alicui, quod est prius alio, & non habere eamdem temporis prioritatem respectu illius. Secundò vtramque partem dilematis implicare nos supra concessimus, & probauimus, quia statuimus implicare partem aliquam ab æterno: ergo implicat dari partem aliquam qua Deus non sit prior, si ergo implicat dari vnam partem motus, quæ Deo non sit posterior, potiori ratione implicabit dari motum cuius nulla pars sit posterior Deo: ergo implicat Deum non esse priorem aliqua parte motus, & implicat non esse priorem omnibus partibus motus, & consequenter non esse priorem toto motu collectiuè sumpto, & motum non esse posteriorem Deo, quod componi non potest cum motu ab æterno existente, quia si motus esset ab æterno, neque Deus prius duraret. Respondeo dato motu ab æterno verum esse Deum non fuisse priorem tempore motu, quod verificandum non est de aliqua parte, respectu cuius Deus non fuerit prior, neque de omnibus partibus, ita vt nulla pars sit posterior Deo vt intendit argumentum, sed verificandum est de omnibus partibus collectiuè sumptis, quibus omnibus hoc modo sumptis Deus non esset prior, licet fuisset prior quacumque illarum, quia in quacumque mensura durationis Deus consideretur habet partem motus sibi coexistentem, quod si Deus prior fuit illa parte motus ratione aliùs mensuræ extrinsecæ, in qua extitit, in illa mensura habuit aliam partem coexistentem, qua similiter Deus fuit prior in alia mensura, sed in illa alia habuit aliam partem motus coexistentem, & sic in infinitum, si motus fuisset ab æterno, Deus haberet alias, & alias partes motus sibi coexistentes, quarum singulis seorsim sumptis Deus prior esset, non tamen prior omnibus illis collectiuè sumptis, quia non posset aliqua mensura assignari, in qua Deus non haberet partem motus sibi coexistentem. Idem contingit in diebus imaginariis, quæ in æternitate contemplamur, quibus omnibus simul sumptis Deus non fuit prior, quia Deus non fuit prior tota æternitate collectiuè sumpta, tamen prior fuit quolibet die æternitatis, quia ante quemlibet diem fuit prior alius, cui Deus coexistebat. Id, in quo multi offenduntur, videlicet implicare motum ab æterno, & nihil illius ab æterno fuisse, neque habere partem aliquam ab æterno existentem falsum est, neque potest obiici, si natura motus ab æterno existentis sit inspecta, potius enim de conceptu essentiali, & quiditatiuo motus ab æterno existentis est non habere aliquid sui, neque determinatum, neque indeterminatum ab æterno existens, quod sic probo. De conceptu motus ab æterno existentis est nullam habere partem determinatam, aut indeterminatam proportionalem vel aliquotam, qua non sit alia prior, sed omnis pars quæ habet priorem aliam est in tempore, & non ab æterno: ergo de conceptu motus ab æterno est non habere partem, quæ sit ab æterno, & quæ non sit in tempore. Ex hoc inferes omnem partem motus ab æterno existentis distributiuè sumptam essentialiter esse in tempore, quod syllogismus iste demonstrat: Omnis pars motus existentis ab æterno habet aliquid prius existens videlicet aliam partem, sed omne, quod habet aliquid prius existens est in tempore: ergo omnis pars motus existentis ab æterno est in tempore. Maior est certissima, quia de ratione motus ab æterno existentis est non habere partem priorem omnibus, sed ante quamlibet assignatam dari aliam, & aliam: minor est inconcussa apud omnes, nihil enim ab æterno existens potest esse posterius aliquo. Consequentia est deducta in syllogismo perfectè in Barbara constructo. Ex his inferes quam malè communiter arguatur: motus est ab æterno: ergo aliqua pars illius est ab æterno, cum potius inferatur, motus est ab æterno: ergo nulla est pars illius, quæ non habeat aliam priorem: ergo nulla est pars illius, quæ sit ab æterno: ergo omnis pars illius est in tempore.

Hoc argumentum, quod in partibus motus confecimus 6
adducit Arriaga in durationibus infinitis successiuè fluentibus, quas haberet entitas permanens ab æterno existens in opinione, quæ durationes has admittit, quarum vna prior aliâ videtur esse concedenda, quæ si concedatur, durationes ab æterno non fluxisse necessariò inferetur, quod argumentum ait se scire fallax esse, quia idem fit contra æternitatem à parte post durationum beatorum, & contra cogitationes animorum, quæ per totam æternitatem durabunt, in quibus eodem modo videtur inferri concedendam esse vnam durationem, & vnam

cogitationem

cogitationem posteriorem omnibus, & consequenter finiendas esse, quod est falsum, huius tamen argumenti fallaciam ipsum latere dicit, solutionemque penitus ignorare, & ita perfectam huius argumenti notitiam in alteram vitam, sicuti plurium aliarum rerum reseruari nobis credendum esse. Ego tamen existimo diuina fauente gratia in hac vita illius solutionem assequutum fuisse, quam iam dedi in partibus motus ab æterno existentis, in quibus sicuti non est concedenda pars aliqua ab æterno existens, sic in durationibus rei ab æterno existentis, quarum collectio ab æterno extitisset & illarum quælibet in tempore fuisset, quia aliam habuisset priorem ipsa.

7 Vrget Arriaga num. 17. & 18. ex omnibus durationibus quas habuisset entitas ab æterno existens debet dari aliqua prima omnium: ergo durationes illæ non fuerunt ab æterno. Probat antecedens: non omnis duratio habet aliquam priorem se: ergo datur aliqua, quæ sit prima. Hoc antecedens eamdem habet difficultatem cum posito in primo enthymemate, & adhuc formaliter ab illo non differt, ideo illud iterum probat Arriaga: Impossibile est, vt omnes durationes habeant aliquam priorem se, quæ sit è numero omnium, quia sicuti non possunt omnes homines dependere ab vno homine, quin detur mutua causalitas, ita non possunt omnes durationes antecedi ab aliqua in se ipsis inclusa, cum repugnet mutua antecessio durationum: ergo debet esse aliqua, quæ non antecedatur ab aliis, & illa erit omnium prima. In hoc vltimo discursu subiectum argumentationis variat Arriaga, quia intendebat probare dari aliquam durationem omnium primam, & non quamlibet distributiuè sumptam habere priorem aliam, & modò probat omnem collectionem durationum, seu omnes durationes collectiuè sumptas non habere aliam priorem ipsis, quod verum est, & efficaciter probat ratio facta, quia ante omnẽ collectioné durationum non potest dari alia prior, etsi daretur collectio illa ab æterno non fuisset, danda tamen est ante omnem durationem distributiuè sumptam aliqua duratio, quam non dari argumentum adductum non probat, & probandum esset, vt probaretur dari aliquam durationem omnium primam. Iterum ad subiectum quæstionis redit Arriaga, intenditque probare non quamlibet durationem habere aliam priorem se, sumptis omnibus durationibus, quas habuisset vsque ad hoc instans entitas ab æterno existens. Sic arguit: Ex his durationibus plures sunt, quæ subsequuntur, quam quæ antecedunt, quia hæc vltima subsequitur, & non antecedit: ergo non quælibet subsequens potest habere aliam antecedentem, sed aliqua subsequens debet remanere sine antecedenti, quod est intentum argumenti, vel vna duratio debet immediatè duas antecedere, quod est impossibile, quia post vnam durationem non possunt duæ immediatè succedere, alias hæ duæ sibi coexisterent. Hoc eodem argumento vsus est Arriaga ad probandum dandam esse in speciebus rerum possibilium aliquam omnium perfectissimam, quia annumerando ab specie hominis omnes alias perfectiores sunt plures excessæ, quàm excedentes, quia species hominis exceditur, & non excedit, & reliquæ exceduntur, & excedunt. Ex quo inferebat dandam esse aliquam speciem, quæ nullam haberet excedentem sibi, quod argumentum adduxi, & solui Controu. 14. Punct. 7. num. 4. vbi claram illius solutionem inuenies, quam iterum repetere otiosum esset. Notaui iàm hoc argumentum eodem modo procedere in durationibus infinitis rei permanentis ab æterno succedentibus, & in partibus infinitis motus ab æterno fluentibus.

8 Obiicit P. Rubius, & ex illo recentiores plures, Cælum vel creatum fuit in hoc hemisphærio, vel in alio: in quocumque fuerit creatum debuit per æternitatem in illo durare, quia præsentia illa cum qua creatum fuit in hoc hemisphærio (demus in illo fuisse creatum) debuit per æternitatem durare, nihil enim productum ab æterno potuit ab æterno corrumpi, vt admittunt omnes, & probatum est Puncto præcedenti: ergo antequàm cælum in hoc hemisphærio creatum ad aliud perueniret, transiret æternitas, in qua in hoc permansisset. Respondeo antecedens posse inquirere de prima creatione cæli vt distincta à conseruatione, an facta fuerit in hoc hemisphærio, vel in alio, vel de creatione, vt inuoluente conseruationem. Si inquirat de prima creatione vt distincta à conseruatione, negandum est illius suppositum, quia si cælum ab æterno creatum esset nullam haberet primam creationem, neque Deus creationem à conseruatione posset discernere, vt dicebam Punct. 1. si inquirat de creatione inuoluente conseruationem, respondeo cælum creatum fuisse in hoc hemisphærio, & in alio, quia in mensura creationis ab æterno, quæ inuoluit conseruationem, & est infinitè diuisibilis, infinities fuit cælum in isto hemisphærio, & in illo & in nullo absolutè priusquam in alio, quia ante hanc præsentiam, quam habuit in hoc hemisphærio, habuit aliam in alio hemisphærio, & ante aliam habitam in alio habuit aliam in isto, & sic in infinitum, & sicuti non potest reperiri neque assignari prima præsentia, quam habuit cælum, quia nullam habuit omnium primam, ita non potest dici in quo hemisphærio prius fuerit quàm in alio, neque prius fuit in aliquo illorum.

Obiiciunt alij: Creet Deus duo corpora grauia ab 9
æterno, quorum vnum ita excedat alterum in grauitate, vt duplo velocius illo moueatur, si vtrumque corpus ab æterno vsque ad instans fuisset motum, illud, quod motum duplo velociorem habuisset, spatium duplo maius percurrisset, & tantum esset spatium, in quo alterum excederet, quantum illud, per quod vtrumque fuisset motum: sed corpus quod segnius fuit motum percurrisset spatium infinitum: ergo spatium, quo velocius ceteretur motu alterius corporis esset infinitum, deinde esset finitum, quia inciperet vbi desineret spatium corporis, quod segnius fuit motum, & desineret in isto, quod nunc occupabat: ergo spatium illud haberet primum initiatiuum, & terminatiuum vltimum: ergo non fuisset infinitum: ergo esset finitum, & infinitum. Similiter arguitur: spatium, quo corpus velocius motum superaret aliud corpus, esset finitum, quia haberet primum & vltimum, vt modo probabam: ergo spatium, quod percurrerat corpus illud quod minus velociter fuit motum, esset finitum, quia cum hoc corpus dudlo velocius fuisset motum, tantùm esset spatium quo aliud superaret, quantum esset illud quod aliud percurrisset. Insuper esset infinitum, quia fuisset ab æterno: ergo esset finitum, & infinitum. Iuxta nostra principia argumentum hoc & alia, quæ fiunt ex inæqualitate velocitatis motuum ab æterno facile soluuntur, ex quibus respondeo: omnem motum ab æterno fluentem per æternitatem esse summè velocem, quia omnis motus nullâ morâ interruptus est summè velox, vt dicebam Controuers. 17. Puncto 9. §. 3. motus autem ab æterno productus per æternitatem interrumpi non potest, quia quidquid est ab æterno per æternitatem debet durare, vt sæpe dixi, & consequenter non interrumpi, quia interruptio est cessatio motus, & non esse illius. Ex hoc infero omnes motus ab æterno existentes necessariò fore æquè veloces per æternitatem, quia omnes essent summè veloces per æternitatem, & in motibus summè velocibus non potest esse maior, aut minor velocitas. Possent autem motus, qui ab æternitate durassent à quocumque tempore assignabili habere maiorem, aut minorem velocitatem, quia ab illo vsque ad hoc instans possent morulis interrumpi; in æternitate autem præcedente quodcumque assignabile tempus, semper essent summè veloces, & vnus alio velocior esse nequiret.

Vltimò obiiciunt recentiores: si Deus infinitos dies 10
produxisset, singulæ horæ, ex singulis diebus desumptæ essent infinitæ, & finitæ: consequens inuoluit contradictionem: ergo & antecedens: Consequentiam probant. Designet Deus ex singulis diebus singulas horas, quas ab hoc instanti continuas, & successiuè mente consideret versus æternitatem elapsam: hæ horæ non poterunt æquare dierum æternitatem præteritam, quia tot essent horæ, quot dies, & quilibet dies longè excedit horam sibi respondentẽ: ergo cognosceret Deus dies aliquos in æternitate præteritos, quibus nulla hora respõderet si absque vlla interruptione vsque ad hoc instans continuè fluxissent illæ horæ duratione requisitâ vt omnes illæ horæ continuè & successiuè vsque ad hoc instans pertingerent: ergo omnes horæ essent finitæ, quia haberent dies priores ipsis, quibus nulla correspondebat hora: ergo à parte antea essent finitæ, similiter essent finitæ à parte post: ergo essent finitæ hæ horæ tum à parte ante, tum à parte post, & consequenter illarum multitudo non excederet nũmerũ finitum. Deinde essent infinitæ, quia tot essent horæ, quot dies in tota æternitate

nitate præcesserant, sed præcesserunt infiniti dies: ergo horæ essent infinitæ, sicuti infinita essent capita, quæ essent in multitudine infinita hominum, quorum quilibet suum haberet caput: ergo dies illi essent finiti & infiniti. Hoc argumentum expendi Controuers. 14. punct. 5. num. 11. vbi illud adduxi contra multitudinem infinitam Angelorum, ad inferendum fore finitos, & infinitos Angelos creatos per totam æternitatem per singulos dies, quia si postea hi Angeli horis continuis ab hac hora per horas immediatè præcedentes responderent singulis horis, singuli Angeli responderent horis finitis, & infinitis, quod eadem omnino infertur ratione, quam modo adducebam, ibique respondi Angelos ita per æternitatem in singulis diebus creatis non posse adhuc mente singulis horis continuis hanc immediatè præcedentibus affigi. Eadem ratione dico modo singulas horas ex singulis diebus elapsis non posse adhuc mente cognosci immediatè & continuè ante hanc horam fluentes, quia ita præcessisse repugnat. Huius doctrinæ expeditam rationem inuenies loco citato.

CONTROVERSIA XX.

De impulsu, seu proiectorum motu.

DE motu locali in communi egi lib. 4. de motu progressiuo nonnihil dicendum est in Anima; de motu grauium & leuium in Generatione; de proiectorum motu, hîc agendum est, vt opus hoc integrum vndequaque euadat. Inquirendum est an impulsu impresso proiecta moueantur, eademque instituitur Controuersia de natura impulsus, & de proiectorum motu.

Punctum Primum.

A quo moueantur proiecta.

1 CORpora proiecta à se non moueri nullus ambigit, mouentur enim contra internum impetum motu violento, nullus autem motus violentus potest à principio intrinseco dimanare: omnia enim, quæ à principio intrinseco procedunt naturalia sunt, & non violenta, neque vllus inuenietur adeo amens, vt seriò affirmet glandem æream à bombarda dimissam propria virtute per aëra tranare, & parietes euertere. Cum igitur externa vi proiecta moueantur dubium est, qua vi illorum motus peragatur.

2 Pater Pereira lib. 54. Physicæ, cap. 5. consequenter defendit cum Simplicio, Auerroë, Maiore, & Mairone, apud P. Rubium postea citandum, proiecta primo moueri à proiiciente immediato, & postea à medio siue hoc sit aër, siue aqua, siue quoduis aliud corpus, nulla alia qualitate in corpore proiecto producta. Opposita sententia communis est valdè inter Philosophos, & Theologos, illam defendunt P. Vasquez 1. part. disp. 92. cap. 2. P. Soar tom. 2. Metaph. disp. 35. sect. 4. P. Rub. tract. de impulsu quæst. 1. & alij quam plurimi asserentes proiecta moueri media qualitate superaddita impressa à proiiciente, quæ impulsus dicitur. Probandum est dari hanc qualitatem ex illius necessitate, quam conuincit impotentia aliorum agentium ad mouenda proiecta, hanc ego sic ostendo. Proiiciens immediatè per se ipsum impotens est mouere lapidem per spatium distans à proiiciente, tum quia cum lapis mouetur in spatio distanti proiiciens nihil in agit medium: ergo non potest agere in lapidem distantem, aliàs ageret in distãs, quin ageret in propinquum, tum quia si immediatè postquam homo lapidem iaciat emoriatur, lapis mouebitur: ergo non mouetur à proiiciente, quod iam in rerum natura non est, de hoc nemo prudens dubitauit.

3 Proiecta non moueri in secundo & vlterioribus instantibus motus post primum, in quo auctores oppositæ sententiæ defendunt moueri à proiiciente ab aëre alióve corpore intermedio, hac ratione nonnulli probare intendunt. Lapis proiectus aut mouetur aëre, seu medio, quod est ante, seu aduersum, aut medio, quod est à tergo, seu auersum: non aduerso, quia hoc potius impedit motum, non auersio, quia prius natura, quam moueatur medium auersum ad replendum vacuum supponitur iam proiectum motum: ergo nullo medio potest proiectum moueri. Facilè quisque dicet duplicem esse motum, vel esse distinctas partes motus, primam productam esse à proiiciente, & hanc esse priorem natura motu aëris auersi seu existentis à tergo, secundam posteriorem natura motu aëris auersi, & ita proiiciens primo mouet lapidem immediatè per suam virtutem, hic motus à proiiciente productus causa est vt moueatur aër ad replendum spatium, quod lapis reliquit, motus aëris ad hoc spatium replendum iterum mouet lapidem alia parte motus distincta ab illa, quæ processit à proiiciente, & causa fuit motus aëris, secunda pars motus iterum est causa alius motus aëris existentis à tergo, ex vi cuius replet hoc secundum spatium, quod lapis reliquit, & rursus hæc secunda pars motus ad replendum vacuum causa est vt mobile iterum moueatur, & sic de reliquis partibus motus. Instant recentiores: pars aëris, quæ succedit in spatium proiecti trahitur à proiecto, à quo mouetur ne detur vacuum, quod nos tradidimus Controuersia 15. puncto 12. ergo ipsa non est causa motus proiecti. Vim illationis non percipio, quid refert proiectum esse causam motus aëris, vt aër, vel idem aëris motus productus à proiecto sit causa motus proiecti, non ideò idem erit prius, & posterius respectu eiusdem, est enim proiectum, quod est prius respectu motus aëris, & proiecti motus qui est posterior respectu aëris, seu motus aëris: proiectum autem, illiúsque motus realiter distinguuntur. Si dicas non solùm proiectum, sed proiecti motum esse causam motus aëris, & ita non posse eiusdem proiecti motum esse effectum motus aëris, ne idem motus proiecti sit prior & posterior respectu eiusdem, redit solutio suprà data de diuersis partibus motus proiecti, ex quibus hæc pars prima motus proiecti est causa primæ partis motus aëris, & pars prima motus aëris est causa non primæ partis motus proiecti, qua est posterior, & à qua dependet, sed secundæ partis motus proiecti, à qua hæc pars motus aëris nullam habet dependentiam, & sic de aliis.

Arguunt secundò. Proiiciens adhuc in primo instanti, 4
in quo proiicit corpus, tantùm est applicatum partibus immeditatis proiecti, sed non tantùm mouet partes immediatas, sed mediatas: ergo non illas mouet immediatè per suam entitatem, quæ partibus mediatis proiecti applicata non est. Si illis obiicias inferri ex hac ratione non posse adhuc medio impulsu moueri proiectum à proiiciente, quia sicuti applicatum non est ad mouendam partem distantem proiecti motu locali per productionem præsentiæ, eodem modo applicatum non est ad mouendam eamdem partem motu alterationis per productionem impulsus. Respondent impulsum esse productiuum aliús impulsus, & ita partem impulsus productam in parte immediata proiecti iuuare proiiciens ad producendum impulsum in parte alia remota, cui applicatur proiiciens ratione impulsus producti in parte propinqua, qui simul cum proiicienti concurrit per modum principij actiui ad producendum impulsum in secunda parte proiecti, cui est immediatum agens adæquatum constitutum ex proiicienti, & ex impulsu in prima parte producto, à quo principio adæquato indiuisibiliter sumpto procedit impulsus. In motu locali immediatè à proiiciente producto non ita se res habere possunt, quia præsentia producta in prima parte proiecti non est productiua aliús præsentiæ, & ita non potest iuuare proiiciens ad producendam præsentiam in secunda parte proiecti. Ex hac ratione inferunt prædicti recentiores non solùm producendum esse impulsum à proiiciente in motu proiectionis, sed etiam in motu vectionis, compressionis, & aliis huius generis. Quia non possunt res diuisibiles moueri, nisi motis omnibus partibus vnitis, sed agens per se non est præsens omnibus partibus: ergo debet esse præsens per virtutem ab illo productam, cuius partes proximiores effectiuè concurrant cum agente ad producendas distantiores, ratione quarum principium adæquatum actiuum semper erit passo immediatum. Probaui Contr. 7. punct. 2. agens posse agere in passum distans dum agit in propinquum, etiamsi non adiuuetur effectu producto in passo propinquo, ex qua doctrina infringitur recentiorum ratio: alia ergo solidior reddenda est.

Sentio à posteriori probari, proiecta non moueri ab aëre, 5
quia si ab aëre mouerentur, omnia corpora eiusdè rationis

per

per eumdem aërem mota eadem velocitate mouerentur, quia causa motus esset eadem & eodem modo applicata: ergo nulla posset assignari ratio, propter quam hoc corpus velocius, & illud tardius moueretur, vel cur idem proiectum modò tardè postea velociter per eumdem aërem cieretur. Secundò nulla potest assignari ratio, car motus lapidis ascendentis sursum ad tantam distantiam deficeret, & cælum non tangeret, eadem enim est vis agentis in fine motus, vt lapidem impellat sursum, quæ erat in medio motus, quia semper lapis ascendens sursum à parte inferiori spatium relinquit occupandum ab aëre: ergo semper partes aëris accedentis ad spatium illud replendum virtutem habebunt mouendi sursum proiectum, neque potest dici virtutem esse defatigatam in fine motus, quia cum semper diuersæ partes aëris succedant in spatium relictum à lapide ascendente sursum, semper noua succedet virtus ad motum proiecti sursum protendendum, neque minores vires habent partes: quæ accedunt in fine motus, quàm quæ initio accessêre, & ita eodem modo omnes proiectum sursum impellent. Vltimò qui fieri potest aëre vehementissimè flante versus Orientem globum tormentarium ferri versus Occidentem eo impetu explosum vt demoliatur vrbes, muros quasset, & vniuersa subuertat? Vnde tanta vis aëri? quod si illa gaudet, quomodo dum rapidissimè perflat maiori quidem vi, quam dum à me mouetur lapis, hunc suprà murum positum non remouet. Videmus enim quocumque impetu aër cieatur lapidem statim in terram corruere, si impulsum à proiiciente antea applicato non receperit.

6 Concludo ex his proiecta non posse moueri à proiiciente, dum ab illo distant, neque ab aëre & ita necessariò dicendum esse moueri qualitate quadam impressa à proiiciente, quam impulsum vocamus. In motu vectionis, tractionis, & compressionis censeo necessum non esse impulsum imprimi à vehente, trahente, seu comprimente corpus, sed posse immediatè lapidem in manu detentum moueri ab homine qui priùs natura moueatur, quàm lapis ab illo motus ne agens agat in distans, quod explicui Contr. 18. puncto 3. ratio sit, quia ex defectu applicationis non obstat, vt dicebam modò. Deinde videmus lapidem suprà caput vectum tantùm moueri dum mouetur eaput vehentis, ex quo infero non moueri medio, impulsu quia si moueretur medio isto, in hoc instanti lapis impulsum recepisset, ex vi cuius moueretur in sequenti, etiamsi quiesceret viuens, à quo modò vehitur, sicuti contingit in motu proiicientis. Scio te posse respondere impulsum impressum à vehente esse talis naturæ vt corpus non moueat, nisi dum mouetur vehens, à cuius motu dependet in sua operatione, vel depẽdere à motu vehentis in conseruari & ita quiescenti vehenti perire impulsum vectionis, & lapidem vectum non moueri. Vtrumque sine fundamento dicitur, & non sine magnis difficultatibus: illas breuiter attingam. Impulsus vectionis vel est causa adæquata motus, vel inadæquata, quæ simul operetur cum motu vehentis: si adæquata: ergo non dependet in sua operatione à motu vehentis tanquam à comprincipio, neque tanquam à conditione, quia motus vehentis neque pertinet ad principium actiuum, aut passiuum motus vectionis, quia principium actiuum est impulsus impressus lapidi, & passiuum lapis vehendus: ergo non potest esse conditio ad motus vectionis, omnis enim conditio est circunstantia principij actiui, vel passiui effectus ad quem est conditio. Si impulsus vectionis dependet in operari tanquam à comprincipio inadæquato à motu vehentis, superfluè tot principia constituuntur respectu motus vectionis, quia posset adæquatè dependere à motu vehentis, si ab illo inadæquatè dependet: ergo dici nequit impulsum vectionis dependere in operari à motu vehentis. Non sine magna difficultate dici posse impulsum hunc dependere in conseruari à motu vehentis, sic probo. Motus vehentis ex vi cuius constitutum est in hoc spatio D terminatiuo motus, in instanti sequenti E, etsi non perfeueret secundùm hanc denominationem motus, perseuerat secundùm eamdem entitatem, quia perseuerat eadem actio terminata ad eamdem præsentiam: ergo perseuerat totum physicum, quod includebat motum præteritum, & tantùm deficit denominatio motus, sed impulsus vectionis non poterat dependere à denominatione, sed tantùm à physica entitate motus: ergo perseuerat totum illud, à quo dependebat impulsus in instanti, in quo vehens per motum acquisiuit hoc spatium: ergo etiamsi impulsus dependeret in conseruari à motu, permaneret dum quiescit vehens, quia permaneret totum physicum motus, à quo poterat impulsus dependisse in instanti, in quo fuit primò productus, & in quo erat denominatio motus. Vltimò si vehens moueret corpus vectum medio impulsu non illud posset mouere in primo instanti in quo mouetur ipsum vehens, quod sic probo. Vehens primo produceret impulsum vectionis in primo instanti, in quo mouetur: sed in primo instanti, in quo impulsus producitur ab agenti naturali, non potest ex vi illius impulsus moueri corpus illum recipiens: ergo in primo instanti, in quo mouetur vehens non potest medio impulsu in illo instanti producto mouere corpus. Maiorem propositionem omnes concedunt, corpus enim vectum siue mediatè, siue immediatè semper mouetur dependenter à motu vehentis, vt admittunt omnes: minorem probaui Controu. 18. punct. 3. Consequentia est omnino certa.

Mens Philosophi circa existentiam impulsus adhuc in 7
proiectis dubia est, videtur enim in contrariam sententiam inclinasse. Sic habet hoc lib. cap. 10. text. 82. *Necesse est enim hoc quidem dicere id, quod primum mouet, efficere, vt aër, aut aqua, aut aliquid huiusmodi, quod moueri, moueregue aptum est possit mouere.* Quibus verbis docet Philosophus, ita proiectionem mouere medium, vt prima pars aëris proximam moueat, & hæc aliam. Rursus lib. de insomniis cap. 2. sub initium: *Etenim quæ lationem subeunt, eo quod propulit non amplius tangenti cientur. Quod mouendi officio functum est, quamdam aëris particulam propulit, quæ cum mouetur subinde aliam ciet, atque hoc vtique pacto donec quiescant, moueri aër, & aqua solent.* Idem tradit in quæstionibus mechanicis, nam quæstione 33. cùm interrogasset cur motu quiescenti concitaretur proiectum, respondet: *An videlicet quoniam primum id efficit vt alterum impellat, illudque rursus vt alterum. Cessat autem quando non potest amplius facere primum impellens, vt impeliat id, quod fertur: & quando ipsum lati grauitas nutu suo decinat magis quàm impellentis in ante sit potentia.* Additque sæpè cessaturum motum in vacuo, quia non esset aër, qui motum concitaret. Respond. hæc omnia testimonia ad summum probare aërem à tergo proiecti succedentem ad vacuum replendum aliquo modo iuuare ad motum illius quod concedere non recusabo, modò proiecti motus non tribuatur aëri à tergo impellenti tanquam principio adæquato, nullúmque indicare impulsum superadditum concedendum non esse, quem videtur Aristoteles concessisse in hoc lib. cap. 10. text. 82. vbi sic habet: *At non simul moueri desinit, & mouere, sed simul atque is, qui mouet mouere desierit, desinit moueri. Quocirca aliud mouet, quod hæret: cuius eadem est ratio, cessat autem cùm vis mouendi in id, quod hæret minor imprimitur.* Quibus verbis annotandum est Aristotelem concedere vim impressam, & hærentem mobili, quæ vis distincta est à vi, seu virtute, quam habet proiciens, seu aër medius, quia virtus horum mobilis non hæret, & nulla alia esse potest præter impulsum à proiiciente impressum.

Circa impulsuum distinctionem, patet impulsum, ex 8
vi cuius corpus mouetur sursum distingui à grauitate, & impulsum ex vi cuius mouetur deorsum à leuitate distingui, penes diuersos terminos, quos respiciunt, & diuersum modum mouendi corpora. De impulsu mouente corpus deorsum eodem modo dicendum est distingui à grauitate, & similiter eadem distinctio tribuenda est respectu leuitatis impulsui, ex vi cuius corpus sursum mouetur. Infero ex principiis adeò aduersis à quibus procedunt impulsus deorsum, & grauitas, atque impulsus sursum, & leuitas, grauitas enim & leuitas semper consequuntur certam naturam corporum, & si à substantiis distiguuntur ex qualitatum temperatura, impulsus autem semper à principio extrinseco procedit, neque diuersas dispositiones exigunt ex parte passi impulsus sursum, & deorsum, sicuti exigunt grauitas, & leuitas. Impulsus respicientes terminos oppositos sicuti impulsus, ex vi quorum mouetur corpus sursum, & deorsum, dextrorsum, & sinistrorsum distingui in specie probatur eadem ratione, qua probatur distingui impulsum deorsum à leuitate, nam etsi motum esse sursum, vel deorsum extrinseca sit denominatio, principium tamen, ex quo semper motus sursum procedit specie distinguitur à principio, ex vi cuius motus deorsum nascitur, hæc enim differentia, quæ in motu est extrinseca nascitur ex differẽtia extrinseca & speciali natura principij.

De impulsibus respicientibus eumdem numero terminum ex diuersis spatiis & consequenter per aduersas lineas, difficultas est an intrinsecè distinguantur: multi affirmatiuam tenent sententiam; ego in negatiuam propendeo, quia sicut eadem grauitas, & leuitas ex diuersis spatiis per diuersas lineas semper per breuissimam tendunt in proprium centrum, sic idem impulsus semper in determinatum terminum tendet semper per lineam rectam, diuersam tamen ratione diuersi spatij, à quo tendit mobile, ex eo quod diuersum terminum *à quo* habeat motus respiciens eumdem terminum, ad quem debet tendere per diuersam spatij lineam. Itaque ex vi eiusdem impulsus, ratione cuius mouetur corpus ab spatio sursum per hanc lineam moueretur per aliam, & in eumdem terminum si mobili existenti in alio spatio idem contigisset impulsus, neque necessum est distinctos secundum prædicatum intrinsecum impulsus constituere, pro omnibus motibus respicientibus distinctas spatij lineas, etiam in eumdem terminum destinatas. In hac re fortiores rationes non inuenio, neque illius materia grauiores alias desiderat.

Punctvm II.

A quo producatur, & corrumpatur impulsus.

1 VIuentia sensitiua habere virtutem imprimendi impulsum corporibus infertur ex motu proiectionis, quem probaui puncto præcedenti fieri medio impulsu producto à proiiciente. Difficultas est an in viuentibus distinguatur potentia, à qua procedit impulsus, ex vi cuius mouent corpus extraneum à potentia locomotiua, ex vi cuius ipsa animalia se mouent. In opinione, quæ potentias ab anima non distinguit, difficultas hæc locum non inuenit, quia potentiæ realiter cum anima identificatæ necessariò inter se identitatem habent. In opinione, quæ potentias distinguit censeo realiter distingui potentiam, ex vi cuius animal se localiter mouet à potentia productiua impulsus, quia existimo animal non se mouere per productionem impulsus in se ipso, sed per immediatam productionem præsentiæ. Non nego posse partem quamdam viuentis impulsum imprimere alij parti eiusdem viuentis, ex vi cuius quasi ab extrinseco moueatur pars illa, quæ impulsum recipit, sed affirmo motum progressiuum contractionis, & dilatationis non fieri ab anima medio impulsu, sed immediatè ab illa procedere, sicuti procedit immediatè ab anima rationali, & ab Angelo motus, quo rationalis anima & Angelus mouetur. Confirmatur: viuens immediatè mouet non medio impulsu corpus, quod vehit, vt probaui puncto præcedenti: ergo potiori ratione poterit se ipsum immediatè mouere. Potentiam locomotiuam, qua animal se ipsum mouet in viuentibus materialibus, quæ se ipsa immediatè mouent, non distinguerem à potentia ex vi cuius motus vectionis immediatè procedit ab animali, quia termini potentiarum non distinguuntur neque ex modo tendendi, neque aliquam habent radicem essentialis distinctionis, immanentia enim, quæ conuenit motui locali respectu primi motus omnino est extrinseca termino motus, & omnino extra illius exigentiam, æquè enim benè producitur hæc præsentia, quam modo habeo à me immanenter vel ab alio quocumque extrinseco transeunter. Similiter dicendum est quantitatem habere virtutem imprimendi impulsum. Ratio est quia cùm quantitas impenetrabilis sit, virtutem habet removendi à loco corpus occupans spatium immediatè ab illa occupandum, & resistendi alij corpori, ne cum illa penetretur, quod fit medio impulsu impresso corpori intendenti se penetrare, quod manifesta experientia monstrat præcipuè in motu resistentiæ.

2 Hîc inquiri solet an corpus debeat se mouere, vt impulsum alij corpori imprimat. Respondeo necessum non esse corpus actu moueri vt impulsum corpori imprimat, vt patet in lapide, qui semper humeris impulsum imprimit, etiamsi immotus super humeros subsistat. Necessum tamen est corpus intendere se mouere versùs aliquam partem, vt impulsum imprimat, quem imprimit necessariò tendentem, in partem illam, in quam motus imprimentis impulsum dirigebatur. Hac ratione lapis æquè vndequaque immotus impulsum imprimit terræ, cui innititur, & non partibus aëris lateralibus, vel aëri, quem supràse habet.

Circa corruptionem impulsus docuit Pater Vasquez 3
12. disp. 21. cap. 3. impulsum semper corrumpi à contrario, nam cùm lapis per impulsum sursum ascendit, producit quamdam grauitatem, mediâ quâ impulsum sibi ab agenti extrinseco violèter impressum corrumpit. Circa impulsum, quo lapis deorsum descendit, qui non opponitur grauitati essentiali, aut accidentali, quia in eumdem terminum lapidem mouet, tradit ex Archimede Mathematicorum Principe terram esse ex vtraque parte æquè ponderibus libratam, ita vt duplex sit assignandum centrum vnum vniuersi, grauitatis aliud. Centrum vniuersi est illud, à quo æquales lineæ ad terræ superficiem duci possunt; centrum verò grauitatis est punctum illud, quod ita diuidit terræ partes quoad grauitatem, vt terra ex nulla parte magis in vnam quàm in aliam grauitet, sicuti in bilance centrum grauitatis est punctum illud examinis, quod ita bilancem discernit, vt neutra pars aliam grauitate superet: tunc ergo quiescit terra, cùm centrum grauitatis centro vniuersi correspondet. Si verò in terra æquè vtrinque librata aliquis impulsum in hac parte imprimat, terra ex illa parte magis ponderat, & extrahitur centrum grauitatis à centro vniuersi per motum, quo terra deorsum descendit secundùm illud latus, in quo impulsum recepit, & ascendit sursum per aliud latus, sicuti in bilance contingit. Postea verò cùm in se locum proprium, restituit, corrumpit impulsum receptum, ex vi cuius terra à proprio centro fuerat extracta.

Doctrinam hanc contra sensuum euidentiam tradi mul- 4
ti clamitant, verumtamen nec leuem coniecturam contra illam experientia exhibere valebit. Motus enim, vt sæpè dixi non percipitur nisi per distantias corporum, & diuersa corpora interiacentia, qui si fiat his distantiis ex motu non accrescentibus, nunquam percipietur, vt contingit in motu nauis, quem non percipit, qui intra illius cameram inclusus fertur. Cum ergo si vniuersus moueretur orbis eo modo, quem tradit Archimedes omnia in illo contenta æquè moverentur, & æquè distarent, & nullum esset principium, ex quo illius motus sensibus percipi posset, neque illum hîc & nunc contingere posse experientiâ discemus: malè ergo infertur motum hunc admittendum non esse, quia nunquam sensibus percipitur. Grauiora sunt alia, quæ huic vniuersi motui refragantur, nonnulla expendo. Motus hic vniuersi proueniens ex impulsu violentus esset, & contra internum impetum totius vniuersi, omnibus enim illius partibus esset violentus, tam illis, quæ deprimuntur, quàm aliis, quæ eleuantur, omnes enim extraherentur à proprio grauitatis centro: ergo non potest prouenire à quocumque impulsu. Probo consequentiam: impulsus à me impressus non potest vincere grauitatem mediocris saxi, neque illud mouere versus aliquam partem: ergo non poterit vincere grauitatem totius mundi, illúmque totum commouere. Respondebis diuersam esse rationem, quia mundus est ex vtraque parte æquè libratus, & ita potest quocumque illo impulsu commoueri, sicuti in bilance æquè librata, etiamsi vtraque ingens sustineat pondus, potest tritici grano huic lanci appositio moueri. Contrà: cum lances, quæ æqualiter erant libratæ leui pondere superaddito moueantur, lanx, quæ deprimitur mouetur motu naturali, & pondus superadditum non vincit resistentiam lancis depressæ, sed totum pondus, quod antea erat in lance depressa, & illud, quod denuo superadditur naturaliter sursum descendunt, & vincunt resistentiam aliûs lancis, quam semper intendit vincere, & deorsum descendere lanx, quæ modo deprimitur motu naturali, quam antea non fuerat consequuta, quia æqua erat oppositæ lancis resistentia, cum conatu, quem ipsa habebat ad descendendum deorsum: itaque lanx depressa naturaliter mouetur, & lanx eleuata violenter contra propriam resistentiam, quæ vincitur antiquo pondere, quod lanx habebat, cum vtraque erat æquè librata, & alio, quod denuo fuit additum eidem lãci depressæ, & mirum non est pondus aliquod quantumuis maximum vinci alio æquali adiuto leuissimo. In motu autem vniuersi, quem adstruit prædictus dicendi modus tota terra violenter mouetur, & impulsus impressus huic parti, quæ deprimitur, victurus est resistentiam partis terræ eleuatæ, & partis depressæ, neque pars depressa iuuat impulsum vt vincat resistentiã partis eleuatæ, imò potiùs resistit, ne altera eleuetur, quia sicuti resistit, ne ipsa descẽdat, ita resistit ne altera ascendat: ergo resistentia

totius

totius terræ adæquatè vincenda est impulsu à me impresso, hoc autem quis admittet? quomodóve dici poterit me vincere totius mundi resistentiam exiguo impulsu digito impresso, qui non possum totis viribus saxum non pergrande commouere. Secundò, demus impulsum æquè intensum simul imprimi in vtraque parte terræ, tunc terra non mouebitur, sicuti non mouentur lances cum vtrique æqualis impulsus imprimitur: ergo impulsus illi corrumpi non poterunt. Tertiò: si inæquales sint impulsus in vtroque terræ latere impressi, & deprimatur terræ latus, quod intensiorem impulsum recipit, cum hic successiuè corrumpendus sit, cum fuerint corrupti gradus, quibus impulsus iste superabat impulsum in alio latere impressum, & vterque maneat æquè intensus, terra quiescet, & nulla erit causa, à qua impulsus illi æquè intensi corrumpantur. Mitto alia, quæ contra hunc dicendi modum expendunt recentiores, ne in re non grauis momenti latiùs, quàm par est disputatio protendatur, tantùm assero magnam esse vniuersi iacturam totum commoueri ad exiguum interimendum impulsum.

5 Defendunt alij grauitatem, & leuitatem esse qualitates superadditas non solùm inter se oppositas, sed grauitatem cum impulsu intendenti mouere corpus sursum, & leuitatem cum impulsu ferente corpus deorsum, & ita lapidem grauitatem amittere dum sursum fertur, quam iterum recuperat natiua virtute, & media impulsum à se expellere, & iterum deorsum moueri. Similiter asserunt impulsus, ex vi quorum corpora per diuersa spatia mouentur, inter se opponi contrariè, & mutuò expelli sicuti calor, & frigus. Porrò appendere non possumus lapidem, dum motu violento fertur sursum, & ita examinare non valemus an grauitatem amiserit, verumtamen alia nobis argumenta suppetunt ad hanc sententiam impugnandam. Primum esto: Grauitas in corpore conducit, vt in illo recipiatur impulsus, quo corpus sursum mouetur: ergo grauitas non opponitur contrariè cum hoc impulsu. Antecedens experientia monstrat, vix enim impulsus aliquis imprimi potest in stupa, aliòve corpore leui, quo sursum moueatur, & valde intensus minori conatu imprimitur in lapide aliôve corpore graui. Consequentiam probo. Nulla forma potest conducere vt introducatur in subiecto, in quo est alia forma ipsi contraria: sed grauitas conducit, vt in subiecto, in quo est introducatur impulsus, de quo agimus: ergo non illi contrariè opponitur. Maiorem probo: forma contraria exigit ne opposita introducatur in subiecto, in quo est, & illius introductioni resistit: ergo non potest conducere vt introducatur, id enim, quod resistit introductioni, & illam impedit, nullatenus ad illam potest conducere. Dices ad impulsum recipiendum tantùm conducere grauitatem in certo gradu, & in maiori alio non conducere, sed potius impedire illius receptionem, ex quo infertur grauitatem esse contrariam impulsui, siquidem quando est nimis intensa resistit illius introductioni, quod autem secundum gradus alios remissos non resistat, non arguit qualitatem hanc non esse contrariam impulsui, quia frigiditas contrariè opponitur cum calore, & tamen non resistit secundùm quoscumque gradus introductioni caloris. Contrà: quo subiectum minus habet frigiditatis, faciliùs, intensiúsque calor in illo introducitur, & nunquam gradus quantumuis remissus frigiditatis potest conducere positiuè, vt introducatur alius gradus valdè remissus caloris, & sic de omnibus aliis formis contrariis: ergo si impulsus, & grauitas contrariè opponerentur, quo subiectum minus haberet grauitatis, facilius & intensiorem impulsum reciperet, & nunquam gradus quidam grauitatis conduceret positiuè ad gradum aliquem impulsus recipiendum: sed gradus aliquis grauitatis conducit positiuè ad impulsum recipiendum, vt probaui, & non facilius, intensiorque impulsus recipitur in subiecto, quo minus habet grauitatis: ergo grauitas, & impulsus non contrariè opponuntur. Secundò, ex eo, quod non possimus corpus nimis graue mouere non infertur corpus impulsui resistere præ nimia grauitate, neque illum non recipere, sed impulsum receptum non esse sufficientem ad mouendum corpus illud. Sed esto: non posset recipere impulsum, hoc non proueniret ex intensione grauitatis, non enim intensiorem grauitatem habet ingens saxum, quam exiguus lapillus ab illo abscissus, sed extensiorem per plures subiecti partes.

6 Hac ratione efficacissimè reiicitur hæc sententia, cui adiunge illius auctores non inuenisse impulsus contrarios, quibus corrumpantur reliqui omnes, quos ego possum corpori imprimere, cùm enim illis obiicitur impulsum, quem modò pede terræ imprimo, vt moueatur deorsum, non opponi cum grauitate, & ita non corrumpi ab illa. Respondent: inconueniens non esse impulsum illum ibi permanere, & à nullo corrumpi. Ex quo infertur quamque terræ partem retinere modò omnes impulsus, quos successiuè recipit quotiescumque pedibus hominum fuit calcata, vel pondus aliud sustinuit. Videat ergo quisque quantus erit impulsus receptus in templi theatrive limine, vbi frequens accidit populus.

Dicunt alij Deum corrumpere impulsum, quia ita exi- 7
git vniuersi ordo ne detur vacuum; nescio quâ ratione vacuum daretur, etiamsi nunquam corrumperetur impulsus, quem recipit corpus, licet enim perpetuò moueretur, nunquam posset extra Lunæ concauum prosilire, non enim valeret quicumque impulsus cælos penetrare, vel disrumpere: ergo non daretur vacuum, quantumuis impulsus corpori impressus per æternitatem duraret. Confirmatur: cùm pila vehementi intra cubiculum excutitur impulsu, semel, & iterum parietes, pauimentúmve tangit & idem repetit spatium, quousque deficiat impulsus, ergo etiamsi pila perpetuò impulsum retineret, perpetuò intra cubiculi spatium cieretur, & nunquam vacuum, neque quidquam aliud contra vniuersi naturam contingeret.

Sentio cum Gabr. in 3. dist. 13. Okamo in 4. q. 12. art. 2. ad 3. 8
P. Rub. lib. 8. Phys. tract. de impulsu quæst. 3. impulsum ex eo corrumpi quia ex se entitas est adeò exilis vt tantùm petat durare per determinatum aliquod tempus, quo transacto Deus totam illius adimpleuit exigentiam, & ita vt naturæ auctor non amplius tenetur illum conseruare, & concursum subtrahit, non quia impulsus exigat sui corruptionem, vel quia in vltimo instanti suæ durationis non habeat eamdem exigentiam, quâ habuit in primo, sed quia in illo instanti iam Deus contulit totam durationem, quam per suam entitatem impulsus exigit, & ita iam ex vi illius exigentiæ non illi diuturnior debet duratio. Moueor adhunc corruptionis modum impulsibus adscribendum, quia etiamsi posset per formarum incompossibilitatem illorum corruptio componi, adhuc teneremur ad hûc recurrere in corruptione soni, & specierum intentionalium, quibus nulla alia corruptionis causa potest assignari, neque aliquid contra hunc dicendi modû potest adduci, quod aliquâ ingerat difficultatê in meis principiis vt ex iã dicendis constabit.

Obiicies primò. Sunt aliæ entitates impulsu imperfectiores, quæ ex se perpetuò durarent, ni à contrario impeterentur sicuti durationes superadditæ in opinione, quæ illas admittit, & alij moduli imperfecti, qui diu persistunt: ergo absque fundamento dicitur entitatem impulsus statim diffluere, & resolui. Secundò animus rationalis imperfectior est Angelo, & æquè petit durare cum Angelo: ergo etiamsi impulsus imperfectior sit aliis entitatibus, æquè petet durare cum illis. Respondeo hanc non esse consequentiam necessariam: Hæc entitas est imperfectior illâ: ergo minorem petit durationem, non enim oritur præcisè ex quacumque minori perfectione exigentia minoris durationis, sed ex certis naturis rerum, quarum vnam impulsui tribuimus, quia nullus alius apparet modus, quo corrumpatur, non præcisè quia imperfectior sit, exigentia enim exiguæ durationis non supponit, sed constituit imperfectionem impulsus. Addo relationes in opinione, quæ illas admittit superadditas, & alios modos perpetuò durare, quia conseruantur à causis, à quibus producuntur, æquè propendentibus in illorum conseruationem ac in propriam ipsorum productionem, cum enim necessarij sunt hi modi subiectis à quibus procedunt, æquè necessariò causæ in illos influunt in tota mensura conseruationis, & in primo productionis instanti.

Obiicies secundò. Gradus impulsus vel sunt æquales, 9
vel inæquales in perfectione. Si æquales: ergo æquè petunt durare: ergo simul corrumpentur. Si inæquales, primus gradus erit imperfectior reliquis: ergo primus gradus minorem exiget durationem, sed corrupto primo gradu deficient omnes, quia gradus inæquales subordinati sunt, quorum secundus, & reliqui superiores subsistere non poterunt: ergo omnes simul corrumpentur: ergo in instanti deficiet totus impulsus, quod est contra manifestam experientiam, qua videmus impulsum paulatim languescere. Respondeo, gradus impulsus esse inæquales, & non

subordinatos,non enim ex inæqualitate infertur subordinatio,vt probabo in Generat. Secundò admissa subordinatione graduum posse gradus superiores exigere minorem durationem,quia entitas perfectior potest exigere minorem durationem, quam exigit alia perfectior. Deinde quia possunt esse gradus subordinati, quorum vltimi primis sint imperfectiores.

II Obiicies tertiò. Impulsus vectionis,quem imprimo lapidi,quē supra humeros porto,intensior est impulsu,quem imprimo lapidi proiecto,sed impulsus lapidis proiecti petit durare per spatium,quo possum orationem Dominicam recitare, quo non languescit impulsus : ergo impulsus vectionis totidem spatij petet durare:ergo etiamsi humeros submoueam quibus lapidem vehebam , durabit impulsus vectionis, & lapis eodem modo mouebitur, & in terram non decidet, cuius oppositum monstrat experientia. Si dicas durare impulsum sed āmoto vehēti lapidis grauitate vinci,Insto:impulsus vectionis non vincebatur grauitate dum vehentis tergo detinebatur , ergo neque hoc amoto vincetur,quia grauitas lapidis non creuit, & vectionis impulsus mondum segnescere incepit. Idem argumentum in aduersarios contorqueo:Impulsus vectionis est æquè perfectus & æquè intensus, & sæpè intensior impulsu proiectionis. Cur ergo vt primum amouetur vehens impulsus vectionis statim totus vincitur, aut expellitur à conttaria forma , & proiectionis impulsus per aliquam notabilem mensuram neque vincitur, neque expellitur. Respendeo: amoto vehenti non dici durare motum vectionis , neque per minimum instans,quia hic non procedebat ab impulsu aliquo , vt dicebam puncto præcedenti,sed immediatè ab ipso vehente,quo amoto amouetur causa impulsus vectionis,& consequenter amouetur effectus.

Punctum III.

Vnde proueniat maior velocitas motus violenti in medio, quàm in principio,& naturalis in fine,quam in medio & principio.

1 Etiamsi tantùm agam de proiectorum motu, & ad me non pertineat hic examinare rationem,propter quam motus naturalis sit velocior in fine quam in principio , & medio , quia tamen hic assignanda est ratio,propter quam motus violentus sit velocior in medio , quam in principio , eademque sit vtrique difficultati communis , vtramque simul inquirere , & definire placuit. Supponit quæstio motum naturalem esse velociorem in fine , quam in principio , & violentum in medio quam in fine , & principio , quod omnium philosophorum consensus statuit , & docuit Aristotel. libr. 2. De cælo , & mundo,ipsaque experientia demonstrat,qua videmus corpus graue maiorem impulsum alij imprimere in fine motus naturalis , quam in medio , & principio , & in medio motus violenti, quam in principio, & fine. Modò tamen Arriaga disputat.4. de Generat. sect.5. subsect.3. rationem adductam improbat , & conclusionem negat , asseritque aliud esse corpus velocius moueri in fine motus , quàm in principio,aliud intensiorem impulsum alij imprimere , in fine motus , quam in principio , neque vnum inferri ex alio , quia velocius mouetur aquila rapidissimè volans, quam lapis à me proiectus , & tamen lapis caput confringet , & aquila nihil nocebit impulsu alij corpori impresso , deinde ait nullum aliud esse caput ex quo inferatur maior velocitas motus in fine , quam in medio , ac proinde fine fundamento constitui maiorem hanc velocitatem, quam ipse negat , in fine motus, quam in medio , & principio.

2 Dubium non est aliud esse , corpus se mouens intensiorem impulsum in alio producere, aliud verò velociùs moueri,quod nullus negabit, neque corpora mollia vehemētissimè se mouentia minorem impulsum,quàm corpora dura etiamsi hæc minus velociter moueantur , aliis corporibus imprimere. Hoc tamen non probat velociorem motum ex se causam non esse seu conditionem intensioris impulsus, & intensiorem impulsum non arguere à posteriori velociorem motum,experientia enim semper suadet velociorem motum cæteris paribus intensiorem impulsum comitari,quia comparatione facta eiusdem corporis tarde se mouentis cum eodem se mouentis velociter siue corpus sit durū,siue molle,quo velocius mouetur,eo intensiorem producit effectum,vt patet in motu pilæ coriaceæ , & cuiusuis lapidis, hominisque se progressiue mouentis, qui si rapido feratur motu intensum imprimit impulsum corpori obiecto, & vtrumque tunditur, si verò tardè moueatur, alij corpori obiecto remissum imprimit impulsum. Exempla, quæ in oppositum adducit Arriaga nihil probant, quia tantùm comparat corpus velociter se mouens cum alio tardè se mouente diuersæ rationis, v. g. corpus molle velociter se mouens cum corpore duro tardè se mouente, in quibus,etsi maior velocitas corporis mollis ex se ad intensiorem inducat impulsum, tamen magis ad intensionem impulsus conducit durities alius corporis , & ita excessus velocitatis motus in corpore molli exceditur excessu duritiei in corpore tardius se mouente , & omnibus pensatis intensiorem impulsum producere valet corpus durum tardè se mouens,quam molle se velociter mouens. Neque Arriaga à communi sententia discedens difficultatem declinat, quia æquè difficilè est assignare rationem, propter quam corpus intensiorem impulsum alij corpori obiecto imprimat in fine motus naturalis , quam in medio, & principio , ac rationem reddere,propter quam velocius in fine quam in medio, & principio moueatur , etsi hoc vltimum neget Arriaga, illius primi tenetur rationem reddere.

3 Qui asserunt impulsum contrariè opponi cum grauitate dicunt initio motum violentum non esse adeò velocem, proiiciens corpus intensum impulsum tantum produceret in partibus proximioribus passi , quæ successiuè intendunt alias partes remotiores passi , & ita successiuè crescit velocitas motus dum crescit impulsus productus in corpore proiecto,postea verò cum iam partes, quæ intensum recepere impulsum à proiiciente produxère totam intensionem,quam possunt in partibus distantioribus iam non potest intensio impulsus , neque velocitas motus accrescere,sed ab illo instanti incipit deficere , quia proiectum se restituit in primam grauitatem, & impulsum amittit, quo languente incipit languescere motus,donec totus deficiat impulsus, & cum illo totus motus. Hæc ratione motus proiecti velocior est in medio , quia totum impulsum recipit, & nihil amisit,quam in principio, in quo non totum receperat impulsum , & in fine, in quo deperdit successiuè impulsum receptum.

4 De motu naturali cur velocior sit in fine , quam in medio , & principio ex aliis principiis ratio est deducenda. Docent aliqui motum naturalem velociorem esse in fine, quia iam mobile propiùs accedit ad centrum , ac proinde connaturalius mouetur. Si maior propinquitas ad centrum ad maiorem motus velocitatem conduceret velocior esset in principio motus , qui incipit ab hoc infimo loco, quàm in fine motus aliùs , qui inceperit ab alio sublimiori loco, & desinat, in quo hic incipit, quod manifesta experientia falsum esse demonstrat , quia corpus cadens ab eminenti loco maiorem impulsum imprimit capiti, quam corpus è manu cadens imprimit terræ:ergo maior propinquitas ad centrum ad maiorem motus velocitatem non conducit.

5 P. Vasquez 1.2. disp.81. & Conimbr. 1. de cælo, docent grauitatem lapidis in motu locali producere aliam grauitatem accidentalem diuersæ speciei à grauitate naturali, quæ tantùm potest durare dum durat motus , & accrescit eadem successione qua motus producitur, quia fit dependenter ab illo , proinde quo diuturnior est motus maior grauitas accidentalis producitur,quæ simul cum grauitate naturali mouet corpus, velocius in fine motus, quia tunc intensior grauitas accidentalis est producta. Eodem modo dici posset in motu proiectorum impulsum impressum à proiiciente producere dependenter à motu impulsum alium quasi accidentarium, qui successiuè producitur, & maior est in medio motus,quam in principio, & ideo velocior est motus in medio,quam in principio;in fine verò etiamsi hic accidentalis impulsus accrescat, decrescit impulsus impressus à proiiciente, ratione cuius languescit motus, non enim æquiualet in ordine ad motum intensio adueniens impulsui secundario intensioni primarij deperditæ , & de eodem impulsu secundario dici potest remitti in fine motus , quia etsi plures præcesserint partes motus dependenter à quibus producitur , & creuerit conditio ad sui productionem , decrescit virtus præcipua , à

qua

quà producitur, videlicet impulsus præcipuus, & cõditionis augmẽtum non supplet decrementũ præcipuæ virtutis.

6 Alij motum naturalem ideo esse velociorem in fine dicunt quia partes aëris, quæ succedunt corpori descendenti, motu, quo spatium relictum à corpore acquirunt, illud à tergo impellunt, & impulsum aliquem in illo producunt, qui augetur, dum plures partes motus præcesserunt, & cum illo motus velocitas. Eadem ratione de proiectis dicitur velocius moueri in medio, quàm in principio, quia plures gradus impulsus recepere à partibus aëris succedentibus in spatio, quod mobile in singulis motus instantibus relinquit; in fine verò etsi nouos gradus impulsus recipiat mobile à partibus aëris, segnescunt, & deficiunt gradus impulsus à proiicicienti recepti, & similiter gradus producti in initio motus à partibus aëris, & ex horum defectu motus languescit, donec penitus impulsus deficiat.

7 Hæc ita Doctores componunt, in quibus nihil est non difficile, neque alius occurrit modus, quo possit hæc difficultas solui, tu ex his illum, qui minorem tibi difficultatem ingerat, elige.

Punctum IV.

A quo proueniat motus resilientiæ.

1 PAter Rub. tract. de impulsu, q. 5. cum Toleto, Conimbricensibus, & aliis apud ipsum citatis, docet motum resilientiæ tãtùm prouenire à proiiciente, & obsistens tantùm esse conditionem ad resilientiam. Aliquibus conclusionibus meam aperiam sententiam.

2 Prima conclvsio: Motus resilientiæ directè oppositus motui, quem intendebat proiiciens tantùm prouenit ab obsistente. Probo: impulsus proiicientis nullam habet virtutem ad mouendum proiectum in partem oppositam illi, in quam primo illud mouere intendit: ergo motus ille tantùm prouenit ab obsistente. Probo antecedens: si impulsus proiicientis virtutem haberet mouendi corpus motu opposito, seu motu directo resilientiæ eadem vi resiliret proiectum, quando impeditur corpore molli ne vltrà progrediatur, quia cum impulsus proiicientis non posset mouere proiectum versùs partem, in quam illud primo dirigebat motus, illud moueret versùs partem oppositam, sed experientia constat corpus proiectum non resilire quando obsistens est molle: ergo dicendum est motum directum resilientiæ, non posse prouenire à proiicientis impulsu, sed tantum ab obsistente, quod tunc mouet proiectum motu directo resilientiæ quando illi impulsum imprimit ita intensum, vt possit non solùm impedire motum, quem intendebat proiicientis impulsus, sed etiam impulsum superare, & oppositum motum producere. Itaque mouebatur proiectum à proiiciente impulsu vt quatuor, obsistens directè tantùm alios quatuor gradus impulsus debet imprimere proiecto, vt impediat motum proiicientis, quos si tantùm imprimat impulsus proiicientis, & obsistentis mutuò impedientur & proiectum neutro mouebitur, sed propria grauitate in terram decidet. Si verò obsistens sex gradus imprimat proiecto, qui impulsu vt quatuor ferebatur, & impediet impulsum proiicientis & motu resilientiæ mouebit proiectum ratione duorum graduum, quibus impulsus obsistentis superat proiicientis impulsum, tantúsque erit motus resilientiæ quantus esset quilibet, & alius directus motus procedens à duobus gradibus impulsus. Ex hac conclusione deprehendes cur proiectum non resiliat quando offendit corpus molle, secus quando obsistens est durum, corpus enim molle tantùm imprimit impulsum sufficientem ad impediendum impulsum proiicientis, non verò ita illum exuperantem, vt valeat in oppositam partem proiectum mouere. Corpora verò dura intensiorem imprimunt impulsum, & ita obsistens durum impulsum imprimit non solùm æqualem impulsui proiecto, ex vi cuius illius impediat motum, sed etiam excedentem ratione cuius in oppositam partem moueat proiectum.

3 Secvnda conclvsio: Motus resilientiæ obliquus, seu indirectus non tantùm prouenit ab obsistente, quia si tantùm ab obsistente proueniret, quo corpus proiectum maiorem impulsum imprimeret obsistenti, & maiorem impulsum ab illo reciperet, velocius moueretur, & fortiùs resisteret: sed constat proiectũ velociùs moueri, & fortiùs resilire, quo magis obliquè tangit obsistens, & consequenter quo minorem impulsum ab illo recipit, quia quo magis obliquè illud tangit, minorem impulsum imprimit obsistenti, & obsistens minùs resistit, & minorem impulsum proiecto imprimit: ergo motus obliquus resilientiæ non potest prouenire tantùm ab obsistente.

Tertia conclvsio: Motus obliquus resilientiæ non tantùm prouenit à proiiciente, sed etiam ab obsistẽte. Motũ hunc prouenire ab impulsu proiicientis constat ex conclusione præcedenti, in qua probaui non prouenire adæquatè ab obsistente. Alteram conclusionis partem videlicet prouenire ab obsistente sic suadeo: Impulsus obsistẽtis valet motu directo resilientiæ mouere proiectum vt statui conclusione prima: ergo valebit idem mouere motu indirecto, seu obliquo resilientiæ. Vtriusquepartis conclusionis vna sit ratio. Quando obsistens obliquè tangitur à proiecto proiiciens & obsistens, etsi in diuersas partes intendant mouere proiectum, non tamen in oppositas, quia obsistens obliquè tactum ex se non intendit mittere proiectum per eandem lineam, per quam ad illud peruenit, sicuti intendit obsistens tantùm directè, & ita licet non possint attemperari impulsus proiicientis, & obsistentis directè tacti, quia intendunt in partes directè oppositas, attemperari possunt impulsus proiicientis, & obsistentis tacti obliquè, quia licet intendant mouere proiectum in partes distinctas, non illud in directè oppositas trahere intendunt, & ideo possunt attemperari, & media quadam via illud ferre. Aptum exemplum rem probat, & declarat. Pone corpus in medio huius cubiculi, quod duo agentia funibus in duos cubiculi angulos directè oppositos intendant mouere, si vtrumque illud pari vi attrahere intendat, neutrum illud trahet, & corpus immotum permanebit, quia neutrum agens alterius impulsum vincere valeret. Quod si vnum agens fortiùs alio corpus attrahere intendat, tale agens contra alterius impetum corpus admouebit. Sic contingit in motu directo resilientiæ proiiciens intendit mouere proiectum versùs Orientem, obsistens illud intendit mouere per eamdem lineam versùs Occidentem: digladiantur inter se impulsus proiicientis, & obsistentis, si proiicientis præualet impulsus trudit obsistens, & proiectum absque vlla resilientia mouetur, si vincit impulsus obsistentis proiectum resilit versùs Occidentem, si verò par sit obsistentis, & proiicientis impulsus neuter positiuè vincit, aut vincitur, sed vterque impeditur, & proiectum neutrius impulsu mouetur, sed propria grauitate in terram decidit. Demus tamen corpus existens in medio cubiculi moueri intendi à duobus agentibus in diuersos angulos non oppositos, sed immediatos, seu eumdem parietem terminantes, tunc etiamsi pari vi ab his agentibus trahi intenderetur, non ideò immotum permaneret, sed impulsus vtriusque agentis attemperarentur, & vterque simul corpus illud moueret, neuter per lineam illam per quam intendebat ex se corpus trahere, sed vterque per mediam aliam inter illas, per quas duplex impulsus distinctus corpus ferre intendebat. Sic contingit in motu resilientiæ indirecto, seu obliquo. Proiiciens intendebat mouere proiectum versùs Occidentem, obsistens obliquè tactum versùs Meridiem idem proiectum mouere intendebat, attemperantur vtriusque impulsus, & moueretur proiectum per lineam quamdam mediam inter Occidentem, & Meridiem, quam neuter impulsus ex se intendebat, & in quam qualibet ratione alterius per accidens fertur, dum non potest alter in alterum præualere, & ita positiuè vincere, vt illo non obstante per lineam, quam ex se intendebat valeat ferre proiectum.

5 Idem contingit in motu proiectorum respectu grauitatis corporis proiecti: impulsus proiicientis intendit mouere lapidem versùs Orientem, grauitas intendit eum deorsum ferre, dum præualet impulsus proiectum linea recta fertur versùs Orientem, postea verò cum impulsus aliquantulum remittitur, ita vt neque ipse possit in grauitatem præualere, neque grauitas in ipsum, attemperantur grauitas & impulsus, & per modum vnius principij corpus mouent non deorsum linea recta sicuti grauitas intendebat, neque versùs Orientem linea recta sicuti intendebat impulsus, sed partim deorsum, partim versùs Orientem, & arcum quemdam peragit motus, quo proiectum partim appropinquat ad centrum sicuti intendit

grauitas. Tandem quando impulsus est nimis remissus, penitus vincit grauitas, & proiectum linea recta deorsum descendit.

6 Obiicies: sequi ex hac doctrina corpus proiectum obliquè tangens obsistens mouendum esse per maius spatium, ac moueretur linea recta, si obsistens non offendisset, quia obsistente non offenso tantùm moueretur impulsu proiicientis, illo verò offenso mouetur eodem proiicientis impulsu, & simul impulsu impresso ab obsistente. Respondeo negãdo sequelam, quia etsi verum sit maiori impulsu moueri proiecta motu resilientiæ, quam mouerentur motu recto, quia tamen motu recto mouerentur motu quodam per se intento à principio, magis mouerentur minori impulsu, quam maiori alio in motu resilientiæ, quia hic non per se intenditur à principio, sed tantùm per accidens ex occursu duorum principiorum, quorum quodlibet diuersum proiecti motum intendebat, & ita vtrũque concurrit ad hunc motum, etsi neutrum per se illum intendat, quapropter minor motus producitur ab vtroque principio operante præter propriam intentionem, quam ab altero tantùm produceretur, si iuxta propriam intentionem motum alium produceret.

7 Obiicies secundò: Etiamsi proiectum obliquè tangat corpus molle, illius motus impeditur, & quiescit: ergo impulsus proiicientis non potest attemperari adhuc cum impulsu obsistentis obliquè tacti. Respondeo proiectũ numquam quiescere cum tantùm obliquè tangit obsistens, frequenter tamen quiescere dum tangit corpus molle, quia rarò illud tangit obliquè tantùm, sed etiam directè, partes enim mollis obsistentis obliquè tactæ comprimuntur, & proiectum ingreditur spatium ab illis relictum. Vnde prouenit, vt non solùm obliquè tangatur ab obsistẽte, sed etiam directè per partes anteriores, quia partes compressæ relinquunt alias immediatas eminentiores, & directè respicientes terminum, à quo incipit motus, secundùm quas ita tangitur proiectum vt impulsum recipiat intendentem illud mouere motu directè opposito motui intento à proiiciente, & hac de causa sæpius quiescit, vel parum mouetur.

8 Inquiri solet an mobile quiescat aliquantulum puncto reflexionis. Duplicem quietem Aristotelici assignant; priuatiuam, & negatiuam, quietem priuatiuam vocant, qua interrumpitur motus tempore diuisibili, in quo potest esse motus successiuus, negatiuam quietem appellant, quâ interrumpitur motus mensurâ indiuisibili, in qua nulla potest esse motus successio. Quadrupliciter potest contingere reflexio. Primò, si motus directus, & reflexus sit naturalis vt contingit in dilatatione & constrictione cordis. Secundò si vterque motus sit violentus vt contingit cum pila proiicitur ex hoc pariete ad illum, & ad eundem reflectitur. Tertiò, si motus directus sit naturalis, & reflexus violentus vt contingit cùm pila motu directo deorsum fertur, & motu reflexo sursum mouetur. Quartò si motus directus sit violentus, & reflexus sit naturalis vt cum lapis sursum proiicitur rursus descendit.

9 Multa in hac quæstione superfluè, & obscurè permisceri solent, me breuiter ab illa expediam. Sentio per se loquendo necessum non esse mobile in puncto reflexionis aliqua quiete motum interrumpere, ac proinde si corpus sphæricum tangeret perfectè planum, illud tangeret in puncto, & in puncto reflexionis, nihil quiesceret mobile, neque quiete priuatiua neque negatiua, quia in instanti, in quo mobile tangeret obsistens non posset dici quiescere, & si ab illo non separaretur in illo instanti, quia in illo moueretur per acquisitionem præsentiæ in illo instanti primo habitæ, ex vi cuius tangebat mobile, & in sequenti instanti seu parte temporis immediata instanti, in quo fuit factus contactus amitteret præsentiam, vbi autem non est diuisibilis duratio eiusdem præsentiæ nulla quies intercedit.

10 Quando mobile in parte temporis punctum reflexionis acquisiuit, sentiunt multi Aristotelici in instanti immediato quieturum quiete negatiua, quia non potest incipere motus in instanti. Difficile concipiuntur partes diuisibiles temporis in instantibus distinctæ, nolo tamen me illarum difficultate implicare, sed assero illis admissis eodem modo philosophandum esse per se loquendo de instanti à parte post immediato parti temporis, in qua mobile punctum reflexionis acquisiuit, atque de instanti immediato à parte ante, & de reliquis instantibus interceptis partibus motus, neque specialem rationem inuenio, cur in illo instanti immediato à parte post parti temporis, in qua mobile punctum reflexionis attigit, non possit mobile cieri, & possit in aliis instantibus. Quod nonnulli dicunt non posse motum incipere in instanti temporis nullius est momenti, quia si mobile in hoc instanti moueretur, quando fuit motum in parte immediata temporis, cur si motum in parte immediata temporis quiesceret in hoc instanti, non posset hora transacta in quocumque instanti denuò incipere moueri eodem motu, quo nunc mouetur. Deinde dici potest motum sursum, & deorsum continuari, quia non differunt per aliquid intrinsecum, & ita etiamsi in illo instanti mobile moueatur, non incipiet moueri, sed tunc erit continuatiuum vtriusque motus. Hæc omnia facillimè componuntur in sententia, quæ successiua tantùm ex indiuisibilibus componit.

11 Quando obsistens, & mobile tanguntur per plura puncta, vel per partes aliquas diuisibiles, non possunt se in instanti tangere, quia non potest in instanti recedere aër diuisibilis occupans spatium occupandum partibus se tangentibus, & ob eamdem rationem non potest mobile tangens obsistens secundum partes diuisibiles in instanti ab omnibus separari, quia non potest in instanti accedere aër occupaturus illud spatium ne detur vacuum, hoc tamen non probat omnino quieturum mobile, nec adhuc secundum partes, quæ non separantur ab obsistenti, quia rectè possunt partes moueri, & non separari ab obsistente, ita vt necessum sit aërem ingredi ne detur vacuum, quia si per aliquod corpus planum trahatur in instanti temporis tota mouetur manus, & tantum vnicum plani indiuisibile relinquit ab aëre tangendum in corpore plano, sic potest dici de proiecto tangente obsistens. An in motu constrictionis cordis danda sit quies aliqua, vt recreetur, quia nimis laboriosum illi esset irrequieto labore agitari, tractant Medici, & affirmatiuè concludunt.

DE